


COMMENTARIUS
RINUCCINIANUS

VOL. I

O'FERRALL
&
O'CONNELL

94156

MCMXXXII



94156

COMMENTARIUS
RINUCCINIANUS.

COMMENTARIUS RINUCCINIANUS

DE SEDIS APOSTOLICAE LEGATIONE
AD FOEDERATOS HIBERNIAE CATHOLICOS
PER ANNOS 1645-1649

FLORENTIAE
OPUS SUSCEPERUNT ATQUE ABSOLVERUNT
PER ANNOS 1661-1666

FR. PATER RICHARDUS (BARNABAS O'FERRALL)
LONGFORDENSIS

FR. PATER ROBERTUS (DANIEL O'CONNELL)
DESMONDENSIS
UTERQUE E PROVINCIA HIBERNICA
ORDINIS MIN. CAPUCCINORUM

NUNC PRIMUM E FONTIBUS TOTUM
EDENDUM CURAT

FR. PATER STANISLAUS (JOANNES KAVANAGH)
EIVSDEM ORDINIS ET PROVINCIAE

DUBLINI: ANNO MCMXXXII

COMMENTARIUS RINUCCINIANUS

DE SEDIS APOSTOLICAE LEGATIONE
AD FOEDERATOS HIBERNIAE CATHOLICOS
PER ANNOS 1645-1649

VOLUMEN PRIMUM

USQUE AD ADVENTUM IN HIBERNIAM
EXC. NUNTII APOSTOLICI



DUBLINI: ANNO MCMXXXII



94156

DUBLIN
PUBLISHED FOR
THE IRISH MANUSCRIPTS COMMISSION
BY THE
STATIONERY OFFICE

To be purchased directly from the
GOVERNMENT PUBLICATIONS SALE OFFICE, 5 NASSAU ST., DUBLIN, C.2,
or through any Bookseller

1932

Volume I, Price Twenty Shillings



COMMENTARIUS RINUCCINIANUS

PRAEFATIO

Ex titulo integro in principio operis ipsius collocato scopus ejus et argumentum facile dignosci possunt.

Totum opus manuscriptum, e sex voluminibus 2666 foliorum (28cm. × 20 cm.) constans, Mediolani in Bibliotheca Palatii Trivulziani hodie asservatur.

DE HUIUS OPERIS ORIGINE.

Nullibi quidem in codice expresse indicatur hujus COMMENTARII auctor, quapropter operis perficiendi gloria variis saeculi decimi septimi scriptoribus passim tribuebatur. Ita Dominicus de Burgo, Ordinis Praedicatorum, qui Florentiam anno 1770 visitavit, de hoc COMMENTARIO asseruit "non quidem ab ipso lucubratum Nuncio, sed a Dionysio Massario, Decano Firmano ac Nunciaturae Hibernicae Auditore Nunciique individuo comite."¹ Hanc vero sententiam falsam esse constat ex ipso COMMENTARII textu :

"Ipse Massarius hujus belli Ibernici historiam italice composuit, quam nunquam vidi, nec ipsum Massarium." (Gilb. 3523.)²

Varia tamen in ipso textu inveniuntur indicia, praesertim biographica, ex quibus tandem quaestio diu agitata dilucide enodatur.

RATIO OPERIS.

- 1. Hoc opus de Nuntii proposito ortum habuit, qui, statim ut ex Ibernia in Italiam rediit, voluit ut Nunciaturae jam expletae historia exacte conscriberetur.*
- 2. Ut hoc fieret Nuncius Patri Richardo O'Ferall, Capucino Ibero, "ipsi carissimo," (Gilb. 2309) Romam³ scripsit ut*

¹ Hibernia Dominicana, Supplementum, f. 900.

² Explicatur citatio Gilb. ad finem hujus praefationis.

³ P. Richardus a Nuncio, "qui summam in ejus zelo et sinceritate fidem collocavit" (Gilb. 3677), anno 1648 Galvia Romam praemissus erat, ad Nuncii causam apud Aulam Romanam defendendam.

Firmum se conferret ad opus, Nuncio ipso patrocinate, mox suscipiendum. Attamen Nuncii viribus paulatim deficientibus et morte subsequente opus propositum ad nihilum tunc decidit.

Constat de supradictis ex hisce textibus adjunctis :

“ Quomodo autem Archiepiscopus Firmanus illis calumniis obviare et res Ibernicas eodem tempore longe aliter in lucem edere decreverit, ipse manu propria P. Richardo O’Ferrallo, Capucino Ibero, litteras 5 Decembris hoc anno 1650 Firmo Romam scripsit his verbis : Quoad (inquit) res meas libere et ingenue loquar. Si Paternitas vestra per aliquod tempus Firmi commorari (quod ego a Reverendissimo P. Generale statim impetrarem) voluerit, sperantem historiolum rerum Ibernicarum cudere et fortasse orbi non ingratam. Cogitet ea super re. Nisi enim ex animo hoc fiat exitum faelicem habere nequaquam poterit.” (Gilb. 3075.)

“ Ad exeuntem annum 1650 tetigi quo pacto Archiepiscopus Firmanus Firmo Romam ad P. Richardum O’Ferallum, Capucinum Iberum, litteras tunc scripserit, cupiens ut Firmum accederet, quo se in contexenda rerum Ibernicarum historia adjuvaret. Ad cuius epistolam quid P. Richardus responderit, quidque deinde Firmanus significarit, haec altera epistola Archiepiscopi ad eum data te docebit :

Admodum Reverende Pater,

Gaudenter audio ex recentioribus litteris Paternitatis vestrae eam libenti animo Firmum venturam, quod ex prioribus conjicere non potui. Rogo nunc ne Roma prius discedat quam aliam a me recipiat epistolam, ut ferre secum possit scripturas, aliasque notitias, quae ad rem nostram necessariae mihi videbuntur. . . . Firmi, 19 Januarii 1651.” (Gilb. 3399.)

Postea vero, scilicet in litteris ad P. Richardum 8 Maii 1651 missis, Nuncius elenchum librorum, qui ei necessarii erant, transmisit, quapropter :

“ P. Richardus ubi aliquot menses Romae aegrotasset, deindeque convaluisset, Firmum petiit. Verum Firmanus capitis fluxionibus atque aliis morbis laborare caepit, qui huic historiae componendae obicem posuerunt, ut Richardus re infecta Romam redierit. Porro Firmani infirmitas in

apoplexiam desiit, qua per ultimum circiter vitae biennium nunc abeunte, nunc redeunte, nunquam omnino integram valetudinem recuperavit . . . deinceps Idibus Decembris 1653 illo modo expiravit, alias Philopatrum Irenaeum, Bellingum, aliosque ejus adversarios calamo confossurus, et eorum qui sibi in Ibernica adhaeserant, patrocinium suscepturus." (Gilb. 3400.)

SOCIUS P. RICHARDO ADJUNCTUS.

Nec Patri Richardo deinceps licuit per otium opus demandatum aggredi, quippe qui :

"Ob rerum Ibernicarum exigentias" (Gilb. 3678.) "per decennium circiter Romae perstiterit." (Gilb. 3679.) *Tunc demum* "suapte sponte Florentiam secessit, quem locum praetulit ut se in praemortui Archiepiscopi Firmani, Ibernicae olim Nuncii, scriniis apud Equitem Rinuccinum, Firmani fratrem, ibi tunc asservatis se volutaret, et ex illis exprimeret historiae embrionem Massario Romae relicto per quaterniones transmittendum, ex quo ille suae Belli Ibernici historiae Italice (sicut diximus) scribendae segetem mutuaretur." (Gilb. 3526.)

"Verum Florentiam, quo sibi ad Archiepiscopi Firmani, Ibernicae antea Nuncii, chartophylacia ibi asservata aditus pateret, suapte sponte anno 1659 secessit et ibi pedem fixit." (Gilb. 3679.)

Cum vero opus pro Massario susceptum absolvisset, demum anno 1661 ad propositum tamdiu posthabitu, historiam scilicet Nunciaturae exarandi, se accinxit. Ad hunc finem expedite assequendum ab Ordinis superioribus mense Septembri ejusdem anni socius ei adjunctus est.

"Richardus . . . magna apud praefatos Eminentissimos DD. Cardinales nec non apud Ordinis tam Ministrum Generalem quam Procuratorem Generalem fide pollens, atque in Capucinorum Missionis Ibernicae tunc Commissarium Generalem, suum contribulem et cognatum gradu proximum, P. Bernardinum O'Ferallum pene dominans, effecit ut ipse in vineam Ibernicae redire cupiens, non illo perrexerim, sed ex Gallia in Italiam venerim, ne quidem sciens quid ibi facturus essem, sed in mandato ad me Carolopolim in Galliam ex Urbe misso jussus ut Florentiam me conferrem, ibi facturus quod

P. Richardus mihi diceret. Florentiam mense Septembri 1661 perveni. Quo tempore Richardus historiae a Massario jam Italice propectae embrionem ita absolvebat ut tamen aliunde impeditus non nisi post aliquot menses absolverit. Quo penso peracto id egit ut Minister Generalis me ipsi ad hanc aliam historiam latine contexendam associarit." (Gilb. 3681-3682.)

Liquet ergo ex allatis: 1. Opus revera a Nuncio fuisse excogitatum, verum ob ejus mortem ad tempus prolatum. 2. Patrem Richardum et socium quemdam revera COMMENTarii auctores fuisse.

QUIS FUIT ILLE P. RICHARDI SOCIUS?

Quantum vero ad socium attinet, in opere scribendo ita submissee se gessit, ut debito honore P. Richardo delato, de suo ipsius nomine consulto tacuerit. Quamobrem jam opus est de socii nomine indagare. Obiter quidem a scriptore (idem qui et socius) in serie narrationis clausulae quaedam dantur, quae certiores nos faciunt 1. de sua familia, 2. de locis ubi litteris et philosophiae studuit, 3. de munere suo, et 4. de locis ubi temporibus constitutis interfuit. Quae omnes procul dubio ad rem ita magni momenti sunt ut in plenam socii cognitionem nos inducant. Clausulae, in ordine jam adumbrata dispositae, hic palam colliguntur.

I. DE SUA FAMILIA.

1. *Parentes ejus fuerunt clientes haereditarii domus MacCartii Magni, Desmoniae Principis:*

"MacCartius Magnus . . . ad annum 1659 in Galliam navigavit, . . . exindeque anno 1660 Carolopolim, urbem, se recepit, ubi a Capucinatorum ibi Ibernorum conventu summa humanitate cumulatus fuit." (Gilb. 3672.) . . . "mihique ipsi quadam dierum in Gallia viatus est sed flexis genibus me veniam rogavit, licet sim parentibus natus illius Regii MacCartii Magni domus clientibus ab aevo haereditariis." (Gilb. 3674.)

Ipsissimis verbis scribit de parentibus

(a) *Richardi O'Connell, Episcopi:*

"Richardus O'Conaldus, Episcopus Ardfertensis et Achadeoensis, decessit. Is calamitosis Reginae Elizabethae diebus

ad Ballicarbriam, Valentiae Portui in Desmonia proximam, parentibus more majorum Catholicis et MacCartii Magni, Desmoniae Principis, clientibus haereditariis natus, etc." (Gilb. 3384.)

(b) *P. Mauritiū O'Connell, Episcopi praefati nepotis :*

"Specialem etiam a me sui mentionem postulat P. Mauritius O'Conaldus, Desmoniensis, mihi olim in saeculo condiscipulus et a teneris unguiculis notissimus. Is parentibus Catholicis, MacCartii Magni clientibus natus, etc." (Gilb. 2588.)

Cum vero familiae MacCartii Magni sedes principalis fuit castellum ad Ballicarbriam situm, in qua regione habitabant O'Conaldi,¹ familiae praefatae clientes haereditarii, cumque socius de sua familia iisdem verbis scribit ac de Episcopi et P. Conaldi familiis, concludendum sane est eum de eadem familia O'Connell ortum, nec non Desmondensem esse.

2. *Ex intimis suis familiaribus ineunte aetate inferri potest eum Momoniensem esse :*

(a) *ex verbis supra citatis de P. Mauritio O'Conaldo. (Gilb. 2588.)*

(b) "Boetius MacEganus, Episcopus Rossensis, . . . parentibus plus honestis quam opulentis, MacCartiorum Duhalliensium seu MacDonochi, Duhalliae dynastae, clientibus natus, Hominem adolescens saepius vidi et concionantem audivi, etc." (Gilb. 2921-2922.)

II. STUDIORUM CAUSA COMMORATUS EST :

1. *Corcagiae : ad an. 1637 et usque ad 1640 :*

"Celebris est Momoniae civitas, Corcagia, in qua ad annum 1637 Philosophiae perfunctione operam dedi, quam deinde frequentavi, et ex qua, paulo ante ortum hoc bellum, anno 1640 ulteriorem bonis litteris operam daturus, die S. Patricio, Iberniae Apostolo gloriosissimo, sacra, velum feci, in Galliam trajecturus." (ff. 307-308 hujus voluminis.)

¹ Nomen hujus familiae O'Conald, Conald, Connel et O'Connell passim invenitur.

2. *Burdegalae* :

"Athenriae tunc Rectorem agebat D. Cornelius O'Hurlaeus, S. Theologiae Doctor, mihi ante in Universitate Burdegalensi notus, etc." (Gilb. 2183.)

III. *UIT CAPUCINUS IBERNUS* :

1. ". . . sicut me atque aliis in Capucinatorum Ibernorum conventu Carolopolitano praesentibus paulo post retulit testis locuples et oculatus, D. Joannes Whiteus, natione Ibernus, etc." (Gilb. 3333.)
2. *Constat insuper ex verbis supra citatis* (Gilb. 3681-3682) *in quibus asserit auctor se a Patre Generale Ordinis Capucinatorum Florentiam missum esse anno 1661.*
3. *Probatur etiam ex textu primo in paragrapho proxime sequente dato.*

IV. *COMMORATUS EST* :(A) *Carolopoli* :1. *Anno 1655* :

"Porro Joannes postea vincula, mortis sententiam, carceres et exilium ab haereticis passus hanc historiam mihi Carolopolim in Gallia retulit, ubi in Capucinatorum nostratium conventu me assistente vitam sanctissimam 15^o Martii 1655 sanctissime finivit." (Gilb. 2292.)

2. *Anno 1660* :

Asseritur in verbis in Par. I. DE SUA FAMILIA citatis.
(Gilb. 3674)

3. *Anno 1661* :

Siquidem Carolopoli anno 1661 Florentiam missus est testante auctore (Gilb. 3681-3682), *in clausulis jam supra datis.*

(B) *Urbem Parisiensem anno 1659 invisit* :

"Mihique ex ejus filio nepos Donochus MacCartius, Muscriae Vicecomes, in hoc bello Ibernico quod tracto nominatissimus,

Parisiis anno 1659 retulit, alique etiam mihi tradiderunt, etc." (f. 472 hujus voluminis.)

(C) *Fuit Florentiae :*

1. *Anno 1661 :*

"Florentiam mense Septembri 1661 perveni." (Gilb. 3681.)

2. *Anno 1663 :*

"Richardus . . . Ecclesiae sacramentis rite munitus fratrum corona, atque inter alios me flexis genibus assistente decessit hora circiter meridia die 13 Augusti 1663, etc." (Gilb. 3687.)

3. *Anno 1664 :*

- a. "Porro D. Guillelmus Burgattus quadam mea epistola, quam ad hujus Primatis Iberniae successorem, Illustrissimum Dominum Edmundum O'Rellium anno 1664 scripsi, Romae lecta, ad me ex Urbe 26 Junii 1664 Florentiam scribens, etc." (Gilb. 3096.)
- b. "Reperi autem anno 1663 Florentiae in P. Richardi O'Feralli, Capucini Ibernii, tunc extremo morbo ibidem laborantis chartophilacio Epistola 13 Decembris 1649 ab illis Congregationis Cluanmacnosiensis Praelatis qui Nuncii partes sequerentur ad Innocentium X. datae, nec non alterius . . . nec non tertiae ab Episcopo Clonfertensi Congregationis secretario chartae . . . autographo. . . . Caeterum hoc istius epistolae autographum in quo ab ejus apographo inter acta Cluanmacnosiensia ad an. 1649 a me in medium producta et ab Episcopo Imolacensi ad Nuncium in Italiam misso differat ibi ostendi, etc." (Gilb. 3308.)

Paulo inferius de his documentis scribit :

- c. "Porro ego has omnes chartas, aliasque eodem spectantes anno 1664 Edmundo O'Rellio, Primati Ardmachano, et dicto D. Guillelmo Burgatto tunc Romae se tenentibus Florentia in Urbem misi." (Gilb. 3309.)

Sane paragraphi ultimi (b. et c.), ut infra constabit, ad socii nomen explorandum multum valent.

SOCIUS FUIT P. ROBERTUS O'CONNELL, CAPUCINUS.

Ab uno tantum scriptore mentio fit de P. Richardi socio, scilicet a P. Dionysio Genuensi, Capucino, qui in opere cui titulus: BIBLIOTHECA SCRIPTORUM ORDINIS MIN. S. FRANCISCI CAPUCINORUM, Genuae anno 1680 typis impresso, de ambobus patribus sic scripsit:

“ Richardus Hybernensis, concionator, Confecit ingens volumen historicum, in quo latine tractat DE REBUS HYBERNICIS AD CATHOLICAM FIDEM SPECTANTIBUS, quod opus jam antea fuerat inchoatum ab Illustrissimo et Reverendissimo D. Joanne Baptista Rinuccino, Archiepiscopo Firmano et in regno Hyberniae Sedis Apostolicae Nuncio. Vidimus illud MS. apud eundem P. Richardum, dum Florentiae commoraretur anno 1662.” (f. 430.)

“ Robertus item Hybernensis, eiusdem P. Richardi socius et etiam Missionarius apostolicus, vir utique humilis, sincerus et devotus, . . . scripsit latine volumen controversiarum, quod intitulavit: ‘ VERITATIS ORTHODOXAE, etc., contra errores Haereticorum nostri temporis.’ Vidimus etiam illud MS. paratum pro praelo apud eundem authorem Florentiae anno 1662.” (f. 430.)

Porro socius, qui una cum Patre Richardo O'Ferall COMMENTARIUM Florentiae contexuit, fuit Pater Robertus supra designatus.

Ad quod clare probandum expedit imprimis demonstrare quomodo testimonia jam ex COMMENTARIO allata, quae socium respiciunt, et ea quae aliis in scriptis de eodem P. Roberto narrantur, inter se quoad loca et tempora concordant.

I. DE SUA FAMILIA.

Pater Robertus fuit

- (a) *de familia O'Connell, et*
- (b) *natus in Desmonia, Momoniae provincia.*

Haec, ut jam diximus, ex verbis COMMENTARII superius citatis colligi possunt. Palam tamen enunciantur in libro manuscripto, cui titulus: “ LIBER VESTITIONUM ET PROFESSIONUM apud nos, Capucinos Iberos, factarum.”¹

¹ Archives de l'Aube, Troyes, France (11 H. 1).

(a) fol. 43 *hujus libri plene datur formula Professionis:*
 "FRATRIS ROBERTI, ALIAS DANIEL CONNEL, CLERICI." *Ad*
hujus formulae calcem his verbis neo-professus chirographum
apposuit: "FRATER ROBERTUS, ALIAS DANIEL CONNEL."

(b) fol. 87 *ejusdem libri leguntur haec verba:*

"Festo Sanctae Mariae Magdalenae, 22 Julii, vestitus est
 in clericum F. ROBERTUS, ALIAS DANIEL CONALDUS,
 DESMONDENSIS, circa quintam vespertinam, 1645."

II. DE LOCIS UBI STUDIORUM CAUSA COMMORATUS EST:

Extat Trecis in Bibliotheca Municipali¹ liber MS. cui titulus:

"HISTORIA MISSIONIS HIBERNIAE FRATRUM MINORUM CAPUCINORUM, authore R. P. Roberto O'Connellio Capucino." *Multa*
quae de seipso in hoc libro auctor narrat cum testimoniis jam sub
hoc capite ex COMMENTARIO allatis congruunt. Unde concludendum
COMMENTARIUM pariter a P. Roberto esse confectum. Quod ex
textibus sequentibus liquido apparet:

I. Corcagiae fuit anno 1637:

F. 456. *Liber gus. an. 1637.*

"Eodem tempore Capucini apud Corcagiam hospitium
 inchoarunt. Est autem Corcagia urbs Momoniae antiqua et
 celebris, . . . cujus cives . . . modernorum haereticorum
 non nisi paucissimis eousque cohabitationem nedum jura
 civitatis permiserunt. . . . Cujus rei me testem oculatum
 profiteor. Etenim hoc ipso anno, quo Capucini eo loci primitus
 introducti, ibidem saecularis adolescens Donatum O'Kinellum
 Juris utriusque Doctorem in philosophicis audiens non nisi
 circiter quatuor haereticas familias inter maenia notavi,
 easque opinor, non Hibernicas sed Anglicas."

2. Burdegalae studuit:

"Etenim licet olim adolescens ac deinde stricta oratione
 plurimum delectarer (etsi in ea haud multum profecerim)

¹ Bibliothèque de Troyes, France, Cabinet des MSS. No. 706.

solutam tamen negligebam usqueadeo ut AN. 1640, CUM STUDEREM RHETORICAE APUD BURDEGALAM aub R. P. Fontanello, Jesuita, poeseos praemium semel atque iterum reportaverim." (f. 7.)

3. *Etiam anno 1644 litterarum studio operam dedit :*

"Subducta post haec manu ferulae an. 1644 dabam identidem litteras Latine ad amicos idque de industria ut Latine componere ediscerem. Quod etiam ingressus Religionem in more positum habui." (f. 7.)

III. *Fuit Capucinus Ibernus :*

1. *Liquet ex Acto Professionis superius dato.*

2. *Probatum etiam ex HISTORIA MISSIONIS :*

"Cum rediissem Parisiis (ubi Theologiae Capucinus inter Capucinos operam navavi) Carolopolim, nidum novitatus mei, mox incumbere coepi iis exercitiis quibus disponer ad obeundas Missionarii functiones; verum ad R. P. Christophori O'Kearnii Commissarii nostri Generalis mandatum post aliquot menses ab appulsu transtuli me an. 1652 mense Junio ad digerendas in ordinem historicum res nostrae Missionis." (f. 7.)

IV. *Commoratus est :*

A. *Carolopoli :*

1. *Anno 1655 :*

Liquet ex HISTORIA MISSIONIS in qua de rebus anno 1655 gestis disserens, de seipso P. Robertus scribit :

"Quare duo dicti Missionarii cum experirentur messem multam nimis suasque vires jam aliquot dierum mole contritus superantem, id effecerunt ut Christophorus Commissarius manus auxiliares Porcheressam destinaret, nempe P. Mauritium Ineaghensem et me indignum sane fucum interpes. Qui ab hoc opusculo quod tunc sub calamo erat non ea solum vice sed plurimis aliis divulsus, veniam mereor si stylus hispidus et hirsutus, non aulae Romanae elegantiâ,

sed Arduennae sylvae rusticitatem imo truncos et stipites redoleat, etc." (f. 720.)

2. Anno 1656 :

Sub anno 1656 de seipso tradit auctor :

" Qui die Ascensionis Dominicae sacro collatis signis et vexillis explicatis certamen imparibus misit quadriduo posterius in auxilium idem Commissarius P. Mauritium Ineaghensem cujus laus est in Evangelio et me servum inutilem ab hoc opusculo, quod tunc quoque contexebatur, proseguendo id temporis et alias saepissime divulgum." (f. 722.)

3. Anno 1657 :

In opere MS.¹ a P. Bernardino O'Ferall, Commissario Generali, composito, cui titulus, latine versus, sic sonat : NOTULAE QUAEDAM AD ME DE REBUS TEMPESTIVE GESTIS COMMONENDUM, " mentio fit de testimonio Carolopoli die 17 Junii 1657 confecto, cui inter alios F. Robertus nomen suum apposuit. (f. 12.)

B. Urbem Parisiensem anno 1659 invisit :

In libro MS. jam citato de rebus anno 1659 gestis P. Bernardinus sic anglice scribit :

" Circa exeuntem mensem Februarium PP. Eduardus et Robertus Parisios profecti sunt ad negotia aliqua expedienda." (NOTULAE QUAEDAM, f. 67.)

C. Florentiae habitavit :

1. Anno 1662 :

Constat ex libro BIBLIOTHECA SCRIPTORUM superius citato.

2. Annis 1664 et 1665 :

Extant in Bibliotheca FF. Minorum Dublinii inter manuscripta Patris Lucae Wadding duae epistolae Romam ad Patrem Franciscum Harold directae, quibus ad calcem apponitur scriptoris nomen " F. Robertus Ibernus, capucinus."

¹ Archives de l'Aube, Troyes, France (11 H. 2).

In prima epistola (D. f. 55) Florentiae 3 Junii 1664 data, P. Robertus haec scripsit:

“Ad P. Richardi schedas quod attinet, collegit quidem ille ex praemortui Iberniae Nuncii scriniis copiosissimis, aliundeque, multa ad rerum Ibernicarum nostra memoria gestarum notitiam haud mediocriter conducentia, quorum non pauca sunt juxta charitatis et prudentiae leges hisce diebus malis haud promiscue in medium producenda ob rationes, quas nemo non conjectet.”

Porro haec verba COMMENTARIUM satis clare indicant, cui scribendo eodem tempore operam dabat.

In altera epistola (D. f. 65), Florentiae Sabbato Pentecostes 1665 data legitur:

“Obsecro etiam ut D. Guillelmum Burgatt meo nomine (Paternitas vestra) roget, quatenus epistolae a Congregatione Clonmacnensi an. 1649 scriptae apographum a me missum remittat, iis quorum est restituendum.”

In hujus epistolae margine P. Robertus notat:

“Epistolae apographum quod a D. Burgatto, quem ex corde saluto, est quod Episcopus Imolacensis manu propria transcripsit.”

Superius (sub. IV. C. b. &c.) citantur verba ex COMMENTARIO desumpta (Gilb. 3308–3309) ad eandem rem spectantia. Quae, si cum allatis ex hac altera epistola (D. f. 65) comparentur, profecto comprobant quod hic vindicamus, P. Robertum scilicet COMMENTarii scriptorem fuisse.

3. *Accedit etiam quod in opere MS. DE VIRIS ILLUSTRIBUS PROVINCIAE ETRURIAE, auctor, de rebus anno 1678 gestis disserens, testatur P. Robertum praeterito tempore per annos multos Florentiae vixisse.*¹

Cum jam ex diversis fontibus ostendimus omnia quae, sub quatuor capitibus ordinata, in COMMENTARIO de scriptore inveniuntur, in P. Robertum cadere videri, pro certo constat eum P. Richardi consocium in hoc libro indicatum, eundemque COMMENTarii scriptorem esse habendum.

¹ Dantur auctoris verba infra, in p. xxiii hujus praefationis.

QUOD ALIUNDE CORROBORATUR.

Res ita stabilita ulteriore disputatione fortasse non egeat. Inutile tamen non erit praedictis duo alia argumenta ad eandem rem fulciendam subnectere.

I. Quamvis multis fontibus *Commentarii* scriptor in opere exarando usus sit, et nomina auctorum plerumque adhibeat, citat tamen ex opere MS. *HISTORIA MISSIONIS*¹ jam memorato multas paginas integras, neque operis quidem neque auctoris nomen usquam notat. Quod una tantum ratione explicari potest, scilicet *HISTORIAE* auctorem et *COMMENTARII* revera eundem esse.

En textus quidam ex COMMENTARIO allati, qui in textum HISTORIAE quadrant. His tamen et aliis in locis mox indicandis notandum est auctorem excerpta ex HISTORIA ita in COMMENTARIUM trajecisse ut, ob politiore scribendi modum interea adeptum, multa in melius mutavit.

(a) *Paginae 3316–3317 Gilb. dantur ex HISTORIA, pp. 690–691, cum quibusdam emendationibus. Ut exemplum detur, verba sequentia in HISTORIA scripta :*

“ Et alia multa dira et dura quae in eodem edicto, quod nos brevitatis causa ad longum non citamus, apud libros ab ipsis Anglis legantur.”

hoc modo in COMMENTARIO redduntur :

“ Et alia multa dira duraque in eodem edicto sanguinario, quod brevitatis studio ad longum non inserimus, apud libros ab ipsis Angliae Catholicis editos legenda.”

(b) *Pag. 3319–3324 Gilb. ex HISTORIA, pp. 692–700, pariter desumuntur, in quibus etiam apparent emendationes consuetae, e.g., verba :*

“ Hinc praefati edicti executio.”

hoc modo dantur :

“ Quare praefati edicti executio.”

Simili modo clausula :

“ Proinde non fore sumpturum nisi citra quod ad procurandum animarum lucrum remeare non possit.”

¹ P. Robertus O'Connell *Historiam* per annos 1652–1656 exaravit, quinque vero interpositis annis opus *Commentarii* scribendi inceptum est.

hoc modo redditur in COMMENTARIO :

“ Adeoque non sumpturum nisi citra quod ad procurandum animarum lucrum remeare non valeret.”

(c) *Item stylo reviso paginae 3405–3407 Gilb. in COMMENTARIO ex HISTORIA ff. 702–703 desumuntur, et pp. 3433–3437 Gilb. pari modo ex HISTORIA pp. 704–705 adhibentur.*

Unde conclusio patet scriptorem COMMENTARII hisce in casibus libro suo prius conscripto usum esse.

II. *Ultimum demum argumentum, quod afferendum duximus, manuscriptum ipsum respicit. Totum siquidem opus MS. quae, ut jam diximus, e sex voluminibus 2666 foliorum constat, ab eadem manu exaratum invenitur, exceptis 342 foliis, quorum 184 in volumine secundo et 158 in tertio volumine manuscripti continentur.*

Dubitari non potest quin totum opus manuscriptum, exceptis paucis jam indicatis, ipsius P. Roberti O'Connell manu exaratum sit. Siquidem extant diversis in locis multa a P. Roberto indubitanter scripta, praecipue vero HISTORIA MISSIONIS jam saepius memorata, COMMENTARII DE MISSIONE HIBERNICA CAPUCINORUM, et duae epistolae in P. Lucae Wadding scriniis Dublinii, ut jam diximus, asservatae. Quorum omnium, nec non hujus COMMENTARII, tabulae arte phototypica impressae prae manibus sunt. Omnibus peritis in promptu est scripturam in his tabulis signatam sibi constantem esse. Cum vero opera alia a P. Roberto utique, ut jam diximus, scripta sint, concludendum est eundem COMMENTARII quoque scriptorem esse.

DE HISCE AUCTORIBUS QUAEDAM BIOGRAPHICA.

Probato itaque P. Richardum O'Ferall et P. Robertum O'Connell, Capucinos Iberos, COMMENTARII auctores esse habendos, de ambobus Patribus pauca restant dicenda.

(a) *De P. Richardo O'Ferall.*

Morte quidem sublatus est P. Richardus antequam opus ab eo susceptum absolutum est. Quapropter superstiti P. Roberto integrum fuit Nuncii advocato et amico honorem condignum litteris memoriaeque mandare. Quod et fecit in extremo opere, ubi multa de ejus vita diligenter produxit. Ex aliis fontibus liquet P.

*Richardum una cum patruale, P. Bernardino O'Ferall, et tribus aliis, die quinta Augusti 1634, in conventu Ibernico Carolopoli in Gallia Capucinatorum ordinem intrasse. Galviae vices Superioris hospitii sui Ordinis agebat quando anno 1648 "Nuncii a calumniis hominum defensandi studio plane insigni Urbem petiit."*¹ *Reliquam exinde ejus vitam consocius in COMMENTARIO studiose adumbravit.*

(b) *De P. Roberto O'Connell.*

Eorum quae de P. Roberto O'Connell in textu COMMENTARII dantur jam multa in hac praefatione attulimus. Mortuo autem P. Richardo adhuc in conventu de Montughi Florentiae degit usque ad annum 1666, quo opus absolvit. Exinde vero pauca tantum de eo posteris tradita sunt. Liquet quidem ex LIBRO VESTITIONUM jam citato eum anno 1668 in conventu Sedanensi in Gallia Guardiani munus sustinuisse. Anno denique 1675 Capucinatorum Ibernorum Commissarius Generalis electus est, quo munere fungendo Capitulo Generali Ordinis Romae anno 1678 habito interfuit, ibique die 16 Junii ejusdem anni inopinate obiit.

*Huc accedit quod in opere MS. italice exarato, cui titulus latine sic se habet: "DE VIRIS ILLUSTRIBUS CAPUCINORUM ETRURIAE PROVINCIAE (1546-1700),"*² *auctore P. Phillippo a Florentia, de P. Roberto notitia datur. Ex quo frustum hic inserere expedit, utpote praeter jam prolata magni ponderis ad socii nomen patefaciendum.*

"Anno 1678.

"Pater Robertus ab Hibernia, de familia O'Connell, concionator et jam in regnis Scotiae et Hiberniae missionarius, ob egregiam bonitatem suam multae venerationis et estimationis religiosus extitit; ita ut, quamvis ex nostra Provincia non sit alumnus, atque Romae decessisset, merito tamen de eo libet in hisce scripturis memoriam facere, ut illius meritis digna reddatur justitia. Ipse enim praeterito tempore per annos multos in Etruria commoratus maxima exemplaritate ac religiositate vixit; dum interim ex Sacrae Congregationis Propagandae Fidei jussu, Chronicarum scribendarum de omnibus, quae in praedictis regnis ad historiam pertinent, rebus et actis officio fungeretur. Magnae littera-

¹ Archiv. de Propaganda Fide, III. Hibernia, vol. 298, f. 956.

² In Archivis conventus Capucinatorum Florentiae asservato.

turae ipse se ostendit ornatus, nec non profundae sapientiae imbutus; tamen non minus humilis quam doctus apparuit.

Romae praesenti anno profectus ad Generale Capitulum, utpote Hiberniae Commissarius Generalis . . . obiit die 16 Junii anno 1678."

QUANTUM P. RICHARDI DUCTU GESSIT P. ROBERTUS.

Opus, ut jam innuimus, exeunte anno 1661 inceptum est. Quousque vero perductum est quando, anno 1663, P. Richardus O'Ferall morte sublatus est, pro certo dici non potest. Observandum quidem per magnam operis partem scriptorem de P. Richardo vel silere vel, tacito nomine, ejus sententiam proferre. Cujus rei exemplum in folio 2307 Gilb. habetur, ubi de rebus mense Junii anni 1648 gestis disserens scriptor asserit:

"Ipse (i.e., Nuntius) in Italian postea regressus, et hac sua spe ob Ormonistarum peccata et duritiam cordis frustratus, cuidam Capucino Ibero apud eum magno, haec confidenter aperuit, etc."

Quae verba profecto P. Richardum respiciunt, quippe tunc Romae commemorantem. Ratio autem ob quam nomen Capucini Iberi reticuit forsitan sit quod in opere scribendo P. Richardi, adhuc viventis, consilio regebatur.

Constat utique folium 2371 Gilb., in quo haec verba occurrunt:

"D. Joannem Creaghum, Alexandri VII sacellanum, . . . nunc mortuum,"

post mensem Martium anni 1663 scriptum esse, quo tempore dictus D. Joannes Creaghus Romae mortuus est.

DE OPERIS EXEMPLARIBUS.

Opus tandem ad finem anno 1666 perductum, et a Patre Roberto familiae Nuntii defuncti Florentiae traditum, oblivione forsitan prorsus obrueretur, nisi Thomas Coke, Anglus, postea Leicestriae Comes renunciatus, vir equidem artibus liberalibus excultus, cum annis 1712-1718 exteras Europae regiones peragraret, pro bibliotheca sua operis apographum, ex octo voluminibus 3625 foliorum constans, prospero eventu comparasset. Exinde in his regionibus

aliqui historiae scriptores, qui COMMENTARII apographo usi sunt, ejus existentiam publicarunt, eundemque magni momenti esse ad res in Iberniam, praesertim Nunciaturae temporibus, gestas scriptis mandandas, declararunt.

Annis denique 1880-1883 Dominus J. T. Gilbert, Dubliniensis, hujus apographi exemplar procuravit, quod post ejus mortem pretio comparatum in Archivis civitatis Dubliniensis hodie asservatur. Hujus exemplaris paginae iisdem ac apographi numeris notantur. Porro loci ex COMMENTARII textu in hac praefatione citati, quae Gilb. designantur, ex hoc exemplari sumuntur.

Ad volumen autem quod attinet, observandum est textum integrum cum autographo Mediolani asservato sedulo collatum esse.

CONCLUSIO.

Decet denique verba adjungere, quibus demisissimo animo P. Robertus O'Connell operi tam praeclaro coronidem imposuit :

“ Lectorem moneo 1^o Annum in Iberniam incipere a die 25^a Martii, me autem in hoc opere illum exordiri a Kalendis Januariis. 2^o Me opellam dedisse ut veritati et aequitati insisterem, sed re ipsa tam infirmo et caeco esse judicio, tantaque voluntatis iniquitate ut opus sit adhibere approbatores non solum aequos sed etiam judicio pollentes et doctos, qui meum defectum suppleant, in discutiendis, nedum juris sed et facti quaestionibus, praesertim circa bellum Catholicum in Iberniam anno 1641 caeptum, deindeque aliquot annos continuatum. Et haec quidem sunt quae hic inserenda duxi, quo praelati nostri efficiant ut opus bene examinetur et ad veritatem usquequaque quadret.”

FR. STANISLAUS KAVANAGH,

O.M. Cap.



COMMENTARIUS RINUCCINIANUS

SERIES RERUM

VOL. I. PARS I. AD AN. 1553.

Paragraphus	Pagina
(1) Monarchia Iberniae antiqua	1
(2) <i>Insula Sanctorum</i> . Dermitius MacMurchuus ad Henricum secundum recursum habuit	2
(3) Anglorum Invasio. Henricus II. mense Novembri 1171 in Iberniam navigavit	3
(4) Bulla Adriani Papae IV	3
(5) Forsan a Pontifice nunquam concessa fuit	4
(6)-(9) <i>Colonia Anglicana</i> . Anglo-Iberni demum ad Iberos defecerunt	5
(10)-(12) Statutum Parlamenti Anglo-Ibernici in rei Anglicani favorem Vadiponti anno 1466 conditum.	8
(13) Leges Anglicanae in quatuor tantum Iberniae comitatibus viguerunt	9
(14)-(18) Historia tituli <i>Defensoris Fidei</i> Henrico octavo donati	10
(19)-(20) Bulla Leonis Papae X, Octobris 11, 1521	12
(21)-(27) Desmoniae Comes cum Francorum Rege faedus inivit.	14
(28)-(29) De Desmoniae et Kildariae Comitibus	16
(30) Connus O'Nellus, Ultoniae Princeps	17
(31)-(32) <i>Sententia Clementis Papae VII.</i> de matrimonio inter Henricum octavum et Catharinam	18
(33)-(37) Kildariae Comites Londini capite truncantur	19
(38)-(41) Greius, Prorex, cum exercitu in Iberos per Pro- vincias movit. Ad Belahoam praelium commisit. Iberniae Principes non nisi multis post Henrici VIII. mortem annis se legibus Anglicanis sub- miserunt	23
(42) Desmoniae Comes ad Monasterium Monamorensē superatus est	25
(43)-(60) <i>Bulla Pauli Papae III.</i> contra Henricum octavum, 30 Augusti 1535	26
(61)-(62) Henricus octavus bellum in Ecclesiam indixit. De Parlamento Anglo-Ibernico	38
(63)-(71) <i>Actum Poyninganum</i> , aliaque statuta Parlamenti Anglo-Ibernici	40
(72) Bona Comitibus Kildarii ejusque filii fisco addicuntur	45
(73)-(77) <i>Actum pro successione Regis et Reginae Annae</i>	46
(78)-(83) <i>Actum pro Ecclesiae Ibernicae Capite</i> , et varia alia acta	55
(84)-(85) Anglo-Ibernorum ingratitude erga priscos Iberos	58
(86)-(89) <i>Actum contra Episcopi Romani Auctoritatem</i> conditum	59
(90) Capitulum Cathedralis Ecclesiae Dubliniensis, nemine dempto, ad haeresim descivit	66
(91) Veteres Iberni in Parlamento Ibernico non sederunt. Ex Anglo-Ibernīs et Anglis fuit compactum	67

Paragraphus		Pagina
(92)-(96)	<i>Actum pro Anglicano more, etc. Statuta alia contra Ecclesiam Catholicam lata</i>	67
(97)-(102)	<i>Bulla Pauli Papae III. contra Henricum VIII, 27 Decembris 1537</i>	70
(103)	<i>Anglo-Iberni Henrico adhaeserunt</i>	73
(104)-(106)	<i>Greius, Prorox, Londini securi percussus est, 28 Junii 1541</i>	73
(107)-(109)	<i>Geraldus Geraldinus Kildariae Comes creatus est, 14 Maii 1554</i>	75
(110)	<i>Thomas Levrusius, Kildariae episcopus, obiit anno 1577</i>	77
(111)-(122)	<i>Martyrium S. Thomae Cantuariensis. Genealogia domus Ormonicae. De Anna Bolena, Henrici octavi uxore</i>	78
(123)-(129)	<i>Anglo-Ibernorum Parlamentum, anno 1541 caeptum, varia acta in Ecclesiae perniciem condidit</i>	87
(130)-(135)	<i>Alia acta Limerici anno 1542 lata sunt. Provinciae Anglicanae limites</i>	90
(136)	<i>Connus O'Nellus in Tironiae Comitem inauguratus est mense Octobri, 1543</i>	95
(137)-(140)	<i>Excerptum ex Relatione Geraldinorum circa Desmoniae Comites</i>	95
(141)-(142)	<i>Tomoniae et Clanricardiae Comites anno 1544 creati sunt. Ormoniae Comes expiravit 19 Octobris 1546.</i>	97
(143)	<i>Historia Regis Henrici octavi. Mortuus est anno 1547.</i>	98

PARS II. ANN. 1553-1599.

(1)	<i>Maria, Regina, religionem Catholicam restituit</i>	103
(2)-(6)	<i>Facultates Cardinali Polo a Julio III. concessae, quas postea (ut ferunt) Paulus IV. ad Iberniam extendit</i>	103
(7)	<i>Decretum Pauli IV. de dominio Iberniae, 7 Junii 1555</i>	111
(8)	<i>Facultates superius positae non circa Iberniam sed circa Angliam concessa sunt</i>	112
(9)-(10)	<i>Actum Cardinalis Poli circa Anglo-Ibernos, 6 Maii 1557</i>	112
(11)	<i>Parlamenti Anglo-Ibernici acta non de natione Ibernica sed de Anglo-Ibernibus et Anglis in Iberniam intelligenda sunt</i>	118
(12)-(15)	<i>Actum hujus Parlamenti circa Cardinalis Poli dispensationem</i>	119
(16)-(28)	<i>Anglo-Ibernorum avaritia. Et Pontifex et Cardinalis Polus decepti sunt. Observationes circa Bullas Julii III., necnon circa Cardinalis Poli dispensationem. Ecclesiastici in Iberniae Parlamento fuerunt magna ex parte Angli</i>	121
(29)	<i>Duo acta Parlamenti Ibernici circa Principum territoria</i>	133
(30)-(31)	<i>Anglo-Iberni ab Elizabethae tyrannide et ab haeresi Anglicana Iberniam facile praeservare poterant.</i>	134
(32)-(71)	<i>Septem acta in Parlamento Anglo-Ibernico anno 1560 lata contra religionem Catholicam</i>	136

Paragraphus	Pagina
(72)-(80) David Rothi, Petri Lombardi, Walteri Enos, Gratiani Lucii, et Georgii Dillonii testimonia in Anglo-Ibernorum purgationem. Commentarium auctoris circa haec testimonia	158
(81)-(84) O'Nellus bellum cum Anglis, Anglo-Ibernis et Scotiae haereticis in Fidei defensionem gessit. In Mac-Donaldorum castris mense Junio 1647 trucidatus est.	166
(85)-(89) Sententia Pii V. in Elizabetham lata, 25 Februarii 1569	171
(90)-(93) Macartius Magnus huic mandato satisfecit. De Momoniae Principibus. Desmoniae Comes a Papa et Hispano opem petiit pro religione Catholica in Iberniam. Desmoniae Comes et Ormonius affinitate conjuncti sunt	173
(94) Subsidia a Pontifice et Rege Hispanica missa anno 1579 ad <i>Smervic</i> appulerunt. Jacobus Geraldinus in pugna decessit	176
(95)-(96) Diploma Gregorii XIII. in favorem Geraldinorum, 13 Maii 1580	177
(97) Joannes Geraldinus, Desmonii frater, in vallem <i>Gleannaguinam</i> capite truncatus est 11 Novembris 1583. Zelus nobilitatis Momoniae in fidei defensionem bello	178
(98) Baltinglassiae Vicecomes et Fiachus O'Brien in Lagenia adversus Elizabetham bellarunt. Verificata est prophetia Baroni Kilcullinensi pronuntiata. Anglorum crudelitas in Momonienses	179
(99)-(100) Imperium Mac-Cartii Magni in vassallos inferiores Elizabethae diebus. Extinctio domus Desmoniae.	181
(101) Cornelius O'Brienus, Tomoniae Comes, Anglorum opera utens successionem firmavit	182
(102) In Conacia Comitis Clanricardii filii multa viriliter gesserunt, sed postea ab Anglis steterunt. Alii ex eadem familia ad annum 1583 multa praeclare gesserunt.	182
(103) In Lagenia Lisiae principes ad annum 1573 bellum innovarunt multisque rebus gestis famam suam nobilitarunt	183
(104) In Ultonia O'Nellus alique Ultonienses copias Anglicas repulsarunt. Ad annum 1575 pacem ab O'Nello emendicarunt Angli	184
(105) Anno 1587 Maria Stuarta martyrio affecta, Sixtus V. Anglos et Iberos ad obediendum Elizabethae minime teneri declaravit.	184
(106) O'Ruarkius, Brethniae princeps, alique Iberniae primores Hispanos praelio navali anno 1588 victos foverunt. Londini 3 Novembris 1591 O'Ruarkius necatus est.	184
(107)-(108) Proceres Catholici faederi Catholico anno 1598 ascripti contra Elizabetham in Ultonia, Conacia, Lagenia et Momonia bellarunt. Anno 1599 Elizabetha exercitum in Iberniam sub Essexiae Comite, prorege, transfudit. Viribus profligatis Comes 23 Februarii 1601 securi percussus est	186

PARS III. ANN. 1600-1641.

Paragraphus		Pagina
(1)-(3)	Anno 1600 Carolus Bluntus nominatus est Iberniae prorex, et Georgius Carewus Momoniae Praeses. Belli calamitates in Momonia describit Carewus in <i>Pacata Ibernia</i> . Mac-Cartius Magnus et Desmoniae Comes capti et in Angliam missi sunt. Donaldus Mac-Cartius in Anglos praeclare bellavit.	191
(4)-(5)	Anglo-Ibernica factio causae Catholicae multum praejudicavit. Si binae Ibernorum partes faedus Catholicum percussissent Angliae jugum facillime excussissent	193
(6)	Litterae et Indulgentiae Clementis VIII. ad bellum Ibernicum promovendum die 16 Aprilis 1600 datae.	194
(7)-(11)	Censura Doctorum Universitatum Salmanticae et Vallisoleti de bello Ibernico	195
(12)	Anglo-Iberni ab Anglis, quibus militaverant, male tractati sunt.	198
(13)	Classis Hispanica Kinsaliam pervenit 23 Septembris 1601. Iberni obsessi Proregi 2 Januarii dederunt. Sub Rege Jacobo Catholici in Ibernia crudelissime divexati sunt. Tironius et O'Donellus Septembri 1607 in Flandriam se receperunt.	199
(14)	Persecutio in Ibernia sub Rege Carolo deferbuit	201
(15)	Carolus Rex, instigante Guillelmo Laudo, novum Liturgiae librum anno 1637 in Scotiam misit	201
(16)-(21)	<i>Confessio Fidei Ecclesiae Scoticae</i> , anno 1638	202
(22)-(23)	Motus bellici in Scotia. Strafordiae Comes Iberniae prorex constituitur	211
(24)-(30)	Urbanus VIII., ad restringendam discordiam inter Angliae Catholicos, Gregorium Panzanum, Georgium Connaeum, et Comitem Rossettum allegavit.	212
(31)	<i>Breve Urbani VIII.</i> ad Reginam Angliae, 16 Aprilis 1639.	215
(32)-(45)	Facultates Comiti Rossetto concessae	215
(46)-(48)	Comes Ministrum Apostolicum agebat in fidei Catholicae progressum	217
(49)-(50)	Nova in Angliae Catholicos persecutio concitatur	218
(51)-(54)	Contra hanc persecutionem deque Regis et regni conversione Rossettus Francisco Windebanko scripsit, mense Augusto 1640	219
(55)-(56)	Angliae et Scotiae seditiosi in Regem coaluerunt	222
(57)	Guillelmus Laudus et Strafordiae Comes a Parlamento in Turrim Londinensem conjiciuntur, anno 1640	223
(58)-(61)	Strafordius, perduellionis reus peractus, securi percussus est 12 Maii 1641	223
(62)-(67)	Actum Parlamento Anglicani in Catholicorum perniciem 5 Maii 1641 conditum	226
(68)-(88)	Regina Angliae ab Urbano VIII. suppetias petiit. Comitis Rossetti ex parte Pontificis responsio Reginae et Windebanko	229
(89)	Windebankus in Galliam dilapsus ibi Catholice obiit.	241
(90)	Guillelmus Laudus obtulit se fidei Catholicae professurum, sed securi percussus mense Januario 1645 obiit haereticus	241

Paragraphus		Pagina
(91)-(92)	Jacobus Usserus avaritia detentus suam conversionem procrastinavit. Secundum aliquos vix dubitandum quin Catholice discesserit . . .	242
(93)-(98)	Litterae Comiti Rossetto a Cardinale Barberino scriptae. Rosettus in Cardinalem ascitus est anno 1643 . . .	244
(99)-(101)	Carolus Rex in Scotiam profecturus Londino discessit 10 Augusti 1641. Exercitus in Iberniam conscriptus ut Regi in Scotos bellaret, exautoratus est . . .	248
(102)	Catholicae religionis et nationis Ibernicae deletio in Comitibus Angliae sancita est. Iberni rebelles censendi non sunt si pro religione, Rege et patria tuenda se armis munierunt . . .	249
(103)	Ibernicae Catholici ad desperationem acti bellum inchoarunt ad 23 Octobris 1641. Nocte pridiana Eugenius O'Conally totam rem duumviris detulit. . .	251
(104)-(106)	Felix O'Nellus alique in Ultonia in haereticos insurrexerunt. Ibernicae status. Iberni veteres ad malorum levamen bello obtinendum propensi erant. Anglo-Iberni Anglis adhaerere malebant . . .	251
(107)	Anglo-Iberni ab Anglis male tractati viribus Ultoniensibus pro Rege in Puritanos militantibus coaluerunt . . .	253
(108)-(122)	Apologia incolarum Coloniae Anglicanae ad Regem . . .	253
(123)-(129)	Protestatio Catholicorum Coloniae Anglicanae adversus edictum a Justitiariis 8 Februarii 1642 latum . . .	260
(130)-(145)	De obsidione Vadipontana anno 1641 caepta, et anno 1642 aliquot menses continuata. Monasterium Mellifontanum facta est habitatio Vicecomitis Vadipontani. Testimonium Nicolai Bernardi, ministelli, omnibus Catholicis detrectandum est . . .	264

PARS IV. AN. 1642.

(1)-(5)	Vadipontani obsessi in summas angustias adducti sunt. Catholici tunc Vadiponti a praesidiariis direpti sunt . . .	275
(6)	Responsio Felicis O'Nelli 14 Januarii litteris a Vicecomite Moro missis . . .	280
(7)	Epistola Richardi Plunketti ad Morum et Tichburnum. . .	281
(8)-(9)	Extrema fames Vadiponti grassata est . . .	281
(10)	Parlamentum Angliae pecunias in Iberniam ad bellum in Catholicos prosequendum misit . . .	283
(11)	Rex a Parlamento prope coactus ad Kalendas Januarias Iberos esse rebelles declaravit . . .	283
(12)-(15)	Rex assensum praebuit propositionibus ad Iberniam subigendam factis. Ibernicae Catholici prope ad desperationem redacti sunt. Statutum fuit bellum in Ibernicae Catholicos processurum . . .	285
(16)-(19)	Vadipontanis obsessis naves annonam in tres vel quatuor menses sufficientem apportarunt. Milites sub Felice O'Nello muros ascendere conarunt, sed recognita recesserunt. Cives Catholici Vadiponti bonis spoliati sunt . . .	287

Paragraphus		Pagine
(20)	Artus Mac-Mahonius ab obsessis vulneratus et captus vitam ex conventu pactus est . . .	289
(21)-(24)	Delineatio domus et personae Ormoniae Comitiss. Mense Novembri 1641 constitutus est Praefectus generalis copiarum in Iberniam. Copiae Catholicae ab obsidione Vadipontana recesserunt . . .	290
(25)-(31)	Ormonius cum exercitu Dubliniam rediit. Tichburnus et Morus Midiam et Louthiam divexarunt. Cives Dundalkenses, ad obsidionem diu sustinendam imparati, oppidum deseruerunt. Nulla fides habenda est in Bernardi relatione . . .	293
(32)-(39)	Dubliniae Simon Harcourtus in Capucinos aliosque religiosos tyrannidem exercuit. Duo Capucini cum duodeviginti aliis ecclesiasticis ad festum Pentecostes 1642 Dubliniam in Galliam navigare coguntur. . .	298
(40)-(41)	Martyria P. Petri Higgins et P. Henrici Viti ex Bellingi <i>Annotationibus</i> in P. Poncium, anno 1642, quorum sanguine, secundum R. P. Poncium, Episcopum Fernensem et P. Danielem O'Daly, Ormonius maculatus fuit . . .	302
(42)	In Lagenia Catholici triumpharunt. Simon Harcourt et Carolus Coote occubuerunt . . .	305
(43)-(46)	Momoniensium multi viri nobilissimi plurima in hoc bello in haereticos gesserunt. Montgarretti Vicecomes annis posterioribus deferbuit . . .	306
(47)-(48)	Corcagiae (in qua civitate auctor ad annum 1637 Philosophiae studuit et ex qua anno 1640 in Galliam trajecit) cives in avita religione Catholica semper perstiterunt. Corcagiae Praetor Momoniae Praesidi haeretico portas aperuit . . .	307
(49)-(50)	Eodem tempore Angli haeretici Bandipontum, Kinsaliam et Yeoghelliam interceperunt. Mortuo Praeside successit Insequinniae Baro. . .	309
(51)-(52)	Limericum et Waterfordia, necnon Cassilia, Clonmellia, Killochia et Fethardia copiis haeticis januas occluserunt. Catholici Momonienses et etiam Ibernii pene omnes Anglicorum magistratum fraudibus omni apparatu bellico carebant ne vim vi repellerent . . .	310
(53)-(54)	Ibernii Tralliam aggressi bina castella ab Anglis occupata ceperunt. Lixnae Baro in Angliam contra Regem militavit . . .	310
(55)	P. Michael O'Cuilleanus, Capucinus Ibernus, a Momoniae Proceribus in Galliam subsidia procurandorum causa destinatus est . . .	312
(56)	Comitatus Kierriensis et Corcagiensis indigenae ad initium belli multum progressum fecerunt. Florentius Mac-Cartius in praelio gloriose succubuit. . .	313
(57)	Catholicis in Conacia bellantibus multum profuit O'Ferrallorum familia quae annis 1641 et 1642 in Anglos insurrexit, captis Longfordiae, Rathclinae, Bellalegae et Castri-Forbesii praesidiis . . .	313
(58)-(72)	Acta Concilii Provinciae Ardmachanae congregati Kellis, 22 Martii data . . .	314

Paragraphus	Pagina
(73)-(105) Acta Congregationis Generalis Cleri, 10, 11, et 13 Maii Kilkenniae habitae	320
(106) Faederis Catholici Juramentum Confaederatis ministratum	326
(107) In Conacia Catholici propugnaculum Galviae vicinum obsiderunt. Clanricardiae Comes Anglis opem tulit. In Tomonia copiae Forbesiae Baronis pavore percussae domum redierunt	327
(108)-(110) In Ultonia Antrimiae Comes Colrainiam ab Ibernis obsessam liberavit. Ultonienses initio belli successu caruerunt. Neuriam Scotis dederunt. Joannes O'Culenanus, Episcopus Rapotensis, ab haereticis captus est. Scoti in Ultonia Ultoniensibus coalescere detrectarunt	328
(111)-(112) Nobilitas Ultoniensis post cladem ad Lisnagarviam in Tinaniae ecclesia coivit. Eugenius O'Nellus in Castellum Doense ex Flandria appulit, mense Julio	331
(113) Joannes O'Nellus, Tironiae Comes, 27 Januarii 1641 mortuus est. Tirconalliae Comes in pugna navali classis Hispanicae cum Gallo commissa periit. Quorum mors Ultoniensibus praejudicavit	332
(114)-(115) Historia Familiae O'Nellorum, Tironiae Comitum	334
(116) Urbanus VIII. Brevia Apostolica Eugenio O'Nello, 18 Oct. 1642 et 15 Augusti 1643, misit	336
(117) Eugenius O'Nellus in virium Ultoniensium imperatorem cooptatus est	336
(118)-(119) Thomas Prestonus ex Continente in Iberniam trajecit, mense Julio	337
(120) Catholici in Momonia civitatem Limericensem liberarunt. Ad Liscarulliam in fugam se dederunt, Olivero Stephenson occiso	338
(121)-(123) Rerum in Anglia gestarum brevis notitia. Angliae Regina mense Februario in Hollandiam navigavit. Rex omnium malorum originem in Parlamenti rebellionem posuit. Tota classis ad Parlamentum deficit	338
(124)-(126) Parlamentum, 10 Junii, decrevit ut arma a suis contra Regem sumerentur, et pecunias in bellum Ibernicum contra Catholicos numeratas in bellum cum Rege gerendum convertit. Essexiae Comes, Clanricardiae Comititis frater, exercitui praeficitur. Rex omnes a Parlamento stantes proscripsit	341
(127)-(128) Mense Augusto Rex ad Nottingamiam vexillum regium erexit. Rupertus et Mauritius, Principes Palatini, in Angliam appulerunt, quos Rex militiae praefecit. Praelia ad Salopiam et Branfordiam commissa sunt	342
(129)-(167) Ordinationes in Generalibus Iberniae Comitibus Kilkenniae factae, 24 Octobris	343
(168)-(200) Declaratio Confaederatorum Iberniae Catholicorum Regi praesentanda	352
(201) Decretum fuit ut Confaederati Catholici juramentum susciprent bellandi pro fide Catholica, Rege et patria	364

Paragraphus		Pagina
(202)	Libellum scriptum ab authoribus nulla fide dignis hoc anno typis mandatum est de malis ab Iberniae Catholicis in haereticos patratis. Conditio Catholicorum ab anno 1603 usque ad annum 1641 fuit martyrium lentum	364
(203)-(214)	Historia Ibernorum Capucinatorum conventuum Carolopoli et Sedani constructorum. Libellus supplex Iberniae Praelatorum circa Capucinos Iernos ad S. Congregationem de Propaganda Fide hoc anno missus.	365
(215)	Causae Catholicae in Ibernia triumphus anno 1642	372

PARS V. AN. 1643.

(1)	Rex Angliae viam inivit qua Confaederati Catholici pacem secum contraherent	375
(2)-(17)	Confaederati Iberniae Catholici gravaminum declarationem Trimmiae in Midia 17 Martii Regis Commissariis tradiderunt	375
(18)	Ormonius Timoliniam intercept, sed Rossam occupare conatus receptui cecinit. Momonienses ad <i>Clochliatham</i> copias Anglicas deleverunt. Catholici in Conacia propugnaculum Galviae expugnant. Cives hoc anno Capucinos Galviae introduxerunt	391
(19)	Urbanus VIII. ad Confaederatos Iberniae Catholicos Patrem Scarampum allegavit	392
(20)	Breve Pontificium Iberniae Praelatis missum 18 Aprilis.	392
(21)	Pontifex ad Confaederatos Jubilaeum transmisit	393
(22)-(23)	Supremum Confaederatorum Concilium ad Suam Sanctitatem litteras die 23 Julii dederunt	395
(24)-(26)	Archiepiscoporum Tuamensis et Dubliniensis litterae ad Summum Pontificem scriptae	395
(27)-(28)	Joannes de Burgo, copiarum Conaciensium Praefectus Generalis, Cardinali Barberino rescripsit	397
(29)-(30)	Litterae a Concilio Supremo de Scarampo Summo Pontifici scriptae	398
(31)-(38)	Responsio a Cardinale Barberino ex Suae Sanctitatis parte ad Scarampum, 11 Novembris, missa	399
(39)-(40)	Controversia circa Ecclesiasticas possessiones laicis concessas	401
(41)	Breve Apostolicum Urbani VIII. Westmidiae Comiti die 9 Novembris 1635 missum	402
(42)-(43)	Petitio Ordinis Cisterciensis Comitibus Generalibus oblata	403
(44)-(53)	Decretum Commissariorum Deputatorum ab Assemblya super petitionibus Monachorum et Mendicantium	404
(54)-(57)	Petitio Prioris Carmelitarum Calceatorum Nuncio tradita et catalogus sui Ordinis in Ibernia conventuum.	406
(58)	Regina Angliae ex Hollandia suppetias pro Regis exercitu attulit	408
(59)-(64)	Catholici in Anglia inter persecutiones in eos a rebellibus Parlamentariis latas maximam constantiam	

Paragraphus		Pagina
	demonstraverunt. Digressio de Capucinis Gallis Londini male tractatis, ex P. Roberti de Vantalet <i>Relatione</i> mutuata.	408
(65)-(67)	In Anglia Rex in armorum cessationem cum Ibernis pangendam propendit. Cessatio a Catholicis primum rejecta est, sed postea Confaederatorum secretarius rationes ad inducias amplectendas P. Scarampo scripto tradidit, Ormonistarum praestigiis plenas.	412
(68)-(79)	<i>Informatio pro Induciis faciendis</i> , mense Julio porrecta	413
(80)-(89)	Responsio Scarampi ad hanc Informationem secretarii dissuadens Treugam	416
(90)-(91)	Litterae a Cardinale Barberino die 11 Novembris scriptae circa hanc Cessionem	421
(92)	Excusanda est Sedes Apostolica quod, quas vellet, Confaederatis suppetias non transmisisset	422
(93)	In Iberniam atque Angliam pro partium varietate sententiae circa inducias variarunt. Congruentissima tunc triumphandi occasio Iberniae Catholicis subministrata est. Eugenius O'Nellus mense Septembri ad Portlestriam hostes superavit, Carolo Moro, Vadiponti Vicecomite, occiso	422
(94)	In initio aborigines Ibernii, seu veteres indigenae, et Anglo-Ibernii in unum corpus coaliti bellum gesserunt, sed Anglo-Ibernorum fervor nimis cito deferbuit	424
(95)	Geraldus Fenellus et Richardus Bellingus Ormonio in Concilio Supremo faverunt. Vicecomes Taaffus inducias promovit	425
(96)-(97)	Factione Ormonica in Concilio Supremo praevalente, induciae 15 Septembris in annum integrum conclusae sunt	426
(98)-(99)	Controversia inter Parlamentum et Regem circa inducias praefatas	427
(100)	Confaederati Regi pecunias subministrarunt. Induciae Romae non arriserunt	428
(101)-(103)	Concilium Supremum ad Urbanum VIII. et Cardinalem Barberinum litteras dederunt circa P. Scarampum	429
(104)	Episcopus Midensis causam Catholicam in hoc bello male tractavit	430
(105)	Litterae Scarampo a Cardinale Barberino scriptae de P. Dominico de Burgo, Dominicano, 16 Decembris.	431
(106)-(119)	Rationes a P. Scarampo mense Novembri propositae Praelatis in Congregatione coacta de Concilii Tridentini receptione, et Praelatorum responsiones.	432

PARS. VI. AN. 1644.

(1)-(2)	Litterae a Dominicanorum Superioribus ad P. Scarampum circa Concilii Tridentini receptionem 23 Januarii datae	439
(3)-(4)	Litterae ad eandem rem spectantes a Franciscanorum superioribus Scarampo scriptae mense Augusto	440

Paragraphus	Pagina
(5)-(9)	Litterae P. Roberti Nugentii ex Societate Jesu, 18 Septembris, ad Scarampum, ejusque responsio. Litterae Cardinalis Barberini de decretis Tridentinis. 441
(10)	Conatus ad plenam pacem cum Rege pangendam adhibiti sunt. Ormonius in Iberniae proregem die 21 Januarii cooptatus est. 443
(11)-(12)	Prima regiminis Ormonici specimina hominis animum indicabant. Juramentum ab eo susceptum in Catholicorum perniciem tendebat. 444
(13)	Rex edictis a Parlamento in Catholicos latis subscripsit, quod tamen postea ejus vires <i>Papisticum exercitum</i> vocitabat. 445
(14)-(15)	Votum et Pactum a Parlamento jam in Regem armato praestitutum. 446
(16)-(24)	Faedus et Juramentum anno 1643 inter rebelles Parlamentarios et Scotiae Calvinisticis pactum. 447
(25)-(26)	Concilii Supremi Actum contra faedus praefatum 26 Januarii prolatum. 451
(27)	Exercitus Scotticus sub Leveniae Comite in Angliam penetravit. Copiae haereticae ex Iberniam in Angliam trajecerunt ut Regi militarent. 453
(28)-(46)	Comitis Antrimiae historia. Antrimius a Monroo captus postea evasit. De expeditione Scotica cum Concilio Supremo egit, et per triennium in Scotia militavit. Factio Ormonica bellum illud Scotticum non secundavit. 453
(47)-(50)	In Anglia copiae Regiae et Parlamentariae pene in equilibrio positae sunt. Regina Anglia in suam Galliam navigavit. Joannes Hothamus ejusque filius mense Decembri securi percussi sunt. 465
(51)-(62)	Confaederati legationem in Angliam ad Regem miserunt. Genealogia familiae Muscriae Vicecomitis. Muscrius et Confaederatorum multi alii occultam conjunctionem cum Ormonio coierunt. Epistolae Cardinalis Barberini de pace tractanda. 467
(63)	Ex Cardinalis Barberini epistolis colligere est quam paternam rerum Ibernicarum rationem Summus Pontifex duxerit. Monerius, Galliae Orator, in Iberniam venit, 13 Januarii. 477
(64)-(84)	Legatio a Confaederatione ad Regem missa Oxoniae <i>Remonstrationem</i> Gravaminum eidem praesentarunt. Angli et Scoti in Iberniam per procuratores libellum supplicem 18 Aprilis Regi praesentarunt. Rex adduci non potuit ut Catholicorum votis acquiesceret, et legatio mense Junio in Iberniam remigravit. 478
(85)-(89)	Ormonius Confaederatione Catholica usus est tanquam medio quo ipse totius Iberniae clavum Regis mandato teneret. 483
(90)-(92)	<i>Juramentum Associationis</i> renovatum in Comitibus Generalibus die 26 Julii. Archiepiscopus Dubliniensis alique Dubliniam destinati sunt ut cum Ormonio de pace contrahenda agerent. 485
(93)-(94)	Insequinnus avaritia flagrans ad Parlamentum defecit. Muscrius operam dedit ut Corcagiam

Paraphrasis	Pagina
	stratagemate occuparet. R. P. Franciscus O'Mahonius martyrium pertulit. Urbe ab Insequinnio possessa Corcagienses urbe sua exularunt 487
(95)-(97)	Ormonius milites in Angliam in Regis subsidium transmisit. Scoti in Ultonia in Regem et in Iberniae Catholicos bellarunt. Induciae causae Catholicae damno contractae fuerunt 488
(98)	Batavi Scotis in Ultonia subsidia subministrarunt. Comes de Castlehaven, in Ultoniam contra Scotos missus, fugit, nemine persequente. Laesae Majestatis convictus est. Anno sequente ab Ormonio copiis Momoniensibus praeficitur. 490
(99)-(100)	Decisio Urbani VIII. de bonorum ecclesiasticorum possessoribus, 4 Aprilis 491
(101)-(102)	Ormonius ad Faederatorum propositiones dedit responsiones technarum plenissimas. Resumendae erant negotiationes Dubliniae 10 Januarii, 1645. Regis litterae ad Ormonium circa pacem contrahendam inutiles fuerunt 493
(103)-(105)	Reginae Angliae epistola Concilio Supremo scripta Parisiis 28 Decembris. Scarampus hanc epistolam ad Innocentium X. direxit 17 Februarii 1645 496
(106)-(111)	Frustum Decretorum a Cleri Congregatione Kilkenniae habita 8 Novembris actorum. 498
(112)-(113)	Urbanus VIII. duo Brevia Apostolica ad Dubliniae et Vadiponti Catholicos dedit 14 Maii 500
(114)	Cardinalis Barberinus Thomae Prestono et Comiti Portu-Castellano litteras scripsit 501
(115)	Urbanus VIII. 26 Julii expiravit. Richardus Bellingus a Concilio Supremo ad successorem, Innocentium X., allegatus est 501
(116)-(123)	Comes Clanricardius ad primos belli annos haereticis opitulatus, demum neutralem ementitus est. Inter Comitissae sacellorum, Eduardum Shelleium, Anglum, et Scarampum litterae scriptae sunt circa Jubilaeum ab Urbano VIII. Confaederatis anno 1643 concessam. Faederatis nocuit quorundam Catholicorum neutralitas 502
(124)	Capucini Iberni quinquennium circiter Sedani praeclaram opem collocarunt. Archiepiscopus Rhemensis Sedanum visitavit 512

PARS. VII. AN. 1645.

(1)	Guillelmus Laudus mense Januario securi percussus est 515
(2)-(5)	Parlamentum die 24 Octobris 1644 decrevit milites Iberos pro Rege stantes, qui in Anglia caperentur, trucidandos esse. Tredecim tales necati sunt. In totidem milites Parlamentarios Princeps Robertus legem talionis exercuit. Essexiae epistola et Principis responsio. Essexio successit Thomas Farfaxius 515
(6)	Confaederati legem talionis non exercuerunt. Parlamentum actum praefatum revocare coactum est.

Paragraphus		Pagina
	Classis Ibernica ad Wexfordiae municipium perti- nens, testante D. Enos, naves mille et nongentas multosque captivos cepit	518
(7)-(10)	Rex in copiis ex Ibernica advehendis spem ponens, epistolas quatuor ad Ormonium circa pacem ac- celerandam scripsit. Regis mandatis Ormonius morem non gessit. Copiae Catholicae sub Prestono Duncananiae propugnaculum die 19 Martii ex- pugnarunt	520
(11)-(16)	Cleri Congregationi die 17 Maii proposita fuit Quaestio diffinienda	524
(17)-(22)	Responsio a Congregatione facta die 20 Maii.	525
(23)-(31)	Alia Quaestio Congregationi ex parte laicorum pro- posita 25 Maii, Responsio data 31 Maii, et Rationes quibus decisio nixa fuit	526
(32)-(34)	Ormonius se in pacem haud consensurum affirmavit nisi ea lege ut ecclesiae haereticis restituerentur, quam conditionem Comitum Generalia recusaverunt.	529
(35)	In Ibernicae Comitibus et Parlamento praelati et abbates sedere et suffragari soliti sunt. In Catholicorum Comitiis non praelati monastici sed soli episcopi ad suffragandum admissi sunt	530
(36)-(46)	Inter Cleri Congregationem et Instructionum Com- missarios quaestio de pacis conditionibus agitata est, quae tandem 16 Junii decisa est. Congregatio tunc decepta, postea ab hac postrema sententia ab- horruit et priori institit	531
(47)	Aliae quoque Quaestiones, Clero 2 Junii propositae, decisae sunt	536
(48)-(51)	Doctor Enos de Supremi Concilii mandato libellum contra quosdam libellistas composuit. Ambae Faederatorum partes ante Nuncios appulsum dis- cordarunt. Comitum Generalia dissoluta sunt 5 Julii, conventura iterum die 7 Augusti	536
(52)-(55)	In Anglia Rex Leicestriam cepit. Farfavius Oxoniae obsidionem deseruit. Farfavius et Cromwellus in campo Nazabiensi 14 Junii victoriam reportarunt et Leicestriam recuperarunt, Tautonamque libera- runt. Tota pene Scotia ad rebelles defecit	542
(56)-(64)	Ormonius spei pacis cum Ibernis absolvendae in se a Rege positae defuerat. Rex Glamorganiae Comitem ex Anglia ad Confaederatos allegavit. Tria mandata Glamorgano concessit, qui mense Augusto in Iberniam trajecit	544
(65)	Ormonius Muscrio epistolam scripsit 16 Augusti	550
(66)-(73)	Faederati in pace cum Ormonio contrahenda operam luserunt, et cum Glamorgano agere decreverunt. Scarampus Faederatis condiciones ad rem ecclesi- asticam in tuto ponendam tradidit	550
(74)-(84)	Ad has propositiones responsum datum est	552
(85)-(90)	Folium secundum a Scarampo Faederatis traditum deindeque Romam missum	553
(91)-(93)	Scarampi conatibus non obstantibus, Confaederatorum et Glamorgani pactio, partim 25 Augusti, partim 3 Septembris, conclusa est	555

Paragraphus		Pagina
(94)-(111)	<i>Pacis pars cum Glamorgano inila</i> . . .	557
(112)-(115)	Decretum de Faedere Catholico per Comitia Generalia Kilkenniae 1 Septembris conditum . . .	564
(116)-(122)	Dicta pacis pars cum Glamorgano conclusa nullam obligandi vim habuit, nisi altera pacis pars cum Ormonio concluderetur. P. Scarampus pacis condi- tiones non approbavit. Muscrius aliique Dubliniam redierunt ad pacem cum Ormonio paciscendum. Scarampus Concilio Supremo ob oculos posuit modum quo procederent esse praeposterum . . .	567
(123)-(124)	Status Iberniae ad Nuncii appulsum. In Momonia Comes Portu-Castellanus copiis in Momonia Fae- deratis praeficitur. Yeoghelliam obsidet. Corrupta Concilii pars Ormonii malignitatem secundavit. . .	569
(125)-(126)	Ormonii et Concilii conspiratione Vicecomes Taaffus in virium Conacensium Generalem assumptus est. Taaffi fratre postea imperante vires Sligoam, ab haereticis occupatam, obsiderunt, sed receptui cecinerunt, desiderato inter alios Archiepiscopo Tuamensi. Iberni Comitem Portu-Castellanum et Taaffum in praefectos cooptando insaniisse videntur. . .	570
(127)	Ormonius Vangyrishio licentiam quinque navium ad Parlamentum spectantium incendendarum dene- gavit . . .	572
(128)-(130)	In Ultonia Catholicorum conditio ab inchoato bello fuit deploranda. Ultoniensium plurimi in remotis- simas Insulae regiones penetrarunt, et aliena misericordia vixerunt. Multi beneficiorum im- memores rapinis inhiabant. In ipsos Comitia Generalia edictum 7 Junii condiderunt . . .	573
(131)-(134)	Eugenius O'Nellus Ultoniensium Comitia Provin- cialia Aghavoe celebranda indixit, sed eventus expectationi non respondit. In expeditione prope Inniskilliniam multas praedas abegit et in comi- tatum Monaghanensem se recepit . . .	577
(135)-(136)	Nonnulli haeretici Epistolam Belfastia die 19 Novem- bris Parlamento tradendam miserunt . . .	579
(137)-(138)	Parlamentarii in Anglia progressum fecerunt. In Scotia majores progressus fecissent nisi Iberni ipsam Scotiam dilaniassent. Regii in Anglia inter nonnullas pugnas succutuerunt. . .	580
(139)-(144)	Innocentius X. quatuor in Ibernia episcopos creavit. Brevia Pontificia misit ad Concilium Supremum et ad Iberniae archiepiscopos, . . .	582
(145)-(151)	Notitia de Nuncii Apostolici ad Faederatos allegati missione, itinere, et subsidiis cum eo missis. Car- dinalis Rossetti epistola ad Nuncium 13 Martii missa . . .	585
(152)-(153)	Epistola Cardinalis Panziroli de munere in Nuncium collato . . .	590
(154)-(156)	Facultates Nuncio concessae die 15 Martii . . .	591
(157)-(197)	Instructiones Archiepiscopo Firmano datae . . .	601
(198)-(218)	Instructiones Privatiores praefatis annexae . . .	620
(219)-(220)	Nuntius Urbem valere jubens iter tenuit Florentiae. Magnae virtutis documentum ostendit . . .	624

Paragraphus	Pagina
(221)-(226) Summus Pontifex Brevia Apostolica ad Magnum Etruriae Ducem, ad Magnam Ducissam, et ad Cardinalem Mediceum direxit. His annexae erant trinae litterae die 22 Martii a Cardinali Pamphilio exaratae	625
(227)-(231) Nuntius Florentia 7 Aprilis Cardinali Pamphilio relationem misit, et die 11 Liburno Genuam versus navigavit	627
(232)-(233) Nuncius secum habuit Brevia Apostolica ad Cardinalem Duratium, et ad Ducem et Gubernatores Reipublicae Genuensis	629
(234)-(246) Nuncius Relationem receptionis suae apud Genuenses Romam transmisit 21 Aprilis	630
(247)-(248) Nuntius Liburno Genuam petens Viam Regiam divertit. Genuam valere iubens ad Cannes, bidui distantem Massilia, pertinuit 30 Aprilis, indeque de suo appulsu Romam scripsit.	633
(249)-(251) Massilia Avenionem et Avenione Lugdunum porrexerit, ubi Cardinali Breve Pontificium porrexerit. Die 10 Maii Lugduno digressus Parisiis 22 ejusdem mensis pertigit	634
(252)-(257) Ab Archiepiscopo et Galliarum Nuntio extraordinaria humanitate fuit exceptus. Multa habuit Iberniae Nuntius agenda cum Rege et aliis. Summi Pontificis Breve Duci Aurelianensi praesentavit, simulque epistola a Cardinale Pamphilio	635
(258)-(267) Regi et Reginae Regenti Brevia Pontificia 8 Junii porrexerit, et die postera Romam relationem misit	637
(268)-(274) Nuntius Principi Condaeo Breve Apostolicum praesentavit. Princeps Nuntium revisit. Cardinalis Mazarinus Nuntium recepit, cui Nuntius Breve porrexerit.	640
(275)-(279) Innocentius X. nonnullam cum Galliarum Rege diffidentiae occasionem habuit. Toti Dei Ecclesiae, praesertim Gallicanae, Nuntius multum profuit. Pontifex <i>Rosam Aurcam</i> Reginae praesentandam Nuntio transmisit cum Breve Apostolico	643
(280) Epistola a Cardinale Pamphilio Iberniae Nuntio 6 Aprilis missa	645
(281)-(290) Regina injurias, quas Galliae a Pontifice factas praetenderet, Nuntio retulit. De eadem quaerela tractabant Cardinalis Mazarinus et Princeps Condaeus. Nuntius Romam duas epistolas scripsit de Principis Condae propositionibus	646
(291)-(295) Nuntius epistolam ad Magnum Etruriae Ducem scripsit. <i>Rosam Auream</i> Reginae nunquam praesentavit. Innocentius X. fuit Gallo suspectus velut in Hispanum propensus	649
(296)-(298) Angliae Rex et Regina nullam non moverunt lapidem quo Nuntii profectum praepedirent	652
(299)-(325) Regi et Reginae Angliae invasit metus ne Pontifex ad se Iberniae regno excutiendos admoliretur. Pontifex talibus suspicionibus occasionem non praeiuit. Regnam, solemnem ejus visitationem admittere recusantem, Nuntius non visitavit.	

Paragraphus	Pagina
Breve Apostolicum a Spinola traditum est. Pax inter Regem et Iberos a Regicidis totius spei irrita evasit	653
(326)-(345) Catholicorum Angliae suggestiones circa pacem contrahendam Nuncio Lutetiam Parisiorum transmissae sunt	664
(346)-(352) Rebelles Parlamentarii Regem et Reginam ab omni cum Catholicis faedere deterruerunt. Regina Kenelmum Digbaeum ad Pontificem opis impetrandae causa allegavit. Memoriale a Digbaeo praesentatum, Parisios ab Iberniae Nuncio examinandum transmissum est	671
(353)-(362) Nuncius <i>Responsum ad Memoriale Digbaei</i> Romam misit. Pontifex subsidia elargitus est	676
(363)-(387) D. Germinus Reginae nomine die 10 Julii conditiones pacis inter Regem et Iberos ineundae Cardinali Mazarino proposuit. Nuntius cum Cardinale Pamphilio consilia communicavit. Forsan nihil fuit aliud quam iniectam Nuntio remoram, qua vel nullo modo vel certe tardius in Iberniam se conferret	680
(388)-(396) Nuncius Parisiis in subsidiis ad Iberniae bellum postulandis operum collocavit, quae tandem die 24 Augusti a Cardinale Mazarino obtinuit	689
(397)-(401) Multi ex clero populoque Gallicano Jansenismo sunt addicti, de quo necnon de controversia inter clerum saecularem et regularem actum est in Cleri Gallicani comitiis tunc Parisiis celebratis	693
(402)-(406) Concilium Supremum die 23 Novembris 1644 epistolam Albitio, de Bellingo ad Innocentium X. allegato, scripsit. Bellingi Legatio quoad suppetias Romae obtinendas ad nihilum recidit	697
(407)-(410) Bellingo suppetias a Magno Etruriae Duce, Duce et Republica Venetiarum, et Reipublicae Genuensis Duce et Gubernatoribus postulaturum Summus Pontifex die 25 Martii diplomata commendatitia impertiit	699
(411)-(417) Bellingus Nuntium Parisiis 25 Maii convenit. Certum est a Bellingo et Ormonistis non novum Nuncium sed subsidium pontificium, ab aliis vero Ibernis utrumque, et plus forte Nuncium quam subsidium fuisse postulatum, quod in <i>Nuncii Relatione</i> satis demonstratur. Bellingus suppetias postulaturus Belgium visitavit, et postea in Franciam ad Nuncium regressus est	701
(418)-(430) Invernitus a Nuntio in Belgium destinatus suppetias petiit, navesque coemit	705
(431)-(433) Nuntius ad Concilium Supremum die 4 Julii epistolam scripsit, ad quam die 4 Octobris responsionem recepit	711
(434) Alii ut quam celerrime Nuntius in Iberniam se reciperet, alii ut omnino desisteret, contendebant. Regina Georgium Leyburnum in Iberniam destinavit.	712

Paragraphus		Pagina
(435)-(439)	Cardinalis Pamphilius Nuntio die 18 Septembris praeceptum Suae Sanctitatis, ut statim in Iberniam naviget, communicavit	713
(440)-(450)	Nuntius die 29 vel 30 Augusti Parisiis egressus Carnutum visitavit. Die 8 Septembris Aureliam pertinuit. Aurelia Bellingo concomitante descendit per Ligerim fluvium in Britanniam. Rupellam ineunte Octobris pervenit	717
(451)-(459)	Summus Pontifex voluit ut Nuntius quam citissime in Iberniam iter faceret, postea autem sententiam mutavit. Pax contra ac Scarampus conjectavit contracta non fuit	721
(460)-(461)	Nuntius a Faederatis et Glamorgano in Iberniam invitatus est. Die 13 Septembris D. Dominicum Spinolam in Iberniam praemisit, qui Concilio Supremo legationem exposuit et Nuncii causam oravit	726
(462)-(470)	Ormonistae per solemne instrumentum die 3 Octobris exaratum Nuncium in regnum instanter invitarunt.	728
(471)-(472)	Massarius navigationem in Iberniam epistola ad Nuntii fratrem transmissa adumbravit	732
(473)	Nuntius terra potitus est ad Sinum <i>Cean Mera</i> , seu Caput Maris, in Desmoniae territorio, ubi humanissima hospitalitate in arce Artulihensi exceptus est	734



De haeresis Anglicanae in Iberniam
intrusione et progressu, et
de Bello Catholico ad annum
1641 caepto, exindeque per
aliquot annos gesto

COMMENTARIUS

[VOL. I.—PARS I.—AD AN. 1553]

(1) Iberniam, Regnum multifariam multisque modis commodissimum, veteres Hispani (sicut antiquarii nostrates consonant) mille circiter et trecentis annis ante Christum natum bello justissimo aggressi indigenas antiquiores, qui sub suis Regibus Insulam incoluerant, multis praeliis devicerunt, ducibus Milesii, Hispaniae Regis, filiis, quorum duo nominatissimi, Eberus et Erimon, triumpho confecto Iberniam inter se et suos diviserunt ut pars Australis Ebero, Septentrionalis Erimoni et eorum ex Irio, praemortuo fratre, nepoti nec non aliquot exercitus inferioribus ducibus cesserit, Luigeacho, Milesii Regis jam dicti per Ithum, fratrem, nepote, Momoniae Australis parte donato sub | Ebero, 2
cujus exinde familia plerumque quinque regni provinciarum duas, binas scilicet Momonias Erimonis domus Lageniam et Conaciam, sed Irii posteritas Ultoniam occupavit, licet, nescio quot deinde saeculis interjectis, Erimonis domus Irii posteros Ultoniae principatu excusserit. Porro dicti bini fratres Eberus et Erimon, quorum ille natu major erat, quasi duumviri simul ad Monarchiae clavum sedisse dicuntur. Verum, orta deinde inter ambos de finibus controversia, ita pugnatum ut Eberus in praelio occubuerit et Erimon, quoad vixerit, solus regnaverit, sed Eberi filii renitentibus denique Milesii, Regis Hispaniae, domum postea in Ibernia numerosissime et potentissime propagatam a mille circiter et trecentis annis ante Christum natum usque ad Anglorum invasionem, quae circa annum 1170 caepit, 181 Insulae Monarchas procreasse tradunt partim Ebero, partim Irio, partim Erimone,

3 partim eorum patruele, Luigeacho jam dicto, (nam neuter ramus continuo regnavit) prognatos, praeter innumeros singularum | Provinciarum Reges, atque inferiores Principes, nec non Albaniae seu Scotiae Britannicae Monarchas, Principes, antiquam nobilitatem et gentem, quae ex Ibernica, tanquam ex fonte rivus, emanavit. Nec silentio praetereunda est alia Iberniae divisio, quam Mogus novatus ex Eberi posteritate et Connus cognomento *centies praeliatus*, Erimonis domo prognatus, post varia bella constituerunt ad saeculi post Christum natum secundi initium, ducto Dublinia Galviam usque humili vallo vulgo *Eisgir riada*, quo Insula in duas partes ita divisa ut quicquid ab illo termino versus Aquilonem est, cesserit Conno et *Conni dimidium* dicatur, quod vero ad Austrum habetur, Mogo obtigerit, et usque in diem hanc *Mogi dimidium* vocitetur.

4 (2) Ibernorum, praesertim Momoniensium haud mediocrem partem legimus conversam ad Christi fidem ante missum a Celestino primo, Pontifice maximo, gloriosissimum gentis Apostolum, S. Patritium, qui partem Insulae longe maximam in signis et prodigiis ita Christianissimo imbuit, et Iberniam exinde, prae caeteris Europae regionibus, pietate et sanctitate floruerit, et nescio quot divorum agmina | etiam in Scotiam, Angliam, Walliam, Galliam, Flandriam, Hollandiam, Germaniam, Lotharingiam, Helvetiam, Italiam, aliasque mundi plagas effuderit, proindeque ab exteris Insula Sanctorum vocari meruerit, licet Dani et Norvegi, tunc ethnici, aliquot postea saeculis interjectis eam ultra modum infestarent et sua barbarie, ac corruptelis cum tyrannide introductis haud mediocriter infecerint. Qua paganorum colluvione a nationis Ibernicae Regibus atque aliis Principibus libertatis avitae tenacissimis bello saepissime utrinque illato subinde repulsa, ac demum anno 1014 a gloriosissimo Insulae Monarcha, Briennio Borrumhio, ad internecionem deleta. prisca exinde reffloruit regni pietas et indigenarum sanctitas, ad quam postliminio restituendam haud mediocriter conduxit S. Malachias, sicut in ejus vita ab amico longe charissimo, D. Bernardo, scripta legimus. Sed paucis annis interjectis Dermitius MacMurchuus, Lageniae, quae Iberniae provincia est, Rex, O'Ruairki, Principis pariter Ibernici in sua vicinia positi, uxorem, O'Melachlini filiam, genere claram et specie pulchram scelerratissime rapuit, eamque dimittere ac restituere jussus sceleratius recusavit. |

5 Quare non ob plurima alia scelera, quibus notatissimus esset, nefarius adulter ab O'Ruairko atque aliis Iberniae Principibus bello justissimo impetitus et Lagenia, suo principatu, multatus,

in fugam se recepit, atque ad Henricum secundum, Angliae Regem, recursum habuit, par ad parem, adulter ad adulterum, et horrendis totius impietatis maculis etiam notoriis contaminatissimum, qui bello Gallico implicitus, adeoque haud Dermittii votis respondere valens, eum ex Aquitania in Angliam dimisit ratum habens ut quotquot ex suis ibi subditis vellent, sub eo in Iberniam stipendia facerent, et ipsum ad Lageniam recuperandam adjuverent.

(3) Dermittius in Angliam advectus cum Richardo *Strongbow* Striguliae Comite, atque aliis viris privatis egit de ope sibi ferenda certis conditionibus. Quibus utrinque pactis ipse in Iberniam paucis comitantibus regressus aliquandiu delituit, expectans fore ut Angli et Walli appellerent. Quibus tenui admodum numero sub Roberti, filii Stephani, imperio demum advectis, ex latebris in medium prodiit, et hac adventitia latronum manu, suorumque | Lageniensium non paucis secundantibus bellum instaurare caepit, 6 audacior deinde factus appulsis paulo post ex Anglia viribus aliquanto majoribus, sed non magnis, cum aliis militiae ducibus, praesertim praefato Richardo, cui etiam filiam elocavit. Quo factum, et ipso, post aliquot urbes et castella Anglorum et Wallorum sed multo magis Lageniensium suorum ope captas, mortuo, Richardus atque alii exteri, qui sub eo stipendia fecerant, et in quibus desperabundus proditor majorem quam in probis patriotis ejus scelera detestantibus spem posuisse videtur, in praesidiis illis dispositi viam ad invadendam Iberniam aperuerint Henrico secundo, Angliae Regi, qui in suo regno Anglicano et dominiis Gallicanis adeo schismaticus ut ejus occasione S. Thomas Cantuariensis anno 1170 martyrium passus sit, anno sequenti 1171 mense Novembri in Iberniam navigavit. Quam ut aliquo praetextu invaderet, pietatem, qua usqueadeo carebat ut eam domus suae persequeretur, invasioni praetendit juxta sequens folium, quod eum aliquot retro annos ab Adriano quarto natione Anglo | clanculum obtinuisse ferunt : 7

(4) "*Adrianus Episcopus, Servus servorum Dei, Charissimo in Christo Filio, illustri Anglorum Regi, salutem et Apostolicam Benedictionem:*

"Laudabiliter et fructuose de glorioso nomine propagando in terris et aeternae faelicitatis praemio cumulando in caelis tua magnificentia cogitat, dum ad dilatandos Ecclesiae terminos, ad declarandam indoctis et rudibus populis Christianae fidei veritatem et vitiorum plantaria de agro Dominico extirpanda, sicut

- 8 Catholicus Princeps, intendis, et ad id convenientius exequendum, consilium Apostolicae Sedis exigis et favorem. In quo facto quanto altiori consilio et majori discretionem procedis, tanto in eo faeliciorem progressum te, praestante Domino, confidimus habiturum, eo quod ad bonum exitum semper et finem solent attingere, quae de ardore fidei et Religionis amore principium acceperunt. Sane Iberniam et omnes insulas, quibus sol justitiae, Christus, illuxit, et quae documenta fidei Christianae ceperunt, ad jus B. Petri et sacrosanctae Romanae Ecclesiae (quod tua et nobilitas | recognoscit) non est dubium pertinere. Unde tanto in eis libentius plantationem fidelem et germen gratum Deo inserimus, quanto id a Nobis interno examine districtius prospicimus exigendum. Significasti siquidem Nobis, fili in Christo charissime, te Iberniae insulam ad subdendum illum populum legibus et vitiorum plantaria inde extirpanda velle intrare et de singulis domibus annuam unius denarii B. Petro velle solvere pensionem et jura Ecclesiarum illius terrae illibata et integra conservare. Nos itaque pium et laudabile desiderium tuum cum favore congruo prosequentes et petitioni tuae benignum impendentes assensum, gratum et acceptum habemus ut pro dilatandis Ecclesiae terminis, pro vitiorum restringendo decursu, pro corrigendis moribus et virtutibus inserendis, pro Christianae Religionis augmento, Insulam illam ingrediaris, et quod ad honorem Dei et salutem illius terrae spectaverit, exequaris, et illius terrae populus honorifice te recipiat et sicut dominum veneretur, jure nimirum Ecclesiarum illibato et integro permanente et salva B. Petro et sacrosanctae Romanae Ecclesiae de singulis domibus annua unius denarii pensione. Si ergo quod concepisti | animo, effectu duxeris prosequente complendum, stude gentem illam bonis moribus informare et agas (tam per te quam per illos, quos adhibes, quos ad hoc fide, verbo, et vita idoneos esse perspexeris) ut decoretur ibi Ecclesia, plantetur et crescat fidei Christianae Religio, et quae ad honorem Dei et salutem pertinent animarum, per te taliter ordinentur ut a Deo sempiternae mercedis cumulum consequi merearis et in terris gloriosum nomen valeas in saeculis obtinere."
- 9

(5) Hoc actum Baronius ad annum Christi 1159, Adriani quintum, proindeque ultimum, absque Regis Angliae cui scriptum esse ferunt, nomine, scriptionis loco, anno, mense, die, et subscriptione ex Codice Vaticano in medium producit fatens esse incertum, quoto Pontificatus ejus anno scriptum fuerit. Sed

nec aliud de tanti momenti re Adriano imputata habet. Verum O'Sullivanus, Ketingus, P. Dominicus a Rosario, Gratianus Lucius, aliique fuse docent Iberniam tunc totam fuisse Catholicam et sanctitate ac pietate florentem, ideoque titulum ab hac Bulla petitum ostendunt multifariam extitisse invalidum, inanem, falsissimis allegationibus, iisque clanculariis et parte adversa in tanti momenti negotio non audita maligne factis ac surreptione nixum, imo forsā a | Pontifice nunquam concessum, sed jam mortuo a 10 quibusdam Anglis falso imputatum, scandalosum, ipsi Sedi Apostolicae, longēque magis Imperatoribus, Regibus, Principibus, et Potentatibus omnibus injuriosum, quod nulla ipsis sit securitas, si tyrannis, et usurpatoribus ejusmodi via ad invadendum aperiat, et tanquam justa, non aliorum modo sed et ipsius Sedis Apostolicae calculo approbetur. Verum Cambriensis nulla prope fide dignus, et Rogerus Hovendenus, authores Anglici, ita Iberniae tunc statum depingunt, ut ex eorum verbis colligatur eam nonnullis corruptelis et legum Ecclesiasticarum prophanationibus non caruisse, sed quibus ipsi Insulae Praelati, Henrico recens in Hiberniam advecto, in Concilio Cassiliensi remedium adhibuerint. Qua reformatione non obstante, Anglus (sicut sui authores Anglici litteris mandarunt) ex Ibernia anno 1172 regressus suum titulum firmiorem reddere conatus est, obtenta ab Alexandro tertio, Pontifice Maximo, Adriani successore, altera simili Bulla, quam tamen Gratianus Lucius, aliique nostrates perinde ac priorem enervant, ipseque Ioannes Davisius, Regis Iacobi in Ibernia Advocatus, titulum a Sede Apostolica Henrico | concessum tradit 11 fuisse inanem.

(6) Henricus tamen ad Iberniam invadendam illo praetextu et domesticorum Principum discordiis usus vel abusus colonias Anglicas in Insula plantavit ab aliis deinde ejus successoribus, Angliae Regibus, pro virili fotas, quae suos ibi fines arte et Marte dilatarunt in nationis damnum longe gravissimum, pene perennem belli inter ambas partes per tempora posteriora saepissime gesti fomitem, Ibernīs subinde inter se dissidentibus, et magna ex parte Anglo-Iernos (sic Iberniae colonias Anglis prognatos tollendae confusionis ergo vocabimus) consanguinitate, affinitate, vel belli societate secum conjunctos in alios suos patriotas, aborigines, humanissime protegentibus, et adjuvantibus, alias facili negotio demum extirpandis, quod Anglia bellis, praesertim Scoticis, Gallicis, Wallicis, et domesticis, imo haud paucorum Anglo-Iernorum jugum Anglicanum horrentium defectionibus et dissidiis inter se natis identidem implicita atque enervata

12

parum vel nihil succurrere valuerit, usqueadeo ut Henricus sextus Angliae Rex, domus Lancastrensis haeres, Ducis Eboracensis Coronam Anglicanam repetere gestientis conatum frustraturus, ejusque factionem inter Anglo-Ibernos potentem | depressurus veteribus Ibernis per litteras patentes Iberniam cesserit ea lege ut Insulae partem ab Anglo-Ibernis possessam Marte recuperarent. Quare Eboracensis suae Apologiae articulo 7^o "multi" (inquit) "ex proceribus id effecerunt ut sua Majestas litteras sanctioni sigillo roboratos ad hostes, Iberniae aborigines, dederit, quo animos ad eam Regionem vendicandam colligerent, renovarentque. Quod a retro Principum Angliae plane nemine hactenus factum legimus. Quas litteras dicti hostes Iberni ad me, praefatum ducem Eboracensem, transmiserant multum attoniti quod ejusmodi litterae ad se transmissae fuerint, et insuper exprobrantes praefato Angliae Regno pudendam infamiam et ignominiam." Haec ille Anglice, sicut legere est apud Stowaeum in Historia Anglicana ad annum 1460. In quo autem libertatis statu Henricus secundus, qui Angliae Regum 1^{us} Iberniam invaserat, Ibernos reliquerit, et quo pacto illi libertatem illam usque ad Reginae Elizabethae tempora per saecula posteriora armis sartam tectam defensarint, ipse Ioannes Davisius, Regis in Ibernia Advocatus, in confesso ponit, haereticus licet et Iuris ac nominis Anglici studiosissimus, proindeque in | Ibernos iniquissimus: "quod (inquit) Henricum secundum concernit, longe aberat ab obtinendo jure Regio et supremo Dominio, quod Regi, qui modo rerum potitur, in Ibernos competit. Iberniae enim Principe solum se Henrico 2^o tributarios professi sunt. Ii vero, qui nihil nisi tributum pendunt, licet a Bodino in primo subiectionis gradu collocentur, proprie tamen subditi non sunt, sed supremi Principes. Nam etsi Principe, cui tributum numerant, sint minores et inferiores, hoc non obstante, quod caetera omnia concernit, supremum dominium retinent, et (sicut idem Bodinus tradit) dum, quod pacis causa polliciti sunt, vectigal non denegent, ab omni alia clientela immunes evadunt. Quare tametsi Henrico secundo quadraret titulus Supremi Domini in Ibernos, haud tamen ea, quae Supremi Domini signa sunt, illudque redolent, executioni mandavit.

13

Davisius
pag. 13, et
seqq. j

14

(7) "Populo enim leges dicere, magistratus et officiales instituere, eosque subditis praeficere, malefactores punire vel venia donare, sua solius auctoritate aequae bellum indicere ac pacem inire et id genus reliqua, sunt genuina supremi Principatus argumenta. | Hoc autem modo Henricus 2^{us} in Ibernorum regio-

nibus non dominabatur, sed ipsi Iberniae Principes has semper praerogativas sibi sartas tectas reservarunt. Populos enim suos avitis institutis et legibus moderabantur, magistratus et officiales creabant; legum transgressores, in suo quisque clientelari tractu, puniebant vel parcebant. Belli gerendi, vel pacis contrahendae penes ipsos citra controversiam erat autoritas. Idque totum Henrico 2^o regnante, exindeque semper usque ad Reginae Elizabethae tempora praestabant." Haec ille. Qui etiam ibidem tradit, citatisque locis authenticis persuadet praecipuos aboriginum Iberniae dynastas interea temporis genuinos fuisse Principes et Reges, nec ab aliis modo sed et ab ipsis Angliae Regibus in actis publicis sic vocitatos.

(8) Quinetiam Anglo-Ibernorum plerique posterioribus saeculis, corona Anglicana domesticis et exteris bellis implicita, cum priscis Insulae Principibus societatem coeuntes, Anglicano jugo funditus excusso, plerique materno sanguine, vernacula Iberniae lingua, legibus, ore, more et amore in antiquos se Iberos induerunt, nullis plane retentis Anglicanae originis vestigiis, praeter possessiones olim | ab eorum majoribus gladio comparatos, quibus 15 tranquille placideque gaudebant, vetustis utique incolis ob tot mutuas necessitudines, morum sympathiam, et communis causae societatem merito charissimi juxta illud Virgilianum:

"Tros, Tirusque mihi nullo discrimine agetur."

(9) De hac Anglo-Ibernorum, qui a corona Anglicana in Iberniam ad Iberos demum defecerunt, parte praefatus Davisius: "Non ^{pag. 182,} solum (inquit) oblivioni tradiderunt linguam Anglicam, ejusque ^{etc.} usum dedignati sunt, sed etiam illos caepit pudere ipsarum suarum familiarum Anglicarum, tametsi essent illae nobiles et magnae antiquitatis. Quin et Ibernico more nomina sibi gentilitia fabricarunt, nominatim duae potentissimae Boorkorum familiae in Conacia (ut *rubri Comit*is domus haeredibus masculis excidit) suos Principes crearunt, unum in Mac-Willelmum inferiorem, alterum in Mac-Willelmum superiorem; in eadem provincia Bretinghamus, Athenriae Baro, se vocari voluit Mac-Yoris. Dexeestrius vel Dexonius nuncupatus est Mac-Iordanus. Nanglius vel *de Angulo* salutandum se curavit Mac-Costellum. Ex inferioribus | Boorkorum tribubus una Principem sibi erexit 16 Mac-Hubardum, altera Mac-Davidem. In Momonia ex praeclaris Geraldinorum familiis ibi plantatis una Mac-Mauritii dignitatem sibi assumpsit, domus Lixnaviae Princeps, altera Mac-Gibbonii

titulum induit, cujus etiam rami coryphaeus appellabatur *Eques candidus*. Princeps domus Baronum Dunboinniae, qui tribu Ormonica prognati sunt, Mac-Pierisii honorem sibi cudit. Condonius ex comitatu Waterfordiensi in *Mac-Maiogum* cooptatus fuit, sicut et in Mac-Odum Archidiaconus comitatus Kilkenniensis Idque totum praestiterunt in nationis Anglicanae odium contemptumque, cujus utique se infensissimos hostes hae degeneres familiae plusquam ipsi meri Iberni profitebantur. Licet autem respublica earum defectione debilitata, quo ad obsequium revocaret, complura obtulerit patrocinia et remissiones (quarum concedendarum facilitas nunquam magnum huic regno dedecus et damnum non attulit) eo tamen processerunt ingratitude et inhumanitatis, ut demum omnem ejusmodi gratiam et favorem dedignarentur, haud ignorantes veniae et gratiae acceptionem arguere subditorum conditionem. Malebant siquidem coronae Anglicanae hostes quam rebelles | haberi." Haec ille Anglice, qui eandem exinde scribendi segetem late persecutus: "omnes (inquit) antiquae coloniae Anglicanae in Momonia, Conacia, et Ultonia necnon coloniae Lageniensis tertia pars, quodque excurrit, degenerarunt et a corona Anglicana desciverunt, ita ut legibus Angliae morem gererent non nisi quatuor comitatus provinciae Anglicanae, hujusque ipsius margines et fines jugum excusserint, subditi *nigris redditibus* et tributis Ibernorum. Quae defectio erat major ea, qua ex duodecim tribubus denae desciverunt et a regibus Juda defecerunt." Haec Davisius.

(10) Quinetiam in ipsa Iberniae provincia Anglicana Anglos (sic tunc Anglo-Iberni vocabantur) et Ibernos, habitasse, et Ibernos ibidem non Anglicanismum sed Ibernismum etiam per saecula posteriora observasse liquet. In rei autem Anglicanae favorem Parlamentum Vadiponti in Ibernia anno Regis Angliae Eduardi quarti quinto, proindeque Christi circiter 1466, ab Anglo-Ibernorum parte coronam Anglicanam sequente celebratum, praesidente Thomas Fitz-Geraldo, Desmoniae Comite, Georgii, Ducis Clarentiae, proregis, *deputato*, remedium adhibuit politicum, actum quod ex Anglico Latine verto : |

18
Statuta
Iberniae,
pag. 36.

(11) "Requirentibus communibus, ejusdem Parlamenti autoritate decernitur et statuitur ut omnes Iberni, qui inter Anglos in comitatibus Dubliniensi, Midensi, Uriellensi, et Kildariensi habitant, vestiendi modo et barbae ad labium superius rasura ritum Anglicanum observent et ante annuam diem coram proregis vicario vel ipso prorege, vel iis quos pro juratorum

multitudine ad hoc juramentum ministrandum delegaverit, Regi clientelam jurent et Anglica alicujus urbis, nempe Suttoniae, Chestriae Trimmiae, Skriniae, Corcagiae, Kinsaliae, vel coloris, nempe albi, nigri, fusci, vel artis aut scientiae, nempe fabri, carpentarii, vel officii, nempe coqui, promi, sibi nomina assumant, ipsique et posterii iisdem nominibus utantur sub paena confiscationis bonorum suorum quotannis, donec praefata praestita fuerint, bis in anno exigendorum in belli a Rege gerendi sumptus juxta proregis vel ejus delegati prudentiam."

(12) Trecentis annis et quod excurrit, ante conditum hoc actum Angli Iberniam invadere caeperant. Quod diuturnum tempus his Anglo-Ibernis per tot gradus in Iberniam natis ad se | Ibernorum 19 albo ascribendos hand suffecerit usqueadeo ut se suosque majores et posteros in Iberniam natos consuetudo vocandi non Iberos sed Anglos ipsorum etiam statutis roborata postea diutius inoleverit, in gravissimum nominis Ibernici detrimentum, cum ob multas alias causas tum ob illam, quod eorum non paucos e clero populoque domi militiaeque, scientia et pietate vel secus celebres cum non Iberni sed Angli vocarentur, non Iberniae sed Angliae famam rebus praeclare gestis illustrarint, eosque incauti scriptores Anglorum catalogo inseruerint. Quam iacturam passa est in Iberniam non solum in Anglo-Iberniam sed etiam in ipsis veteribus Iberniam, quos Anglo-Iberni (sicut vel ex praefato eorum acto Parlamentari liquet) in Anglos induere sategerunt.

(13) Ex illis, quae hactenus dicta sunt, colligere est quis Iberniam ante schisma et haeresim introductam status fuerit. Porro ipso Henrico octavo, schismatis intrusi auctore, regnante, quae Iberniam, quoad Iberos veteres et Anglo-Iberos, facies extiterit, praefatus Davisius delineat. Qui de legibus Anglicanis Henrico ad regni clavum sedente in Anglo-Ibernorum usum latis disserens: "Executionem | (inquit) harum legum in Iberniam haud 20 ad majorem districtum quam ad Provinciam ibi Anglicanam se Davisius, p. 237. extendisse liquet ex statuto anni 13 Regis Henrici octavi c.3. quo traditur, quod diebus illis Regis leges in quatuor tantum comitatibus vigerent. Suggestiones quoque eodem circiter tempore a regis in Iberniam ministris per scriniorum magistrum, Ioannem Allenum, in Angliam transmissae ad ipsum in confesso ponunt, quibus utique is inter caetera in mandatis habuit ut Regi inculcetur, suam Iberniam terram tantopere ab obsequio descivisse ut suae Majestatis leges haud per viginti in circuitu passuum millia observarentur, indeque inolevit illud diverbium in Iberniam usi-

tatum, quod scilicet lege Anglicana solverentur qui ultra Birgum fluvium habitarent non utique nisi triginta millia passuum Dublinia distantem. Idque ipsum Finglassiae Baro confirmat in suo de Iberniae defectione tractatu, quem ad annum Regis, Henrici octavi vigesimum scripsit." Haec Davisius. |

21

(14) Interea quid Romae deliberationem venerit lego in quodam volumine inedito, in quo continentur acta Consistorialia Pontificum, etiam secretissima, partim integra partim in compendium redacta, incipiendo a 6^o Iunii 1498 sub Alexandro sexto et finiendo 13^o Iulii 1644, compilatore mihi anonymo. Librum autem Marchio Gerinius, Florentinus, Carolo Mediceo, serenissimi Magni Ducis Etruriae fratri, S. R. E. Cardinali, a Secretis, qui Romae transcribendum curaverat, mihi Florentiae communicavit. Quare cum compiler me lateat, inter citationes *Marchionis Gerinii librum* vocitabo. Porro ibi sequentia verba habentur.

Die 10 Iunii 1521.

22

(15) " Sanctissimus Dominus noster proposuit quod Reverendissimus Cardinalis Eboracensis et Legatus in Anglia scribebat, fortasse non inconveniens fore quod Sanctitas Sua Regi Angliae concederet aliquem titulum sibi convenientem ex privilegio | sibi a Sanctitate Sua concessio, praecipitque ut unusquisque Cardinalium diceret sententiam suam. Reverendissimus Cardinalis de Flisco, tunc primus in ordine Cardinalium in Consistorio existentium, dixit, sibi videri quod posset scribi et denominari pius seu pientissimus. Papa dicebat, quod forsitan posset denominari Rex Apostolicus. Nonnulli ex Cardinalibus dicebant velle scire causam propter quam dicto Regi huiusmodi titulus concederetur ut melius discuti posset, qui titulus ei concedendus foret? Alius dicebat denominandum Regem fidelem, alius Anglicum tanquam ab Anglia, alius orthodoxum, alius Ecclesiasticum, alius protectorem. Tunc Papa dicebat necesse esse non simpliciter protectorem appellari, addendumque esse, *Fidei*, ut Fidei Protector diceretur, diligenterque considerandum esse ut tali donaretur titulo, quo aliis Regibus titulo aliquo ab hac Sancta Sede alias decoratis nihil detrahi videretur. Quare Reverendissimus Cardinalis Egidius dixerat alias clarae memoriae Maximilianum, Imperatorem electum, conquestum fuisse quod Rex Franciae usurpasset sibi nomen Christianissimi, | quod erat proprium Imperatoris, cum in capella debebat orari pro *Christianissimo Imperatore*. Nonnulli dicebant, quod faelicis recordationis Julius, Papa secundus, privaverat Ludovicum, Regem Franciae, titulo Christianissimi et illum concesserat Regi Angliae propter clara

23

facinora tempore ipsius Julii pro hac Sancta Sede contra schismaticos et nunc contra Lutheranos pro honore hujus Sanctae Sedis et Christianae Religionis (ob) pia et praeclara gesta dictum Regem donari debere aliquo insigni titulo gestis hujusmodi convenienti. Pluribus Cardinalibus non placebat nomen apostolici, cum id proprium sit Papae et sibi soli conveniat. Allegabatur tamen quod scribendo Regi Apostolico non intelligeretur de Papa, eidemque Regi ex gratia communicaretur, quod tantum Papae conveniret. Demum Papa conclusit se aliquos titulos notaturum in scriptis et eos missurum ad Cardinales ut examinerent, an tales tituli essent ad Cardinalem Eboracensem mittendi ut illos praefato Regi proponeret, eique optionem daret unum ex his eligendi, quo in suis scriptionibus uti legitime posset." Haec ibi. |

(16) Ex his atque aliis colligo illa optione ad Henricum tunc 24 missa, eum instetisse ut *Defensoris Fidei* titulo exornaretur. Quare quid mense Octobri eodem anno Romae consultationem venerit, ibidem habetur verbis hic sequentibus, ex quibus aliundeque conjecto librum ab Henrico non compositum sed missum in tituli obtinendi praetextum :

(17) Die 11 Octobris.

1521.

" Sanctissimus Dominus noster proposuit, si placebat Reverendissimis Dominis (Cardinalibus) quod concederetur Regi Angliae, qui nuper misit librum pro defensione Fidei contra scripta Lutheri, hoc nomen, videlicet, *Defensor Fidei*, et aliqui dicebant quod unico nomine duntaxat se intitulari deberet: tamen omnes concluderunt quod Sanctitas Sua concederet nomen videlicet *Defensor Fidei* seu *Orthodoxus* aut *Gloriosus* seu *Fidelissimus*, et si non poterat fieri, quod omnino contentetur de illo nomine, *Defensor Fidei*, prout petebat." Haec ibi, ex quibus et aliis antea scriptis colligere est Henricum haud meruisse sed illum titulum ambitiose extorsisse.

(18) Ipsissima hujus consultationis die Leo X., Pontifex Maximus, Henrico *Defensoris Fidei* titulum decrevit hoc diplomate, quod etiam in Bullario Romano inter Leonis acta reperitur : |

25 (19) "*Leo Episcopus, etc. Charissimo in Christo filio, Henrico, Angliae Regi Illustri, Fidei Defensori Salutem, etc.*

"Ex supernae dispositionis arbitrio, licet imparibus meritis, universalis Ecclesiae regimini praesidentes, ad hoc cordis nostri longe lateque diffundimus cogitatus, ut fides Catholica, sine qua nemo proficit ad salutem, continuum suscipiat incrementum, et ut ea, quae pro cohibendis conatibus illam deprimere, aut pravis mendacibusque commentis pervertere, et denegare molientium sana Christi fidelium praesertim dignitati regali fulgentium doctrina sunt disposita, continuis proficiant incrementis, partes nostri ministerii et operam impendimus efficaces. Et sicut alii Romani Pontifices, Praedecessores nostri, Catholicos principes, prout rerum et temporum qualitas exigebat, specialibus favoribus prosecui consueverint, illos praesertim, qui procellosis temporibus et rabida schismaticorum et haereticorum fervente perfidia, non solum in fidei serenitate et devotione illibata sacrosanctae Romanae Ecclesiae immobiles perstiterunt, verum etiam tanquam ipsius Ecclesiae legitimi filii, ac fortissimi athletae schismaticorum et haereticorum insanis furoribus spiritualiter et temporaliter se opposuerunt. Ita etiam Nos Majestatem | tuam propter excelsa et immortalia ejus erga Nos et hanc Sanctam Sedem, in qua, permissione divina, sedemus, opera et gesta condignis ac immortalibus praeconiis et laudibus efferre desideramus, et ea sibi concedere, propter quae invigilare debeat a grege Dominico lupos arcere et putrida membra, quae mysticum Christi corpus inficiunt, ferro et materiali gladio abscindere et nutantium corda fidelium in fidei soliditate confirmare.

26

(20) "Sane cum nuper dilectus filius, Joannes Clerk, Majestatis tuae apud Nos orator, in Consistorio nostro coram universalibus fratribus nostris, S. R. E. Cardinalibus, et compluribus aliis Romanae Curiae praelatis, librum, quem Majestas tua caritate, quae omnia sedulo et nihil perperam agit, fideique zelo accensa ac devotionis erga Nos et hanc Sanctam Sedem fervore inflammata contra errores diversorum haereticorum saepius ab hac Sancta Sede damnatos, nuperque per Martinum Lutherum suscitatos et innovatos, tanquam nobile ac salutare quoddam antidotum composuit, Nobis examinandum et deinde auctoritate Nostra approbandum obtulisset, ac luculenta oratione sua exposuisset Majestatem tuam paratam ac dispositam esse ut quemadmodum veris rationibus et irrefragabilibus sacrae scripturae ac sanctorum Patrum auctoritatibus notorios errores ejusdem Martini confutaverat, | ita etiam omnes eos sequi ac defensare praesumentes

27

totius regni sui viribus et armis persequatur, Nosque ejus libri admirabilem quandam et caelestis gratiae rore conspersam doctrinam diligenter accurateque introspexissemus, omnipotenti Deo, a quo omne datum optimum et omne donum perfectum est, immensas gratias egimus, qui optimam et ad omne bonum inclinatam mentem tuam inspirare, eique tantam gratiam superne infundere dignatus fuit, ut ea scriberes, quibus sanctam ejus fidem contra novum errorum damnatorum hujusmodi suscitatorem defenderes ac reliquos Reges et Principes Christianos tuo exemplo invitares, ut ipsi etiam orthodoxae fidei et Evangelicae veritati in periculum et discrimen adductae omni ope sua adesse opportuneque favere vellent. Aequum autem esse censentes, eos, qui pro fidei Christi hujusmodi defensione pios labores susceperunt, omni laude et honore afficere, volentes non solum ea, quae Majestas tua contra eundem Lutherum absolutissima doctrina nec minori eloquentia scripsit, condignis laudibus extollere ac magnificare, auctoritateque nostra approbare et confirmare, sed etiam Majestatem ipsam tuam tali honore ac titulo decorare, ut nostris ac perpetuis futuris temporibus Christi fideles omnes intelligant, quam gratum, acceptumque Nobis fuerit Majestatis tuae munus, hoc | praesertim tempore Nobis oblatum. Nos qui 28 Petri, quem Christus in caelum ascensurus vicarium suum in terris reliquit, et cui curam gregis sui commisit, veri successores sumus, et in hac Sancta Sede, a qua omnes dignitates ac tituli emanant, sedemus. Habita super his cum eisdem fratribus nostris matura deliberatione, de eorum unanimi consilio et assensu Majestati tuae titulum hunc videlicet *Fidei Defensorem* donare decrevimus. Prout te tali titulo per praesentes insignimus, mandantes omnibus Christi fidelibus ut Majestatem tuam hoc titulo nominent et cum ad eam scribent, post dictionem regni adjungant, *Fidei Defensori*. Et profecto hujus tituli excellentia et dignitate ac singularibus meritis tuis diligenter perpensis et consideratis, nullum neque dignius, neque tuae Majestati convenientius nomen excogitare potuissemus. Quod quoties audies aut leges, toties propriae virtutis, optimique meriti tui recordaberis, nec hujusmodi titulo intumesces vel in superbiam elevaberis, sed solita tua prudentia humilior et in fide Christi ac devotione hujus Sanctae Sedis, a qua exaltatus fueris, fortior et constantior evades, ac in Domino, bonorum omnium largitore, laetaberis, perpetuum hoc et immortale gloriae | tuae monumentum posteris 29 tuis relinquere, illisque viam ostendere, ut si tali titulo ipsi quoque insigniri optabunt, talia etiam opera efficere, praeclaraque

Majestatis tuae vestigia sequi studeant. Quam prout de Nobis et dicta Sede optime merita est, una cum uxore et filiis ac omnibus, qui a te et ab illis nascentur, nostra benedictione in nomine Illius, a quo illam concedendi potestas nobis data est, larga et liberali manu benedicentes, altissimum illum, qui dixit, per me Reges regnant et Principes imperant, et in cujus manu corda sunt Regum, rogamus et obsecramus ut eam in suo sancto proposito confirmet, ejusque devotionem multiplicet ac praeclaris pro sancta fide gestis ita illustret ac toti orbi terrarum conspicuam reddat et judicium, quod de ipsa fecimus, eam tam insigni titulo decorantes, a nemine falsum aut vanum judicari possit. Demum mortalis hujus vitae finito curriculo, sempiternae illius gloriae consortem atque participem reddat. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae insignitionis et mandati infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, | indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo vigesimo primo, 5^o Idus Octobris, Pontificatus nostri anno nono."

30

(21) Rex Henricus, illi spei suo nomine ab ejus oratore Pontifici factae et in ipso a Pontifice positae quantopere postea defuerit, inferius videbimus. Interea ille jam per annos plures cum Catharina Aragonica matrimonio copulatus cum Carolo 5^o Imperatore et Hispaniarum Monarcha, Catharinae ex sorore nepote, in Franciscum primum, Francorum Regem, faedus percussit. Quo viso Jacobus FitzGeraldus, Desmoniae Comes, Anglo-Ibernus, in Henricum necdum schismaticum male affectus, cum Francisco 1^o faedus inivit. Quod Andreas Duchenius, scriptor Franciscus, in sua Angliae, Scotiae et Iberniae historia Gallice edita memoriae prodens ad annum 1523: "Rex (inquit) Franciscus mense Junio cum Jacobo, Desmoniae Comite, Principe Ibero, faedus percussit, qui | ei promisit fore 1^o ut ubi primum Franciscus vires auxiliares in Iberniam transmisisset, Jacobus in propria persona et suis expensis Henrico bellum denunciaret non solum ad eam Iberniae partem, quae Henrici imperium agnoscebat, in suos ipsius usus debellandam (excepto uno portu et propugnaculo Kinsaliae, Corcagiae vel Vadiponti, quod Regi Francisco ad suas naves conservandas cederet) sed etiam ad mittendum in Coronae Anglicanae possessionem Richardum de la Pole, praetensum

31

Suffolciae Ducem, qui ex Anglia diu ante proscriptus, in Galliam profugus exulavit, sicut superius tradidi.

(22) “ 2°. Desmoniae Comitem ad dictum bellum prosequendum equites quidem centum, sed pedites dena millia suppeditaturum et quam primum Rex Franciscus postularet, illi suppetias venturum quindecim peditum millibus, imo majori numero, quorum quisque Amazonia securi et gladio, dicti Regis impensis, muni-retur, qui etiam stipendia numeraret militibus Angelos binos.

(23) “ 3°. Regi Francisco et Suffolciae Duci equos a praefato Comite ad transportanda tormenta bellica subministrandos non suis sed ipsorum sumptibus. |

(24) “ 4°. Conventum est quod bello semel indicto praefatus 32
Rex Franciscus nec pacis nec induciarum conditiones cum prae-nominato Henrico, Angliae Rege, subiret nisi ea lege, ut jam dictus Comes et D. Theodoricus O’Brien, hujusque nepotes in eodem faedere continerentur.

(25) “ 5°. Quod si deinde contra ac pactum esset, Rex Henricus praefato Comiti, aut D. Theodorico O’Brien vel hujus nepotibus bellum denunciaret, praenominatus Rex, Franciscus, illis operi ferret, copiis militaribus, navibus et machinis bellicis. Et si pendentibus illis insulae tumultibus Comitis clientes ipsi forte reditus et antiqua tributa denegarent, praedictus Rex, Franciscus, donec rebelles clientes ad obsequium redacti essent, provideret Comiti de duabus navibus armatis, idque Regis expensis, ita tamen ut Comes victum necessarium praeberet.

(26) “ 6°. Quod dicto Comiti, quoad viveret, annua pensio a Rege assignaretur, quae quanta foret postea ad arbitros revoca-retur, et David Mac-Mauritius eidem Comiti bellorum seneschallus, tota vita pendente quingentas libras annuas reciperet.” Haec gallice Duchenius, quibus addo Desmonium (sicut in accusa-tionum capitibus Kildariae Comiti ob suam cum Desmonio conniventiam postea in Anglia a Cardinale Wolsaeo objectis et a Stowaeo | in sua historia Anglicana editis legimus) Gallo 33
promisuisse futurum ut binae Iberniae provinciae, Momonia et Conacia, eidem bello in Henricum 8^{um} gerendo nomen darent. Quod indicat hoc faedus in Ibernia plurimos et potentissimos habuisse fautores, licet Desmonii ob aliis in instrumentum ad-hibiti nomine cum Gallo celebratum fuerit. Porro Richardum illum *de la Pole* Coronae Anglicanae jus tunc repetentem vix dubito fuisse haeredem illius Joannis, Suffolciae Ducis, qui Regis Eduardi quarti sororem in uxorem duxerat, cujusque ex eodem matrimonio filius, Joannes, Lincolniae Comes, a Rege Richardo 3^o

Regni haeres declaratus fuerat. Duchenius autem ibidem: "Verum (inquit) haec conventio haud executioni mandata fuit, quod Rex, Franciscus, aliis impedimentis fuerit implicitus tam in limitibus et marginibus Gallicanis, quam in suo Dominio et principatu Mediolanensi." Sic ille. Constat autem per Desmonium non stetisse, quin pacta praestarentur, qui utique magnam Iberniae partem adversus Henricum 8^m bello diu ancipiti concitavit. Gallus autem Regis Henrici 8 et faederati Imperatoris duplici bello, Gallico et Mediolanensi, lacessitus, Borbonii quoque Ducis potentissimi ad utrumque defectione plurimum enervatus, ac demum biennio quam illud cum Desmonio faedus | percussisset, anno scilicet 1525 die Sancto Mathiae sacra in Ticinii obsidione apud Italiam a Caesaris exercitu, suoque Borbonio captus ita Desmonio vix auxiliari potuit ut prorsus illam belli societatem tunc resciderit in Henrici octavi gratiam, qui mox a Regis Francisci captivitate faedus cum Gallia adversus imperatorem coivit.

(27) Hinc Desmonius a Gallo derelictus ad Caesarem Anglo recens hostem allegavit Seraphum O'Conaldum, qui in Hispaniam advectus Desmonium inter et Carolum quintum nedum perennem bello paceque societatem sed et necessitudinem ineundam proposuit per Caroli filiam naturalem Desmonio elocandam. Mihique traditum est per Imperatorem haud stetisse quominus et faedus et nuptiae celebratae sint, sed per Desmonium ob conditiones iniquiores. Porro illa Caesaris filia naturalis postea Duci Parmensi nupta fuit, ex qua posteriores illius domus Principes hactenus descenderunt.

(28) Inter has Desmonii molitiones Iberniae partem Anglo obsequentem moderabatur prorex, Geraldus Fitz-Geraldus, Kildariae Comes, Anglo-Ibernus, praefato Desmonio contribulis, qui occulto Regis illam clandestinam conjurationem odorati mandato jussus, ut Desmonium caperet, ita se gessit ut potius in conniventiae, imo in coiti cum agnato faederis suspicionem venerit. | Quod de facto inter ambos in Regem anno regni ejus 16^o percussum fuisse tradunt Anglo-Iberni in suorum comitiorum ad annum ejusdem Henrici 28^m celebratorum statutis, cap. 1^o. Utut fuerit, Kildarius in Angliam a Rege accitus, ac in Turrim Londinensem conjectus, ac a Cardinale Wolseo, tunc status Anglici ministro, vehementer accusatus, se pro virili purgare conatus est.

(29) Interea Geraldino, Lexlipiae Domino, cui Kildarius in Angliam trajecturus suam proregis auctoritatem delegaverat, ob suspicionem de Kildario et Geraldinis seu Fitz-Geraldinis omnibus

conceptam per partes regias apud Iberniam exautorato, Delviniae Baro in ejus locum substitutus, nec ita diu post in Offaliam, Lageniae dynastiam, cum bellica excursione digressus, in illius Principatus Principem veterum Iberniae regum sanguine prognatum, O'Conorum, domui Kildariensi strictissima necessitudine devinctum incidit ad *Pontem sagittae*, ibi cum Plunketorum coryphaeo captus, copiis partium regiarum profligatis. Sede autem proregis per Delviniae Baronis captivitatem vacante, Petrus Butlerus, Ormoniae Comes, Anglo-Ibernus, dicti O'Conori, nec non O'Morraei et O'Cearolli, Principum antiquo sanguine regio prognatorum, brachio | suffultus Dubliniam occupavit, ibi a suis juxta ac Geraldinorum (nam Kildarii jam dicti sororem, Margaritam, in uxorem duxerat) amicis partes regias sequentibus in proregem cooptatus. Quam electionem Rex postea ratam habuit Ormonio sancte pollicente nullum a se lapidem non movendum, quo Desmonium vel caperet vel profligaret. Quod tamen non praestitit. Kildarius autem Ormonio recens Ormoniae titulum in Thomae Bolleni gratiam exuto atque in Ossoriae Comitem induto succensens ac in Anglia a Wolseo reus actus, "demus (inquit) Desmonium nec captum nec capiendum, utquid propterea magis in crimen vocetur Kildarius quam bonus sororius meus, Comes Ossoriensis, qui, post tot magnificas pollicitationes, regia quamlibet autoritate munitus, hactenus tamen in vanum laborat, contentus Desmonium ad obsequium redigere pro commoditate." Haec ille.

36

Stowaeus
in hist.
Angl.
ad an.
1537.

(30) Diebus illis Ultoniae, quae Iberniae provincia est, Princeps, Connus O'Nellus, antiquissimo Regum Insulae sanguine prognatus, Anglo in Iberniam obsequentes bello etiam ante vexaverat. De quo Paulus Jonius scriptor contemporaneus: "ingenti (inquit) autoritate, bellicis operibus et antiqua pariter nobilitate caeteros | antecellit Connatius O'Nel, Ultoniae Princeps. Is continenter bella gerit modo cum finitimis Anglis, modo cum Regulis, qui undique Ultonicos fines amplectuntur. . . . fuit aliquando tempus, quo Angli magnis exercitibus Insulam pervagati ad totius Iberniae Principatum aspirarent. Sed Iberni, qui diu intestino occupati bello graves insaniae paenas dederant, quum periculo admoniti ad publicae salutis consilium rediissent, conjunctis viribus ita Anglorum opes atque animos contuderunt ut ne illis exigua pars Insulae et ea quidem liberali quadam pactione relinqueretur. Armavit enim Iberniam Anglico tumultu supra quadraginta millia peditum et equitum. Ipse nuper Connatius O'Nel ex provincialibus suis exquisito etiam delectu

37

quatuor millia equitum et triplo majorem peditum numerum in aciem eduxit Connatus uti bellicosum ac intentum decet, pagos devitans, in stativis castris, ac hybernis vitam traducit, umbraculis fronde protectis, tentoriisque ex pellibus et linteis militari more imbres arcet. Ventos solesque contemnit. Nullum ei antiquo gentis more capitis tegumentum praeter galeam. Horrido enim et circumtonso ad aures capillo, recisaque saepe barba et labro superiore intortis setis ad terrorem hirsuto populariter incedunt, ut bello ferociores appareant." Haec ille, quae illa Insularum Britanicarum | descriptio continet transcripta ex ejus libro de Imperiis et gentibus cogniti orbis, quod ultimum opus mihi jam non suppetit. Porro accitus in Angliam Kildarius suam filiam, Elizam Geraldinam, Slaniae Baroni nuptam, 8^o Julii anno regni Henrici Octavi vigesimo in Anglia jussit ut in Iberniam remearet, et O'Nellum, Kildarii amatinum, necnon O'Conorum in Lagenia potentissimum ac ipsius Kildarii fratres et alios necessarios ad bellandum in Anglo-Ibernos illos, qui Regi in Ibernia obtemperabant, suo nomine invitaret. Quod illa mandatum ita absolvit ut illi ad ejus votum partes ab Anglo in Ibernia stantes ferro et flamma vastarint.

(31) Inter hos Iberniae motus Rex Henricus de legitima uxore, Catharina Aragonica, post susceptam ex ea prolem et post viginti circiter annorum cohabitationem repudianda cogitavit. In quem finem quorundam doctorum et universitatum etiam exterarum voluntates pecunia emere et ipsius Sedis Apostolicae constantiam expugnare conatus est. Verum causam demum Clemens septimus decedit sententia, quam ex Marchionis Gerinii libro superius nominato hic habe.

(32) *Die 23^o Martii 1534 in causa inter Regem Angliae et Reginam Catharinam lata fuit infradicta sententia.*

39 "Clemens Papa VII., Christi nomine invocato, in throno justitiae pro tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, | per hanc nostram diffinitivam sententiam, quam de Venerabilium fratrum nostrorum, S. R. E. Cardinalium consistorialiter coram Nobis congregatorum consilio et assensu ferimus in his scriptis, pronunciamus, decernimus et declaramus in causa et causis ad Nos et Sedem Apostolicam per Appellationem per charissimam in Christo filiam, Catharinam, Angliae Reginam illustrem, a nostris et Sedis Apostolicae Legatis in Regno Angliae deputatis interpositam legitime devolutis et advocatis inter praedictam Catharinam, Reginam et charissimum in Christo filium, Henricum

octavum Angliae Regem illustrem super validitate et invaliditate matrimonii inter eosdem Reges contracti et consummati, rebusque aliis in actis causae et causarum hujusmodi latius deductis, et in dilecto filio, Paulo Capizuchio, Causarum Sacri Palatii tunc decano, et propter ipsius Pauli abstentiam venerabili fratri nostro, Jacobo Simonettae Episcopo Pisarensi, unius ex dicti Palatii Causarum auditoribus locumtenenti audienti, instruenti, et in Consistorio nostro secreto referenti commissis et per eos Nobis et eisdem Cardinalibus relatis et mature discussis coram nobis pendens matrimonium inter praedictos Catharinam et Henricum, Angliae Reges, contractum, et inde secuta quaecunque fuisse et esse validum et canonicum, validaque et canonica, suosque debitos debuisse et debere | sorti effectus, prolemque inde susceptam 40 et suscipiendam fuisse et fore legitimam, et praefatum Henricum, Angliae Regem, teneri et obligatum fuisse et fore ad cohabitandum cum dicta Regina, ejus legitima conjuge, illamque maritali affectione et regio honore tractandam et eundem Henricum, Angliae Regem ad praemissa omnia et singula cum effectu adimplenda condemnandum et compellendum fore, prout condemnamus, cogimus et compellimus, molestationesque et denegationes per eundem Henricum Regem eidem Catharinae, Reginae, super invaliditate ac faedere dicti matrimonii quomodolibet factas et praestitas fuisse et esse illicitas et injustas, et eidem Henrico super illis ac invaliditate matrimonii hujusmodi perpetuum silentium imponendum fore, et imponimus, eundemque Henricum, Angliae Regem, in expensis in hujusmodi causa pro parte dictae Catharinae, Reginae coram Nobis, et dictis omnibus legitime factis condemnandum fore et condemnamus. Quarum expensarum taxationem nobis in posterum reservamus." Haec ibi.

(33) Henricus hac lite pendente sperans fore ut Kildario tanquam instrumento ad res cum praefatis Iberniae principibus suaviter componendas et ad eam Insulam | suae tyrannidi accom- 41 modandam uteretur, ante latam praefatam sententiam eum jam a Wolsaeo morti destinatum illo potius cum Guillelmo Scevingtono in proregem ascito direxit et postea Scevingtono in Angliam revocato eadem praefectura insignivit. Quibus non obstantibus Kildarius deinde accusatus est quod ipso connivente et conscio O'Nellus jam dictus ad annum Henrici 24^m Anglicanam Iberniae Provinciam invaserit et suus frater, Joannes Geraldinus, ex ipsius mandato O'Nellum in ea expeditione comitatus sit, eique opem ac ducatum praeberit, ipseque Kildarius comitatum

Kilkenniensem vastaverit, ibique nec non in *Deserti Dermittii* foro, eos qui Regis Henrici partes sequerentur, partim ceciderit, partim diripuerit. Post quas expeditiones secundo post latam sententiam pontificiam jam dictam mense Kildarius Anglo-Ibernorum Parlamento in diem Maii undevigesimum ad annum Henrici 25^m indicto Dubliniae praefuit, paulo post ab Henrico in Angliam revocatus et in Turrim Londinensem conjectus. Caeterum ante traiectionem filio, Thomae *Sericato*, suam auctoritatem delegaverat et arma atque apparatus bellicum ex castro Dubliniensi partim in sua augustalia transferendum, partim in veteres | Iberos, sui aequae fautores ac Regis hostes distribuendum curaverat.

42

(34) Kildario hac secunda vice in custodiam Londinensem dato, domus Kildariensis aemuli in Iberniam, et ante alios Joannes Allenus, Archiepiscopus Dubliniensis eum in Anglia morte multatum falso retulerunt ea (inquiunt) mente ut Thomas, ejus filius, juvenis aequae animosus ac imprudens, in Regem insurgeret, et ea ratione perinde suam ipse ruinam inchoaret, ac ipsis ad regiminis clavum arripiendum viam sterneret. Reque ipsa Thomas eorum rumoribus credulus mox patris necem ulcisci decrevit. Verum cum Dubliniam et castrum Dubliniense praesidiariis sibi fidis facili negotio munire posset, tantum abest ut id egerit ut etiam ea nec non proregis fasces aliis Regis ministris reliquerit, licet postea rus profectus una cum patruis et aliis multis se sequentibus ad O'Nellum, O'Conorum, aliosque veteres Iberos et Scotos sub eorum vexillis stipendia facientes in Regem jam cum Anna Bolena adulterino matrimonio copulatum et Deo atque Ecclesia refragantem, eosque qui a Rege adultero et schismatico inter Anglo-Iberos starent, defecerit, et terra marique in Henricum bellarit, ipsamque Dubliniam | obsederit, populatus etiam Comitatus Ossoriensis tametsi cum sua amita, Margarita Geraldina, matrimonio copulati atque aliorum in comitatu Kilkenniensi patri-monium, quod Ossoriensis atque ejus filius, Jacobus, in ipsum a Rege starent, licet Thomas (si comitiorum ad annum Henrici vigesimum octavum paulo post Dubliniae celebratorum actis fidem habeamus) eis tractuum Regi in Iberniam obtemperantium dimidium bello comparandum obtulerit ea lege ut secum in schismaticum et adulterum insurgerent. Litteras etiam cum Carolo MacRanaldo, Archidiacono Kellensi, ad Paulum tertium, Pontificem, et Carolum quintum, Imperatorem, scripsit, insistens ut ad nefarii Henrici jugum in Iberniam excutiendum opem ferrent, licet latam fuisse non comperiam. Caeterum inter hoc bellum

43

Thomas Joannem Allenum, jam dictum Archiepiscopum Dubliniensem pro Rege in se et suos facientem cepit et Tartainiae in comitatu Dubliniensi aliquandiu incarceratum demum 28 Julii anno Henrici 26^o, proindeque Christi 1534, lecto extractum morte affecit, vel (ut alii tradunt) fugientem occidit, fidemque habere videtur Archiepiscopum illum, natione Anglum, hominem turbulentem, antea ad Henrici schisma defecisse, suamque illi in secundanda ejus mente | pessima operam accommodasse, ideoque tanquam innocentiae et causae Catholicae adversarium et persecutorem a Thoma fuisse trucidatum. 44

(35) "Tunc (inquit Davisius haereticus) Rex in Iberniam destinavit Guillelmum Scevingtonum, Equitem, cum quingentis tantum viris non ad suos ibi fines ampliandos nec ad regimen corruptelis purgandum sed ad restinguendam illam flammam. Hic prorex in mediis hisce pugnis vitam profudit." Haec ille. pag. 67.

(36) Hac secunda Scevingtoni expeditione prospero successu frustrata, mox substituitur ex Anglia in Anglo-Ibernorum proregem D. Leonardus Greius, qui per exiles suppetias, quas secum adduxit, demonstraverit, quantopere tunc impedita fuerit adeo Anglia ut Ibernis et Iberniae non nisi per Anglo-Ibernos molestiam exhibere valuerit. Is enim eodem Davisio auctore *non nisi* *ibid.* *recenti ducentorum virorum delectu* roboratus ex Anglia in Iberniam navigavit. Erat autem Greius Thomae Greii, Regi Eduardo 5^o fratris uterini, Dorsetiae Marchionis, filius, et alterius Thomae Greii eodem post patrem honore insigniti frater, adeoque Regi, Henrico octavo per communem amborum aviam, Elizabetham ex Greii, Equitis, vidua Reginam Angliae, quia Regi Eduardo quarto elocatam, in secundo cognationis gradu conjunctus, et lascivientis tyranni jam in schisma prolapsi cupiditatibus et perinde impiis ac crudelibus | animi motibus exequendis tam devotus quam qui maxime, aptissimis etiam ad Thomam Geraldinum vana spe et falsis pollicitationibus inescandum quod domum Kildariensem arctissima necessitudine attingeret, parique passu prae reliquis Anglorum idoneus ad lactandos similibus praestigiis illos Iberniae principes, quibus cum domo Kildariensi necessitudo vel amicitia intercedebat. Pollebat insuper ille veterator ingenio sagaci, animoque juxta duplici ac ad nihil non conandum audaci, in bellis, praesertim Gallicis, ab Henrico gestis magna cum laude versatus ac denique de animae salute ita minime sollicitus ut in aulae Anglicanae gratiam evaserit novorum dogmatum efflictim studiosus, nullumque pene agnosceret Evangelium, legem aut Ecclesiam, quae in obscaenam Henrici mentem non quadraret, 45

ejusque infami luxui et luxuriae non suffragaretur. Hic ergo in Iberniam advectus quod Marte non potuit, arte praestitit, primoque omnium ex ea Iberniae parte, quae Henrico 8^o obtemperabat, vires Anglo-Ibernicas conscripsit. Quibus castellum Muinvodiae, firmissimum Comitis Kildariensis praesidium et praetorium, obsedit. Erat illius augustalis tum armis tum alio commeatu satis superque muniti praefectus vir primarius, quem velut sui studiosissimum Thomas Geraldinus ibi in custodem collocaverat. Sed is castellum | alias expugnatum difficile pro Regi per proditionem in potestatem permisit, Thoma interea apud Ultoniam absente et ibi majorem exercitum in Anglicanam Iberniae provinciam invitante. Quo demum cum majoribus Ultoniensium viribus regresso praelium commissum est utrinque cruentum, quod diu anceps nocte diremptum tradunt. Verum postridie Prorex Thomam non Marte sed arte debellavit, inito colloquio, in quo vix dubitemus quin Thomae a suis Anglo-Ibernis Regis schismatici partes sequentibus, artificio Iberniae etiam in aliis casibus similibus postea semper fatali, suggestum fuerit quantopere se suosque in ruinam praecipites daret? O'Nellum, Ultoniae principem, aliosque veteres Iberos, quibus in eo bello coaluerat, ipso uti velut instrumento, quo partes regni Anglo-Ibernicas debellarent, et omnes Anglo obsequentes delerent vel exploderent. Jugo Anglico usquequaque excusso fore ut etiam ipsum Thomam, totamque domum Kildariensem eorum majoribus in Coronae Anglicanae obsequium tamdiu ac tantopere infestam prorsus extirparent. Huc velut in scopum unicum collimare omnem eorum fucatam amicitiam. Ardere illos oretenus fidei atque Ecclesiae Ibernicae defensandae et haereseos repulsandae zelo, sed latere anguem in herba, solitas utique et nullo unquam tempore depositas in Anglicanam Iberniae provinciam inimicitias. | Ipsos nunquam nisi invitos ab initio gentem Anglicam in insulam admisisse, nullamque pristinae libertatis usquequaque recuperandae hactenus neglexisse occasionem. Itaque ipsius Thomae ante alios interesse ne juvenili aestu sibi et suis Anglo-Ibernis perniciem procuraret, sed ad se redeat et pacem aequissimis conditionibus oblatam admittat.

(37) Thomas hujusmodi praestigiis, quibus haeresis Anglicana primitus in Ibernia pedem fixerat, et progrediente tempore altiores radices egit, se fascinari passus, ab O'Nello atque aliis veteribus Iberniae principibus in Regem haereticum bellantibus ita ad suos Anglo-Iberos Henrico militantes descivit, ut Ecclesiae Ibernicae hostibus ad illud faedus Catholicum paulatim dissi-

46

Relat.
Gerald.
pag. 31.

47

pandum et ad se suamque domum eruendam insigni imprudentia viam straverit, paulo post Dubliniae inter communem laetitiam a perfido prorege contra fidem publicam et pactas condiciones captus et cum quinis patruis eodem tempore ruri praehensis una navi in Angliam ad Henricum jam suae nationis martyrum sanguine cruentatum ita transmissus ut Londini Thomas quidem capite truncatus, sed patruis ibidem loci eodemque tempore acti fuerint in patibulum et membratim decerpti, bonis fisco adjudicatis, et ipso Kildario, Thomae patre, Turris Londinensis | squaloribus confecto, sed duobus ejus filiis post hanc lanienam 48 superstitibus, amborum natu maximum, Geraldinum, Prorex, Leonardus Greius in custodiam Dubliniensem conjecit, Eduardo natu minimo in Angliam ante transvecto.

(38) Greius statuta pestilentissima in Ecclesiae Ibernicae perniciem ad Henrici mentem cum sua Anglo-Ibernorum factione in eorum comitiis propediem Dubliniae celebrandis conditurus, et viam sibi ad ea intrudenda straturus in O'Conorum, O'Morrum aliosque Lageniae Principes antiquo sanguine regio prognatos, domui Kildariensi in praefato bello associatos movit. *Qui tamen non prius arma deposuerunt, quam veniam sunt pacti, in Anglorum potestatem non venientes.* O'Sullivanus hist. f. 78.

(39) Greius cum suo Anglo-Ibernorum exercitu in Momoniam digressus, eas Desmonio obtulit condiciones ut domus illa instar Thomae *Sericati* suorum Anglo-Ibernorum praestigiis fascinata ipsis coaluerit, et Regem ac proregem per obsides de suo obsequio securum reddiderit.

(40) Greius ex Momonia cum suo exercitu in Conaciam penetravit, ubi omnem operam dedit ut Boorkorum, pariter Anglo-Ibernorum, familiam in ea provincia potentissimam ad Henrici 8 obsequium revocaret. Horum primus ex Anglia in Iberniam ad annum 1171 trajecit, Guillelmus filius Adelmi, qui in Connacia amplissima sibi | latifundia comparavit, ejusque filius, Richardus, 49 nepos Gualterus, pronepos Richardus, hujusque ex praemortuo filio, Joanne, nepos, Guillelmus, bello et jure dotis fines adeo auxerunt ut hujusce familiae coryphaei se Midiae et Conaciae Dominos atque Ultoniae Comites vocitarint, sed veteribus Iberniae principibus allegantibus domam illam suas sibi possessiones coronae Anglicanae dominatu injustissime extorsisse. Porro ultimo illo Guillelmo 6^o Junii ad annum aetatis vigesimum et Christi 1333 a suis per proditionem perempto, superstes filiola, Elizabetha, ex asse haeres, deinde Leonello, Clarentiae Duci, Regis Eduardi tertii filio, nupta filiam ei peperit Philippam utriusque

parentis ex asse pariter haeredem, cujus filius, Rogerus de Mortuo-
 Mari Marchiae et Ultoniae Comes per Annam, filiam, ex hac
 nepoti, Richardo Plantagenet, Duci Eboracensi jus illud reliquit,
 hujusque filius, Angliae Rex, Eduardus quartus id ipsum ad
 Regem, Henricum octavum suum ex Elizabetha filia nepotem
 transmisit. Rebus autem in Anglia turbatis, Boorkorum in
 Ibernica haeredes masculi aegerrime ferentes praeclarissimam
 familiam suam lautissimo illo patrimonio excidere, a lege Angli-
 cana, quae filiabus, ubi filii defecerint, jura haereditaria decernit,
 50 ad Ibernicam, quae masculos | tantum filiabus aeternum exclusis
 ad haereditatem vocabat, declinarunt, et jugo Anglicano nuntium
 remittentes se antiquis Ibernis associarunt quorum brachio suf-
 fulti illa sua apud Conaciam dominia, quae secus Angli ipsi
 eripuissent, sui juris effecere. Cum ergo jam per aliquot succes-
 sionis gradus in possessione praeter alios duo ejusdem florentissi-
 mae tribus rami Ibernici Mac-Willelmi superioris et Mac-Willelmi
 inferioris titulis gentilitiis claruissent, Rex Henricus suo in
 eorum patrimonia jure cessit, ea lege ut ad coronae Anglicanae
 obsequium redirent, et aliis Anglo-Ibernis ipsi obtemperantibus
 more majorum cohaerent. Quam conditionem illius familiae
 Princeps, Mac-Willelmus ita amplexus est ut demum in Angliam
 trajecerit, ab Henrico Clanricardiae, suae in Conacia dynastiae,
 Comes salutatus, ex quo descenderunt alii Clanricardiae Comites,
 qui summa ingratitude Ecclesiae et nationi Ibernicae in im-
 mensum praejudicarunt.

(41) Greius ex Conacia in Ultoniam movit. Cujus provinciae
 princeps, O'Nellus, alique Ultonienses quantam antea Henrico
 octavo ejusque in Ibernica partibus molestiam bellis subinde
 indictis exhibuerint, jam tetigimus. Porro (ut rem altius repe-
 tam | et historiae veritas melius innotescat) lectorem hic non
 51 celo quo pacto Joannes Courcaeus ad ipsum Anglicanae invasionis
 exordium in Ultoniam cum armata suae nationis Anglicae manu
 penetrarit, et ibi per vim aliquot annos dominatus se Ultoniae
 Comitem vocitarit. Verum anno 1204 ab Hugone de Lacy, suo
 patriota, Joannis, Angliae Regis, autoritate captus est et illo
 patrimonio ejectus, Rege insuper ipsum Lacaeum in Ultoniae
 Comitem evehente. Deinde vero Lacaeorum haereditas per filiam
 Gualtero Boorko vel de Burgo, se Conaciae Dominum vocanti,
 nuptam ad Richardum Boorkum, vel de Burgo, hoc matrimonio
 natum, potentissimum Ultoniae Comitem, descendit. Cujus ex
 praemortuo filio, Joanne, nepos, Guillelmus a suis 6 Junii anno
 1333 peremptus per filiam, Elizabetham, Leonello, Clarentiae

Duci, Regis, Eduardi Tertii, filio elocatam reliquit suum jus haereditarium ab intestato Philippae, Leonelli filiae, adeo ut haec genuerit Rogerum de Mortuo-Mari, Rogerus Annam, Anna Richardum Plantagenet, Ducem Eboracensem, Richardus Angliae Regem, Eduardum quartum, Eduardus Elizabetham, matrem Henrici octavi, qui Ultoniam tanquam haeres legitimus repetebat. Verum O'Nelli, atque alii Ultoniae Principes | ab Anglis 52 ad pendendum tributum coacti, rebus in Anglia praesertim Lancastrensi et Eboracensi bello turbatis Ultoniam suam gladio recuperarunt, pene ducentis ante Henricum octavum annis continua possessione ita rerum iterum potiti ut semper Angli repetendae Ultoniae occasionem anhelarint. Itaque Greius suum Provinciae Anglicanae atque aliorum Anglo-Ibernorum ab Henrico 8 stantium exercitum, quem anteriori Desmonii apud Momoniam et Mac-Willelmi apud Conaciam coalitione auctum fuisse conjecto, ducens cum O'Nello et O'Donello ad Belahoam in Ultoniae et Provinciae Anglicanae confinio praelium commisit. In quo scriptores Anglici suos victoriam reportasse jactant. Quod fidem habere non videtur, cum O'Nellus Provinciam Anglicanam bello vexare non desierit nisi ea lege ut Henricus octavus eum diplomate Regio in possessione confirmaret, O'Nello pariter nescio quod ludicrum obsequium Coronae Anglicanae pollicente. Quem et O'Rellos ex Ultonia, Mac-Muruchos, O'Birnos et O'Cearollos ex Lagenia, nec non Boorkos ex Conacia Dubliniam, Greio regresso accessisse et umbratile illud homagium fecisse jactat Davisius, scriptor Anglicus et haereticus. Quicquid sit, omnino constat Iberniae Principes antiquo Insulae sanguine regio | prognatos non nisi multis post Henrici 8 mortem annis se 53 legibus anglicanis submisisse.

(42) P. Dominicus a Rosario O'Daly in sua Geraldinorum Relatione tradit Jacobum Fitz-Geraldum, Desmoniae Comitem, quem domui Kildariensi primam et praecipuam bellandi ac in praecipuis ruendi occasionem praeuisse vidimus, anno 1536 decessisse. Is tot annos ab Anglo atque ejus in Ibernia partibus indomitus, ac maximam nunc a Gallo, nunc a Caesare opem expectans, suisque viribus pene subditi conditionem superantibus confidens et aliorum in Ibernia potentissimorum favore atque auxilio fretus, *victoriis etiam ab hoste saepe reportatis clarus, paternaeque virtutis haeres et generosi animi heros*, proindeque indies insolescens, coacto exercitu Muscram, Momoniae regionem in sua vicinia positam, invadere conatus est, equitatum ejus ducente patruo, Thoma Calvo, quem praefatus P. Dominicus prospero in bellis pag. 34.

54

successu usum et in novem praeliis victorem extitisse deindeque in Desmoniae Comitem evasisse dicit. Verum Muscriae Princeps, Cormacus Mac-Cartii, cognomento *Strenuus* suae Regiae familiae ramus secundarius et Mac-Cartio magno, | illius tribus nec non Momoniae Australis Principi vassallus, suo contribuli Mac-Cartio *Fusco*, Carbriae Principe et aliis ex amborum familia ac clientela in subitarium auxilium accitis cum Desmonio ac lectissimo ejus exercitu ad Monasterium Monamorensense pugnavit et victoria celeberrima reportata potentissimum aggressorem eo redegit angustiarum ut caeteris vitae diebus enervatus nihil viriliter gesserit. Proles unice legitima, Joanna Geraldina, Petri Butleri, Ormoniae atque Ossoriae Comitis, de Ecclesia et natione Ibernica pessime meriti filio primogenito in malis artibus et facinoribus Ecclesiae exitiabilibus patrissantis nupsit.

Tom. I
pag. 704.

(43) Praefato Desmonio successit dictus suus patruus, Thomas *Calvus*, qui ab anno 1536 Desmoniae Comes salutatus schismatico Henrico octavo caeteris vitae diebus adhaesit. Interea Paulus tertius Henricum octavum ejusque fautores percussit fulmine, quod ex Bullario Romano hic inserendum duco, cum non pauca etiam historiae capita contineat.

(44) “ *Paulus Episcopus, Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.*

55

“ Ejus qui immobilis permanens sua Providentia ordine mirabili dat cuncta moveri, disponente clementia, vices, licet immeriti gerentes in terris, et in sede justitiae constituti, juxta prophetarum quoque | Jeremiae vaticinium dicentis : Ecce te constitui super gentes et regna ut evellas et destruas, aedifices et plantes, praecipuum super omnes reges universae terrae, cunctosque populos obtinentes principatum, ac illum, qui pius et misericors est, et vindictam ei, qui illam praevenit, paratam temperat, nec quos impaenitentes videt, severa ultione castigat, quin prius commineatur, in assidue autem peccantes et in peccatis perseverantes, cum excessus misericordiae fines praetereunt, ut saltem metu paenae ad cor reverti cogantur, justitiae vires exercet, imitantes, ex incumbenti Nobis Apostolicae sollicitudinis studio perurgemur ut cunctarum personarum nostrae curae caelitus commissarum salubri statui solertius intendamus, ac erroribus et scandalis, quae hostis antiqui versutia imminere conspiciamus, propensius obviamus, excessusque et enormia ac scandalosa crimina congrua severitate coerceamus, et juxta Apostolum inobedientiam ovium promptius ulciscendo ; illorum perpetratores debita correctione

sic compescamus, quod eos Dei iram provocasse paeniteat, et ex hoc aliis exemplum cautelae salutaris accedat.

(45) "Sane cum superioribus diebus Nobis relatum fuisset, quod Henricus Angliae Rex, licet | tempore Pontificatus faelicis recordationis, Leonis Papae decimi, praedecessoris nostri, diversorum haereticorum errores saepe ab Apostolica Sede et sacris Conciliis, praeteritis temporibus, damnatos et novissime nostra aetate per perditionis alumnum, Martinum Lutherum, suscitatos et innovatos, zelo Catholicae fidei et erga dictam Sedem devotionis fervore inductus, non minus docte quam pie per quendam librum per eum desuper compositum et eidem Leoni, praedecessori, ut eum examinaret et approbaret, oblatum confutasset, ob quod ab eodem Leone, praedecessore, ultra dicti libri cum magna ipsius Henrici, Regis, laude et commendatione, approbationem, titulum Defensoris Fidei reportaverit, a recta fide et Apostolico tramite devians, ac propriae salutis, famae et honoris immemor, postquam charissima in Christo filia nostra, Catharina Angliae Regina illustri sua progenie conjuge, cum qua publice in facie Ecclesiae matrimonium contraxerat, et per plures annos continuaverat, ac ex qua dicto constante matrimonio prolem pluries suscepit, nulla legitima subsistente causa et contra Ecclesiae prohibitionem dimissa, cum quadam Anna Bolena, muliere Anglica, dicta Catharina adhuc vivente de facto matrimonium | contraxerat, ad deteriora prosiliens quasdam leges seu generales constitutiones edere non erubuit, per quas subditos suos ad quosdam haereticos et schismaticos articulos tenendos, inter quos et hoc erat, quod Romanus Pontifex caput Ecclesiae et Christi Vicarius non erat, et quod ipse in Anglica Ecclesia supremum caput existeret, sub gravibus etiam mortis, paenis cogeat. Et his non contentus diabolo sacrilegii crimen suadente, quamplures Praelatos, etiam Episcopos, aliasque personas ecclesiasticas, etiam Regulares, nec non seculares sibi ut haeretico et schismatico adhaerere ac articulos praedictos sanctorum patrum decretis et sacrorum Conciliorum statutis, imo etiam ipsi Evangelicae veritati contrarios tanquam tales alias damnatos approbare et sequi nolentes et intrepide recusantes capi et carceribus mancipari. Hisque similiter non contentus, mala malis accumulando, bonae memoriae Joannem tituli S. Vitalis praesbyterum Cardinalem Roffensem, quem, ob fidei constantiam, et vitae sanctimoniam, ad Cardinalatus dignitatem promoveramus, cum dictis haeresibus et erroribus consentire nollet, | horrenda immanitate et detestanda saevitia publice miserabili supplicio tradi et decollari mandaverat, et fecerat,

excommunicationis et anathematis, aliasque gravissimas sententias, censuras et paenas in literis ac constitutionibus recolendae memoriae Bonifacii octavi et Honorii tertii, Romanorum Pontificum, praedecessorum nostrorum, desuper editis contentas et alias in tales in a jure latas damnabiliter incurrendo ac regno Angliae et dominiis, quae tenebat, nec non regalis fastigii celsitudine ac praefati tituli praerogativa et honore se indignum reddendo. Nos licet ex eo quod prout non ignorabamus, eidem Henricus Rex in certis censuris ecclesiasticis, quibus a pia memoriae Clemente, Papa septimo, etiam praedecessore nostro, postquam humanissimis litteris et paternis exhortationibus, multisque nunciis et mediis, primo et postremo, etiam judicialiter, ut praefatam Annam a se dimitteret et ad praedictae Catharinae, suae verae conjugis, consortium rediret, frustra monitus fuerat, innodatus extiterat, Pharaonis duritiam imitando, per longum tempus in Clavium contemptum insorduerat et insordescibat, quod ad cor rediret vix sperare posse videremus, | ob paternam tamen caritatem, qua in minoribus constituti donec in obedientia et reverentia Sedis praedictae permansit, eum prosecuti fuimus, utque clarius videre possemus an clamor, qui ad Nos delatus fuerat, quem certe etiam ipsius Henrici Regis respectu falsum esse desiderabamus, verus esset, statuimus ab ulteriori contra ipsum Henricum, Regem, processu ad tempus abstinendo, hujus rei veritatem diligentius indagare.

(46) " Cum autem debitis diligentibus desuper factis, clamorem ad nos (ut praefertur) delatum, verum esse, simulque (quod dolenter referimus) dictum Henricum, Regem, ita in profundum malorum descendisse ut de ejus resipiscentia nulla paenitus videatur spes haberi posse, reperimus, Nos attendentes veteri lege crimen adulterii notatum lapidari mandatum, ac auctores schismatis hiatu terrae absorptos, eorumque sequaces caelesti igne consumptos, Elimamque Magum viis Domini resistentem per Apostolos aeterna severitate damnatum fuisse, volentesque ne in districto examine ipsius Henrici Regis et subditorum suorum, quos secum in perditione trahere videmus, animarum ratio a nobis exposcatur, quantum Nobis ex alto conceditur providere, contra Henricum Regem, ejusque complices, fautores, | adhaerentes et sequaces, et in praemissis quomodolibet culpabiles, contra quos ex eo quod excessus et delicta praedicta adeo manifesta sunt et notoria ut nulla possint tergiversatione celari, absque ulteriori mora ad executionem procedere possemus, benignius agendo decrevimus infrascripto modo procedere.

(47) "Habita itaque super his cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura, et de illorum consilio et assensu praefatum Henricum, Regem, ejusque complices, fautores, adhaerentes, consultores, et sequaces ac quoscunque alios in praemissis seu eorum aliquo quoquo modo culpabiles, tam laicos, quam clericos, etiam Regulares, cujuscunque dignitatis, status, gradus, Ordinis, conditionis, praeeminentiae et excellentiae existant (quorum nomina et cognomina perinde ac si praesentibus insererentur, pro sufficienter expressis haberi volumus) per viscera misericordiae Dei nostri hortamur et requirimus in Domino, quatenus Henricus, Rex, a praedictis erroribus prorsus absteineat et constitutiones, seu leges praedictas, sicut de facto eas fecit, revocet, casset, et annullet, et coactione subditorum suorum ad eas | servandas, nec non carceratione, 61
captura et punitione illorum, qui ipsis constitutionibus, seu legibus adhaerere aut eas servare noluerint, et ab aliis erroribus praedictis penitus et omnino absteineat, et siquos praemissorum occasione captivos habeat, relaxet. Complices vero, fautores, adhaerentes, consultores, et sequaces dicti Henrici, Regis, in praemissis circa ea ipsi Henrico, Regi, super his de caetero non assistant, nec adhaereant, vel faveant, nec ei consilium, auxilium, vel favorem desuper praestent.

(48) "Alias si Henricus, Rex, ac fautores, adhaerentes, consultores et sequaces hortationibus et requisitionibus hujusmodi non annuerint cum effectum, Henricum, Regem, fautores, adhaerentes, consultores, et sequaces, ac alios culpabiles praedictos, auctoritate Apostolica ac ex certa nostra scientia et de Apostolicae potestatis plenitudine tenore praesentium in virtute sanctae obedientiae ac sub majoris excommunicationis latae sententiae (a qua etiam praetextu cujuscunque privilegii vel facultatis, etiam in forma confessionalis, cum quibuscunque efficacissimis clausulis a Nobis et Sede praedicta quomodolibet concessis et etiam iteratis vicibus innovatis, ab alio quam a Romano Pontifice, praeter quam in mortis articulo | constituti, 62
ita tamen, quod si aliquem absolvi contingat, qui postmodum convaluerit, nisi post convalescentiam monitione et mandatis nostris hujusmodi paruerit cum effectum, in eandem excommunicationis sententiam reincadat, absolvi non possint) nec non rebellionis et quoad Henricum Regem, etiam perditionis regni et dominiorum praedictorum et tam quoad eum, quam quoad alios monitos supradictos supra et infrascriptis paenis, quas si dictis monitioni et mandatis (ut praefertur) non paruerint, eos

et eorum singulos ipso facto respective incurrere volumus, per praesentes monemus; eisque et eorum cuilibet districte praeci-
piendo mandamus, quatenus Henricus, Rex, per se vel procura-
torem legitimum et sufficienti mandato suffultum infra nona-
ginta, complices vero, fautores, adhaerentes, consultores, et
sequaces ac alii in praemissis quomodolibet culpabiles supra-
dicti, saeculares et ecclesiastici, etiam Regulares, personaliter
infra sexaginta dies compareant coram nobis ad se super praemis-
sis legitime excusandum et defendendum, alias videndum et
audiendum contra eos et eorum singulos, etiam nominatim, quos
sic monemus, quatenus expediat ad omnes, et singulos actus,
etiam sententiam definitivam, declaratoriam, condemnatoriam et
privatoriam, | ac mandatum executivum procedi. Quod si Henri-
cus, Rex et alii moniti praedicti intra dictos terminos eis (ut
praefertur) respective praefixos non comparuerint, et praedictam
excommunicationis sententiam per tres dies, post lapsum dic-
torum terminorum, animo (quod absit) sustinuerint indurato,
censuras ipsas aggravamus, Henricumque Regem privationis regni
et dominiorum praedictorum et tam eum, quam alios monitos
praedictos et eorum singulos, omnes et singulas alias paenas
praedictas incurrisse, ab omnibusque Christi fidelibus cum eorum
bonis perpetuo diffidatos esse. Et si interim ab humanis de-
cedat, ecclesiastica debere carere sepultura, autoritate, et potes-
tatis plenitudine praedictis decernimus et declaramus, eosque
anathematis, maledictionis et damnationis aeternae mucrone per-
cutimus.

(49) "Necnon quae praefatus Henricus, Rex, quomodolibet
et ex quavis causa tenet, habet, aut possidet, quamdiu Henricus,
Rex, et alii moniti praedicti et eorum singuli in aliis per dictum
Henricum Regem non tentis, habitis, aut possessis permanserint,
et triduo eorum inde recessum, et alia quaecunque, ad quae
Henricum Regem et alios monitos praedictos post lapsum dic-
torum terminorum declinare contigerit, dominia, civitates, terras,
64 castra, | villas, oppida, metropolitanasque et alias Cathedrales,
caeterasque inferiores Ecclesias nec non et loca Religiosa vel pia
cujuscunque, etiam S. Benedicti, Cluniacensis, Cisterciensis,
Praemonstratensis, ac Praedicatorum, Minorum, Eremitarum S.
Augustini, Carmelitarum, et aliorum Ordinum ac Congrega-
tionum et Militiarum quarumcunque in ipsis dominiis, civitatibus,
terris, castris, villis, oppidis et locis existentia Ecclesiastico
supponimus interdicto ita ut illo durante in illis etiam praetextu
cujuscunque Apostolici indulti Ecclesiis, Monasteriis, Priora-

tibus, Domibus, Conventibus, locis, ordinibus, aut personis, etiam quacunq̃ue dignitate fulgentibus, concessi, praeterquam in casibus a jure permissis, ac etiam in illis alias quam clausis januis et excommunicatis et interdictis exclusis, nequeant Missae aut alia divina officia celebrari.

(50) " Et Henrici Regis, complicumque, fautorum, adhaerentium, consultorum, sequacium et culpabilium praedictorum filii paenarum (ut hic in hoc casu par est) participes sint, omnes et singulos ejusdem Henrici Regis ex dicta Anna, ac singulorum aliorum praedictorum filios natos et nascituros, aliosque descendentes usque in eum | gradum, ad quem jura paenas in casibus hujusmodi extendunt (nemine excepto, nullaue minoris aetatis aut sexus vel ignorantiae vel alterius cujusvis causae habita ratione) dignitatibus et honoribus in quibus quomodolibet constituti existunt, seu quibus gaudent, utuntur, potiuntur, aut muniti sunt, necnon privilegiis, concessionibus, gratiis, indulgentiis, immunitatibus, remissionibus, libertatibus et indultis ac dominiis, civitatibus, castris, terris, villis, oppidis, et locis, etiam commendatis vel in gubernium concessis et quae in feudum, emphyteusim, vel alias a Romanis vel aliis ecclesiis, monasteriis et locis ecclesiasticis ac secularibus principibus, dominis, potentatibus, etiam regibus et imperatoribus, aut aliis privatis vel publicis personis quomodolibet habent, tenent aut possident, caeterisque omnibus bonis mobilibus et immobilibus, juribus et actionibus, eis quomodolibet competentibus privatos, dictaque bona feudalia vel emphyteutica et alia quaecunq̃ue ab aliis quomodolibet obtenta, ad directos dominos ita ut de illis libere disponere possint, respective devoluta, et eos qui Ecclesiastici fuerint, etiam si Religiosi existant, Ecclesiis etiam cathedralibus et | metropolitanis, necnon monasteriis et prioratibus, praepositis, praepositatibus, dignitatibus, personatibus, officiis, Canonicatibus, et praebendis, aliisque beneficiis Ecclesiasticis per eos quomodolibet obtentis privatos et ad illa ac alia imposterum obtinenda inhabiles esse similiter decernimus et declaramus, eosque sic respective privatos ad illa et alia quaecunq̃ue similia ac dignitates, honores, administrationes, et officia, jura ac feuda in posterum obtinenda, auctoritate et scientia ac plenitudine similibus inhabilitamus. Ipsiusque Henrici Regis ac regni, omniumque aliorum dominiorum, civitatum, terrarum, castrorum, villarum, fortaliorum, arcium, oppidorum, et locorum suorum, etiam de facto obtentorum magistratus, judices, castellanos, custodes, et officiales quoscunq̃ue, nec non communitates, universitates, col-

67 legia, feudatorios, vassallos, subditos, cives, incolas, et habitatores etiam forensis, dicto Regi de facto obedientes, tam saeculares, quam si qui ratione alicujus temporalitatis ipsum Henricum Regem in superiorem recognoscant, etiam Ecclesiasticos, a praefato Rege, seu ejus complicitibus, fautoribus, adhaerentibus, consultoribus et sequacibus supradictis deputatis, a juramento fidelitatis, jure vassallatico et omni erga Regem et alios praedictos subjectione absolvimus | ac paenitus liberamus, eis nihilominus sub excommunicationis paena mandantes ut ab ejusdem Henrici Regis, suorumque officialium, judicum, et magistratuum quorumcunque obedientia penitus et omnino recedant, nec illos in superiores recognoscant, neque illorum mandatis obtemperent.

(51) " Et ut alii eorum exemplo praeterriti discant ab hujusmodi excessibus abstinere, eisdem auctoritate, scientia et plenitudine volumus ac decernimus, quod Henricus Rex et complices, fautores, adhaerentes, consultores, sequaces, et alii in praemissis culpabiles, postquam alias paenas praedictas (ut praefertur) respective incurrerint, necnon praefati descendentes ex tunc infames existant et ad testimonium non admittantur, testamenta et codicillos aut alias dispositiones, etiam inter vivos, condere et facere non possint, et ad alicujus successionem ex testamento vel ab intestato, nec non ad jurisdictionem seu judicandi potestatem te ad notariatus officium, omnesque actus legitimos quoscunque (ita ut eorum processus, sive instrumenta atque alii actus quicunque nullius sint roboris vel momenti) inhabiles existunt, et nulli ipsis, sed ipsi aliis super quocunque debito et negotio tam civili quam criminali de jure respondere teneantur.

68 (52) " Et nihilominus omnes et singulos Christi fideles | sub excommunicationis et aliis infrascriptis paenis monemus ut monitos, excommunicatos, aggravatos, interdictos, privados, maledictos, et damnatos praedictos evitent et quantum in eis est, ab aliis evitari faciant, nec cum eisdem, seu praefati Regis civitatum, dominiorum, terrarum, castrorum, comitatuum, villarum, fortalicionum, oppidorum, et locorum praedictorum civibus, incolis vel habitatoribus aut subditis et vassallis, emendo, vendendo, permutando, aut quancunque mercaturam seu negotium exercendo, commercium seu aliquam conversationem, seu communionem habeant, aut vinum, granum, sal, seu alia victualia, arma, pannos, merces vel quasvis alias mercantias vel res per mare in eorum navibus, triremibus, aut aliis navigiis, sive per terram cum mulis, vel aliis animalibus deferre aut conducere, seu deferri aut conduci facere, vel delata per illos recipere, publice vel occulte, aut talia

facientibus auxilium, consilium, vel favorem publice vel occulte, directe vel indirecte, quovis quaesito colore, per se vel alium seu alios quoquo modo praestare praesumant. Quod si fecerint, ultra excommunicationis praedictae, etiam nullitatis contractuum, quos inirent, nec non perditionis mercium, victualium, et bonorum omnium delatorum, quae capientium fiant, paenas similiter eo ipso incurrant. |

(53) "Caeterum quia convenire non videtur, ut cum his, qui 69
Ecclesiam contemnunt, dum praesertim ex eorum pertinacia spes corrigibilitatis non habetur, hi qui divinis obsequiis vacant, conversentur (quod etiam ipsos tute facere non posse dubitandum est) omnium et singularum Metropolitanarum et aliarum cathedralium, caeterarumque inferiorum ecclesiarum et monasteriorum, domorum et locorum religiosorum et piorum quorumcunque, etiam S. Augustini, S. Benedicti, Cluniacensium, Cisterciensium, Praemonstratensium, ac Praedicatorum, Minorum, Carmelitarum, aliorumque quorumcunque ordinum et militiarum, etiam hospitalis Ierosolimitani, Praelatis, abbatibus, prioribus, praeceptoribus, praepositis, ministris, custodibus, guardianis, conventibus, monachis, et Canonicis, nec non parochialium ecclesiarum rectoribus, aliisque quibuscunque personis ecclesiasticis in regno et dominiis praedictis commorantibus, sub excommunicationis ac privationis administrationum et regiminum monasteriorum, dignitatum, personatum, administrationum ac officiorum, canonicatumque et praebendarum, parochialium ecclesiarum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum quorumcunque quomodolibet qualificatorum per eos quomodolibet obtentorum paenis mandamus quatenus infra quinque dies post omnes et singulos | terminos praedictos elapsos 70
de ipsis regno et dominiis (dimissis, tamen aliquibus praesbyteris in ecclesiis, quarum curam habuerint, pro administrando baptismo parvulis et in paenitentia decedentibus, ac aliis sacramentis ecclesiasticis, quae tempore Interdicti ministrari permittuntur) exeant et discedant, neque ad regnum et dominia praedicta revertantur, donec moniti et excommunicati, aggravati, reaggravati, privati, maledicti, et damnati praedicti monitionibus et mandatis nostris huiusmodi obtemperaverint et meruerint a censuris huiusmodi absolutionis beneficium obtinere, seu interdictum in regno et dominiis praedictis fuerit sublatum.

(54) "Praeterea si praemissis non obstantibus Henricus Rex, complices, fautores, adhaerentes, consultores et sequaces praedicti in eorum pertinacia perseveraverint, nec conscientiae stimulus

eos ad cor reduxerit in eorum forte potentia et armis confidentes, omnes et singulos Duces, Marchiones, Comites, et alios quoscunque tam saeculares quam ecclesiasticos, etiam forenses, de facto Henrico Regi obedientes sub ejusdem excommunicationis ac perditionis bonorum suorum (quae, ut infra dicitur, similiter capientium fiant) paenis | requirimus et monemus, quatenus omni mora et excusatione postposita, eos et eorum singulos ac ipsorum milites et stipendiarios tam equestres quam pedestres, aliosque quoscunque, qui eis cum armis faverint, de regno et dominiis praedictis, etiam vi armorum, si opus fuerit, expellant, ac quod Henricus Rex et ejus complices, fautores, adhaerentes, consultores, et sequaces mandatis nostris non obtemperantes praedicti de civitatibus, terris, castris, villis, oppidis, fortalitiis, aut aliis locis regni et domini praedictorum se non intromittant, procurent, eis sub omnibus et singulis paenis praedictis inhibentes ne in favorem Henrici, ejusque complicum, fautorum, adhaerentium, consultorum, et sequacium, aliorumque monitorum praedictorum mandatis nostris non obtemperantium, arma cujuslibet generis offensiva vel defensiva, machinas quoque bellicas, seu tormenta artellerias nuncupata sumant, aut teneant, seu illis utantur, aut armatos aliquos praeter consuetam familiam parent, aut ab Henrico Rege, complicitibus, fautoribus, adhaerentibus, consultoribus et sequacibus, vel aliis in Regis ipsius favorem paratos quomodolibet quavis occasione, vel causa per se vel alium seu |

alios publice vel occulte, directe vel indirecte teneant, vel recipient, aut dicto Henrico Regi, seu illius complicitibus, fautoribus, adhaerentibus, consultoribus, et sequacibus praedictis consilium, auxilium, vel quomodolibet ex quavis causa vel quovis quaesito colore sive ingenio, publice vel occulte, directe vel indirecte, tacite vel expresse, per se vel alium seu alios praemissis vel aliquo praemissorum praestent, seu praestari faciant quoquo modo.

(55) " Praeterea ad dictum Henricum Regem facilius ad sanitatem et praefatae Sedis obedientiam reducendum, omnes et singulos Christianos Principes quacunque, etiam imperiali et regali, dignitate fulgentes per viscera misericordiae Dei nostri, cujus causa agitur, hortamur et in Domino requirimus, eis nihilominus, qui imperatore et Rege, quos propter excellentiam dignitatis a censuris excipimus, inferiores fuerint sub excommunicationis paena mandantes, ne Henrico Regi, ejusque complicitibus, fautoribus, adhaerentibus, consultoribus, et sequacibus, vel eorum alicui, per se vel alium seu alios, publice vel occulte, directe vel indirecte, tacite vel | expresse, etiam sub praetextu confaедера-

tionum aut obligationum quarumcunque etiam juramento, aut quavis alia firmitate roboratarum et saepius geminatarum (a quibus quidem obligationibus et juramentis omnibus Nos eos et eorum singulos eadem auctoritate et scientia ac plenitudine per praesentes absolvimus, ipsasque confaederationes et obligationes tam factas quam imposterum faciendas, quas tamen in quantum Henricus Rex et complices, fautores, adhaerentes, consultores, et sequaces praedicti circa praemissa vel eorum aliquod se directe vel indirecte juvare possent, sub eadem paena fieri prohibemus, nullius roboris vel momenti, nullasque irritas, cassas, inanes ac pro infectis habendas fore decernimus et declaramus) consilium, auxilium, vel favorem quomodolibet praestent; quinimo siqui illis aut eorum alicui ad praesens quomodolibet assistant, ab ipsis omnino et cum effectu recedant. Quod si non fecerint postquam praesentes publicatae et executioni mandatae fuerint et dicti termini lapsi fuerint, omnes et singulas civitates, terras, oppida, castra, villas, et alia loca eis subjecta simili Ecclesiastico interdicto supponimus; volentes ipsum interdictum, donec ipsi principes a consilio, auxilio, et favore Henrico | Regi et complici- 74
bus, fautoribus, adhaerentibus, consultoribus, et sequacibus praedictis praestando destiterint, perdurare.

(56) "Insuper tam principes praedictos, quam quoscunque alios, etiam ad stipendia quorumcunque Christi fidelium militantes et alias quascumque personas, tam per mare quam per terras, armigeros habentes, similiter hortamur et requirimus, et nihilominus eis in virtute sanctae obedientiae mandantes, quatenus contra Henricum Regem, complices, fautores, adhaerentes, consultores, et sequaces praedictos, dum in erroribus praedictis ac adversus Sedem praedictam rebellionem permanserint, armis insurgant, eosque et eorum singulos persequantur ac ad unitatem Ecclesiae et obedientiam dictae Sedis redire cogant et compellant; et tam eos, quam eorum subditos et vassallos ac civitatum, terrarum, castrorum, oppidorum, villarum, et locorum suorum incolas et habitatores, aliasque omnes et singulas personas praedictis mandatis nostris (ut praefertur) non obtemperantes, et quae praefatum Henricum Regem, postquam censuras et paenas praedictas incurrerit, in Dominum quomodolibet, etiam de facto recognoverint, vel ei quovis modo obtemperare praesumpserint, aut qui eum, ac complices, fautores, | adhaerentes, consultores, 75
sequaces, et alios non obtemperantes praedictos ex regno et dominiis praedictis (ut praefertur) expellere noluerint, ubicunque eos invenerint, eorumque bona mobilia et immobilia, mercantias,

pecunias, navigia, creditas res, et animalia, etiam extra territorium dicti Henrici Regis ubilibet consistentia capiant.

(57) " Nos enim eis bona, mercantias, pecunias, navigia, res, et animalia praedicta sic capta in proprios eorum usus convertendi, eisdem auctoritate, scientia et potestatis plenitudine, plenariam licentiam, facultatem, et auctoritatem concedimus, illa omnia ad eosdem capientes plenarie pertinere et spectare et personas ex regno et dominiis praedictis originem trahentes seu in illis domicilium habentes aut quomodolibet habitantes, mandatis praedictis non obtemperantes, ubicunque eos capi contigerit, capientium servos fieri decernentes, praesentesque literas quoad hoc ad omnes alios cujuscunque dignitatis, gradus, status, ordinis vel conditionis fuerit, qui ipsi Henrico Regi vel ejus complicitibus, fautoribus, adhaerentibus, consultoribus, et sequacibus, aut aliis monitionibus et mandatis nostris hujusmodi quod commercium non obtemperantibus vel eorum alicui victualia, arma et pecunias subministrare aut cum eis commercium habere, seu | auxilium, consilium, vel favorem, per se vel alium, seu alios, publice vel occulte, directe vel indirecte, quovis modo contra tenorem praesentium praestare praesumpserint, extendentes.

(58) " Et ut praemissa facilius iis, quos concernunt, innotescant, universis et singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, et Patriarchalium, Metropolitanarum et aliarum cathedralium et collegiatarum ecclesiarum praelatis, capitulis, aliisque personis Ecclesiasticis saecularibus ac quorumvis ordinum Regularibus, nec non omnibus et singulis, etiam mendicantium ordinum professoribus, exemptis et non exemptis, ubilibet constitutis, per easdem praesentes sub excommunicationis et privationis Ecclesiarum, Monasteriorum, ac aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum, graduum quoque et officiorum nec non privilegiorum et indulgentiarum quorumcumque, etiam a Sede praedicta quomodolibet emanatorum paenis ipso facto incurrendis praecipimus et mandamus quatenus ipsi ac eorum singuli, si et postquam vigore praesentium desuper requisiti fuerint, infra tres dies immediate sequentes praefatum Henricum Regem, omnesque alios et singulos, qui supradictas censuras et paenas incurrerint, in eorum ecclesiis, | dominicis et aliis festivis diebus, dum major inibi populi multitudo ad divina convenerit, cum crucis vexillo, pulsatis campanis et accensis ac demum extinctis candelis et aliis in similibus servari solitis ceremoniis servatis, excommunicatos publice nuncient et ab aliis nunciari ac ab omnibus arctius evitari faciant et mandent, nec non sub supradictis censuris et paenis, praesentes literas

vel earum transumptum sub forma infrascripta confectum, infra terminum trium dierum postquam (ut praefertur) requisiti fuerint, in ecclesiis, monasteriis, conventibus, et aliis locis publicari et affigi faciant; volentes omnes et singulos cujuscunque status, gradus, conditionis, praeeminentiae, dignitatis, aut excellentiae fuerint, qui quominus praesentes literae vel eorum transumpta, copiae seu exemplaria in suis civitatibus, terris, castris, oppidis, villis et locis legi et affigi ac publicari possint, per se vel per alium, seu alios, publice vel occulte, directe vel indirecte impediverint, easdem censuras et paenas ipso facto incurrere. Et cum fraus et dolus nemini debeant patrocinari, ne quisquam ex his, qui alicui regimini et administrationi deputati sunt, infra tempus sui regiminis seu administrationis praedictas sententias, censuras et paenas sustineat, quasi post dictum tempus | sententiis, cen- 78
suris, et paenis praedictis amplius ligatus non existat, quemcumque, qui dum in regimine et administratione existens, monitioni et mandato nostris, quoad praemissa vel aliquid eorum obtemperare noluerit, etiam deposito regimine et administratione hujusmodi, nisi paruerit, eisdem censuris et paenis subjacere decernimus.

(59) "Et ne Henricus Rex, ejusque complices et fautores, adhaerentes, consultores, et sequaces, alique, quos praemissa concernunt, ignorantiam earundem praesentium literarum et in eis contentorum praetendere valeant, literas ipsas (in quibus omnes et singulos tam juris quam facti, etiam solemnitatum et processuum, citationumque omissarum defectus, etiam si tales sint, de quibus specialis et expressa mentio facienda esset, propter notorietatem facti, autoritate, scientia et potestatis plenitudine similibus supplemus) in Basilicae Principis Apostolorum et Cancellariae Apostolicae de Urbe et in partibus in collegiatae B. Mariae Burgen. Tornacen. et parochialis de Dunkerke oppidorum Morinensis diaecesis, Ecclesiarum valvis affigi et publicari mandamus, decernentes quod earundem literarum publicatio sic facta Henricum Regem, ejusque complices, fautores, adhaerentes, consultores, et sequaces, omnes alios et singulos, quos literae | ipsae 79
quomodolibet concernunt, perinde eos arctent, ac si literae ipsae eis personaliter lectae et intimatae fuissent, cum non sit verisimile, quod ea, quae tam patenter fiunt, debeant apud eos incognita remanere.

(60) "Caeterum quia difficile foret praesentes literas ad singula quaeque loca, ad quae necessarium esset, deferri, volumus e dicta auctoritate decernimus quod earum transumptis manu pub-

lici notarii confectis vel in Alma Urbe impressis ac sigillo alicujus personae in dignitate Ecclesiastica consitutae munitis ubique eadem fides adhibeatur, quae originalibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae monitionis, aggravationis, reaggravationis, declarationis, percussionis, suppositionis, inhabilitationis, absolutionis, liberationis, requisitionis, inhibitionis, hortationis, exceptionis, prohibitionis, concessionis, extensionis, suppletionis, mandatorum, voluntatis, et decretorum infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romae apud Sanctum | Marcum anno incarnationis Dominicae 1535 3^o Kal. Septembris, Pontificatus nostri anno 1^o."

80

(61) Cum Pontifex ad hoc actum promulgandum se accingeret, non defuerunt etiam Principes, qui institerunt ut executionem differet, sperantes futurum ut nefarius Henricus, si mitius cum ipso ageretur, resipisceret. Ob quam spem ab ipsis factam Pontifex per triennium integrum et quod excurrit, praefatae suae sententiae promulgationem et executionem suspendit. Verum interea tantum abest ut Anglus illi spei responderit, ut etiam indies se ipso sceleratior evaserit, et crudelissimum pietati, justitiae, fidei Catholicae, Ecclesiae, Ecclesiasticis, ipsisque laicis Catholicis Deum deserere nolentibus bellum indixerit. Quanto-pere hac barbarie et feritate plusquam Neroniana Ecclesiam Anglicanam in praeceps detulerit, ab ipsis Anglis, aliarumque nationum scriptoribus memoriae proditum est.

(62) Quod ad Iberniam spectat, Greius, Anglo-Ibernici ibi districtus Prorex, ubi arte potius quam Marte viam sibi ad leges haereticas in eo regno ex Henrici mandato condendas | superius relatum stravisset, anno Henrici 28 inchoante, proindeque Christi 1536, Parlamentum Dubliniae Kalendis Maiis celebrare caepit, suffragantibus non veteribus Ibernis, qui tunc et diu post jure et foro avito utebantur, sed Anglo-Ibernis juri Anglicano in Ibernia obtemperantibus. Hujusmodi autem semper fuere potissimum ii, qui aliquot comitatus in vicinia Dubliniensi positos Provinciae Anglicanae nomine notos nec non Iberniae civitates et oppida incolebant praeter aliquot nobiles ex eadem petra excisos, qui alibi ruri sparsim habitabant. Quae tota Iberniae pars si cum aliis regni regionibus tunc sub Principum antiquo insulae sanguine regio prognatorum jure atque imperio positus

81

comparetur, tam exigua, a genuinis quoque Ibernis alienissima, et origine ac studiis Anglica fuit ut ille caetus non Iberniae Parlamentum sed illorum Anglo-Ibernorum conventiculum vocari debeat. Vix etiam dubitandum quin abominabilis tyrannus, Henricus 8^{us}, et ab eo missus in Iberniam Prorex, nequissimus Greius, cum ipsorum Anglo-Ibernorum non paucis haud sincere sed fraudulenter et violenter egerint et eorum integerrimis ac constantissimis quibusque | per dolum malum et vim exclusis, 82 malignissimos quosque ex industria delectos, conjuratos, proprioque commodo et aliis pravis artibus constupratos in tanti sceleris atque aliorum malorum exinde natorum instrumenta adhibuerint, adeo ut ipsorum Anglo-Ibernorum alii ab aliis Regis et Proregis brachio suffultis in hoc tyrannidem passi sint. Qui tamen ipsi et temporibus posterioribus alii similes in hoc peccarunt, quod plerique illud iniquitatis jugum haud excutere conati sint, sed in ipsis bellis fidei causa a natione Ibernica in Anglos gestis malignissimam, crudelissimam et ter haereticam principum heterodoxorum mentem pecunia, apparatu bellico, annona, commeatu, viris et viribus sub civilis obsequii praetextu plusquam ipsi haeretici Anglici secundarint. Caeterum cum illius conventiculi Anglo-Ibernici acta nunquam (quod sciam) nisi lingua Anglica (qua illi licet plerique et pene omnes Ibernicam callerent, ob rationes politicas in actis publicis utebantur) et stylo in multis (quod eos linguae Anglicae pene imperitos fuisse demonstrat) barbaro atque insulso et ineptissimis repetitionibus ac ambagibus (quod etiam ex actis a me Latine versis et inferius collocandis colligere est) scatente edita fuerint, adeoque alias nationes et Dei Ecclesiam | (quod maximam nostratium, praesertim Eccles- 83 iasticorum, negligentiam arguit) hactenus lateant, eorum nonnulla hic Latine vertenda duxi ex ipso statutorum in Ibernica sub variis Angliae Regibus conditorum volumine Anglicano Dubliniae ad annum 1621 excuso ex mandato Oliverii Sant-Johnii, tunc Proregis Iberniae, totam hanc rerum in Ibernica sub Henrico octavo gestarum historiam melius tractaturus, si liber a Waraeo de illa scribendi segete (ut aiunt) nuper editus mihi praesto esset. Porro ante omnia ex Anglico traducam actum postea saepius citandum, ante dies illos malos in extremam Iberniae ruinam conditum in Anglo-Ibernorum Parlamento Vadiponti ad annum Henrici Septimi decimum celebrato, praesidente Eduardo Poyningo, Milite, tunc Prorege, quod hic sequitur :

84 (63) " Supplicantibus terrae Iberniae communibus ordinatur, statuitur et sancitur ut ad proximum parlamentum ibi ex Regis mandato et licentia celebrandum, quo Regis Majestas inter alia decretum habet generaliter resumere omnes suos redditus ab ultima die regni Regis Eduardi secundi, nullum parlamentum in eadem terra imposterum | teneatur, nisi postquam Prorex et Regis ibi concilium Regis sub magno illius terrae sigillo causas, considerationes, et omnia acta juxta ipsorum sententiam in illo Parlamento sancienda significaverint ; quas causas, considerationes, et acta si Rex et ejus Concilium illi terrae utilia esse et expedire judicaverint, ejus licentia sub suo magno Angliae sigillo circa rem illam tam in earundem causarum et actorum approbationem quam ad dictum Parlamentum convocandum obtenta et impetrata, tunc Parlamentum juxta formam et effectum praedictum teneatur et celebretur. Si quod autem Parlamentum in ea terra contra jam dictam methodum et dispositionem celebratum fuerit, inane et nullius in lege effectus habeatur."

85 (64) Hoc acto a paucioribus Anglo-Ibernis lato, sed postea cum aliis districtus Anglo-Ibernici statutis in universam nationem pedetentim coronae Anglicanae (sicut suo loco non silebimus) ad saecula inferiora subditam intruso, abdicata fuit Parliamentorum in Ibernia celebrandorum et suffragiorum in Parliamentis utiliter ferendorum libertas atque introducta subditorum servitus perinde ac regum tyrannis | temporibus etiam Catholicis intolerabilis, sed postea multo intolerabilior cum Reges Angliae, ipsaque natio Anglicana a fide Catholica ad haeresim desciverint, et hoc acto, quod ab illo Poyningo *Poyninganum* vocitatur, abuti potuerint et de facto semper abusi sint ad suam in Iberos tyrannidem etiam in Ecclesiae Ibernicae excidium exercendam nunquam consentiendo ut nisi ad pervertissimam ipsorum mentem Parliamenta in Ibernia celebrarentur, aut in Parliamentis praeterquam ad pestilentissimum ipsorum votum acta conderentur. Quare exinde factum, hodieque fit ut contra comitiorum libere celebrandorum naturam et conditionem pleraque Iberniae condita sub Anglis acta Parliamentaria prius in ipsa Anglia a Principe et ad ejus nutum condantur, deindeque in Iberniam transmittantur in Parlamento potius recipienda quam condenda, licet in subtiliorem fucum ea concipiantur verborum formula, qua non Princeps tanquam legem jubens, sed ipsum Iberniae Parlamentum semper introducit tanquam Principi supplicans, ut acta quasi non ab ipso Principe excogitata, sed a Parlamento libere lata

confirmet. Caeterum in ipsa prima illius | Parlamenti ad annum 86
Henrici octavi 28^m Kalendis Maiis Dubliniae ab Anglo-Ibernis
inchoati sessione super acto Poyningano statuerunt hunc in
modum:

(65) " Ob magnam spem et fiduciam, quam Regis Celsitudo in Stat.
suo hujus terrae Iberniae Prorege et concilio, nec non in Dominis, Ibern.
tam spiritualibus quam temporalibus ac in communibus, suis p. 100.
dilectis ejusdem subditis, collocat, sua Majestas dignatur et
consentit ut hujus Parlamenti autoritate decernatur, quatenus
hoc Parlamentum indictum, caeptum et tentum, et omnia acta,
constitutiones, provisiones, et res (cujuscunque naturae, nominis,
conditionis, aut qualitatis sint) ejusdem autoritate habitae,
factae, peractae vel stabilitae aut imposterum habendae, faciendae
peragendae, aut stabiliendae extent validae et efficaces quoad
omnes intentiones et proposita juxta eorundem actorum, statu-
torum et provisionum tenorem et effectum, acto, quod Vadiponti
in Parlamenti ibi die lunae S. Andreae festum proxime secuta,
anno nobilissimi Regis famosae memoriae Henrici Septimi decimo,
coram Eduardo Poyningo, Equite, tunc hujus terrae Prorege,
conditum | erat, et quocumque alio acto vel actis, usu vel con 87
suetudine, quae antehac apud hanc terram habita, facta, vel
peracta praesenti Parlamento, vel ulli rei ejus autoritate gestae
aut sancitae repugnent, quocumque modo non obstantibus.
Provisum semper et decretum sit ut hujus acti et cujuscunque
rei in eo contentae vi et virtute nulla sanctio, statutum, provisio,
res una pluresve cujuscunque naturae, nominis, conditionis et
qualitatis fuerint, circa quaecunque maneria, dominia, posses-
siones, tenementa, jus patronatus, Abbatias, Prioratus, cellas,
aut alia haeredimenta quaecunque pro vel inter ullam personam
aut personas, corpus aut corpora politica aut incorporata, nul-
lumque aliud actum, statutum, aut provisio particularis, nul-
lumque aliud actum, statutum, aut provisio quibusvis concessioni-
bus, libertatibus, immunitatibus, usibus, consuetudinibus, vel
aliis quibuscunque commoditatibus aut privilegiis a Supremo
Domino nostro, Rege, vel nobilibus ejus progenitoribus cujuscun-
que civitati aut municipio apud hanc Iberniae terram decretis aut
collatis | praejudicataura, nocitura aut derogatura sanciantur aut 88
statuatur hujus Parlamenti virtute aut autoritate, sed tantum
ejusmodi acta, statuta, provisiones et res, quae in supremi Domini
nostri, Regis, honorem, in suae Majestatis redituum et emolu-
mentorum augmentum et in publicum hujus terrae ac domini
Iberniae bonum vergere censebuntur."

(66) Hic observandum est hujus Parlamenti membra si non omnia, certe pleraque fuisse jam ab Henrico et Prorege, Greio, constuprata, cum tantam in ipsis fiduciam (sicut hoc actum testatur) collocarint, et statutum Poyninganum, non absolute quidem sed quoad hujus conventiculi statuta publicum Regis commodum in Ecclesiae Ibernicae perniciem augendum concernentia suspenderint, idque in ipsa prima Parlamenti sessione, sicut statutorum illorum cap. 20. legimus. Sicut enim penes equitem in equo sedentem est fraenum nunc magis nunc minus, nunc usquequaque laxare vel contrahere, nunc lororum alterum ad dextram vel sinistram contendere ut equum pro libitu moderetur, sic Angliae Reges et eorum in Ibernicae Proreges, quoties Parlamentum in eo regno celebrandum erat, ponderatis | circumstantiis in ipsorum semper utilitatem actum Poyninganum nunc ad tempus suspendebant, nunc non suspendebant, nunc multifariam interpretabantur, nunc limitabant, nunc extendebant, sicut in Comitiorum sub Henrico 8^o, Regina Maria et sorore ejus Elizabetha celebratorum actis legimus. Porro notatu dignum est Henrici octavi mentem in his comitiis anno regni vigesimo octavo Dubliniae caeptis eo spectasse ut novas leges fidei Catholicae, Sedi Apostolicae, clero et Ecclesiae Ibernicae praejudicantes ac haeresim Anglicanam secundantes in Iberniam intruderet, et propterea de illo Parlamento jam securum consensisse in dictam acti Poyningani tunc suspensionem, in quam tamen Parlamenti membra observo non consensisse nisi ea lege ut privata ipsorum ac Anglo-Ibernicae in Iberniam reipublicae commoda et praerogativae in civilibus per nullum ejusdem Parlamenti actum laederentur. Nempe de suis commodis multum solliciti erant sed Dei causam susquedeque habentes, imo ejus ruinae subscribentes, quod eorum non pauci praediis Ecclesiasticis et Catholicorum patrimoniis in constantiae | paenam fisco addicendis tanquam suffragiorum emptorum praemio a corona Anglicano accipiendo inhiarent. Quare (ut obiter dicam) justo Dei judicio demum successit ut horum atque aliorum Anglo-Ibernorum, qui ad annos inferiores causam Catholicam pariter prodiderunt, posteros magna ex parte ipsi haeretici (sicut videbimus) extirparint.

Analec.
Ibern.
pag. 435,
etc.

(67) In eodem Parlamento actum conditum est, quo cleri in comitiis suffragandi autoritas minor evasit. De qua re in suis Analectis David Rothus, Episcopus Ossoriensis. "Alia vero (inquit) industria, qua antevertendum putabant schismati et haeresi, ne fraenum erroris in ora ipsis insereretur, majori pru-

dentia, maturitate et iudicio niti videbatur, quando in generalibus Comitibus et publico consensu trium statuum Regni procuratores cleri cum suis Praelatis una mente et sententia connixi serio laborabant ut suffragium decisivum haberent ipsi Procuratores. Pro veteri instituto Parlamenti de quo documentis evidentibus constat et ex vetustis Comitiorum Rotulis calamo exaratis, apparet. Quorum authenticum transumptum habetur jam inde saluum et incolume | ab ipso primi conquestoris, Henrici secundi, aeo, 91 qui formam tradidit convocandi Parlamenti, et quibus ex membris consistere debeat; in quorum enumeratione post proceres Ecclesiasticos constituit Procuratores Ecclesiarum seu Communes, qui repraesentant corpus totius cleri: quemadmodum post proceres saeculares in ordine laicali, Equites, Cives ac Burgenses repraesentant totum populum comitatum, civitatum atque oppidorum.

(68) "Cum igitur subolferent Catholici comitiales, qui caeteris audaciores et constantiores haberi poterant, (praesertim vero antistites, quorum maxime erat advigilare saluti gregis) quo stratagemate moliebantur Regales pessundare unionem Catholicam et exterminare obedientiam et potestatem Romani Pontificis, pro eadem retinenda firmiter insistebant. Quod ut melius assequerentur, utque numerum suffragiorum augerent, hoc studebant evincere procuratores, qui ex singulis diaecesibus bini mittebantur (ultra dignitarios, decanum scilicet et archidiaconum) obtinere etiam ipsos vocem votumque in comitiis debere.

(69) "Quorum solertiae ut Rex occurreret, quando jam statuerat auctoritatem Pontificiam penitus abolere, nova et antea inaudita sanctione | praeclusit omnes hos Procuratores a jure 92 suffragiorum." Haec ille.

(70) Actum autem, quo Henricus et hoc ejus Parlamentum cleri Procuratores illo in comitiis suffragandi jure exclusit, hic sequitur:

(71) *Actum, quo cavetur, ne Procuratores sint ulla membra Parlamenti.*

"Usus et consuetudo inolevit ut quoties aliquod Parlamentum in hac terra inchoaretur vel celebraretur, duo Procuratores a qualibet ejusdem terrae diaecesi citarentur et monerentur ut eidem Parlamento interessent. Qui nulla unquam legis, usus, aut consuetudinis dispositione, nec aliter fuere ulla membra aut pars totius corporis Parlamenti, nec ipsis unquam in eo suffragandi jus competiit, sed tantum ut ibi tanquam consilarii et eidem assis-

Statuta
Ibern.
pag. 113.

tentes se tenerent et super iis doctrinae capitibus, quae in disceptationem venirent, suas opiniones declararent, eo prope modo, quo in Angliae regno omnis Parlamenti tempore congregatio Ecclesiastica ex speciali Majestatis Regiae licentia plerumque inchoatur | et sedet, sicut suae Majestatis iudices dicti sui regni Angliae et alii multi graves ac docti viri, ejusdem rei radice et primis fundamentis diligenter inquisitis ac examinatis, liquido diffiniunt. Quibus non obstantibus iidem Procuratores ob hanc permissionem et temporis continuationem et quod rerum omnium in hac terra quocunque tempore sancendarum ac decernendarum communissime conscii facti fuerint eorumque sententiae in eum finem rogatae et collectae sint, nunc ex ambitiosa mente et praesumptione inordinate auctoritatem affectantes et causis ac rebus omnibus absque ullo fundamento tituloque rationi consentaneo se immiscere cupientes temere praesumunt et per usurpationem contendunt se esse corporis partem, quodammodo tanquam jure suo vendicantes et asserentes nihil ab ullo Parlamento in hac terra sanciri posse, nisi ipsi consentiant. Quod (sicut censetur) non fit nisi quibusdam eorum, qui ipsis praesunt, procurantibus et patrocinantibus eo tantum fine ut praefati Procuratores, majori ex parte eorum capellani, et in mediocri statu constituti, occurrerent | ac obviarent, ne Episcopi Romani, quem nonnulli Papam appellant, ipsorumque diabolici abusus et auctoritatis ac jurisdictionis iniquitas in lucem et hominum notitiam venirent et aliqua bona piaque ratione reformarentur. Quare hujus Parlamenti auctoritate sancitum, statutum, et decretum sit, ut nec praefati Procuratores, nec eorum quispiam ad quodcunque Parlamentum in hac terra inchoatum et celebratum vel inchoandum aut celebrandum citatus aut munitus, nunc aut in futurum, gerat ullum membrum, aut partem corporis ejusdem Parlamenti nec illi ad ullum actum, provisionem, aut statutum in quocunque terrae hujus Parlamento perpendendum aut condendum dent aut habeant suffragium, opinionem, assensum aut consensionem, nec eorum suffragia, assensus, consensiones, et opiniones ad quodcunque ejusmodi actum, provisionem aut statutum necessariae sint aut requirantur, sed praefata auctoritate omnia acta, statuta, | provisiones, res una vel plures peractae, ordinatae, vel peragendae, ordinandae aut stabiliendae quovis tempore in quocunque parlamento apud hanc terram celebrato vel celebrando sine dictorum procuratorum aut majoris eorum partis assensu, consensu, vel approbatione, vel contra eandem, nunc et in futurum sint validae et efficaces

quod ad omnes intentiones et proposita juxta cujusvis talis acti, provisionis, aut statuti tenorem, mentem, sensum et effectum, eademque autoritate nec dicti Procuratores nec eorum aliqui a prima hujus Parlamenti die existimentur, reputentur, censeantur, aut habeantur tanquam praefati Parlamenti aut cujuscunque alterius Parlamenti in hac terra imposterum tenendi partes aut membra, sed tantum velut consilarii et ei assistentes, quacunque lege, usu, consuetudine, praescriptione aut alia causa vel negotio, re vel rebus in contrarium non obstantibus."

(72) In hoc etiam Parlamento prolixum actum | conditum est, quo Kildarii et Thomae *Sericati* ejus filii, nec non adhaerentium motus recensentur, et ejusdem Kildarii ac Thomae nec non quorundum inferioris ordinis Anglo-Ibernorum, qui sub jure Anglicano in Ibernia constituti cum Thoma in Henricum 8^m bellaverant, bona fisco addicuntur. Quam tamen paenam observo ibidem non decerni in Desmonii domum (quod non nisi extorta pactis conditionibus incolumitate atque indemnitate ad obsequium redierit, nec in O'Nellum, O'Conorum aliosque Iberniae Principes veterum Insulae Regum sanguine prognatos, quibus domus Kildariensis in praefato bello coaluerat, quique etiam post captum Thomam Sericatum in Regem haereticum, ejusque in Ibernia partes bellum protraxerant. Discriminis autem rationem esse crediderim quod Principes illi aborigines haud bello illo domiti fuerint, imo ante Parlamentum inchoatum pacem concluderint tutis conditionibus non tanquam antea rebelles sed tanquam hostes, nec coronae Anglicanae subditi, sed supremi in suis Principatibus domini, usqueadeo ut cum in actis Anglicanis antea, tunc dierum et postea per plures annos conditis crebra hostium et rebellium in Ibernia habitantium | mentio habeatur, per hostes Iberni, per rebelles illi ex Anglo-Ibernis, qui in coronam Anglicanam subinde rebellaverant, intelligantur, ipsis Anglis hanc loquendi diversitatem excogitantibus, qua alterum indigenarum genus ab altero discernent, sicut etiam ante me Davisius observavit.

96
Stat.
Ibern.
pag. 79,
etc.

97

Idem Anglo-Ibernorum Parlamentum ut contra jus divinum, Ecclesiasticum et civile adulterinas Henrici octavi nuptias cum nefaria Anna Bolena, contractas, spretis Sedis Apostolicae sententiis, censuris et prohibitionibus, sustinerent, et horrendum schisma atque haeresim Anglicanam in Ibernia latius propagarent, abominabile condiderunt edictum, quo Regi supplicarunt hunc in modum :

(73) *Actum pro successione Regis et Reginae Annae.*

“Tui humillimi et obedientissimi subditi, Domini spirituales et temporales, nec non plebs in hoc praesenti Parlamento apud tuam Iberniae terram congregati Majestati tuae summa animi demissione ob oculos ponunt, neminem esse, qui ad suum | titulum et posteritatem in tuto ponendam, licet sua solius interesset, laetanter et libenter naturali inclinatione, non propendeat. Quare aequissime et colendissime Princeps arbitramur nos longe magis teneri ad supplicandum et instandum apud tuam Majestatem (quamvis de tuo animo Regio et prudentia conjuncta cum naturali inclinatione eodem spectante non dubitemus) ut prospicias et provideas tam tibi, quam tuae summopere legitimae posteritati et haeredibus de perfecta securitate, a qua totum nostrum gaudium et faelicitas dependet, cuique conjungitur et cohaeret unice merum et genuinum succedendi jus et titulus hujus regni absque ulla contradictione. Quamobrem nos, praefati humillimi et obsequentissimi subditi tui in hoc praesenti Parlamento congregati in memoriam revocamus magnas discordias tempore praeterito natas occasione diversorum titulorum in imperialem regni Angliae coronam, ad quam haec tua Iberniae terra spectat et pertinet, praetensorum, qui nonnunquam, imo plerumque pepererunt ambiguitates et dubia tunc haud adeo perfecte declarata, quin ab hominibus perversa mente ductis | exponi potuerint pro sinistro cujusque appetitu et desiderio ad ipsorum votum contra genuinum succedendi jus legitimorum Regum et imperatorum dicti regni Angliae et hujus terrae Iberniae in magnam humani sanguinis effusionem et ruinam non solum multorum ex nobilitate sed etiam aliorum subditorum, et specialiter haeredum ejusdem; idque potissimum, quod nulla perfecta atque efficax via inita fuerit, quoties coronae legitimum succedendi jus in controversiam et disceptationem venit. Qualem ob causam Episcopus Romanus et Sedes Apostolica, contra amplum atque inviolabilem authoritatem et jurisdictionem imperatoribus, regibus et principibus a Deo immediate concessam atque in eorum haeredes transferendam, praesumpserunt temporibus antegressis in aliorum regnis et dominiis pro ipsorum arbitrio haeredes nominare. Quod nos, humillimi subditi tui, e clero populoque, maximopere horremus, et detestamur. Alii etiam diversorum ordinum principes et potestates exterae nonnunquam eo animum intendentes ut in dicto Angliae regno et praefata Iberniae terra continuum dissidium et discordia in extremam eorum ruinam potius quam charitas, aequitas, et concordia | foveretur, saepe

iniqua sustinuerunt commenta, quo ibidem faciliori negotio rerum potirentur. Quibus mature consideratis et perpensis, apparebit nimis periculosum quod ejusmodi abusus ulterius continuarentur aut tolerarentur, velut qui dicti tui regni Angliae et hujus tuae terrae Iberniae concordiae, paci, et tranquillitati valde repugnarent, et in magnum universi jam dicti regni ac terrae opprobrium ac ignominiam redundarent. Quibus ponderatis, praefati humillimi atque obsequentissimi subditi tui, hujus terrae Iberniae proceres et plebs, bonum actum, quo tuae Majestatis et posteritatis quoad imperialem regni Angliae coronam securitati providetur, in eodem regno conditum esse considerantes, et praeterea in memoriam revocantes solidam praefati regni Angliae et hujus terrae unionem, pacem, et prosperitatem, nec non eorundem jus succedendi prae omnibus rebus mundanis specialissime et principalissime consistere et poni in certitudine et securitate procreandae posteritatis tuae Majestatis, de cujus regiae personae jure nullatenus hoc tempore ambigitur, et nullo modo controvertitur, propterea Celsitudini tuae humillime supplicant, ut tua Majestas | dignetur, quatenus a tua Celsitudine ex dominorum 101 spiritualium et temporalium nec non communium in hoc parlamento congregatorum consensu et ejusdem Parlamenti autoritate decernatur ut matrimonium inter tuam Celsitudinem et Dominam, Catharinam, antea (sicut sufficienti probatione legitimi processus habiti et absoluti coram Thoma, nunc *Dei permissu*, Archiepiscopo Cantuariensi et universi jam dicti regni Angliae Metropolitano ac Primate indies constat) legitimam Principis Arthuri, fratris tui natu majoris uxorem ab eo carnaliter cognitam, ante hac celebratum, hujus parlamenti autoritate diffinitive, evidenter, et absolute declaretur, censeatur, et judicetur Dei omnipotentis legibus repugnare, et nullius valoris et effectus esse, sed prorsus vacuum, atque inane habeatur, reputetur, et existimetur, ejusque divortium ab eodem Archiepiscopo factum extet validum et efficax quoad omnes intentiones et proposita, quavis licentia, dispensatione, aut quocunque alio acto vel actis eodem anterioribus omnino non obstantibus. Omnisque | ejusmodi licentia, dis- 102: pensatio, actum vel acta, res una vel plures in contrarium antehac habitae, factae, gestae, vel imposterum gerendae sint vacuae et nullius effectus; dictaque D. Catharina imposterum non dicti regni Angliae Regina nec hujus terrae Iberniae Domina, sed tantum Principis Arthuri vidua appelletur et reputetur, et legitimum matrimonium inter tuam Majestatem et tuam charissimam, ac integerrime dilectam uxorem, Reginam, Annam, contractum

et celebratum stabilietur et semper post hac habeatur indubitatum, genuinum, sincerum, et perfectum, juxta justam sententiam dicti Thomae, Archiepiscopi Cantuariensis, totius praefati regni Angliae Metropolitani et Primatis, cujus rationes et sententiae tam ab universi praefati regni clero in duabus congregationibus et a binis ejusdem universitatibus, quam ab universitatibus Bononiensi, Paduana, Parisiensi, Aurelianensi, Tolosana, Andegavensi, aliisque multis, nec non privatis multorum virorum doctissimorum scriptis confirmatae fuere. Quae fundamenta sic |
 103 confirmata et dicti Archiepiscopi sententiam postea latam, necnon tuum matrimonium inter tuam Majestatem, et praefatam legitimam uxorem tuam, Reginam Annam, solemniter contractum nos, dicti tui subditi tam ecclesiastici quam laici hujus tuae terrae Iberniae, sincere, palam, constanter, et firmiter acceptamus, approbamus, et ratum habemus tanquam Dei omnipotentis legibus absque ullo errore et defectu consonum, humillime obsecrantes tuam Majestatem, ut tuo maxime gratioso et regio consensu aeternum stabiliantur. Praeterea cum multa incommoda perinde in hac tua Iberniae terra jam dicta ac in aliis regionibus successerint ob matrimonia intra nuptiarum gradus jure divino prohibitos contracta, verbi gratia inter filium et matrem vel novercam, inter fratrem et sororem, inter avum et neptem ex filio vel filia, inter fratrem et sororem non eadem matre natam, inter amitam aut materteram et nepotem ex fratre vel sorore, inter aliquem et sui patrum vel avunculi viduam, inter socerum et
 104 nurum, inter levirum | et glorem, inter vitricum et privignam aut privigni vel privignae filiam et inter aliquem et suae uxoris sororem; quae matrimonia tametsi jus divinum manifeste prohibeat et abominetur, nonnunquam tamen celebrata fuere sub praetextu dispensationum concessarum humana autoritate non nisi usurpata, et jure nec concedenda nec admittenda nec agnoscenda. Nemo enim cujuscunque status, gradus et conditionis fuerit, quempiam jure divino solvere potest, sicut universus praefati regni Angliae clerus in iisdem congregationibus, et famosarum orbis Christiani universitatum omnium pleraeque et nos etiam affirmamus ac sentimus.

(74) "Itaque autoritate iam dicta decretum sit ut nulla persona aut personae subditae vel residentes in hac tua jam dicta Iberniae terra, cujuscunque status, gradus aut dignitatis fuerint, intra quoscunque ex gradibus jam recensitis imposterum matrimonium contrahant, non obstante quocunque praetextu in contrarium. Si autem aliqua persona vel personae cujuscunque

status, dignitatis, gradus, vel conditionis in hac tua jam dicta Iberniae | terra intra quemcunque ex gradibus superius expressis 105
matrimonium contraxerint, et ab archiepiscoporum, episcoporum,
aut hujus tuae jam dictae terrae Iberniae ministrorum Ecclesiasticorum quocunque ejusmodi illegitimi matrimonii vinculis solutae fuerint, eo casu quodlibet ejusmodi divortium sit validum, legitimum, firmum, et permanens in aeternum, nullaque imposte-
rum potestate, autoritate aut ratione revocandum aut refigendum, liberique ex ejusmodi illicito matrimonio suscepti et procreati non sint legitimi nec legitimati, quibuscunque exteris legibus, licentiis, dispensationibus, aut alia in contrarium re vel rebus non obstantibus. Siqua autem persona vel personae in hac tua praefata Iberniae terra intra quempiam ex dictis gradibus superius nominatis jam matrimonio copulatae et necdum ejusmodi illiciti matrimonii vinculis solutae sint, omnes personae tales sic illicitis nuptiis conjunctae separentur archiepiscoporum, episcoporum, aut aliorum hujus tuae terrae jam dictae Iberniae ministrorum Ecclesiasticorum sententia diffinitiva et judicio intra suae jurisdictionis et districtus limites ferendo, non autem ulla | alia 106
potestate vel autoritate. Omnesque aliae sententiae et judicia lata et ferenda a quovis archiepiscopo, episcopo, aut alio ministro Ecclesiastico hujus tuae terrae Iberniae intra suae jurisdictionis et districtus limites sint peremptoria, firma, valida, atque efficacia quoad omnem intentionem et propositum, et observentur, eisque mos geratur, nullaque provocatio, appellatio, prohibitio, aut alia lis ab aula Romana decidenda in eorum derogationem interponatur. Decretum etiam sit autoritate praedicta ut omnes liberi a tua Majestate ex charissima et integerrime dilecta uxore tua, Regina Anna, suscepti et procreati vel imposterum suscipiendi et procreandi, sint tui liberi legitimi et ad haereditatem vocandi, nec non juxta adeundae haereditatis normam ac legem in praefato Angliae regno vigentem succedant perinde in imperialem dicti regni Angliae coronam et in hanc praefatam tuam Iberniae terram cum omnibus dignitatibus, honoribus, praeeminentiis, praerogativis, autoritatibus, et jurisdictionibus annexis atque eodem spectantibus, modo non minus amplo quam tua majestas nunc tanquam dicti | regni Rex et praefatae hujus tuae terrae 107
Iberniae Dominus iisdem gaudet ; illaque haereditas ad tuos jam dictos liberos et haeredes legitimos devolvatur modo et ordine inferius declarando, nempe praefata corona Imperialis et alia jam dicta primo pertineant ad tuam Majestatem et ad tuos haeredes ex tuo corpore legitime procreatos et procreandos, scilicet ad pri-

mum filium a tua Majestate ex tua praefata uxore legitima, Regina Anna, suscipiendum, et ad ejusdem primogeniti legitime nascituri haeredes ab eo descensuros, et hujusmodi haeredibus deficientibus, ad 2^m filium ex te et dicta Regina Anna nasciturum et ad ejusdem secundi filii legitime nascituri haeredes ex ipso descensuros, et sic ad quemlibet filium a te et antedicta Regina Anna procreandum et ad cujuslibet talis filii haeredes ex ipso descensuros juxta succedendi ordinem in ea re observandum. Si autem contingat ut (quod absit) charissima et integerrime dilecta uxor tua jam dicta, Regina Anna, nullo Majestati tuae parto filio decedat, tunc eadem corona Imperialis, aliaque omnia praefata pertineant (sicut dictum est) ad tuam Majestatem et ad filium | ac haeredem masculum ex te legitime nasciturum et ad ejusdem filii atque haeredis masculi legitime procreandi haeredes ab ipso legitime descensuros et (ejusmodi sobole deficiente) ad tuum filium secundogenitum legitime gignendum, et sic a filio et haerede masculo ad filium ac haeredem masculum, nec non ad singulorum ejusmodi filiorum et haeredum masculorum haeredes ex ipsis descensuros, juxta succedendi ordinem jam in simili casu praelibatum. Ejusmodi autem filiis tuis deficientibus, dicta corona Imperialis atque alia praefata devolvantur ad tuam ex praefata charissima et integerrime dilecta uxore, Regina Anna, sobolem femineam, scilicet 1^o ad filiam primogenitam, D. *Elizabetham* nunc Principem, et ad haeredes ex ipsa legitime nascituros, et (ejusmodi prole deficiente) ad filiam secundogenitam et ad haeredes ex ipsa legitime procreandos, et sic a filia ad filiam et ad earum successive haeredes ex ipsis nascituros juxta succedendi ordinem et earum aetatem, sicut corona Anglicana adiri consuevit et debet quoties haeredes femineae in eam successurae non desunt. Deficiente autem ejusmodi sobole, corona Imperialis | jam dicta nec non alia praefata, ad legitimos tuae Majestatis haeredes aeternum pertineant. Et ulterius autoritate jam dicta sancitum sit ut his in partibus hujus acti tenor et quae continet Kalendis Maiis proxime futuris in omnibus terrae Iberniae comitatibus promulgentur et siquae persona vel personae subditae vel residentes in hac tua jam dicta Iberniae terra, cujuscunque status, dignitatis aut conditionis fuerint, post praedictas Kalendas Maias scripto vel opere typis mandato, vel quocunque acto vel facto exteriori malitiose procuraverint aut egerint, aut procurandorum vel agendum curaverint quidpiam aut quaequam in personae tuae maxime regiae periculum, aut scripto, opere typis mandato, facto, vel acto maligne occasionem praeberint, qua tua Majestas dis-

108

109

turbetur aut dicti regni Angliae corona vel hac tua Iberniae terra spoliatur, aut scripto, opere excuso, facto vel acto procuraverint aut egerint aut procurandum vel agendum curaverint quidpiam aut quaequam in dicti legitimi matrimonii inter Majestatem tuam et praefatam Reginam Annam celebrati praejudicium, diffamationem, disturbancem, aut derogationem, vel in quorumcunque Majestatis tuae liberorum aut haeredum, quibus hoc acto | juxta IIO ordinem praefatum in dicti regni coronam succedendi jus haereditarium et titulus decernitur, discrimen, ignominiam, aut exhaeredationem, qua quis ejusmodi Majestatis tuae liberi vel haeredes destruerentur, disturbarentur, aut interrumperentur corpore vel titulo haereditario succedendi in hujus regni coronam aut hujus jam dictae tuae terrae Iberniae possessionem, sicut ipsis hoc acto juxta ordinem superius positum decernitur; eo casu omnis ejusmodi persona et personae, cujuscunque status, gradus aut conditionis fuerint, subditae vel residentes in hac praefata Iberniae terra et sui adjutores, consilarii, sustentatores, ac incitatores, eorumque quilibet, quoties in eo delinquendi genere transgressi fuerint, habeantur supremae prodictionis rei et quaelibet offensa talis laesae Majestatis crimen censeatur, et transgressores, eorumque adjutores, consilarii, sustentatores atque instigatores, eorumque singuli, si juxta hujus dictae terrae consuetudines et leges libello accusatorio, sententia, confessione, vel processu judiciario talis offensae convicti fuerint, morte (sicut in laesae Majestatis casibus consuevit) afficiantur, | et quorumcunque ejusmodi IIII sontium, si modo jam dicto convicti fuerint, omnia maneria, possessiones, tenementa, redditus, pensiones annuae atque haereditamenta, quae dictarum prodictionum et offensarum ab ipsis committendarum et patrandarum die tanquam domini possederint, et soli quocunque jure, titulo, vel ratione tenuerint, aut ulla alia persona vel personae quocunque titulo haereditario in eorum usum habuerint, tuae Majestatis et successorum tuorum, ejusdem regni Angliae haeredum, et hujus tuae jam dictae terrae Iberniae dominorum fisco addicantur, ac omnium ejusmodi delinquentium cunctae mancipii, proventus annui, et praediorum facultates, nec non quaecunque alia bona, res reales aut personales et debita, quae ad ipsos convictionis aut condemnationis tempore pertinuerint, tuae Majestatis et haeredum tuorum jam dictorum fisco adjudicentur, sed ea limitatione ut omni personae et personis, corporibus politicis, eorum haeredibus, assignatis et successoribus, atque eorum cuilibet (exceptis iis, qui convicti fuerint, eorumque haeredibus et successoribus atque omnibus aliis eorum jura ven-

- dicaturis) integri sint omnes usus, jura, tituli, possessiones, conditiones, redditus, praedia clientaria, officia, pensiones annuae et demensa, quae | ipsis vel eorum cuilibet quovis tempore ante praefatas prodictiones et offensas commissas in quaecunque ejusmodi maneria, possessiones, tenementa, redditus, pensiones annuas, aut haereditamenta ob prodictiones et offensas superius recitatas confiscanda competierint. Ulterius praefata autoritate decretum sit ut si quae persona vel personae post dictas Kalendas Maias in tuae Majestatis periculum aut in dicti matrimonii inter majestatem tuam et praefatam Reginam Annam celebrati diffamationem aut praepjudicium, aut in liberorum ac haeredum a te ex dicta Regina Anna susceptorum aut quorumcunque aliorum legitimorum haeredum vestrorum ad dicti regni Angliae Coronam et praefatam hanc tuam Iberniae terram juxta praefatam hujus acti limitationem jure haereditario vocandorum infamiam et exhaeredationem quidpiam vel quaequam quibusvis verbis non scriptis aut alio facto vel acto exteriori malitiose atque obstinate publicaverint, omne ejusmodi crimen in prodictionis reticentiam imputetur, et omnes cujuscunque status, gradus, aut conditionis in hac tua Iberniae terra | jam dicti subditi aut residentes, qui sic patnaverint et deliquerint, ac libello accusatorio, sententia, processu judiciario, vel confessione legitime convicti fuerint, ad Regis arbitrium carceris paenam patiantur et omnibus bonis, rebus realibus, personalibus ac praedialibus, mancipii titulis et locationibus, quae ejusmodi delicti convictionis et condemnationis tempore cujuscunque tali transgressori in possessiones, redditus aut quaecunque haereditamenta competierint, multentur. Dicta quoque autoritate decretum sit ut quicunque prodictionibus aut prodictionum reticentiis hoc acto contentis et limitatis deliquerint, nullis sanctuarii privilegium aut immunitatem in praefata tua Iberniae terra vel alibi in Regis dominiis participant aut gaudeant, sed ea praerogativa prorsus cadant et excludantur, quocunque in contrarium usu, consuetudine, concessione, praescriptione, confirmatione, aut alia vel aliis rebus quibuscunque et quovis modo non obstantibus. Praefata quoque autoritate sancitum sit | ut si (quod Deus omnipotens avertat) Majestati tuae antequam ulla tua ejusmodi proles et haeres masculus dicti regni Anglicani coronam jure haereditario aditurus duodevigesimum aetatis annum compleverit, aut priusquam ejusmodi tua soboles et haeres faeminea in dicti regni Coronam successura nupserit, aut decimum sextum aetatis annum absolverit, mori contingeret, tua proles et Coronae haeres masculus 18^o aetatis

anno inferior, aut praefata tua soboles et coronae haeres feminea innupta et dicta annorum sexdecem aetate minor sint et constituentur, donec ad suas respective aetates antea limitatas pervenerint, sub suae matris naturalis, modo superstes fuerit, et illorum consiliariorum regni tui Angliae quos Majestas tua, vitae tempore, extrema voluntate, vel secus, in eum finem delegaverit et assignaverit, regimine citra illius personae vel personarum contradictionem in contrarium. Si quis autem scripto, vel exteriori facto vel acto in hujus impedimentum aut obicem | quidpiam aut 115 quaequam procuraverit aut egerit, aut procuranda vel agenda curaverit, omnis ejusmodi offensa in laesae Majestatis crimen imputetur, et delinquentes, modo rei peracti fuerint, dent mortis paenam et patrimoniis haereditariis, mancipiis, proventibus annuis, bonis, rebus realibus, personalibus et praedialibus, nec non creditis multentur eodem modo ac ratione, quae in prodicionis ante memoratae casibus superius exprimitur. Quo autem Majestatis tuae maxime regiae posteritas juxta hujus acti tenorem et formam majori securitate stabiliatur, authoritate praefata amplius sancitum sit, ut hujus jam dictae tuae terrae Iberniae tam proceres et praelati, quam alii tui subditi nunc viventes et idoneam habentes aut habituri aetatem, omnibus temporibus futuris ad Majestatis tuae vel haeredum aut hujus terrae tuae proregis a te destinandi mandatum de tempore in tempus, quoties tua Majestas aut haeredes mandandum duxerint, coram tua Majestate, | haeredibus aut prorege vel aliis a tua Majestate, haeredibus 116 aut prorege in eum finem delegandis corporaliter jurent juxta juramenti tenorem hic sequentem:

(75) " Jurabis te Regis Majestati, ejus haeredibus ab ipso ex sua charissima et integerrime dilecta uxore legitima, Regina Anna, susceptis et suscipiendis et ulterius ejusdem supremi principis nostri haeredibus juxta limitationem in statuto, quo ejus posteritas in regni Angliae coronam et hanc suam Iberniae terram secure succedat, conditio expressam et contentam, et non alteri cuiquam in dicto Angliae regno aut in hac Iberniae terra, nec potestati aut potentatui externo fidem, obsequium, et obedientiam praestitutum, et omne aliud juramentum, siquod ulli alteri personae vel personis juraveris, a te reputandum inane et nullum, teque pro tua solertia, ingenio, et totis viribus sine dolo, fraude et alio modo indebito praefatum successionis actum, omnesque | ejus 117 effectus et contenta, omniaque alia acta et statuta in ejusdem aut quarumcunque rerum in eo contentarum confirmationem aut executionem condita observaturum, teque id contra quascunque

personas, cujuscunque status, dignitatis, gradus, aut conditionis fuerint, effecturum, teque nulla ratione acturum aut tentaturum nec pro viribus permissurum ut agatur aut tentetur directe vel indirecte, clam vel palam quidpiam aut quaequam in eorundem vel ullius eorum partis obicem, obstaculum, praejudicium aut derogationem modo aut praetextu quocunque. Ita Deus, caelites omnes et sancti Evangelistae te adjuvent.

118 (76) " Et cujuscunque generis subditi tui tam ecclesiastici quam laici postulantes ut sui juris fiant, restituantur aut extra tuae Majestatis aut haeredum tuorum potestatem ponantur, aut ob possessionum suarum tenuram Majestati tuae vel haeredibus quodcunque homagium exhibentes modo praefato corporaliter jurent, nec ipsi, nec eorum ullus sui iuris fiat, nec extra tuam aut haeredum tuorum | potestatem ponantur, nec restituantur, donec conceptis verbis superius positis juramentum corporaliter succiperint; et si quae persona aut personae dictum juramentum superius praescriptum hujus acti autoritate suscipere jussae fuerint, et in hujus acti contemptum id praestare obstinate recusaverint, laesae Majestatis crimen incurrisse censeantur, et tales habeantur, omnisque ejusmodi detrectatio in laesae Majestatis crimen imputetur et judicetur, et ex hac parte delinquentes paenas, incarcerationes, jacturas, et confiscationes patiantur, ac sanctuariorum privilegiis excludantur eodem modo et forma, quae circa proditiones hoc acto jam declaratas superius habetur. Porro semper provisum sit ut articulus in hoc acto circa matrimonia intra gradus antea in isto edicto expressos prohibenda contentus nunquam nisi de matrimoniis contractis et consummatis intelligatur, explicetur et exponatur."

119 (77) Hoc acto declaratum est jus Divinum prohibuisse ne levir, nempe mariti frater, cum gloire, scilicet fratris uxore jam vidua matrimonium contraheret. Quae impostura Henrici octavi tyrannidi astipulabatur comminiscentis suum et Reginae | Catherinae matrimonium juri Divino repugnasse, quod illa antea praemortuo Henrici praefati primogenito, Arthuro nupserit. Tantum autem abest ut jus Divinum tales nuptias prohibeat, ut etiam eas lex Moysaica jusserit sub paena infamiae, sicut legere est Deuteronomii 15°. Porro in Anglia a schismatico illius regni Parlamento decreta fuerat Regi, Henrico, dignitas *capitis Ecclesiae Anglicanae*, quam Anglorum insaniam imitati Anglo-Iberni in hoc eorum conventiculo statuerunt ut idem in Ecclesiae etiam Ibernicae caput erigeretur, sicut hic leges.

(78) *Actum muniens Regem supremi Ecclesiae Ibernicae Capitis auctoritate haeredibus etiam et successoribus ejus communicanda.*

“ Sicut Regis Majestas juste et recte est et esse debet Supremum Ecclesiae Anglicanae caput et pro tali a clero agnoscitur, ac Parlamento in dicto regno celebrati et confirmati acto auctorizatur, ita (cum haec Iberniae terra ab imperiali Angliae | Corona dependeat, et ad eam pertineat) quo Religio Christiana in dicta Iberniae terra majori virtute colatur, et omnes errores, haereses, excessus ac corruptelae antehac in ea usitatae reprimantur et extirpentur, decretum sit hujus Parlamenti auctoritate ut Supremus Dominus noster, Rex, ejusque haeredes et successores acceptentur, admittantur, et habeantur solum in terris Supremum Ecclesiae Ibernicae caput et tam illum titulum ac honorem imperiali Coronae Angliae annexum et unitum quam omnes honores, dignitates, praeeminentias, jurisdictiones, privilegia, auctoritates, immunitates, proventus et commoda ad eandem supremi dictae Ecclesiae capitis dignitatem spectantia et pertinentia habeant et gaudeant, et praedictus supremus Dominus noster, haeredes et successores, dicti regni Angliae Reges et hujus terrae Iberniae domini nitantur plena potestate et auctoritate identidem visitandi, reprimendi, reformandi, ordinandi, corrigendi, coercendi, et emendandi omnes errores, haereses, abusus, offensas, contemptus, et excessus quoscunque, qui quovis | auctoritatis et jurisdictionis spiritualis genere legitime reformari, reprimi, ordinari, corrigi, coerceri vel emendari debent aut possunt potissimum in Dei omnipotentis obsequium, virtutis et Religionis Christianae incrementum, pacis, concordiae et tranquillitatis hujus terrae Ibernicae conservationem, quocunque usu, consuetudine, legibus externis, auctoritate extranea, praescriptione, re vel rebus in contrarium non obstantibus. Provisum semper et sancitum sit hujus Parlamenti auctoritate ut, si forte supremus Dominus noster, Rex, ejusve haeredes aut successores aliquam personam aut personas ad visitandum, reprimendum, reformandum, ordinandum, corrigendum, coercendum aut emendandum hujus et praedicti acti virtute autorizaverint et delegaverint, omnis ejusmodi persona et personae proficiscantur cum comitatu ad eum finem idoneo et necessario secundum personae, domus, aut monasterii sic ab ipsis visitandi, reprimendi, reformandi, ordinandi, corrigendi, coercendi vel emendandi vires, substantiam, et facultates, nullaue ejusmodi persona vel personae | sic ad visitandum, reprimendum, reformandum, ordinandum, corrigendum, coercendum, aut emendandum delegandae aut auctoritate

Stat.
Ibern.
p. 101.

120

121

122

munientem ullam ab ejusmodi persona, domo vel monasterio sic ab ipsis visitando, reprimendo, reformando, ordinando, corrigendo, coercendo, aut emendando procurationis pecuniam aut alias exactiones, sed tantum sibi, comitatui, famulis et equis convenientem cibum, potum, et diversorium accipiant, et siquae talis persona vel personae (sicut dictum est) delegandae vel authorizandae quampiam procurationis pecuniam aut alias quascunque exactiones praeterquam praefatas acceperint, aut accipiendas curaverint, eorum quisque quadruplo multetur, cujus dimidium supremo Domino nostro, Regi, haeredibus et successoribus et alterum dimidium cujuscunque personae vel personis illud debiti aut informationis actione postulaturis ita cedat ut nullum forense salarium, causatio, aut protectio interveniat."

123
Stat.
Ibern.
pag. 102.

(79) Illud Anglo-Ibernorum Parlamentum in peius quotidie proficiens varia alia acta pestilentissima condidit, quae brevitatis studio haud | integra in medium produco, sed in compendium redigo. 1^m est, quo prohibetur, nequis in Ibernia ulterius ad Episcopum Romanum (sic ibi Summus Pontifex contemptim vocatur) aut ad curiam Romanam circa causas etiam spirituales, sed ad Regem, novum Ecclesiae Anglicanae atque Ibernicae pontificem appellet sub gravissimis paenis, etiam iis quae in acto *praemunire* ad annum Richardi secundi decimum sextum in Anglia lato continentur.

ibid. pag.
104.

(80) 2^m est, quo repetitur statutum in Anglia a Comitibus ibi anno Henrici octavi vigesimo primo convocatis conditum, quo prohibitum nequis sub laesae Majestatis paena in Regis aut Reginae Annae Bolenae, ignominiam ageret vel diceret; aut Regem haereticum, schismaticum, tyrannum, infidelem, vel iniquum Coronae usurpatorem esse affirmaret, vel in eum bello insurgeret. Porro Parlamentum Anglo-Ibernicum (sicut ibidem habetur) judicans illud actum fore Ibernicae utilissimum, et odibiles infamias contra Regem et Reginam eodem Angliae acto prohibitas ac alias | offensas, abusus et abominationes (sic enim ibi loquuntur) illic memoratas, fuisse in Ibernia promulgatas, pronunciatas, et factas, idem actum in Ibernia recepit.

ibid. pag.
107.

(81) 3^m est qua cujuscunque beneficii Archiepiscopalis, Episcopalis et alterius ad clerum saecularem pertinentis in Ibernia exinde vacaturi emolumenta per annum integrum Henrico decernuntur.

ibid. pag.
110.

(82) 4^m est, quo confiscantur Walteri Delahidi, Equitis Anglo-Iberni, possessiones in Carbriae Lageniensis baronatu, quod

Jacobus Delahidus, ejus filius natus maximus ex primis Thomae Geraldini cognomento *Sericati* consiliariis in ejus bello adversus Henricum gesto extiterit, et creditum sit Thomam et Jacobum ex parte ductos fuisse consiliis dicti Walteri, ejusque uxoris Jenetae Eustaciae, idemque Jacobus atque alii ejus fratres, Joannes et Eduardus pariter Eques, Thomae *Sericato* adhaerentes, alique Thomam in illis motibus secuti varia castella in eodem tractu diripuerint, incenderint et destruxerint, Waltero, patre, ejusque famulis occurrere negligentibus, adeoque conniventibus. Hinc domus illa nobilis et opulenta a suis Anglo-Ibernis ruinam passa est quod Deo, Ecclesiae et patriae in Dei, Ecclesiae et patriae hostes infensissimos militaverit. |

(83) Aliud actum ab eodem conventiculo conditum habet hic 125 integrum.

Actum prohibens tributa dari Ibernis.

"Supplicantibus et exponentibus Dominis spiritualibus et ^{ibid. pag. 112.} temporalibus nec non communibus in hoc parlamento congregatis regii hostes Ibernicos magnis antehac in ista Iberniae terra viribus et robore valuisse, proindeque eos onerasse diversa Regis municipia et fideles subditos tributis ac exactionibus ea lege ut iidem Iberni, quibus praefata tributa penduntur, dictos Regis subditos defenderent. Quod ita nec praestiterunt, nec praestant, ut tamen iidem Regis subditi in extremam fortunarum suarum eversionem eadem illicita tributa ipsis solvere non desistant. Quamobrem et cum Supremus Dominus noster, Rex, habita paupertatis jam dictorum suorum miserorum subditorum hujus suae terrae Iberniae ratione, suum exercitum Regium, quo suae Majestatis subditi jam dicti exonerarentur, huc transmiserit, indeque factum ut suae Majestatis subditi jam dicti magnopere animentur, | et roborentur, praefatique hostes, Iberni multum 126 debilitentur ut cujuscumque ejusmodi tributi exigendi causa nihil praestare valeant; praesentis Parlamenti auctoritate sancitum, statutum, et decretum sit ut cujuscunque generis Ibero in hac Iberniae terra a quibuscunque Regis municipiis vel fidelibus subditis nullum tale tributum, exactio vel alii illiciti redditus solvantur, sed omnia et singula praefata Regis municipia ac subditi imposterum cunctis usquequaque ejusmodi tributis semper eximantur, liberentur, et exonerentur, quibuscunque litteris aut imperatis ad eos vel ad eorum quempiam missis aut posthac contra hoc actum mittendis nullo modo obstantibus."

(84) Ex hoc statuto liquet veteres Iberos usque ad haec tempora adeo viribus valuisse, ut etiam ipsas Anglo-Iberorum urbes et praesidia conditionibus hic indicatis tributaria haberent, quae secus facili negotio ad tempora superiora expugnassent. Verum non pauci ex Anglo-Ibernīs ita veterum Iberorum consanguinitate, affinitate, amicitia, humanitate, et patrocinio (sicut par erat) servati hucusque, dum corona | Anglicana in Ibernīa debilis esset, tempori servierunt, ut postea praediis ecclesiasticis et Catholicorum patrimoniis in fidei odium proscriptis ditati, aliisque suae originis Anglicanae incentivis illecti, falsisque haereticorum Anglicorum inter ipsos et aborigines discordiam ex industria disseminantium suggestionibus fascinati et denique viribus ex Anglia posterius ad succurrendum magis idonea subinde transmissis adjuti priscis Ibernīs vicem non rependerint, sed summa ingratitudine atque inhumanitate etiam sibi ipsis demum exitiali ad Anglos quamlibet haereticos et Ecclesiae perniciem anhelantes in eorum (sicut videbimus) ruinam defecerint. Porro in praefato acto, sicut et in aliis hujus conventiculi sanctionibus magna habetur mentio exercitus regii quasi ab Henrico octavo in Iberniam missi, qui quantus fuerit, ex Davisio rerum illarum scientissimo et nominis Anglicani praesertim in Iberos zelatore diligentissimo habet: " Diebus (inquit) Henrici octavi, Surriae Comes, classis praefectus in Ibernīae proregem cooptatus est, et licet fuerit Archistrategus totius tunc nationis Anglicanae celeberrimus, adduxit tamen honorabile potius satellitium in sui custodiam, quam competentem exercitum ad Iberniam | debellandam. Habuit enim in comitatu ducentos procera statura ingenuos ex Regis praesidiariis. Cum ergo deesset, unde res praeclare gereret, id effecit ut citius pedem retulerit. Verum interea temporis haud otio se mancipavit, sed breve temporis intervallum, quo hic in Ibernīa permansit, in celebrando Parlamento et variis expeditionibus in Lagenīae rebelles susceptis consumpsit, usqueadeo ut et ipse in Lisīae confinio haud illaesus evaserit. Hoc honorabili viro semel revocato, Rex Henricus octavus nullas in Iberniam vires transmisit usque ad eam Geraldinorum rebellionem, quae in annum Regni sui 27^m incidit. Tunc huc destinavit Guillelmum Scevingtonum, census equestris, cum quingentis tantum viris non ad limites auctitandos nec ad purgandum corruptelis regimen, sed ad illam tantummodo flammam restinguendam. Hic prorex in mediis illis bellis animam profudit, ita ut Dynasta, Leonardus Greius, ad opus consummandum suffectus fuerit, qui cum ducentis circiter viris appulsus adeo

127

pag. 66.

128

rebelles adorsus est ut Thomas, eorum coryphaeus, et patriui quini deditionem fecerint, quos in Angliam transportandos curavit. Sed hoc penso sic peracto, nobilis ille atque industrius satrapas cum suis exilibus cohortibus et aliquot viribus ex (Iberniae) Provincia Anglicana | contractis saepius repressit 129
O'Nellum et O'Donellum molientes invasionem comitatum Anglicanorum, demumque in Midiae colliminio prosperum illud praelium Belahoense commisit, cujus memoria etiamnum celebris est, ut omnes fere Ultoniae copias profligarit, et sic districtus Anglicani (in Ibernia) margines ab hostili incursione multis deinde annis immunes reddiderit." Haec ille Anglice.

(85) Itaque (ut veritati letemus et militemus) licet Anglo-Iberni Henricum vernilibus blanditiis efferentes in sui conventiculi actis exercitus regii ab eo in ipsorum opem ex Anglia transmissi mentionem faciant, ipseque Davisius belli tunc in Iberos arte potius quam Marte gesti laudem re ipsa sordidam Anglo-Ibernis, ut Anglis eam ascribat, ablaturus ingenium torqueat, de facto tamen Greius exercitu potius Anglo-Ibernico vallatus impium illum progressum in Ecclesiae damnum fecit, usqueadeo ut fidem habeat pauculas illas militum centurias ex Anglia transvectas ante morte naturali vel gladio omnes vel pene omnes periisse.

(86) Transeo ad aliud actum in eodem Anglo-Ibernorum Parlamento sub Greio, Prorege, conditum, millies haereticum, horrendum, et execrabile, cujus factorem vel me invito ex ipsa ejus lectione sentias, hic ergo sequitur : |

(87) *Actum contra Episcopi Romani Authoritatem conditum.* 130

"Quandoquidem non obstantibus bonis et salutaribus legibus, Statut. Ibern. pag. 114.
decretis et statutis antehac a Regis gratiosissimi Supremi Domini nostri, Majestate, et hac augusta Parlamenti curia unanimiter consentiente latis, conditis et stabilitis ad extirpandam ex hac terra, abolendam et extinguendam, quae in ea exercetur, praetensam potestatem et inique usurpatam authoritatem episcopi Romani, quem aliqui Papam appellant, qui a longo tempore offuscavit et detorsit sanctum Dei verbum et testamentum a spirituali ac genuino ejus sensu ad suam ipsius mundanam et carnalem affectionem, nempe pompam, gloriam, avaritiam, ambitionem et tyrannidem, eam tegens et pallians suis humanis et fraudulentis machinationibus, traditionibus et inventionibus sub virtutis velo editis tantum ad promovendum et stabiliendum ejus dominium tam in animas et corpora, quam in totius populi

- Christiani bona temporalia, pro viribus excludens non modo
 Christum suo animarum regno et regimine, sed etiam alios reges
 131 et principes temporales ipsorum dominiis, quae ex jure divino
 ipsis in | subditorum suorum corpora et bona competunt. Qua
 ratione non solum Regis, qui solus immediate sub Deo supremum
 regni Angliae et hujus suae terrae Iberniae caput est, Majestatem
 suo honore, jure et praeeminentia ipsi ex jure divino debita exuit,
 sed etiam hanc suam Iberniae terram innumerabilibus opibus
 quotannis spoliavit, et praeter earum jacturam charos atque
 obedientes Regis subditos decepit, ipsis per ejus leges, diplomata,
 et alias suas vias dolosas ea persuadens somnia, vanitates, et phan-
 tasmata, quibus eorum multi seducti et superstitiosis atque erro-
 neis opinionibus ita decepti fuerunt ut Regis Majestas, hujusque
 suae terrae domini spirituales et temporales nec non plebs plus
 nimio lassati et fatigati experientia infinitarum abominationum
 et scelerum ab ejus imposturis et deceptionibus fraudulenter
 coloratis procedentium in magnum animarum, corporum, et
 fortunarum damnum, necessitate compulsi sint in publicum hujus
 terrae bonum illam extraneam et praetensam potestatem, juris-
 dictionem ac auctoritatem in hac terra exercitam ac usurpatam
 132 excludere et in suum hac ex parte praesidium ea excogitare
 remedia, | quae non solum in Dei gloriam et eximiam Majestatis
 Regiae nec non hujus terrae suae laudem et commendationem,
 sed etiam in singularem ac inaestimabilem eorum utilitatem
 redundant, suae Majestati et diversis ac multis ex ejus fidelibus
 et obedientibus subditis innotuit, quo pacto non obstantibus
 praefatis bonis et salutaribus legibus ita conditis et antehac
 confirmatis haud paucae personae seditiosae et contentiosae,
 praefati Episcopi Romani atque ejus Sedi surculi, et ex animo
 ejus Monarchiae membra, fictae et praetensae dicti Episcopi
 auctoritatis commendationem et continuationem in angulis et
 (quoties sussurrare audent) alibi inculcant, praedicant et
 persuadent, eamque miseri, simplicis, et rudis populi auribus
 atque animis instillant, jureque divino tanquam fundamento
 et origine subniti asseverant. Quo fit ut multorum opiniones
 suspendantur, eorum judicia corrumpantur et decipiantur,
 et sententiarum diversitas augeatur et crescat in gravem Dei
 omnipotentis indignationem, ingentem observandissimi ac sup-
 133 remi Domini nostri jam dicti displicentiam, et unionis, amoris,
 charitatis, concordiae ac consensionis, qua Religio et Christian-
 orum caetus vigere debet, interruptionem. Quibus malis, et
 omnibus id genus personis seditiosis, quae ejusmodi incommo-

dorum faces et authores sunt, occurrendi causa statutum, decretum et sancitum sit a supremo Domino nostro, Rege et dominis spiritualibus ac temporalibus nec non plebe in hoc Parlamento congregatis et ejusdem autoritate ut siquae persona vel personae in hac terra degentes, commorantes, habitantes, aut residentes, cujuscunque status, dignitatis, praeeminentiae, ordinis, gradus aut conditionis fuerint, post Kalendas Novembris anni 1537 scribendo, notis arcanis exarando, typis mandando, concionando, vel docendo, facto vel acto, Episcopi Romani, vel suae sedis autoritatem, jurisdictionem, aut potestatem antea in hac terra vindicatam, exercitam et usurpatam obstinate vel malitiose sustinuerint, ab ea steterint, eam extulerint, propagaverint, propugnaverint, aut defenderint, aut ad eam | vel ad ullam ejus partem efferendam, commendandam, propagandam, suffulciendam, aut propugnandam quidpiam ullo praetextu pertinaciter aut maligne excogitaverint, aut eidem Sedi Romanae vel ulli ejus episcopo pro tempore existenti quovis praetextu in hac terra quodcunque jurisdictionis, autoritatis, vel praeeminentiae genus perfracte aut malitiose attribuerint, omnis ejusmodi persona aut personae sic agentes aut delinquentes, nec non co-operantes, assistentes, confortantes, incitantes, procurantes, sustentantes, faventes, abscondentes, consulentes, et eorum unusquisque, si juxta hujus terrae jura legitime convicti fuerint, in omnem ejusmodi culpam et delictum incurrant et contrahant pericula, paenas, animadversiones, et mulctas decretas et provisas statuto *provisionis et praemunire* ad annum Regni nobilis et magnamini Principis, Regis Richardi secundi decimum sextum condito in eos qui quidpiam moliuntur, procurant, aut | recursum habent ad Sedem Romanam, aut alio in quacunque re vel rebus derogantibus aut repugnantibus praerogativae Regiae aut jurisdictioni Coronae et dignitatis Regni Angliae vel hujus terrae legibus, consuetudinibus et usibus. Quo autem hoc actum omni tempore bene et vere executioni mandetur, et in id delinquentes demeritis condignas luant ac dent paenas, autoritate praedicta decernitur ut non minus latruncultores in suis circuituionibus forensibus, quam Irenarchae intra suorum mandatorum limites et districtus, aut saltem ejusmodi Irenarcharum duo, quorum alter sit Quaestor rerum capitalium, plena in culpas, contemptus, et transgressiones contra hoc actum perpetratas, commissas, aut contractas inquirendi, non secus ac in alias offensas contra Regis pacem patratas inquirerent, potestate et autoritate nitantur et omnes

libellos accusatorios circa hoc actum (vel quamcunque ejus partem sibi pro tribunali regio in hac terra sedentibus vel eorum cuiquam oblatos aut coram se ventilatos, si tunc senatus frequen-

136 tetur, sin autem, | prima aperti senatus die referant, et secus omnis ejusmodi latrunculator, ac Irenarcha, cui tales libelli accusatorii oblati fuerint, quique modo jam dicto contra hoc actum eos ad senatum referre neglexerit, in paenam quadraginta libris Majestatis Regiae fisco addicendis multetur. Eadem quoque autoritate decernitur ut subsellii Regii Iudices tam ad omnem talis causae relationem quam ad inquirendum coram se ipsis intra suae jurisdictionis limites plena audiendi, decernendi et diffiniendi quamcunque ejusmodi offensam contra hoc actum patratam aut commissam muniantur potestate atque autoritate juxta Regni Angliae et hujus terrae leges, eodem plane quo ad omnem intencionem et propositum modo ac methodo, qua fieret, si persona vel personae, contra quas circa hoc statutum libelli accusatorii oblati fuerint, accusatae fuissent cujuscunque rei vel offensae expressae in statuto condito ad dictum annum Regis, Richardi secundi, decimum sextum. Praedicta etiam autoritate decernitur ut omnes et cuncti hujus terrae Archiepiscopi, Episcopi, eorum delegati, vicarii generales, atque alii ipsorum ministri in omnibus eorum | visitationibus omnes Ecclesiasticos et Religiosos, qui in hujus acti temerati et violati suspicionem, accusationem aut opinionem venerint, intra suae jurisdictionis limites diligenter indagent, inquirent, ac examinent, et si inter ejusmodi indagacionem, inquisitionem aut examen aliquis Ecclesiasticus aut Religiosus testimonio aut confessione alicujus culpaе contra hoc actum perpetratae accusatus, suspectus, reus actus, aut reus peractus fuerit, et ejusmodi postulationis, examinis, aut accusationis tempore adfuerit, tunc omnes Archiepiscopi, Episcopi et Archidiaconi, nec non eorum delegati, vicarii generales, aliique ipsorum ministri apud quos ulla ejusmodi persona suspecta, accusata, aut (sicut praedictum est) rea peracta fuerit, omnem ejusmodi personam sic postulatam, accusatam, aut ream peractam (si modo jam dicto adfuerit) in proximum comitatus, in quo talis inquisitio, examen, aut accusatio successerit, carcerem publicum conijciant, vel omnem ejusmodi personam dimittant sed ad Regis usum sufficienti et securo obstrictam vadimonio se ad eorum nutum Regi et ejus Concilio, aut suae Majestatis deputato hujus terrae sistendi in Castro Dubliniensi intra quindecim | dies post ejusmodi inquisitionem, libellum accusatorium, aut postulationem, si tunc senatus frequente-

137

138

tur, sin autem, primo aperti senatus die post dictam inquisitionem, postulationem aut accusationem.

(88) "Praeterea in praefatam apparendi diem vadimonio conductam tam dictum omnis personae talis vadimonium et datam sistendi sponsionem quam libellum accusatorium, examen, accusationem et convictionem, omnesque ejus probationes ac circumstantias, carceris quoque in quem dictam personam conjecerint, nomen scripto suis sigillis munito in praefatum Castrum Dubliniense transmittant. Si autem ullus Ecclesiasticus vel Religiosus, qui in quavis visitatione (sicut dictum est) postulatus, suspectus, aut accusatus fuerit, toto dictae visitationis tempore abfuerit, nihilominus omnes praefati Archiepiscopi, Episcopi, et Archidiaconi, nec non eorum commissarii, Vicarii generales, aliique omnes eorum ministri, quibus dictus libellus accusatorius, suspicio aut postulatio oblata fuerit, omnem ejusmodi libellum accusatorium, suspicionem, aut postulationem, omnesque ejus rei circumstantias (sicut praelibatum est) transmittant | modo et 139 methodo superius posita in castrum Dubliniense intra quindecim dies post oblatam ejusmodi postulationem, suspicionem aut accusationem, vel prima aperti senatus die post oblatum talem libellum accusatorium, suspicionem aut postulationem. Porro si quis ex Ecclesiasticis aut Religiosis alicujus delicti in hoc statuto patrati aut suscepti postulatis aut accusatis confessione aut testimonio coram quocunque Archiepiscopo, Episcopo, aut Archidiacono, vel ullo ex eorum commissariis, vicariis generalibus, aut aliis ipsorum ministris in suis visitationibus aut coram Regis Concilio in castro Dubliniensi convictus fuerit, tunc omnis talis Ecclesiasticus aut Religiosus ita convictus patiatur paenas, animadversiones, et confiscationes, quae in dicto statuto ad annum Regis, Richardi secundi, decimum sextum condito exprimuntur. Quin etiam praefata autoritate decernitur ut si aliquis judex Ecclesiasticus aut visitator ullum libellum accusatorium, postulationem, aut confessionem circa hoc statutum sibi factam data opera celaverit, palliaverit, absconderit, aut coloraverit, omnemque talem accusationem, postulationem, aut confessionem | ratione et norma superius in hoc statuto praefixa ad Regem, ejus deputatum, et concilium in castro Dubliniensi non retulerit, tunc omnis ejusmodi Judex Ecclesiasticus et visitator sic sponte delinquens, toties quoties eum in modum peccaverit, quadraginta libris multetur dimidiatim dividendis inter Regis Majestatem et eum, qui Brevi autographo, chirographo, querela, aut informatione in ulla ex Regis curiis 140

litem eo spectantem intenderit, in qua nulla causatio, protectio, aut salarium forense admittetur, aut praebebitur. Et in firmiorem hujus acti defensionem ac fulcimentum autoritate praedicta decernitur et sancitur ut omnis et quilibet Ecclesiasticus Judex, ordinarius, Cancellarius, commissarius, officialis, vicarius generalis, alius Ecclesiasticus officialis ac minister, cujuscunque dignitatis, praeeminentiae, aut gradus fuerit, et omnis ac quilibet saecularis Judex, Iustitarius, Praetor Urbanus, stator, vicecomes annuus, subvicecomes annuus, Fiscarius, senator, Iuratus, constabularius, pagi praefectus, omnisque laicus officialis ac minister

141 in hac terra | cooptandus, creandus, eligendus, vel admittendus cujuscunque status, gradus, aut conditionis fuerit, a dictis Kalendis Novembris ante susceptam officiorum executionem, coram iis, quibus eum admittendi autoritas competit vel competierit, per Evangelistas corporaliter juret se imposterum Episcopo Romano, ejus autoritati, potestati et iurisdictioni prorsus renunciaturum, repudiaturum, aspernaturum et deserturum, ac nunquam commissurum ut Episcopus Romanus in hac terra ullum autoritatis, potestatis, aut iurisdictionis genus obeat, exerceat aut habeat, sed se ei rei omni tempore, totis viribus, obviaturum et posthac solam Regis Majestatem in Supremum Ecclesiae Anglicanae atque Ibernicae caput accepturum, reputaturum et admissurum ac pro solertia, ingenio, ac summis viribus sine fuco, et fraude atque absque alio modo indebito observaturum quoad omnes effectus et partes quaelibet et singula acta ac statuta in Episcopi Romani, suaeque autoritatis derogationem, extirpationem et abolitionem apud hanc terram

142 condita et | condenda, omniaque alia acta et statuta lata vel ferenda in reformationem et corroborationem potestatis Regis aut supremi in terra capitis Ecclesiae Anglicanae et Ibernicae, seque hoc contra cujuscunque generis, status, dignitatis, gradus, aut conditionis personas praestiturum, et nullo modo facturum aut moliturum, et pro viribus nec commissurum ut quispiam directe vel indirecte, clam aut palam, agat aut moliatur quidpiam aut quaequam in ejusdem aut ullius partis ejus remoram, obicem, detrimentum, aut derogationem ullo modo aut praetextu, et si alicui personae vel personis in Episcopi Romani vel suae autoritatis, iurisdictionis, aut potestatis tuitionem, defensionem aut favorem quidpiam hactenus vel imposterum juraverit, id a se reputandum tanquam vanum et inane. Ita ipsum Deus, caelites

143 omnes et sancti Evangelistae adjuvent. Eadem etiam autoritate decernitur ut omnes ecclesiastici et laici, qui | obtinuerint

ut in possessionem mittantur, postliminio restituantur, aut ulla ratione extra Regis, ejusque haeredum aut successorum potestatem constituentur, aut qui suae Majestatis dono vel ab ejus haeredibus aut successoribus aliquod officium, feudum aut dignitatem impetraverint, vel ad famulandum suae Majestati, haeredibus aut successoribus nomina dederint, idem juramentum faciant, emittant, et suscipiant, omnesque Religiosi tempore professionis aut ingressus in Religionem, omnesque alii Ecclesiastici inter suscipiendos ordines, omnesque alii ad quemcunque gradum litterarium in quapiam hujus terrae universitate promovendi aut inaugurandi, promotionis aut inaugurationis tempore, et eorum singuli, dictum juramentum coram suo cancellario vel dictae universitatis commissario faciant, emittant, et suscipiant. Eadem etiam autoritate decernitur ut siqui dictum juramentum hujus sanctionis autoritate suscipere jussi aut destinati, vel a quacunque alia persona vel personis Regiae Majestatis | mandato 144 cui sigillum magnum vel privatum aut ejus sigillum, quod rebus ecclesiasticis destinatur, appositum fuerit, idem sacramentum suscipere moniti, id exequi obstinate recusaverint, quaelibet ejusmodi offensa sit crimen laesae Majestatis, et reus, si legitime convictus fuerit, mortis paenam et alias confiscationes, animadversiones, ac jacturas in laesae Majestatis casus quibuscunque hujus terrae legibus aut statutis antehac latis praescriptas et visitatas patiat. Provisum semper et decretum sit ut nec hoc actum nec quidquam in eo contentum, memoratum aut comprehensum caeremoniis, ritibus, et aliis laudabilibus ac politicis decretis tranquillitatis, disciplinae, concordiae, devotionis, unionis, et decentis ordinis ergo anterieus in Ecclesia Ibernica usitatatis, institutis, observatis et receptis, nec cuiquam personae aut personis, quae iisdem usae fuerint, nec eorum ulli ullatenus praepjudicet, noceat, aut deroget. Cavetur etiam ut hoc acto | 145 et quovis alio statuto ad usurpatam dicti Episcopi Romani potestatem, autoritatem, praeeminentiam, et jurisdictionem delendam condito et quibuscunque aliis rebus, quae in illis actis continentur, non obstantibus, omnes archiepiscopi, episcopi, archidiaconi, commissarii et officiales, eorumque singuli solius Regis nomine quibuscunque canonibus, constitutionibus, decretis, et Conciliorum Provincialium actis in causarum spiritualium et ecclesiasticarum normam et amussim jam latis, quae Regis et hujus terrae legibus, statutis, et consuetudinibus non repugnant, nec in Regis praerogativae regiae damnum aut detrimentum redundant, utantur et exerceant eodem modo ac methodo, qua

146

ante conditum hoc actum vigeant et executioni mandabatur, donec Regis Majestas juxta suas Angliae leges statuerit et determinaverit, et dispositio ac determinatio, quae in eum finem necessaria erit, huc sub magno Regis sigillo transmissa, vel secus a Parlamento sancita fuerit. Cavetur etiam nec hujus acti, nec cujusvis in eo contenti | sensum aut mentem esse, nec ea ita exponenda aut interpretanda ut ullae dispensationes, licentiae, aut confirmationes ad contrahendas nuptias vel alium in finem cuicumque ex Regis subditis in hac terra se tenentibus quocumque tempore ante latum hoc actum concessae, quae juri divino, Regis legibus, et praerogativae regiae non repugnarunt, convellantur, aut minoris sint valoris, roboris, firmitatis aut efficaciae, quam ante conditum hoc actum fuerint."

(89) In hujus acti exordio innuitur alia acta ad eliminandam auctoritatem Pontificiam ab hoc ipso parlamento antea fuisse condita sed non defuisse, qui ea (sicut par erat) spreverint, proindeque idem parlamentum hanc sanctionem haereseos et impietatis plenissimam condidisse. Nempe conventiculum illud Kalendis Maiis anno Henrici octavi vigesimo octavo inchoatum post varias prorogationes, comperendinationes, interstitia et sessiones saepius interruptas non nisi post sesquiannum et quod excurrit, dissolutum fuit, ut priora illa acta ad illius temporis initium, sed hoc posterius conditum fuerit.

Stat.
Ibern.
pag. 119.

147

(90) Jam mentio facienda est alterius acti ibidem condito, quo satis prolixo decernitur ut | Henrico tanquam supremo in terris Ecclesiae Anglicanae et Ibernicae capiti, ejusque haeredibus solvatur quotannis vigesima pars reddituum ecclesiasticorum a clero saeculari et Regulari per totam Iberniam in perpetuum, et sub gravissimis paenis per vias plane sacrilegas cavetur ut executioni mandetur. Porro ibidem habetur Cathedralis Ecclesiae Dubliniensis S. Patricio dicatae Decanum, Cantorem, Cancellarium, Thesaurarium, Archidiaconum, omnesque alios dignitarios et praebendarios tunc existentes suapte sponte concessisse ut omnes in eorum Capitulum inserendi Regi solverent primi anni proventus suorum beneficiorum et praeterea idem capitulum ex hoc acto Parlamenti teneri cum reliquis e clero ad solvendam Regi et ejus haeredibus quotannis vigesimam emolumentorum ecclesiasticorum partem, additurque constare etiam ex aliis eorum actis quantopere Regi studerent. Denique ibidem magnis laudibus onerantur et inter alia sacrilegum Parlamentum de illis loquens sunt (inquit) *quodammodo unica lucerna et lux*

omnis piae atque Ecclesiasticae normae et methodi in hac terra, i.
in Ibernia. | Quare etiam ibidem nonnullis ab impio illo Parla-
 mento donantur privilegiis. Itaque ex his omnibus satis superque
 colligere est dictum Capitulum Dubliniense nemine dempto jam
 ad haeresim cum Henrico descivisse et fuisse magnum diaboli
 laqueum ad eam animarum pestem in Anglo-Ibernorum districtu
 propagandam. Cujus Capituli Decanus ibi nominatur Eduardus
 Basnettus tunc (ut ex eodem statuto liquet) recens in decanum
 cooptatus, nunquam absque ingenti horrore nominandus ob suam
 detestabilem in ipso schismatis initio defectionem.

(91) His subjungo partem alterius acti in eodem Parlamento
 conditi, ex quo vel solo colligere est veteres Iberos non sedisse
 cum illo *Concilio malignantium*, sed illud conventiculum ex Anglo-
 Ibernis et forsitan non paucis Anglis fuisse compactum.

(92) *Actum pro Anglicano more, vestiendi modo, et lingua.*

“Regis Majestas et Supremus ac colendissimus Dominus noster,
 sua singulari sapientia, doctrina et experientia perpendens et con-
 siderans rudem et imperitum populum | ad Dei omnipotentis, ac
 ipsius bonae et virtuosae obedientiae, quam principibus et prae-
 positis suis ex sanctis ejus praeceptis ac mandatis debent, notitia
 imbuendum nihil aeque conducere, ac probam in sanctissimis
 ejus legibus instructionem et in sermone, moribus, consuetu-
 dine ac vestiendi modo conformitatem, consonantiam, et famil-
 iaritatem cum illis, qui sunt urbani, et Christi Religionem, nec
 non mores, leges ac instituta civilia et politica profitentur et norunt,
 sicut suae Majestatis subditi hanc hujus terrae Iberniae partem,
 quae *provincia Anglicana* nuncupatur, incolentes praestant, et
 gratiosissime animadvertens ex ardenti amore, zelo et desiderio,
 quo sua Majestas ad hujus jam dictae terrae suae statum pro-
 movendum et ad suum populum (quem sua Majestas tanquam
 sua hujus corporis politici membra diligit, cujus immediate sub
 Deo supremum caput et gubernator est) urbanitate atque ob-
 sequio honesto et Christiano imbuendum ac instruendum fertur,
 nihil etiam esse, quo multi ex suis hujus terrae suae jam dictae
 subditis in quodam vivendi modo ac genere fero atque indomito
 magis foveantur et | persistunt quam eorum sermonis, linguae,
 morum, et vestiendi diversitate, quae prima fronte multitudinem
 decipit, eisque persuadet ipsos genere, seu potius patria dis-
 crepare, licet re ipsa sint unum et integrum corpus, cui sua
 Majestas (sicut praedictum est) in unicum sub Deo caput praeest,
 nec non ex nobilissima et Regia dispositione et flagranti studio,

148

Stat.
Ibern.
pag. 128.

149

150

quo sua Majestas ad hujus terrae suae conditionem prosperandam tenetur in certam normam et consuetudinem observandam effectura ut nos, omnes ejus subditi jam dicti Deum melius noscamus et id quod cum tempore in nostram opulentiam, quietem et commoditatem vergat, agamus, non solum cupit ut omnes bonae leges a sapientibus, piis, et prudentibus principibus, nobilissimis ejus progenitoribus, ad Anglicam linguam, amictum et ritum in hac sua terra jam dicta propagandum ante hac datae debitam sortiantur executionem, sed etiam quo id stabiliatur et in hoc parlamento ita perficiatur ut quotquot pro obsequii debito se suae Majestatis genuinos et fideles subditos esse agnoverint, eadem lingua, | amictu, rituque Anglico imposterum sine intermissione utantur, nulloque unquam tempore desistant, nec ad linguam aut vestiendi ritum Ibernicum relabantur, per praesentes omnibus cujuscunque ordinis suis hujus terrae suae jam dictae subditis intimat fore ut quicunque quovis respectu ab hujus legis mente et scopo majorem linguae, amictus et ritus Anglicani propagationem spectante, ullo tempore, declinaverint, aut alicui ex suis familiis vel sub eorum ferula posito permiserint uti Ibernico vestiendi modo, vel in linguae Anglicae consuetudinem non venire, a sua Majestate in suo generosissimo corde habendi sint tales, qui ipsius leges et jussa observatu dignissima non magni pendant, sed (quicquid aliis temporibus vultu et verbis prae se tulerint) alii sint et aliter affecti quam sinceros et fideles deceat subditos. Quare hujus Parlamenti autoritate sancitum, statutum et decretum sit etc." Haec ibi. Reliqua autem illius statuti pars nimis prolixa Anglo-Ibernos ab Ibernica lingua, vestiendi ratione et moribus ad Anglicanismum sub paenis gravissimis revocat, illius conventiculi | membris et Anglis haud ignorantibus fore ut secus maximum haeresi in Ibernia propagandae obstaculum poneretur.

Stat.
Ibern.
pag. 135.

(93) Nec hic silentio praetereundum est aliud perversissimum eorundem comitorum statutum, quo decretum ut varia monasteria et prioratus ibi nominati, pene omnes intra districtum Anglo-Ibernicum et fere intra provinciae Anglicanae limites in Ibernia positi cum annexis possessionibus et proventibus Regis Fisco addicerentur. Alia quoque, si non et illa ipsa, monasteria atque eorum possessiones Regi intra biennium antea ab ipsis abbatibus, prioribus, abbatissis, et priorissis sub conventuum suorum sigillis et aliter Henrico transcripta et aliter concessa atque aliter a Rege suppressa et partim ab eo aliis transcripta, partim nondum aliis ab ipso donata fuisse ex eodem acto colligitur. Quo etiam decerni-

tur ut omnia illa monasteria ac possessiones Regi et iis, quibus ea transcripserat vel transcripturus esset, forent certa. Ex eodem etiam statuto colligere est Praelatorum Monasticorum nonnullos illam Henrici et ejus in Ibernica fautorum | sacrilegam bonorum Ecclesiasticorum invasionem praesagientes per biennium circiter antea variis modis Monasteriorum suorum latifundia per contractus aliis concessisse, quo illi invasioni nonnihil obviarent. Quae tamen praecautiones ibi tanquam fraudulentae refiguntur in Henrici et fautorum gratiam, quo illa bona latrocinarentur liquida. Monasteriorum autem Praelatis ibidem decernitur pensio annua a Rege et haeredibus in eorum vitae sustentationem, sicut visum fuerit, solvenda, praesertim habituris curam conservandi et exhibendi monasteriorum bona etiam mobilia in Henrici usum. Porro eorum familiis Religiosis promittitur futurum ut novum Ecclesiae Anglicanae et Ibernicae caput ipsis p̄mittat abire ac nonnihil illis detur, quo vitam sustentent, vel in alia Ibernicae monasteria nondum exaugurata atque ipsis ab Henrico vel ejus ministris assignanda transferantur. Denique nonnulla ibidem in Georgii Brouni, Archiepiscopi Dubliniensis favorem statuuntur. Is enim patria Londinensis, professione olim Augustinianus, et Augustinianorum | in Anglia Provincialis cucullum abiecit ut Henrico octavo in haeresi propaganda astipularetur, ejus jam haeretici concessione 19 Martii 1536 stylo Romano in pseudo-Archiepiscopum Dubliniensem cooptatus, plurimorum deinde scelerum in Ecclesiae Ibernicae praejudicium patratorum architectus sub Henrico, ejusque filio, Edwardo sexto.

(94) Jam transeo ad actum magis haeticum, quo ibidem condito decretum est ut reciperetur in Ibernica nefarium comitiorum Anglicorum 3^o Novembris anno Henrici octavi 21^o inchoatorum, deinde saepius prorogatorum statutum, quo cautum ut nullae amplius facultates spirituales a Sede Apostolica procurarentur, sed pro omnibus ejusmodi casibus et causis ad Henricum, tanquam Ecclesiae Anglicanae caput, et ad pseudo-Archiepiscopum Cantuariensem, ejus vicarium in spiritualibus, modo ibi prolixo contento recurreretur, et pecunia ulterius illo praetextu in urbem non mitteretur, sed Henrico atque ejus ministris praedam ratione ibidem praefixa inter se divisuris solveretur. Caeterum Parlamenti | Anglo-Ibernici statuto, cui praefatum Parlamenti Anglicani actum insertum est, decernitur ut in Ibernica idem recursus haberetur ad delegatos ab Henrico destinandos.

(95) Conventiculo illo semper in pejus proficiente, crevit mem-

153

154

Stat.
Ibern.
pag. 150.

155

brorum ejus avaritia et in prophanandis praediis ecclesiasticis audacia, quare in sessionum progressu decretum fuit Personatum Dungarvanensem et alios Personatus ibi nominatos, annexaque bona ecclesiastica, ad quae omnia Desmoniae Comites a superiori eorum in Henricum insurrectione tanquam jure patronatus usi promovendos praesentaverant, non illorum promotorum, qui ibi dicuntur injuste intrusi, sed Regis fuisse juxta aliud actum etiam antea in eodem Parlamento conditum.

ibid. pag.
178.

(96) Jam restat, ut mentionem faciamus Acti *pro primis proventibus, Abbatiarum, Prioratum et Collegiorum*, superius enim vidimus actum conditum ad concedendum Henrico et haeredibus cujuscunque beneficii Ecclesiastici ad clerum saecularem spec-

156

tantis | postea in Iberniam vacaturi proventus per annum integrum. Hic vero idem decernitur circa omnia Iberniae beneficia vel dignitates monasticas tunc non suppressas. Et haec quidem sunt, quae de illo nefario Anglo-Ibernorum Parlamento dicenda habui. Caeterum cum conventiculum illud Kalendis Maiis anno Henrici octavi vigesimo octavo caeptum esset, Anna Bolena, quae tot malis ansam praebuerat, paucis diebus interjectis eodem mense adulterii damnata Rege jubente una cum Georgio fratre, aliisque amasiis, Norresio, Vestenio, Breertonio et Marco, capite plectitur, et altera die Rex Janam Semeram in tertiam uxorem ducit. "Gloria et virtus Deo nostro est. Quia vera et justa judicia sunt ejus, qui judicavit de meretrice magna, quae corruptit terram in prostitutione sua et vindicavit sanguinem servorum suorum de manibus ejus."

Apoc. 19.

(97) Habes superius Pauli tertii, Pontificis, sententiam et censuras in Henricum octavum ejusque fautores 30 Augusti 1535 datas ut quorundam | Principum interventu per triennium et quod excurrit, suspensas, sed demum Henrico in pejus quotidie proficiente post tot execranda ejus acta ab eodem Pontifice promulgatas cum hac appendice, quae etiam in Bullario Romano habetur.

157

T.I.p.708.

(98) *Paulus Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

"Cum Redemptor noster ideo illum, qui ipsum negaverat, Petrum videlicet, universae Ecclesiae praeficere voluerit, ut in sua culpa disceret aliis esse miserendum, non immerito Romanus Pontifex, qui ipsius Petri in dignitate successor existit, debet etiam in officio exercendae misericordiae ipsius esse successor. Sed cum in eum dirigitur misericordia, qui ex hoc sit insolentior

et obstinatio, aliosque secum trahit in perditionem, debet ipse Romanus Pontifex, postposita in eum misericordia omnem severitatem adhibere, quo membrum illud putridum ita a corpore separaretur, ut reliqua membra absque metu contagionis salva remaneant, praesertim cum pluribus curis adhibitis, et multo tempore in hoc consumpto morbum quotidie magis invalescere ipsa experientia comprobat. |

(99) " Alias cum Nobis relatum fuisset, quod Henricus, Angliae 158
Rex, praeter ea, quae matrimonium de facto et contra prohibitionem Ecclesiae temerarie contractum concernebant, quasdam leges, seu generales constitutiones subditos suos ad haeresim et schisma trahentes ediderat et bonae memoriae Joannem titulo S. Vitalis Presbyterum Cardinalem Roffensem publice damnari et capite puniri, ac alios quamplures Praelatos, nec non alias personas Ecclesiasticas haeresi et schismati hujusmodi adhaerere nolentes carceribus mancipari fecerat; Nos licet illi, qui talia nobis retulerant, tales essent, ut nullo modo de veritate suorum dictorum ambigendum esset, cupientes tamen respectu ipsius Henrici Regis, quem antequam in has insanias incideret, peculiari quadam caritate prosequeremur, praedicta falsa reperiri, de eis informationem ulteriorem habere procuravimus, et inveniētes clamorem ad Nos delatum verum esse, ne nostro officio deessemus, contra eum procedere decrevimus juxta formam quarundam litterarum nostrarum quarum tenor sequitur et est talis. |

" *Paulus Episcopus*, etc. Ejus qui immobilis, etc.', ut supra. 159

(100) " Dum autem postea ad dictarum litterarum executionem deveniendum esse statuissimus, cum Nobis per non nullos Principes et alias insignes personas persuaderetur, ut ab executione hujusmodi per aliquantum tempus supersederemus, spe nobis data quod interim ipse Henricus Rex ad cor rediret et resipisceret, Nos qui (ut hominum natura fert) facile credebamus, quod desiderabamus, dictam executionem suspendimus, sperantes (ut spes nobis data erat) ex ipsa suspensione correctionem et resipiscentiam, non autem pertinaciam et obstinationem ac majorem deliberationem (ut rei effectus edocuit) proventuram.

(101) " Cum itaque resipiscentia et correctio hujusmodi, quam tribus fere annis expectavimus, non solum postea secuta non sit, sed ipse Henricus Rex quotidie magis se in sua feritate ac temeritate confirmans in nova etiam scelera proruperit, quippe non contentus vivorum praelatorum et sacerdotum crudelissima trucidatione, etiam in mortuos et eos quidem, quos in sanctorum numerum relatos universalis Ecclesia pluribus saeculis venerata

est, feritatem exercere non expavit. Divi enim Thomae Cantuariensis | Archiepiscopi, cujus ossa, quae in dicto regno Angliae
 160 potissimum ob innumera ab omnipotenti Deo illic perpetrata miracula, summa cum veneratione in arca aurea in civitate Cantuariensi servabantur, postquam ipsum D. Thomam, ad majorem religionis contemptum, in iudicium vocari et tanquam contumacem damnari, ac proditorem declarari fecerat, exhumari ac comburi, et cineres in ventum spargi jussit, omnem plane cunctarum gentium crudelitatem superans, cum ne bello quidem hostes victores saevire in mortuorum cadavera soliti sint, ad haec omnia ex diversorum Regum, etiam Anglorum et aliorum principum liberalitate donaria ipsi arcae appensa, quae multa et maximi pretii erant, sibi usurpavit, nec putans ex hoc satis injuriae religioni intulisse, monasterium divo illi Augustino, a quo Christianam fidem Angli acceperunt, in dicta civitate dicatum omnibus thesauris, qui multi et magni erant, spoliavit, et sicut se in belluam transmutavit, ita etiam belluas quasi socias suas honorare voluit, feras videlicet in dicto monasterio, expulsis monachis, intromittendo, genus quidem sceleris non modo
 161 Christi | fidelibus, sed etiam Turcis inauditum, et abominandum.

(102) "Cum itaque morbus iste a nullo quantumvis peritissimo medico alia cura sanari possit, quam putridi membri abscissione, nec valeret cura hujusmodi absque eo quod Nos apud Deum causam hanc nostram efficiamus ulterius retardari, ad dictarum literarum (quas ad hoc ut Henricus Rex, ejusque complices, fautores, adhaerentes, consultores, et sequaces, etiam super excessibus per eum novissime, ut praefertur, perpetratis, intra terminum eis, quoad alia, per alias nostras literas praedictas respective praefixas, se excusare, alias paenas ipsis litteris contentas incurrant, extendimus et ampliamus) publicationem et deinde, Deo duce, ad executionem procedere omnino statuimus. Et quia a fide dignis accepimus, quod si ipsarum et praesentium literarum publicatio Diepe Rothomagensis, vel Boloniae Ambianensis diaecesis oppidis in Franciae, aut civitate S. Andreae, seu in oppido Calistrensi S. Andreae diaecesis in Scotiae Regnis, vel in Thuamensi et Artifertensi civitatibus vel diaecesibus Dominii Iberniae fiat, non solum tam facile, | ut si in locis in dictis literis expressis fieret, sed facilius ipsarum litterarum tenor ad Henrici et aliorum, quos concernunt, praesertim Anglorum, notitiam deveniret, Nos volentes in hoc opportune providere, motu, scientia et potestatis plenitudine praedictis decernimus, quod publicatio literarum superius insertarum, quarum insertioni superius factae, ac ipsi

162

originalibus, quoad validitatem publicationis seu executionis praesentium, fidem adhiberi volumus, in duobus ex locis praesentibus literis expressis, alias juxta supra insertarum et praesentium literarum tenore facta, etiam in locis extra Romanam curiam in dictis praeinsertis literis specificatis, hujusmodi publicatio non fiat, perinde Henricum Regem et alios, quos concernunt, praesertim Anglos, afficiat, ac si Henrico Regi et aliis praedictis, praesertim Anglis, personaliter intimatae fuissent, quodque praesentium transumptis juxta modum in praeinsertis literis expressum factis tam in judicio quam extra eadem fides adhibeatur, quae originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus
 163
 164
 165
 166
 167
 168
 169
 170
 171
 172
 173
 174
 175
 176
 177
 178
 179
 180
 181
 182
 183
 184
 185
 186
 187
 188
 189
 190
 191
 192
 193
 194
 195
 196
 197
 198
 199
 200
 201
 202
 203
 204
 205
 206
 207
 208
 209
 210
 211
 212
 213
 214
 215
 216
 217
 218
 219
 220
 221
 222
 223
 224
 225
 226
 227
 228
 229
 230
 231
 232
 233
 234
 235
 236
 237
 238
 239
 240
 241
 242
 243
 244
 245
 246
 247
 248
 249
 250
 251
 252
 253
 254
 255
 256
 257
 258
 259
 260
 261
 262
 263
 264
 265
 266
 267
 268
 269
 270
 271
 272
 273
 274
 275
 276
 277
 278
 279
 280
 281
 282
 283
 284
 285
 286
 287
 288
 289
 290
 291
 292
 293
 294
 295
 296
 297
 298
 299
 300
 301
 302
 303
 304
 305
 306
 307
 308
 309
 310
 311
 312
 313
 314
 315
 316
 317
 318
 319
 320
 321
 322
 323
 324
 325
 326
 327
 328
 329
 330
 331
 332
 333
 334
 335
 336
 337
 338
 339
 340
 341
 342
 343
 344
 345
 346
 347
 348
 349
 350
 351
 352
 353
 354
 355
 356
 357
 358
 359
 360
 361
 362
 363
 364
 365
 366
 367
 368
 369
 370
 371
 372
 373
 374
 375
 376
 377
 378
 379
 380
 381
 382
 383
 384
 385
 386
 387
 388
 389
 390
 391
 392
 393
 394
 395
 396
 397
 398
 399
 400
 401
 402
 403
 404
 405
 406
 407
 408
 409
 410
 411
 412
 413
 414
 415
 416
 417
 418
 419
 420
 421
 422
 423
 424
 425
 426
 427
 428
 429
 430
 431
 432
 433
 434
 435
 436
 437
 438
 439
 440
 441
 442
 443
 444
 445
 446
 447
 448
 449
 450
 451
 452
 453
 454
 455
 456
 457
 458
 459
 460
 461
 462
 463
 464
 465
 466
 467
 468
 469
 470
 471
 472
 473
 474
 475
 476
 477
 478
 479
 480
 481
 482
 483
 484
 485
 486
 487
 488
 489
 490
 491
 492
 493
 494
 495
 496
 497
 498
 499
 500
 501
 502
 503
 504
 505
 506
 507
 508
 509
 510
 511
 512
 513
 514
 515
 516
 517
 518
 519
 520
 521
 522
 523
 524
 525
 526
 527
 528
 529
 530
 531
 532
 533
 534
 535
 536
 537
 538
 539
 540
 541
 542
 543
 544
 545
 546
 547
 548
 549
 550
 551
 552
 553
 554
 555
 556
 557
 558
 559
 560
 561
 562
 563
 564
 565
 566
 567
 568
 569
 570
 571
 572
 573
 574
 575
 576
 577
 578
 579
 580
 581
 582
 583
 584
 585
 586
 587
 588
 589
 590
 591
 592
 593
 594
 595
 596
 597
 598
 599
 600
 601
 602
 603
 604
 605
 606
 607
 608
 609
 610
 611
 612
 613
 614
 615
 616
 617
 618
 619
 620
 621
 622
 623
 624
 625
 626
 627
 628
 629
 630
 631
 632
 633
 634
 635
 636
 637
 638
 639
 640
 641
 642
 643
 644
 645
 646
 647
 648
 649
 650
 651
 652
 653
 654
 655
 656
 657
 658
 659
 660
 661
 662
 663
 664
 665
 666
 667
 668
 669
 670
 671
 672
 673
 674
 675
 676
 677
 678
 679
 680
 681
 682
 683
 684
 685
 686
 687
 688
 689
 690
 691
 692
 693
 694
 695
 696
 697
 698
 699
 700
 701
 702
 703
 704
 705
 706
 707
 708
 709
 710
 711
 712
 713
 714
 715
 716
 717
 718
 719
 720
 721
 722
 723
 724
 725
 726
 727
 728
 729
 730
 731
 732
 733
 734
 735
 736
 737
 738
 739
 740
 741
 742
 743
 744
 745
 746
 747
 748
 749
 750
 751
 752
 753
 754
 755
 756
 757
 758
 759
 760
 761
 762
 763
 764
 765
 766
 767
 768
 769
 770
 771
 772
 773
 774
 775
 776
 777
 778
 779
 780
 781
 782
 783
 784
 785
 786
 787
 788
 789
 790
 791
 792
 793
 794
 795
 796
 797
 798
 799
 800
 801
 802
 803
 804
 805
 806
 807
 808
 809
 810
 811
 812
 813
 814
 815
 816
 817
 818
 819
 820
 821
 822
 823
 824
 825
 826
 827
 828
 829
 830
 831
 832
 833
 834
 835
 836
 837
 838
 839
 840
 841
 842
 843
 844
 845
 846
 847
 848
 849
 850
 851
 852
 853
 854
 855
 856
 857
 858
 859
 860
 861
 862
 863
 864
 865
 866
 867
 868
 869
 870
 871
 872
 873
 874
 875
 876
 877
 878
 879
 880
 881
 882
 883
 884
 885
 886
 887
 888
 889
 890
 891
 892
 893
 894
 895
 896
 897
 898
 899
 900
 901
 902
 903
 904
 905
 906
 907
 908
 909
 910
 911
 912
 913
 914
 915
 916
 917
 918
 919
 920
 921
 922
 923
 924
 925
 926
 927
 928
 929
 930
 931
 932
 933
 934
 935
 936
 937
 938
 939
 940
 941
 942
 943
 944
 945
 946
 947
 948
 949
 950
 951
 952
 953
 954
 955
 956
 957
 958
 959
 960
 961
 962
 963
 964
 965
 966
 967
 968
 969
 970
 971
 972
 973
 974
 975
 976
 977
 978
 979
 980
 981
 982
 983
 984
 985
 986
 987
 988
 989
 990
 991
 992
 993
 994
 995
 996
 997
 998
 999
 1000

(103) Verum his fulminibus spretis Henrico sui in Iberniam Anglo-Iberni obstinatissime adhaeserunt. Quorum illa in Deum atque Ecclesiam rebellio eo erat sceleratior, quod prisci Iberni nihil pene magis haberent in votis quam ejus tyrannidi, impietati, et haeresi obviare, proindeque iniquissimum ejus jugum excutere, id facillime praestituri si Anglo-Iberni non nefario tyranno sed ipsis cohaesissent.

(104) Ad Anglo-Ibernorum Proregem, Greium, redeamus. Qui absoluto illo execrando Parlamento operam dedit ut haeretica illa statuta in Anglo-Ibernico Iberniae districtu in praxim redigerentur. Verum interea justus Judex permisit, ut dum Henrico in Deum et Ecclesiam strenue inserviret, alia patrarit, quibus ejusdem Henrici indignationem sibi conciliavit, propterea a Rege in Angliam | anno 1540 revocatus et mox ac Londinum
 164
 165
 166
 167
 168
 169
 170
 171
 172
 173
 174
 175
 176
 177
 178
 179
 180
 181
 182
 183
 184
 185
 186
 187
 188
 189
 190
 191
 192
 193
 194
 195
 196
 197
 198
 199
 200
 201
 202
 203
 204
 205
 206
 207
 208
 209
 210
 211
 212
 213
 214
 215
 216
 217
 218
 219
 220
 221
 222
 223
 224
 225
 226
 227
 228
 229
 230
 231
 232
 233
 234
 235
 236
 237
 238
 239
 240
 241
 242
 243
 244
 245
 246
 247
 248
 249
 250
 251
 252
 253
 254
 255
 256
 257
 258
 259
 260
 261
 262
 263
 264
 265
 266
 267
 268
 269
 270
 271
 272
 273
 274
 275
 276
 277
 278
 279
 280
 281
 282
 283
 284
 285
 286
 287
 288
 289
 290
 291
 292
 293
 294
 295
 296
 297
 298
 299
 300
 301
 302
 303
 304
 305
 306
 307
 308
 309
 310
 311
 312
 313
 314
 315
 316
 317
 318
 319
 320
 321
 322
 323
 324
 325
 326
 327
 328
 329
 330
 331
 332
 333
 334
 335
 336
 337
 338
 339
 340
 341
 342
 343
 344
 345
 346
 347
 348
 349
 350
 351
 352
 353
 354
 355
 356
 357
 358
 359
 360
 361
 362
 363
 364
 365
 366
 367
 368
 369
 370
 371
 372
 373
 374
 375
 376
 377
 378
 379
 380
 381
 382
 383
 384
 385
 386
 387
 388
 389
 390
 391
 392
 393
 394
 395
 396
 397
 398
 399
 400
 401
 402
 403
 404
 405
 406
 407
 408
 409
 410
 411
 412
 413
 414
 415
 416
 417
 418
 419
 420
 421
 422
 423
 424
 425
 426
 427
 428
 429
 430
 431
 432
 433
 434
 435
 436
 437
 438
 439
 440
 441
 442
 443
 444
 445
 446
 447
 448
 449
 450
 451
 452
 453
 454
 455
 456
 457
 458
 459
 460
 461
 462
 463
 464
 465
 466
 467
 468
 469
 470
 471
 472
 473
 474
 475
 476
 477
 478
 479
 480
 481
 482
 483
 484
 485
 486
 487
 488
 489
 490
 491
 492
 493
 494
 495
 496
 497
 498
 499
 500
 501
 502
 503
 504
 505
 506
 507
 508
 509
 510
 511
 512
 513
 514
 515
 516
 517
 518
 519
 520
 521
 522
 523
 524
 525
 526
 527
 528
 529
 530
 531
 532
 533
 534
 535
 536
 537
 538
 539
 540
 541
 542
 543
 544
 545
 546
 547
 548
 549
 550
 551
 552
 553
 554
 555
 556
 557
 558
 559
 560
 561
 562
 563
 564
 565
 566
 567
 568
 569
 570
 571
 572
 573
 574
 575
 576
 577
 578
 579
 580
 581
 582
 583
 584
 585
 586
 587
 588
 589
 590
 591
 592
 593
 594
 595
 596
 597
 598
 599
 600
 601
 602
 603
 604
 605
 606
 607
 608
 609
 610
 611
 612
 613
 614
 615
 616
 617
 618
 619
 620
 621
 622
 623
 624
 625
 626
 627
 628
 629
 630
 631
 632
 633
 634
 635
 636
 637
 638
 639
 640
 641
 642
 643
 644
 645
 646
 647
 648
 649
 650
 651
 652
 653
 654
 655
 656
 657
 658
 659
 660
 661
 662
 663
 664
 665
 666
 667
 668
 669
 670
 671
 672
 673
 674
 675
 676
 677
 678
 679
 680
 681
 682
 683
 684
 685
 686
 687
 688
 689
 690
 691
 692
 693
 694
 695
 696
 697
 698
 699
 700
 701
 702
 703
 704
 705
 706
 707
 708
 709
 710
 711
 712
 713
 714
 715
 716
 717
 718
 719
 720
 721
 722
 723
 724
 725
 726
 727
 728
 729
 730
 731
 732
 733
 734
 735
 736
 737
 738
 739
 740
 741
 742
 743
 744
 745
 746
 747
 748
 749
 750
 751
 752
 753
 754
 755
 756
 757
 758
 759
 760
 761
 762
 763
 764
 765
 766
 767
 768
 769
 770
 771
 772
 773
 774
 775
 776
 777
 778
 779
 780
 781
 782
 783
 784
 785
 786
 787
 788
 78

esset, amicorum regis possessiones a nonnullis Ibernorum occupandas curasset, hinc 25^o Junii postulatus est ad regium tribunal apud Westmonasterium, et praefinitum erat ut tantum ab Equitibus auratis examinaretur, quod non ordine Parlamentari, sed solo nomine par Regni vocitaretur. Verum ipse hoc onere inquisitores levans se delationibus obnoxium agnovit. Quare sententia judiciaria morti addictus die Junii 28 profesto S. Petri securi percussus est super Turris cacumine." Haec ille.

165 (105) His rite pensatis, quem in admirationem non rapiat Dei
Deut. 32. Opt. Max. justitia et paterna in suam Ecclesiam providentia, qua factum ut Rex Henricus sui idolatram, Greium, morte in mercedem affecerit. Et hunc quidem vivendi juxta ac in Ecclesiam Ibernicam grassandi finem fecit ille Baltassar Anglicanus, rerum sacrarum et Religionis Catholicae apud eam sanctorum Insulam pro virili exactor, ideoque speciali citra dubium | Dei et S. Patricii, Ibernorum Apostoli longe gloriosissimi, maledictione cumulatus. Quapropter "date magnificentiam Deo nostro. Dei perfecta sunt opera et omnes viae ejus judicia."

Prov. 21.6. (106) Ecce tremendum vobis exemplum proceres desultorii, versatiles atque in Religionis causa ad vestrorum regum et supremorum principum ingenium ambulantes, nec Deum nec conscientiam consulentes sed avaritiam et ambitionem, qua succedit ut dubiis Reipublicae atque Ecclesiae temporibus ea foveatis partium studia, quibus in praedia Ecclesiastica involētis, vel ea a majoribus inique occupata iniquius retineatis. Tonant super capita vestra Dei nostri judicia, abyssus multa. Prosperitas illa bonis Ecclesiasticis parta ad modicum temporis stabit, nec alium sortietur exitum quam infortunium. Audite et intelligite Spiritum Sanctum per os Salomonis: "qui congregat thesauros lingua mendacii, vanus et excors est, et impingetur ad laqueos mortis," quia "non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum." Substantia illa sancta, haud sancte comparata tanquam tineā et vermīs corrodet familiarum vestrarum radices, quibus Dei sanctorumque maledictione putrefactis, posterī vestri "tanquam faenum velociter arescent et quemadmodum olera herbarum cito decident." Nec alia supererit 166 vestri memoria quam dicentis | illud Davidicum: "vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani et transivi et ecce non erat et quaesivi eum et non est inventus locus ejus." ibid. Caeterum illa Greii statuta haeretica extra Anglo-Ibernorum ab Henrico 8^o stantium limites in Ibernia executioni non mandabantur cum aliae regni regiones longe majores a priscis Ibernīs

possessae, ideoque a legibus Anglicanis et Anglo-Ibernicis immunes avita lingua, legibus, moribus ab Anglicanismo distantissimis sub suis principibus regio vetustissimorum Iberniae monarchiarum sanguine prognatis uterentur, proindeque ab Anglico et Anglo-Ibernico schismate atque haeresi abhorrent.

(107) Diximus superius Geraldum Geraldinum, Kildariae Comitum, et Anglo-Ibernorum in Ibernia Proregem, semel atque iterum in Turrin Londinensem compactum, ibidem loci demum expirasse, et fratres quinos, ejusque filium primogenitum, Thomam cognomento *sericatum* ultimo supplicio ad Henrici mandatum fuisse affectos, ac superfuisse tantae carnificinae dicti Comitum Kildariensis duos filiolos, et ex his Geraldum, natu majorem, domus Kildariensis haeredem absque haereditate utique ab Henrico publicata, in custodiam Dubliniae a Greio datum, ne forte vir factus suae familiae calamitatem ulcisceretur. Verum | Geraldus, puellus, Greio, prorege, cujus erat nepos, 167
connivente (quapropter ipsum capite luisse vidimus) nutricis et Thomae Levrusii, sacellani fidelissimi, ope ductuque dilapsus profugit in Carbriam, Momoniae Australis regionem ad Eleonoram Geraldinam, amitam suam, Mac-Cartio *Fusco*, Danieli, illius tractus Principi, elocatam; ubi tenellae aetatis Comes humanissime exceptus ab Anglicanae legis saevitia se vendicavit. Ibi enim nec non in vicinia latissime patente tunc, ut ab omni antiquitate, regia multoque potentissima Mac-Cartiorum familia rerum potiebatur, quae multis totius Iberniae Monarchis prognata variis florebat dynastis domi militiaeque celeberrimis, iisque constitutis sub uno supremo omnium Principe, Mac-Cartio Magno, qui suis avitis legibus ac ritibus utens, solusque secundum Deum in illo Momoniae Australis principatu legislator Anglo non obsequebatur. Erant insuper parvulo Kildario magnae multaeque ibi necessitudines, etiam aliae praeter contractas per Eleonoram, quae et ipsa peperit dicto Mac-Cartio *Fusco* filios quaternos, Cormacum, Florentium, Donochum et Eugenium, Mac-Cartios *Fuscos* (haec enim antiquo Ibernorum ritu gentilitia dignitas fuit) et Carbriae Principes, unum post alterum, et filias binas, Siliam, cognomento Tympanistriam, primum O'Sullevano Bearrensi (unde O'Sullevani | Bearrenses hactenus descenderunt) deindeque 168
Thadaeo Mac-Cartio, Mac-Cartii Magni filio primogenito, alumno suo, enuptam, et Catharinam Thadaeo Mac-Cartio, illius Cormaci, Muscriae Principis, quem de potentissimo Desmoniae Comite triumphasse vidimus, filio et haeredi elocatam. Itaque tenellus Kildarius aliquot annos inter cognatos et affines, Mac-Cartios non

solum tutus sed etiam securus et apud illos honorificentissimo semper loco positus pedem fixit. Quod demum ut regis ministris Dubliniae innotuit, caedem et sanguinem Regis nomine Mac-Cartiis minitantur, nisi Kildarium restituant. Qua turpi conditione a Mac-Cartiis generose rejecta, Prorex quod fractis atque inanibus minis non potuerat, fraude demum exequendum suscepit. Siquidem haud ignorans alteram Kildarii amitam, Margaritam Geraldinam, Petro Butlero, Ormoniae atque Ossoriae Comiti, ante multos annos nupsisse, hoc laqueo usus id effecit ut binos Mac-Cartii *Fusci* ex Eleonora Geraldina filios, Donochum et Eugenium, qui materteram, Ormoniae Comitissam, sub jugo Anglicano in Ibernia collocatam identidem visitabant, exploratores consulto destinati cum satellitio ex Comitissae domo Dubliniam raptarint morte | multandos, nisi Kildariensis Regi restitueretur. Qua conditione a Mac-Cartiis repudiata et binis fratribus, in ipso etiam procinctu ad dandas cervices, mortem potius optantibus quam Kildarii proditione vitam redimere, Proregis uxor tam intemeratam animi generositatem admirata suo apud maritum interventu impetravit ne supremo fato tollerentur, sed ea lege libertate donarentur, dum Mac-Cartii Kildarium apud se saltem fovere desisterent.

(108) Hanc conditionem Mac-Cartii, quod Kildario aliter non minus providere decernerent, haud duram arbitrati Proregis in ea re desiderio, tanta compulsi necessitate, subscripserunt. In eam autem a Mac-Cartiis itum est sententiam ut ipsa Eleonora Geraldina, Mac-Cartio Fusco jam vidua, cum Kildario, nepote, ne is tenellae aetatis vitio vel proditorum malignitate in Anglorum manus incideret, rebus ad honorificam sustentationem necessariis instructa in Ultoniam, septentrionalem Iberniae provinciam, non terra, ne ab Anglis vel Anglo-Ibernicis eorum fautoribus per insulam sparsis itinera insederentur, sed navigio descenderit. Erat enim ea provincia extra magistratus tunc legisque Anglicanae ambitum posita nec pejoris in hoc conditionis quam Mac-Cartiorum in Momonia Australi Principatus, uno puncto excepto, quod scilicet O'Nellus, Connus cognomento *Claudus*, Ultoniae | Princeps, superius haud semel nominatus, altera domus Kildariensis filia, Eleonorae amita, natus, umbratili quodam obsequio clientelari Henrici octavi furorem sopierit.

(109) Eleonora cum Kildario ex Momonia in Ultoniam mari circumvecta haud diu post appulsum O'Donello, secundo post O'Nellum apud Ultoniam Principi, se in consortem thori permisit, atque apud Gallo-Dunum, O'Donelli Augustale, commorans Geral-

dum, nepotem, ementita specie delitescentem pretiose servabat. Verum arcano demum relecto, atque O'Donello per clandestinas legationes atque Anglorum minas et pollicitationes ad Kildarium exhibendum invitato, Eleonora, qua inconsulta desistendo Geraldo Angli agebant, machinationem per quendam O'Donelli Achatem odorata, diem nacta opportunam, qua maritus feras agitabat, cum absentis supellectile et spoliis conscensa navi Kildarium eodem itinere maritimo in Momoniam reportavit. Indeque Mac-Cartii et O'Sullevanus Bearrensis, ne promissis Proregi factis non starent, ad Carolum 5^m destinarunt cum raris et regiis donis, accipitribus praesertim et molossis venaticis Caesari ad appulsum praesentandis, quales quovis imperatore dignos Iberniam prae caeteris Europae regionibus | suppeditat. Cum Kildario etiam rebus in viam et viaticum requisitis honorifice instructo transmissae sunt ad imperatorem litterae cleri, praesertim Episcoporum, calculis roboratae de Kildarii natalibus ac domo superioribus saeculis potentia, divitiis, et auctoritate florentissima, significatumque erat patrem, patruos, et fratrem fuisse exactos, et amplissimum patrimonium fisco addictum, quod cum ipso Caesare in Regem, Henricum octavum, faedus pangendum percuperint, Catharinae quoque Hispanicae, Imperatoris materae Regi Henrico enuptae iniquissimum divortium ac intrusae in ejus locum Annae Bolenae spurium matrimonium, et enatum exinde schisma atque haeresim Anglicanam horruerint et districto gladio impugnarint. Porro Kildarius in continentem transvectus haud semper in Caesaris aula pedem fixit, sed rerum et locorum novorum cupidine in Italiam quoque digressus est, ubi praesertim Ticini, deindeque Florentiae tempus produxit, a Gerardis, familia ita Florentiae illustri et nobili ut Iberniae Geraldini se ex ipsis descendisse dicant, humaniter tractatus, quem demum Henrico 8^o mortuo, ejus filius, Rex Eduardus 6^{us}, aliorum interventu in Angliam advocatum et bonorum paternorum parte donatum sibi in aula assistere jussit, et ejus soror, Regina | Maria, domum Kildariensem a sua Matre, Regina Catharina, in Henricum et Annam Bolenam stetisse, eamque ob causam praeter alias superius tactas depressam fuisse non ignorans cum ulterioribus bonis paternis donavit et 14 Maii anno 1554 Ophaliae Baronem, nec non Kildariae Comitem creavit.

171

172

(110) Testatur in suis Iberniae Analectis Episcopus Ossoriensis per Thomam Levrusium, Geraldi capellanum, ei semper, ex quo custodia Dubliniensi puellus dilapsus fuerat, semper in Iberniam, atque inter exterarum nationes constanter adhaesisse, demumque

sub Regina Maria Episcopum Kildariensem salutatum, ac deinde sub Elizabetha in odium fidei sede Episcopali explosum, sanctitate et miraculis clarum in patria sua exulem pie obiisse anno 1577. Et horum quidem, quae de Geraldo varia fortuna in Ibernia antequam in continentem navigasset, jactato retuli, authorem habeo Mac-Cartium Magnum et ille patrem suum, praeclarissimum confessorem, Florentium Mac-Cartium dictae Eleonorae Geraldinae ex praefato filio, Donocho, nepotem Kildario natalibus restituto summa familiaritate conjunctum, cui et ipse Kildarius ea, quae sibi a cognatis Mac-Cartiis collata fuerant beneficia recensendi nullum prope faciebat finem. |

173 (III) Paulo post absoluta apud Iberniam impia illa Anglo-Ibernorum comitia sub Greio, prorege, celebrata, Petrus Butlerus, Ormoniae atque Ossoriae Comes, vita defunctus supremo judici se stitit responsurus de pessimis artibus, quibus schismati atque haeresi Anglicanae in Ibernia propagandae viam potenter aperuerat. Haec domus Anglo-Ibernica in Ibernia propagata est hunc in modum.

(II2) "Henricus secundus Angliae Rex, S. Thomam Cantuariensem persequens expulit (sunt Rogeri Hovedeni verba) ab Anglia et ab omnibus terris suae dominationis omnes homines et faeminas, quosunque invenire potuit de cognatione B. Thomae Cantuariensis; pueros etiam in cunis vagientes et adhuc ad ubera matrum pendentes misit in exilium, ut visis illis augmentaretur dolor praefati Archiepiscopi. Quos cum B. ille Thomas videret, turbatus est valde et dolori eorum compatiens, plusquam Martyr fuit. Tamen haec omnia vir Dei cum multa patientia sufferebat. Transtulit ergo se ad Regem Francorum, Ludovicum, a quo benigne susceptus est." Haec ille de rebus ab Henrico secundo gestis agens. Sed et ipse D. Thomas in epistola ad ignavum adversarium, Gillebertum, Episcopum Londinensem, apud eundem Hovedenum extante et ex Galliis post suorum proscriptionem exarata: "Illud (inquit) quod ad justificandum Dominum Regem videris | proposuisse, judicavimus non praetereundum leviter vel absque discussione. Et utinam a justitia non dissentiret et nostra adversus eum minus justa appareret querela. Dicis enim ipsum esse ad satisfaciendum et semper fuisse paratum. Hoc te confidenter dicere, hoc te asseris praedicare. Sustine igitur paulisper et ad interrogata responde. Illud quod dicis paratum esse ad satisfaciendum, quo sensu intelligis? Illos, quorum se Deus dicit patrem et judicem, orphanos, viduas, pupillos, innocentes et omnino hujus, quae nos movet, controversiae ignaros vides

174

proscribi et taces. Clericos exterminari, et non reclamationes; alios bonis suis spoliari et contumeliis affici, et non contradicis. Servientes meos in vincula conjici et teneri, et obmutescis. Matris tuae, Cantuariensis Ecclesiae bona diripi, et non resistis. Me, patrem tuum, gladios cervici meae jamjam imminentes vix evasisse, et non doles. Sed (quod deterius est) cum persecutoribus meis et in me, Deo et Ecclesiae ipsius, et hoc non in occulto stare non erubescis. Estne hoc satisfacere, perpetrata mala non corrigere et malis deteriora de die in diem adjicere." Haec S. Thomas.

(II3) "Nec his (inquit Baronius ad annum 1164) contentus Rex Henricus, in odium S. Thomae res omnes Archiepiscopi et suorum confiscari fecit, omnesque | de ipsius cognatione, quique ei familiaritate conjuncti essent, ex Anglia trans mare deportari fecit. Cumque nec sexui, nec aetati parceret, summum specimen crudelitatis exhibuit. Narrantur ita pluribus quadripartita ejusdem historia, sed ea ab amico Regis scribuntur ad ipsum, detestante saevitiam tanto principe valde indignam. Porro quod ipse Thomas tot miserorum necessitatibus consulere non valeret, consilium iniit, ut alendos transmitteret in Siciliam. Quos omnes suscepit Margarita, Regina Siciliae valde pia. Sed et Syracusanus Archiepiscopus de iisdem bene meritis est. Ad quos idem Thomas scribens plurimas gratias agit." Haec ille.

175

Lib. 1.
epis. 48.Lib. 1.
ep. 57
et. 58.

(II4) S. Thoma autem deinde in Angliam regresso et 29 Decembris anno 1171 ab Henrici secundi ministris sceleratissime trucidato, Henricus ex Ibernica, in quam Regum Angliae primus eodem anno 1171 invaserat, anno 1172 in Angliam, exindeque in Galliam regressus de S. Thomae caede partim se purgavit, partim paenitentiam egit et ab Alexandro tertio Pontifice, ad illam causam judicandam missi, Albertus tit. S. Laurentii in Lucina et Theodinus tit. S. Vitalis, Praesbyteri Cardinales, inter caetera, quae chartae absolutionis dicti Regis inseruerunt, haec habent. "Clericis (inquiunt) praeterea et laicis utriusque sexus pacem vestram in gratiam et possessiones suas restituetis, qui occasione praenominati Archiepiscopi destituti fuerunt. Haec | autem vobis auctoritate Domini Papae in remissionem peccatorum vestrorum injungimus et praecipimus observare absque fraude et malo ingenio. Hoc sane coram multitudine personarum juravistis vos pro divinae reverentiae majestatis, juravit et filius vester." Haec ex Baronio, quae etiam charta absolutionis apud Hovedenum extat idemque Hovedenus paulo ante de Rege Henrico secundo: "praeterea (inquit) perdonavit iram et male-

Baron.
ad. an.
1172.

176

volentiam suam omnibus tam clericis, quam laicis, qui pro sancto Thoma erant in exilio et concessit eis libere et in pace ad propria redire." Haec ille.

177 (II5) Cum ergo Theobaldum Waltherum, qui Butlerorum seu domus Ormonicae familiam in Iberniam propagavit, S. Thomae nepotem fuisse constet, colligere est eum, nec non suum fratrem, Hubertum Waltherum, tunc cum aliis S. Thomae necessariis ab Henrico secundo in exilium mandatos fuisse, deindeque summum Pontificem, Alexandrum tertium haud se Henrico refecisse nisi ea lege ut postliminio restituerentur. Quo factum ut domus Ormonica atque alii Bulteri suam Sedi Apostolicae fortunam debeant. Siquidem Henricus secundus jam necis S. Thomae paenitens et fidem legatis Pontificiis superius nominatis datam liberaturus dictos S. Thomae nepotes favore persecutus est, eoque tanto ut Theobaldum in Iberniam vastis possessionibus donarit, et Hubertum in Anglia | ad opimum beneficium Ecclesiasticum promovendum curarit postea sub ejus filio, Richardo et Joanne, Angliae Regibus, Episcopum et ex Episcopo Archiepiscopum Cantuariensem, legatum Pontificium et Angliae ac Dominiorum ad Anglum etiam in Gallia atque Iberniam spectantium moderatorem in civibus sub Anglo quidem, sed pene ipso Anglo potentiorum.

178 (II6) Haud ignoro genealogiae domus Ormonicae circa annum 1630 in Iberniam ab intimo amico etiam ex tabulis domesticis contextae auctorem, quem (ut semel lectorem moneam) in citationibus Anonymum appellabo, ingenium torquere ut Theobaldum S. Thomae non ex sorore, sed ex fratre nepotem fuisse probet. Quare etiam eum Becquetorum familiae, nempe S. Thomae Tribui, accenset, sed dubitandus, quod eum a Waraeo Theobaldum Waltherum, et ejus patrem Hervaeum Waltherum vocari viderit. Circa quam controversiam breviter dico illum familiae Ormonicae architectum apud antiquarios nedum suppres et posteriores, sed etiam contemporaneos, vocitari nunc Theobaldum Walter, nunc Theobaldum Waltherum, nunc Theobaldum filium Walter, nunc Theobaldum filium Walteri, nunc (quod idem est) Theobaldum Gualteri. Idque ipsum de ejus fratre, Huberto, affirmo, quae suis | ponderibus librata demonstrare videntur eos fuisse ex Fitz-Walterorum familia tunc circiter apud Angliam illo nomine indicari caepta et ex Normandiae ducibus originem per lineam masculinam Guillelmo Conquestori cum ipsis communem trahente, proindeque S. Thomae potius ex sorore (sicut etiam Camdenus in sua Elizabetha tangit) nepotes extitisse.

(II7) Theobaldus autem in Pincernam Regium ita cooptatus

erat, ut propterea latine Theobaldus Pincerna, vernacula vero Gallorum lingua tunc et diu post Anglis etiam apud Iberniam familiari *Theobald le Boteillier*, sed Anglice *Theobald Butler* nominaretur. Nam quod *Pincerna* latine, id ipsum *Boteillier* Gallice, et *Butler* Anglice significat. Cumque dignitas illa ad familiae haeredes transierit, factum ut Theobaldo nati prognatique dignitatem in gentilitium *Butlerorum* nomen transfuderint. Cujus familiae in Ibernia Principes fuere post Theobaldum, S. Thomae nepotem, in recta descendantium linea masculina Theobaldus secundus, tertius, quartus, et quintus, quorum ultimo suus frater, Edmundus Carrigiae Comititis honore ab Anglo exornatus, Anglo-Ibernorum (quali etiam munere plures ex ejus posteris functi sunt) Prorrex, et huic successit ejus filius, | Jacobus, qui 179 ducta in uxorem Eduardi primi, Regis Angliae, per filiam nepote, Ormoniae Comes et comitatus Tiperariensis Palatinus salutatus utramque dignitatem transmisit ad suos in linea masculina haeredes posteros, Jacobum secundum, tertium, et quartum ab Henrico sexto Angliae Rege, Wiltoniae quoque in Anglia Comititis titulo haeredibus masculis ex se descensuris communicando exornatum, qui in utroque Ormonici in Ibernia et Wiltoniensis in Anglia comitatus honore successit filius, Jacobus quintus ab Eduardo quarto Angliae Rege, domus Eboracensis haerede, in Anglia capite truncatus, quod ipse et pater Henrico sexto, domus Lancastrensis haeredi, adversus domum Eboracensem sceptrum tanquam jure haereditario repetentem in bellis civilibus eo spectantibus adhaesissent.

(118) Jacobo quinto Ormoniae et Wiltoniae Comiti successit suus frater, Joannes, sed haereditate fisco a Rege Eduardo quarto adjudicata frustratus et in exilio inter peregrinationem Jerosolymitanam defunctus, cujus fratrem natu minorem, Thomam, Henricus septimus domus Lancastrensis haeres postea rerum potitus mense Novembri 1648 postliminio restituit. Hic | 180 Ormoniae Comes apud Henricum septimum et octavum magnus, adeoque in Anglia, ubi etiam agri ditissimus erat, pedem figens, nullum non movit lapidem, quo prolis masculinae expers et expes duas filias Anglis apud Angliam nuptas in utriusque lautissimi patrimonii Ibernici atque Anglici possessionem, tanquam haeredes, ante suam ipsius mortem mitteret, ad id aliaque multa usus, tanquam instrumento, Jacobo Butlero, praemortui fratris, Joannis, filio illegitimo, equite aurato, disciplina militari egregie instructo, Henrici septimi diebus Iberniae (sicut praefatus genealogiae Butlerorum author mihi Anonymus habet) Prorege

vel (ut Waraeus tradit) Quaestore, cui in Iberniam resistebant
 proximi haeredes masculi prognati Richardo, Jacobi tertii,
 Ormoniae Comitis, secundogenito, cujus filius Edmundus veterum
 Ibernorum ritu Mac-Richardi vel (ut vulgo juxta linguam Ibernica-
 181 m pronuntiarum video) Mac-Ristirdi dignitate a patris nomine
 derivata insignitus praeter alios se et patre natos ac prognatos ha-
 buit filium, Jacobum, et nepotem ex Jacobo Petrum. | Quos cum
 veteribus Ibernis imo cum eorum principibus, multiplici consan-
 guinitatis ac affinitatis vinculo conjunctos, adeoque potentissimo
 eorum brachio suffultos conjecto non permisisse ut domus
 Ormonicae apud Iberniam haereditas (Jacobus quinto Ormoniae
 Comite, securi percusso, et binis fratribus ab Eduardo quarto,
 Angliae Rege, successione exclusis) fisco adjudicata fisco cederet,
 sed eam ob causam in Eduardum quartum insurrexisse, et
 veteribus Ibernis coaluisse. Porro horum ultimus, Petrus But-
 lerus, matre, Sabina *Kevanagh*, ex Regia veterum Ibernorum,
 nempe Mac-Muruchorum, stirpe, natus controversia jam dicta
 ipsum inter et Thomam, Ormoniae Comitem, nec non ejus in
 Iberniam instrumentum, praefatum Jacobum Butlerum, calente,
 demum in Jacobum sex tantum equitibus stipatum in via, quae
 Dunmora Kilkenniam ducit, 16 Kalendas Augusti 1497 incidit,
 eumque, nescio quot et ipse equitibus comitatus, hasta trans-
 182 fixum peremit. Quo facinore licet suam causam | apud Henricum
 7^m tunc regnantem, deinde apud ejus filium, Henricum 8^{um}
 reddiderit deteriore, veterum tamen Iberniae principum nec
 non Geraldinorum, ex quorum familia Margaritam Geraldinam,
 illius Kildariae Comitis, quem sub Henrico octavo in Turri
 Londinensi contabuisse diximus, sororem, meram viraginem, in
 uxorem duxerat, ope suffultus risit potentissimos conatus duorum
 Regum et suae familiae Principis, Thomae, Comitis Ormoniae in
 urbe Londinensi anno 1515 vita defuncti ut Petrus in Ormoniae
 Comitem successerit, sed non ita quin Thomas *septuaginta* (sunt
 praefatae Butlerorum genealogiae verba) *et eo amplius dominia*
a majoribus comparata suis filiabus in Anglia reliquerit, Anglia,
 Anglis, ipsoque Thoma, Ormoniae Comite, domus Ormonicae
 ruinam molientibus dum Ibernii veteres eam in Iberniam ab Anglia,
 Anglis et illo Ormoniae Comite defenderent. Denique idem
 author de vasto illo domus Ormonicae apud Angliam patrimonio
 ibidem loquens: "Cujus (inquit) magnae et opimae haereditatis
 vix pars aliqua posteris remansit. Nam Joannes a S. Leodegario,
 Eques, qui ex Anna, Thomae primogenita, descendit, atque adeo
 183 opimam triginta sex praediorum | haereditatem obtinuit non

solum illa brevi, sed antiquas etiam majorum suorum possessiones ita dilapidavit, ut Joannes, ejus filius, hodie superstes, ne unum quidem terrae pedem in toto Angliae regno possideat." Haec ille circa annum 1630.

(119) In faeliciorem exitum sortita est altera illius Anglicani domus Ormonicae patrimonii pars spectans ad alteram Thomae, Ormoniae Comitis, filiam secundogenitam, Margaritam Butleram, nuptui datam in Anglia Guillelmo Boleno, cui pater alios liberos peperit Thomam Bolenum, illius nefariae Annae Bolenae, quam postea Henricus octavus, Regina Catharina sceleratissime repudiata, in adulterinam uxorem duxit, patrem, nisi Anna potius ipsius Henrici spuria fuit. Nam Sanderus: "Erat (inquit) Anna Bolena uxoris Thomae Boleni, Equitis aurati, filia: Uxoris, dico. Nam ipsius Thomae Boleni filia esse non poterat, propterea quod illo in Francia legatum agente, et biennium ibi commorante, Anna Bolena interim domi concepta est et nata. Cum enim Rex Henricus Thomae Boleni uxorem adamaret, ut ea liberius frueretur, virum sub specie honoris in Franciam ablegavit. Interim Anna Bolena domi concipitur et nascitur. Thomas autem Bolenus post Francia rediens cum uxorem suam peperisse filiam vidisset, ulciscendi hujus adulterii cupidus uxorem apud Archiepiscopi Cantuariensis delegatos | iudices in 184
jus vocatam repudiare in animo habuit. Uxor hujus rei certio-
riorem reddit Henricum Regem. Is Marchionem Dorchestriae ad Thomam Bolenum mittit cum iis mandatis, ut abstineret a lite, condonaret uxori, eamque iterum in gratiam reciperet. Bolenus quanquam a Regis ira sibi timendum videret, tamen prius mandatis ejus non paruit quam ab uxore audiisset ipsam a Rege sollicitatam fuisse, nec Annam Bolenam alterius quam Regis Henrici filiam esse. Proinde in genua procumbens rogabat virum ut sibi parceret, de caetero se fidelem ei conjugem futuram. Quod ipsum cum Marchio Dorchestriae, alii que viri primarii tam suo, quam Regis nomine peterent, Thomas uxori conciliatus Annam Bolenam filiae loco educat." Haec Sanderus lib. de Schismate Anglicano.

(120) His tamen non obstantibus Anna Bolena Thomae Butleri ex Margarita, filia, hujusque filio, Thoma Boleno, proneptis habebatur. Quo praeter alia multa factum ut Petrus Butlerus, Ormoniae Comes a pseudo-Regina Anna, dum superstes esset, et a Rege, tanquam Butlerorum affine, sollicitatus, in veteres Iberniae principes non solum de se optime meritos sed etiam multiplici consanguinitatis ac affinitatis vinculo secum con-

junctos, nec non in suum sororium, Kildariae Comitem, inque
 ipsam Dei Ecclesiam, fidem Catholicam, ac Sedem Apostolicam,
 qua patrocinate ipsius olim domum ex exulum afflictissimorum |
 185 conditione ad amplissimas fortunas traductam fuisse vidimus,
 crudeli, barbaro, schismatico atque haeretico Henrico octavo
 tanquam cognatae, Annae Bolenae, viro militarit et suam ipsi
 opem ac operam in pessundanda Ecclesia Ibernica valentissimam
 accommodaverit cooptatus a Rege in Ossoriae Comitem sed
 Ormoniae non Comitatu atqui Comititis titulo exutus, quam in
 Ibernica dignitatem, nec non in Anglia Wiltoniae Comititis honorem
 Henricus in Annae Bolenae jam a se adamatae gratiam litteris
 patentibus 8^o Septembris anno regni 21^o datis Thomae Boleno,
 quia Butleris, Ormoniae et Wiltoniae Comitibus prognato, ita
 decrevit ut Anna postea capite truncata et Thoma Boleno
 maestitia defuncto Petrus in Angliam navigarit, et Rex ipsi,
 tanquam de Corona Anglicana in secundandis apud Iberniam
 haeticis ejus conatibus jam optime merito, Ormoniae Comititis
 honorem restituerit, nec Ossoriae Comititis titulum abstulerit.
 Quinetiam de Petri filio primogenito, Jacobo Butlero, genealogiae
 Butlerorum jam citatae author mihi anonymus: "Sed (inquit)
 ut ad Jacobum, Petri primogenitum, redeamus, patre adhuc
 inter vivos florente tantae fuit aestimationis ac famae, omnium
 ut sibi gratiam conciliarit et ab Henrico octavo regni sui anno
 24^o, 5^o die Julii, toti Iberniae Archithesaurarius fuerit praefectus,
 nec non Vicecomes Turlensis ingenti omnium gaudio et con-
 186 gratulatione creatus. Hic tum | ante, tum post sui patris mortem
 accerrimus fuit Coronae Anglicanae propugnator, ideoque, et
 maxime ob victoriam partam de Comititis Kildariensis haerede,
 perillustri viro, Thoma Geraldino, apud Ieropontum, amplis a
 Rege possessionibus locupletatus est, ut per litteras Regis patentes
 in curia Westmonasteriensi datas vigesimo Octobris anno Regni
 Henrici octavi vigesimo nono patet." Haec ille: qui de his
 Petri ac filii detestandis obsequiis Henrico praestitis ita loquitur
 ut in hoc atque aliis plurimis illius opusculi locis vernilem domus
 Ormonicae assentatorem et impium ejus parasitum agat cum
 Petri et Jacobi, ejus filii, obsequia profligatissimo Regi Henrico
 octavo in Ecclesiae Anglicanae atque Ibernicae perniciem scelera-
 tissime exhibita non laudem sed vituperium nec mercedem, sed
 paenas, etiam infames, meruerint. Porro parum dubito quin
 amplae illae Jacobo Butlero ab Henrico octavo transcriptae
 possessiones fuerint Ecclesiasticae, quales, praesertim monasticas,
 domui Ormonicae in impii obsequii praemium a Corona Anglicana

largissime in Ibernia concessas fuisse liquet. Caeterum idem anonymus: "reversus (inquit) in Iberniam Petrus, de more quoad vixerit quotannis postremis duabus quadragesimae septimanis sese, semotis arbitris, in quoddam cubiculum (justa B. Canici Kilkenniae templum) quod etiamnum Paradisus nuncupatur, concludebat: ubi sese orationibus, rerumque caelestium commentationi impensius | dabat, largas interim egentibus elemosynas impertiens, quo ad sacram sese Synaxim die Paschatis digne ac devote suscipiendam compararet, praemisso suae conscientiae exacto examine ac salutari culparum expiatione." Haec ille. Et nonnullis interjectis mihi hic superfluis: "Quare (inquit) Petrus plenus meritis tandem vitam hanc mortalem finivit inter amicorum et sequacium amplexus et in Principis favore (superatis iniquis rerum suarum invasoribus) vigesimo sexto Augusti anno salutis 1539, sepultusque est solemni ritu in B. Canici Kilkenniensi aede, intra templi chorum, multa prole faecundus." Haec ille: quae si fidem habent, Petrus morti vicinus damnorum a se Ecclesiae Ibernicae illatorum paenitentiam egisse videtur. Sed (ut verum fatear) illius opusculi author, domus Ormonicae totius aere et libra, omnes ingenii nervos intendit ut domum illam laudibus plerumque indebitis oneret usqueadeo ut de Petro, ejusque filio, Jacobo, et per Jacobum nepote, Thoma, tribus Ormoniae Comitibus Ecclesiae Ibernicae exitialibus et haereticorum Anglicorum in Ibernia columnis agens, res ab ipsis impie gestas sordidissima sagacitate palliet, qua lectorem non celanda celat, et quae eum non celat, subtilissimis inventionibus velat, quibus fiat ut domui Ormonicae etiam ob bella in fidei praejudicium et haereseos propagationem | ab illis Comitibus gesta laus constet non sua, ipseque nec mendax, nec haereticus, nec haereticorum fautor habeatur. Quam ejus industriam ultimus suus locus a me in medium productus haud mediocriter spirat. *Reversus (inquit) in Iberniam Petrus de more, quoad vixerit, quotannis postremis duabus, etc.,* quo loquendi modo Petrum etiam anteactis vitae annis illa devotionis exercitia *in more* posuisse indicat, licet Petrus eo progressus sit impietatis ut per annos anteriores execrandae Annae Bolenae, et Henrico octavo in immensis eorum flagitiis exequendis se valentissimum in Ibernia instrumentum praeberit. Deinde Petrum, ex quo in Iberniam reversus erat, *quotannis* ad tempus Paschale ita se pie exercuisse tradit, tametsi vel ipso aut

187

189*

190

hore non nisi Anna Bolena et Thoma Boleno sublatis in Angliam hac ultima vice navigarit, et in Iberniam regressus 26 Augusti 1539, obierit, atque adeo vix tria paschata post regressum usque ad ejus mortem superfuerint. Denique eum *in Principis favore* obiisse dicit. Quod certe Petri pietatem non extollit, cum Henricus sanctissimos quosque ab ipsius tyrannide et haeresi abhorrentes persecutus sit, sed ejus impietati, | avaritiae, crudelitati, schismati, atque aliis immensis flagitiorum voraginibus suffragantes, qualem ante alios plurimos Petrum fuisse vidimus, favore persecutus.

(121) Petro ex Margarita Geraldina, Kildarii filia, praeter duos filios, Jacobum, Ormoniae atque Ossoriae Comitem, nec non Richardum, primum Montgaretti Vice-comitem, fuere filiae sex, Margarita primum Clanricardiae Comiti, deindeque Mac-Giollapatricio, suae regiae familiae Principi, Catharina fundatissimae Poeriorum familiae coryphaeo, Joanna Jacobo Butlero, Dunboinniae Baroni, Eliza Desiorum Vicecomiti, Eleonora Thomae Butlero, Baroni Caherensi et Helena Donato O'Brien, Tomoniae Principi, Comitique nupta. Per quas Dalilas Butleras, earumque numerosam posteritatem, atque alias innumeras necessitudines aliter contractas domus Ormonica in Ecclesiae Ibernicae detrimentum suam in Ibernia factionem haud mediocriter auxit.

191

(122) Eidem Petro fuit filius naturalis, Edmundus Butlerus, anno 1527 ex monasterio Cassiliensi Ordinis sanctissimae Trinitatis, paulo ante Henrici octavi defectionem, in Archiepiscopum Cassiliensem ascitus, in cujus vita et morte describenda praefatus Butlerorum genealogiae author solitam exerit artem, quo citra iniqui scriptoris notam non solum ejus maculas sileat, sed etiam abstergat, eumque fere in sanctorum numerum referat. Quam | sui opusculi partem cum quadam dierum in Gallia, praesente Illustrissimo D. Jacobo O'Diomasa vel (ut alii dolant) Dempsii, Archiepiscopatus Dubliniensis Vicario generali atque Apostolico ad annum 1659 legerem, ille in rebus patriis optime versatus Edmundi encomia ferre non valens et cum furore *legis* exclamans. Illius (inquit) genealogiae author est haeticus. Nam secus; quo pacto fieri posset ut laudibus oneraret Edmundum Butlerum, Archiepiscopum Cassiliensem, qui usqueadeo inter Henrici octavi haeresim claudicavit, ut suam posteritatem carnaliter propagarit. Sic ille: observi quoque quo pacto author ibi vel invitus se ipsum tacite jugulet, cum Edmundum reliquis Henrici 8ⁱ diebus et aliquot ejus filii, Eduardi sexti, pariter haeretici, annis vixisse, nec nisi 5^o Martii 1551 juxta stylium Romanum decessisse tradat,

cum tamen nunquam dicat eum interea causam Catholicam nec in Henricum, nec in Eduardum, nec in nefarios eorum apud Iberniam ministros ullo unquam tempore, modo, aut occasione sustinuisse: quod ejus silentium quid intonet, lectori judicandum relinquo? Examinavimus autem quis illius opusculi inediti author fuerit? Et | in ipsa 1^a pagina reperimus primum graphice scripta, sed postea ita abrasa ut non nisi vix legi possent haec verba: *Authore R. P. Barnaba Kearneo, Jesuita Ibero Cassiliensi*. Epistolae etiam nuncupatoriae, qua opus Waltero Butlero, Ormoniae Comiti et ejus nepoti, Jacobo Butlero adscriptae genealogiae tempus Vicecomiti Turlensi, sed postea Ormoniae primum Comiti, deindeque Marchioni et nunc Duci dedicabatur, author subscribit per primas dictorum verborum litteras, ut secus diffinire non audeam, quis author fuerit, licet hominum manibus teratur.

(123) Greio ex Ibernia ad annum 1540 in Angliam accito, suffectus est ab Henrico octavo in Anglo-Ibernorum Proregem Antonius Sent leger, seu a S. Leodegario, census equestris, quem ex Sentlegeris illis Thoma Butlero, Ormoniae Comite, ad annum 1515 Londini mortuo per filiam primogenitam in Anglia nuptam prognatis fuisse mihi non constat. Porro hominem exitisse pestilentissimum et Henrici haeresi in Ibernia propagandae strenuam operam navasse ejus acta demonstrant et vel ex eo satis superque colligitur quod eum Henricus tunc ad eam provinciam obeundam assumpserit. Eo in Proregem praesidente caeptum fuit Dubliniae 13^a Junii anno 1541 | Anglo-Ibernorum Parlamentum, ante quod Henricus, ejusque praedecessores, Angliae reges, ab Anglorum in Iberniam invasione se Iberniae non reges, sed (juxta Adriani quarti decretum) dominos appellabant. Tunc autem Henricus se suosque complices a conditionibus in Adriani diplomate contentus longissime deviasse, et innumeras ipso jure censuras contraxisse, nec non Pauli tertii, Pontificis Maximi, tremendo fulmine recens vibrato ac superius posito percussos fuisse non ignorans effecit ut sui Anglo-Iberni tanquam Iberniae personam gerentes per dicti conventiculi actum ipsi, atque ejus haeredibus et successoribus, Angliae regibus, Iberniae Regis titulum decernerent. Quo etiam acto prohibitum sub paenis gravissimis nequis ullo modo contradiceret. In eodem etiam Parlamento aliud actum conditum est, cujus primas lineas latine verto.

(124) "Cum (inquiunt) Regis obedientes hujus terrae subditi Anglicani vel consanguinitate vel affinitate, quae adeo inter ipsos

Statuta
Ibern.
pag.
183.

Ibid. universaliter eo propagata est quod tractus tam arctis limitibus
pag. et ambitu circumscriptos incolant, et lege ipsis prohibitum sit
187. matrimonia cum natione Ibernica contrahere, proindeque ex
necessitate nuptias inter se celebrare cogantur adeo ut omnes
plerumque de facto vel consanguinitate vel saltem affinitate intra
gradum nonum se invicem attingere oporteat," etc. |

194 (125) Ex hoc vel solo textu constat Anglo-Ibernos, qui (suo
more ante, tunc, et diu post solito) hic se Anglos vocant, tum
Henrico in Iberniam obtemperantes adeo parvam Iberniam partem
occupasse ut Iberniam personam in illo conventiculo gerere non
valerent, veteribus Iberniam Principibus regni partem longe maxi-
mam possidentibus et adeo avitam libertatem, in sua quoque
ditione, continuantibus ut ab Anglo-Ibernibus et Henrico non
rebelles, sed hostes haberentur, ideoque ob rationes politicas
caveretur, ne (sicut hic indicatur) Anglo-Iberni ab Henrico
stantes cum ipsis matrimonia celebrarent, quibus utique fieret
ut ad se redirent et resipiscerent et ambae Ibernorum ac Anglo-
Ibernorum partes in unam gentem coalitae Regis haeretici jugum
excuterent vel communi in civilibus libertati vindicandae
insisterent.

Statuta (126) In eodem schismatico concessu latum est *actum pro*
Ibern. *matrimoniis*, quo decretum ut omnes nuptiae in Iberniam a Kalen-
pag. dis Julii proxime superioris anni 1540 contra leges tantum
188. Ecclesiasticas contractae, vel deinde sic contrahendae haberentur
validae.

195 (127) In Parlamento anteriori Dublinae Kalendis Maiis ad
annum Henrici octavi vigesimum octavum inchoato decretum
fuisse vidimus ut monasteriorum Iberniam, in quae Henricus
avaritia flagrans involaverat, Religiosi, Monachi atque alumni
in aliis | regni monasteriis collocarentur. Verum in hoc Anglo-
Ibernorum Parlamento ad annum ejusdem Regis trigesimum
tertium caepto novum Ecclesiae Anglicanae atque Ibernicae caput
ex plenitudine potestatis (O magnam Dei patientiam, qui illum
nebulonum omnium a mundo condito principem tamdiu susti-
nuit) cum suis Anglo-Ibernicis monasteriorum talium alumni-
Statuta liberalius egit per *actum pro capacitatibus* in hoc conventiculo
Iberniam pag. conditum, quo decretum ut D. Joannes Rawsonus, census eque-
191. tris, S. Joannis Jerosalimitani in Iberniam Prior, omnesque aliae
utriusque sexus personae Religiosae a suae Religionis et profes-
sionis *periculo, servitute et conditione in libertatem assertae aut*
imposterum asserendae ob suorum monasteriorum, Abbatiarum,
Prioratum aut aliarum Religiosarum domorum, aut locorum

suppressionem, confiscationem, cessionem, aut transcriptionem in Regis aliorumve manus, a prima hujus Parlamenti et *dictae libertatis* die possent agros ac alias res quascunque in suos et haeredum usus perinde conducere ac si nunquam in suis monasteriis professionem emisissent, exindeque in jus vocare et vocari in foro etiam civili, nec non res acquirere, uti et gaudere, sed ipsis nec haereditates adire, nec uxores ducere liceret sacerdotibus, nec iis qui 21 aetatis annos nati Religionis votum emisierant et in eadem Religione postea ita | perstiterant ut se ad profi- 196
tendum statum religiosum coactos fuisse non ostenderint. Ex qua limitatione colligere est per hoc actum matrimonia contrahendi factam tunc fuisse potestatem saltem iis utriusque sexus personis Religiosis, quae ante 21^m aetatis annum se Deo per Religionis votum consecraverant, quales credendum fuisse earum partem longe maximam. Diabolo quoque suum opus gradatim promovente, haeretici castitatem in eorum clero, etiam illo quem tunc nuptiis prohibuerunt, postea non solum abdicarunt, sed etiam tanquam damnationis laqueum ita damnarunt ut omnibus sacrilega matrimonia celebrandi januam aperuerint.

(128) Jam transeo ad *actum pro decimis*, ex cujus ibidem conditi initio constat haud paucos in Ibernia illis, quibus Henricus octavus decimas suo fisco sacrilege addictas iniquissime transcripserat, eas integras numerare noluisse; quare hoc actum conditum est ut decimae exinde solverentur iis, quibus eas Rex concessisset. Cujus statuti executioni exactissime insistendum erat. Ibidem quoque aliis bonorum Ecclesiasticorum praedoni- bus Henrici tyrannide ditatis provisum est de modo, quo eadem bona per vim et fucatum juris praetextum occuparent. Statut. Ibern. pag. 196.

(129) Deinde sequitur *actum pro erigendis Vicariatibus* | quippe 197
ditissimis Monasteriis, in quibus et a quibus antea annexarum parochiarum cura in spiritualibus habebatur, dissolutis, et Henrici ac fautorum avaritiae dedicatis, eorumque personis Ecclesiasticis dispersis, parochiae illae pastoribus destitutae sunt, Monasteriorum invasoribus adeo lucro inhiantibus ut ne modicum quidem stipendium sacerdotibus sacra ibi facturis et sacramenta ministraturis ad vitam sustentandam necessarium solverent. Quare illarum parochiarum indigenae, Regis (sicut ibi habetur) *subditi obedientissimi et amantissimi*, atque adeo Anglo-Ibarni, Parlamento supplicarunt, ut remedium adhiberetur. Unde hoc acto decretum ut in iisdem parochiis constituerentur Vicarii ab Antonio Sentlegero, Prorege haeretico, Joanne Alleno Regis Cancellario, Guillelmo Brabanzano, Regis Praefecti fiscalis legato,

Ibid.
p. 200.

198

Geraldo Aylmero, Equite, Regis primario actorum forensium ad suum tribunal decidendorum iudice, Thoma Lutrello, census Equestris primario Curiae communium placitorum Justitiario, Jacobo Batho, primo Fiscii regii Barone, Roberto Cowleio, Scrini-
iorum magistro, Thoma Houtho, secundario subsellii regii Iudice, Patricio Barnevallo, Statore legali et Roberto Dillon, generali Regis Advocato nominandi et pensionibus annuis ex monasteriorum jam dictorum bonis ita impertiendi ut nullius annua pensio
tredecim libras, | sex solidos ac octo denarios Ibernicos excederet, omnesque ejusmodi tanquam jure patronatus a Rege et successoribus praesentarentur, eidemque et successoribus anni primi emolumenta, deindeque vigesimam quotannis proventuum partem instar reliquorum e clero numerarent. Quae omnes conditiones quid nisi sordidissimam Henrici et praefatorum suorum in Iberniam officialium avaritiam ac ardentissimum fidei Catholicae extirpandae, atque haeresis propagandae desiderium spirant, cum dubitandum non sit quin praenominati officiales fuerint haeretici, et ex industria delegati ut inter alia clerum haeticum deligerent. Quin imo validissime praesumendum est illos parochiarum jam dictarum indigenas haeticos extitisse, cum ad Proregem et Ministros regios ea animarum peste laborantes praefatum recursum habuerint.

Stat.
Ibern.
pag.
212.

199

(130) His atque aliis nonnullis actis in eo conventiculo Dubliniae conditis, sancitum mense Decembri eodem anno 1541 ut idem Parlamentum prorogaretur et mense Febuario anno 1542 Limerici, Anglo-Ibernorum apud Momoniae provinciam civitate, sederet. Ubi decretum ut acta contra varias solemnitates et condiciones ex ipsis Anglo-Ibernorum legibus requisitas, ibique dinumeratas antea lata, non propterea refigerentur, sed vigerent. Unde multa et forsitan omnia acta anteriora, quae in Ecclesiae perniciem condita fuerant, non nisi | contra ipsius juris Anglo-Ibernici normam celebrandis eorum comitiis praescriptam sancita fuisse, proindeque multam surreptionem, fraudem et conjuratorum malignitatem intervenisse, ipsorumque Anglo-Ibernorum alios aliis fucum fecisse colligendum puto. Quicquid sit illud actum Limericense aliorum praecedentium defectus supplevit, atque adeo omnium pene iniquitatem superasse vel certe aequasse videtur.

Ibid.
pag.
204.

(131) Limerici etiam *actum pro eligendo Prorege* conditum est: quo provisum, ut quoties Anglo-Ibernorum Prorex pro tempore decessisset, vel ejus sedes quocunque modo vacaret, Regii apud Iberniam Consilarii non alibi quam in comitatibus Dubliniensi, Midensi, Louthensi, Kildariensi, Kilkenniensi, Tiperariensi, Wex-

fordiensi, Waterfordiensi, Corcagiensi, Kierriensi et Limericensi degentes in unum convenirent, et proregem eligerent, sed in Anglia natum, si tunc talis in Iberniam se teneret ad officium illud tractandum idoneus: sin autem, duos ex eodem concilio eligerent Anglicanae originis et nominis (exclusis ecclesiasticis) quorum esset Proregis vicem obire usque ad Regis beneplacitum in contrarium. Porro licet in praefatis Iberniae comitatibus Anglo-Iberni habitarent, in ipsis tamen (nedum in aliis regni tractibus) veteres Iberni | ruri numero et viribus longissime praestabant exceptis pauculis comitatibus, qui Provinciam Anglicanam in vicinia Dublinensi conflabant. Limerici etiam tunc latum fuit statutum, quo cum aliquot limitationibus decretum ut nemo in Anglo-Ibernorum foro causas oraret, nisi in Anglia aliquot annos municipali Anglorum juri studuisset. Quo acto, tanquam novo haeticorum artificio, aperta fuit porta ad Anglo-Ibernicos causarum forensium patronos vel haeresi inficiendos vel gravissime tentandos ad haeresim amplectendam, tanquam in Anglia periculosissime educandos, et assidua legum haeticarum lectione, studio, citatione, proindeque impietate occupandos.

200

Ibid.
pag.
216.

(132) In eadem civitate Limericensi ab illo Parlamento sancitum est, quod hic sequitur.

Actum circa possessiones a Rege concessas conditum.

"Cum serenissima supremi Domini nostri, Regis, Majestas, quo huic suae Celsitudinis regno Iberniae subveniret et roboraret, considerans quam pauci viri nobiles et honorati in eodem existant, ex sua benevolentia maxime regia diversas personas in hoc regno honoris titulis et dignitatibus exornaverit, crexerit et extulerit atque imposterum exornare, nominare, | erigere et evehere secum statuatur transcribendo ipsis multas possessiones et haereditamenta et in alios alia sua latifundia, praedia, tenementa atque haereditamenta in eodem regno liberaliter distribuere cupiat, licet omnis proditio aut transgressio subditi debito contraria, ab iis, quibus sua Majestas ejusmodi beneficia tanta clementia donavit et dedit, vel imposterum qualescunque ejusmodi honores, titulos, nomina, dignitates, latifundia, dominia, possessiones, proventus annuos aut qualiacunque alia emolumenta, commoditates et haereditamenta donaverit, aut dederit, perpetranda (si juxta suae Majestatis leges modo debito condemnati fuerint) futura sit suae Majestati sufficiens titulus, jus et causa vendicandi sibi iterum omnia ejusmodi, quae ante distribuerit; nihilominus quo id universo mundo magis constet, et ii, in quos illa dona et munera collata

Statut.
Ibern.
pag.
218.

201

fuerint, hactenus ad quid subditus teneatur, maximopere ignorantes, semper ob oculos habeant non solum gratiosissimam suae Majestatis liberalitatem et benevolentiam, sed etiam debita ab ipsis obsequia in suae Majestatis *litteris patentibus* manifeste expressa verbis sufficientibus ad significandum et connotandum eam donationem et transcriptionem semper involvere illam conditionem, adeo ut in agendis partibus suis nullam praetendant | ignorantiam : sua Majestate dignante et consentiente, nec non suffragantibus dominis spiritualibus et temporalibus ac communibus in hoc Parlamento congregatis, ejusdem Parlamenti autoritate sancitur, statuitur, et decernitur ut si aliquis vel aliqui, cujuscunque status, dignitatis, gradus, aut conditionis fuerint, aut eorum vel cujuscunque eorum haeredes, aut alii quicunque nomina, promotiones, honores, titulos, dignitates, gradus, annuos proventus, possessiones, tenementa, vel quaecunque alia haereditamenta, vel quamlibet eorum partem aut portionem antehac a sua Majestate cuicunque personae vel personis libere concessam aut imposterum donandam vel transcribendam in substantiam habentes ; ullam confaederationem, quam lex prodicionem esse declarat, cum rebellibus in suam Majestatem coiverint, aut ullum spontaneum bellum vel invasionem in suam Majestatem aut ejus veros et fideles subditos susceperint, aut quacunque alia ratione suae fidelitatis debitum, cujus transgressionem lex prodicionem esse declarat, ullatenus violaverint, aut conventionibus et pactis, quae in praefatis litteris patentibus comprehenduntur, de quibus praestandis inter ipsos et suae Majestatis deputatum, nec non hujus regni Concilium pro tempore, vel majorem eorum partem, quando quodpiam ejusmodi donum aut munus a | sua Majestate, haeredibus aut successoribus, Angliae Regibus, (sicut praedictum est) receperunt et acceperunt, recipient aut accipient, convenerit ; non steterint, et id debito legum suae Majestatis ordine tanquam res judicata constiterit, fuerit ac pars rea peracta, tunc illi omnes quocunque jure, emolumento, titulo, quae sic offendentes et modo jam dicto condemnati, vel quicunque alii ad eorum usum, in nominibus, honoribus, dignitatibus, possessionibus, tenementis, aut aliis haereditamentis per donationes aut concessionem antehac a sua Majestate factas aut imposterum a Rege, haeredibus, aut successoribus, Angliae regibus faciendas habuerint, exuantur et multentur. Praeterea eadem autoritate decernitur ut in omnibus cujuscunque nominis, provectionis, honoris, tituli, juris, dignitatis, possessionum, tenementorum aut haereditamentorum transcriptionibus et donationibus a sua Majes-

tate, haeredibus aut successoribus in cujuscunque personae vel personarum favorem apud hoc suae Majestatis Regnum antehac libere factis, aut imposterum faciendis verba hic sequentia vel similia contineantur et exprimantur, nempe ut si illi, quibus illa dona vel munera concessa fuerint, vel haeredes aut assignati eadem aut quamcunque | eorum partem possidentes, ullam post-
 hac cum quibuscunque in suam Majestatem rebellaturis aut cum
 ejus hostibus confaederationem contra suam Majestatem (sicut
 praedictum est) percusserint, aut spontaneum bellum, invasionem
 aut destructionem in suam Majestatem vel in ejus genuinos,
 fideles atque obedientes subditos susceperint, aut fidelitatis atque
 obsequii transgressionem, quam lex proditorem esse pronunciat,
 quacunque alia ratione ullatenus incurrerint, et juxta debitum
 suae Majestatis, haeredum aut successorum legum cursum con-
 demnati fuerint, aut promissa, conventiones, consensiones et pacta
 in praefatis litteris patentibus contenta atque expressa, de quibus
 inter ipsos et praefatum suae Majestatis Proregem et Concilium
 arcanum pro tempore convenerit, non praestiterint, tunc omnes
 modo jam dicto condemnati omnibus ejusmodi titulis, juribus,
 et possessionibus dicti supremi Domini nostri, Regis, fisco addi-
 cendis exuantur et multentur, quae ipsis competierint virtute
 cujuscunque talis donationis factae in favorem ipsorum vel prae-
 decessorum, aut cujuscunque ex eorum praedecessoribus, aut
 quorumcunque aliorum, quorum bona in quocunque ejusmodi
 honore, nomine dignitate, praediis, tenementis, haereditamentis,
 aut quapiam | illorum parte possederint, quacunque in quibusvis
 ejusmodi donationibus et concessionibus contenta conditione,
 clausula, et re vel rebus non obstantibus ; proviso semper quod
 omnes aliae confiscationes ob proditores incurrendae Regis
 Majestati, haeredibus et successoribus perinde competent ac ante
 conditum hoc actum competeant."

(133) Ante hoc actum Angliae Reges non nisi Anglo-Ibernorum paucos (sicut hic innuitur) Comitum, Vicecomitum, Baronum et Equitum honoribus exornaverant : sed titulis illis postea Anglo-Iberni solito quidem frequentius, non tamen frequenter, insigniti sunt, ditatique magno numero possessionibus Ecclesiasticis ea lege in schismaticos (sicut hic constat) distributis ut coronam Anglicanam in pessundanda Ecclesia nationeque Ibernica secundarent, nulloque casu in Henricum, ejusve successores, Angliae Reges, insurgent. Quae diabolica esca haeresim in Iberniam introduxit, fovit et propagavit. Porro quod ad veteres Iberos

spectat: licet Ecclesiam ante et post Anglorum invasionem liberalissime ditarint dotarintque, et orto Henrici octavi schismate praesagerint futurum ut secus haeretici ac schismatici in eas possessiones involarent, adeo tamen ab illis agris repetendis abhorruerunt, ut eorum nemo vel certe paucissimi se illo scelere contaminarint.

206

Statuta
Ibern.
pag.
220.

(134) In urbe etiam Limericensi *actum de Kilmaina* | *et aliis domibus Religiosis supprimendis* tunc conditum est, quo etiam in Reges favorem allegatur Joannem Rawsonum, Equitem, Kilmainae Priorem, aliosque varios Abbates, Priores, Abbatissas, Priorissas, et diversos Monasteriorum, domorum Religiosarum, Collegiorum, et similium praefectos ac praefectas in Iberniam, suapte sponte, nemine cogente, a 4^o Februarii anni 27 Henrici octavi per instrumenta publica suorum conventuum singulis munita juxta Anglo-Ibernorum legem Monasteriorum, Collegiorum, et conventuum suorum possessiones atque emolumenta omnia (O infames apostatae!) Regi transcripsisse. Qua diabolica Anglo-Ibernicae utriusque sexus personarum Ecclesiasticarum perfidia, ignavia atque apostasia usus est Henricus ut eo tituli re ipsa iniquissimi praetextu, nedum sua tanquam Capitis Ecclesiae Ibernicae autoritate et tyrannide, vastas illas possessiones Ecclesiasticas in sui fautores distribueret. Inter quam horrendam apostasiam non defuerunt ex clero Anglo-Ibernico personae Monasticae, quae possessiones ad sua Monasteria spectantes in defectionis praemium dono regio obtinuerunt, easque suis liberis nefario matrimonio natis et posteritati sic ditatae, atque aliis malis artibus ad honores provectae reliquerunt, quorum sanguis postea nobilissimas quasdam Iberniae | familias per filias ipsis nuptum datas conspurcavit. Caeterum hoc actum Limerici conditum altero simili in Comitibus ad annum Henrici octavi vigesimum octavum Dubliniae caeptis antea lato generalius fuit, cum primum non nisi ad domos Ecclesiasticas ibi nominatas, easque pauciores, hoc vero se etiam ad alias posterius prophanatas et postea prophanandas extenderit ut Regi in omnes titulum decreverit. Denique illud Parlamentum Anglo-Ibernicum finitis suis sessionibus Limericensibus prorogatum postea eodem anno 1542 Triminae, deindeque Dubliniae iterum sedit, in hac ultima urbe post varias prorogationes et sessiones interstitiis interruptas demum 19 Novembris anno 1543 dissolutum.

207

(135) Nefaria illa statuta ab Anglo-Ibernis et Henrico octavo, ejusque Prorege condita, aliaeque eorum leges non in veterum Ibernorum regionibus sed in ipsorum Anglo-Ibernorum nec

omnium, districtu executioni mandabantur, qui, etiam in ipsa Iberniae Provincia Anglicana pauculos viciniae Dubliniensis comitatus continente, quam arctis tunc limitibus circumscriberetur, indicat vel illius Parlamenti actum mense Novembri anno 1543 sancitum, quo comitatus Midensis, dictae Provinciae Anglicanae pars, in duos comitatus, Midiam orientalem et occidentalem divisus est ut in utroque statuta | Anglo-Ibernica melius effectum sortirentur, antea (sicut ibi habetur) rejecta in magna Midiae occidentalis parte, in cujus etiam circuitu veteres Iberni coronae Anglicanae imperium spernentes et avitis legibus ter Catholicis utentes dominabantur. Quo etiam statuto decretum ut Comitatus ex Midia occidentali recens conflati caput esset Molinegearra, hujusque temporis *nuperum fratrum*, quos Franciscanos fuisse crediderim, *Monasterium* in publicum novi comitatus ergastulum (observa hominum inhumanam impietatem) converteretur.

Statut.
Ibern.
238.

208

(136) Eodem anno 1543 O'Nellus, Connus cognomento Claudus, quem ad annos superiores Henrico octavo bellum haud semel indixisse vidimus, transactionibus cum Prorege absolutis, fide publica in Angliam trajecit, ibi, suo principatu ipsi etiam per diploma regium confirmato, in Tironiae Comitem ab Henrico octavo ad kalendas Octobris inauguratus. Quo nomine ab aliis antiquis Iberniae Principibus ejusmodi dignitates a corona Anglicana millies conferendas more majorum semper aspernatis justissimo ludibrio habitus est, quod veterum Insulae Principum antiquissimo Iberniae sanguine regio prognatorum esset primus, qui ridiculum illum Comitis titulum ab haeretico Anglo in escam politicam | concessum admiserit, licet suum principatum nec juri nec magistratui nec foro Anglicano submiserit, sed antiquis praerogativis mordicus institerit, excepto nescio quo imaginario obsequio, quod Henrico ut ejus rabiem sedaret, spopondit.

209

(137) Vidimus superius Jacobo Geraldino, Desmoniae Comite, qui tot annos in Henricum octavum rebellaverat, ad annum 1536 defuncto, evasisse Desmoniae Comitem ejus patrum, Thomam *Calvum*, quem diebus illis ecclesiae Ibernicae fatalibus ex quo Comitem induerat, suis Anglo-Ibernis coaluisse et Henrico octavo obsequium praestitisse video, usqueadeo ut ejus ex Mauritio, filio, nepos, et ex asse haeres, Jacobus Geraldinus, patre et avo paterno viventibus ac morientibus, *Henrico octavo praetextatus assecla in Anglia ministrarit*. Porro Thomas, quinquennalis Comes, sed octoginta circiter annos natus diem obiit, praefato Mauritio filio, quem ex Muscriae Principis filia in uxorem ducta susceperat,

Relatio
Geraldinorum.
pag. 35.

pag. 35. praemortuo, cujus filius, Jacobus jam dictus "audito avi obitu
 Relationis Geraldinorum verba legis) copiam redeundi in Iber-
 niam enixe a Rege petit et obtinet. Rex insuper, ex sua in
 juvenem benevolentia, eundem omnibus expeditioni necessariis
 abunde instructum dimittit, et cognito in Ibernia non defuturos |
 210 ex propriis consanguineis, qui venienti adversarentur, ad asseren-
 dum ipsi avitum patrimonium validam armatorum manum con-
 cedit. His itaque comitatus Corcagiae in terram exscendit, et
 inde, Limericum versus iter faciens, dum pertransiret Vicecomitis
 Rochaei terras, positus a propinquissimo sibi Mauritio Geraldino
 insidiis, ipse solus, haud alio quoquam desiderato, infaeliciter
 occisus est anno 1542.

(138) "Crudele istud facinus praeclarissimae huic familiae
 primus ad ruinam gradus fuit; in cujus vindictam divinum
 numen universam Joannis, Desmonii, progeniem funditus extir-
 pavit. Hic etenim Mauritius, necis consanguinei author, filius
 erat secundus natu Joannis Desmonii, qui Thomae calvo
 frater et quartus Comitis Drohudahae decollati filius extitit.
 Verum (ut de Mauritio, quod res est, dicamus) vir erat tam bello
 clarus, quam domi magnificus, ea tamen in omnes, etiam suos,
 crudelitate, ut naturam penitus exuisse videatur, homo Euripus,
 et pro utilitatis ratione in omnes partes, vel laesa fide, versatilis.
 Quamobrem frater ipsius, natu major, nimium quam formidans
 sibi a tam feroci ingenio, possessiones ei assignare a suis limitibus
 longius se motas tutissimum duxit, atque ita concessit illi Barona-
 tum Kierriae | Curihae inter infestissimos hostes situm, eo nimi-
 211 rum consilio ut si illorum machinationibus non caderet, saltem
 haberet semper prae manibus, quo ab inferendo sibi damno dis-
 tineretur. Attamen Mauritius per triginta annorum spatium,
 invicto animo, adversantium impetus sustinuit ac fregit. Tandem
 octogenarius licet, corpore adhuc valens, depredandi causa in
 Muscriam excurrit, ubi insequente ipsum Dermotio Mac Teig,
 genero suo et terrae illius Domino, profligatus est et captivus
 factus, quatuor equitibus a Dermotio in custodiam traditus dum
 ipse reliquos fugientes persequeretur. Interim vero custodes
 Mauritium crudeliter trucidarunt, eodem plane genere ab ipso
 paenas exposcente divina justitia, quo ipse alios in bello captos
 neci dederat. Prolem habuit, filios duos et tres filias, quarum
 prima Mac-Cartio Riagho nupserat, altera Vicecomiti Rochaeo,
 et tertia Dermotio Mac Teig, Muscriae Domino. Thomas natu
 maximus haud multum patri supervixit, filium relinquens Thomam
 Juniolem qui in proximis Desmoniorum bellis occubuit. Alter

vero, Jacobus Mac Mauritius, vitam diutius quidem, sed extremo | Geraldinorum fato protelavit.

(139) "Joannes, Desmonius, quartus decollati Comititis filius, post legitimum haeredem insidiis Mauriti (ut diximus) sublatum, comitatu Desmoniae potitus est, quem tamen ultra annum non tenuit, sic disponente divino numine, ut qui, Achabi instar, haereditatem sanguine alieno capesserat, suo amitteret." Haec ibi.

212

(140) Defuncto Joanne Geraldino, unum annum Desmoniae Comite, ejus filius primogenitus, Jacobus, splendido comitatu ad annum 1543 in Angliam navigavit et Henrico octavo se submitit. "Rex bello Gallico (inquit idem author) tunc temporis occupatus et commotionum fomitem in Iberniam penitus extinctum cupiens, summa cum benevolentia Jacobum excipit. Antiquum patrimonium ipsi, simulque fratribus amissam dignitatem de integro restituit. Ipsum denique Iberniae Thesaurarium et Momoniae Praesidem creatum honorifice in sua dimittit." Haec ille: ex quibus colligo hanc domum in Momonia potentissimam et Henricum octavum his ultimis annis, deindeque mutuam sibi operam praestitisse in veteribus Iberniae, praesertim Momoniae Principibus, potissimum Mac-Cartiis cohibendis, alias Marte effecturis ut haereticum Henrici jugum excuteretur, licet Mac-Cartius Magnus, suae regiae familiae et Momoniae Australis Princeps, Daniel vel (ut alii latine vertunt) Donaldus, postea a Regina Elizabetha Clancartiae Comes creatus, hujus ultimi Desmoniae | Comititis filiam, Onoram, matrimonio sibi copulaverit, et suam ipsi sororem nuptum dedit.

pag. 39.

213

(141) Florentissimae ac regiae O'Briennorum familiae vetustissimum in Iberniam patrimonium, Momoniam Borealem, seu Tomoniam, Rex Angliae, Eduardus primus, suis Anglis, Richardo et Thomae Clarensibus e Comitum Glocestriae stirpe concessit. Quod et illi gladio invaserunt. Verum Richardo post aliquot annos in possessione transactos non solum die Maii decima ad annum 1318 ab O'Briennis Mac-Cartii Magni ope nixis perempto cum aliis multis ipsi adhaerentibus, sed etiam in frustra discerpto et copiis profligatis, ille principatus in suorum principum potestatem recidit. Qui nihil sibi ab Anglia nisi vindictam spondentes, tam ipsi quam posterius usque ad illa Henrici octavi tempora bello semper Anglis apud Iberniam infausto possessionem continuarunt. Tunc autem eo res deducta fuit, ut Murchardi O'Brien nepos et haeres, Donatus, Helenam Butleram, Petri Butleri, Ormoniae atque Ossoriae Comititis, ab ipsis O'Briennis

ad annos superiores praelio triumphati, filiam in uxorem duxerit, ipseque Murchardus suae regiae familiae et Thomoniae Princeps, absolutis cum Prorege in Ibernica transactionibus, anno 1544 fide publica in Angliam navigarit, ubi eum Henricus octavus in Principatus possessione confirmatum in Tomoniae Comitem |
 214 induit, illeque umbratile Henrico obsequium in civilibus ita obtulit ut nec legi, nec magistratui, nec tribunali nec haeresi Anglicanae suum Principatum submiserit, sed caetera avitae ibi libertati et praerogativis, praesertim Catholicismo, constantissime institerit. Quo etiam tempore Ulicus de Burgo, Mac-Willelmus, familiae Boorkorum vel de Burgo in Conacia fundatissimae, nobilissimaeque Princeps, Anglo-Ibernus, conditionibus utilissimis allectus in Angliam transmisit, ibi ab Henrico octavo Clanricardiae, suae in Ibernica dynastiae, Comes creatus ea lege ut more majorum ad coronae Anglicanae obsequium rediret. Porro O'Brieno, O'Nello et Mac-Willelmo jam Comitibus Henricus tria Augustalia in vicinia Dublinensi donavit ut ibi, quoties vellent, habitantes linguae, et ritibus Anglicanis Anglo-Ibernorum consuetudine assuefierent.

(I42) Biennio circiter interjecto Jacobus Butlerus, Ormoniae atque Ossoriae Comes, qui cum patre, Petro, et post patrem vita defunctum sceleratissimas Henrici 8 machinationes in Ibernica potentissime secundaverat, in Angliam postquam nequissimo Anglo-Ibernorum Parlamento ad annum 1541 inchoato et ad annum 1543 dissoluto interfuisset, transvectus, ibidem 19 Octobris
 215 1546 et anno Henrici octavi trigesimo | octavo expiravit. De cujus paenitentia ne verbum quidem habet domus Ormonicae genealogia toties a me citata, licet author in ipsis illius familiae tabulis domesticis versatissimus fuerit, et ei supra modum ita se studuisse ostendat ut in omnes se facies vertat, quo nedum alios Ormoniae Comites, qui tempore Catholico vixerant, sed etiam Jacobum totius posteritatis contemptu dignissimum laudibus oneret.

(I43) Supremo Judici de tot tantisque flagitiis responsurus paulo post secutus est ipse Rex Henricus ad ineuntem annum 1547 defunctus, qui licet plures a patre acceperit opes quam quivis alius Angliae Rex a decessore, infinitas corraserit, pecuniam subaeraverit, pluresque (teste Cardinale Polo) quam omnes Reges a Normannica victoria decessores ex tributis opes congesserit, et Parlamentaria autoritate latifundia omnia in Ibernica, quae Angli absentes tenuerunt, omnes Ecclesiasticorum beneficiorum a se non devoratorum primitias et competentem proventuum

annuorum portionem in Anglia, suaque Iberniae parte, Monasteriorum redditus, donaria et bona, et non paucorum Catholicorum magni nominis patrimonia fisco in fidei odium addicta rapuerit, ipsasque sacras S. Thomae Cantuariensis Reliquias secundo martyrio ab ipso affectas ingenti thesauro | spoliaverit, aliisque malis artibus citra finem suam avaritiam satiare conatus sit, infamis tamen aeruscatore decessit indignus, Deo et Sanctis ita eum maledictione cumulantibus ut ante mortalium pene reliquos experientia compertum habuerit verissimum esse illud adagium : *Male parta male dilabuntur*. Ex sex uxoribus Catharinam Hispanicam iniquissime repudiavit. Annam Bolenam adulterii crimine damnatam securi percussit. Jana Seimera ei postridie nupta et suo tempore filium utero excisum enixa vitam finivit. Annam Clevensem pariter repudiavit. Catharinam Hovardam similiter ob adulterium capite truncavit, Catharinam Pariam ante et post viduam eodem supplicio (ut creditur) affecturus nisi ipse diem citius obiisset. Gliscente inter Germanos Lutheri haeresi, et Henrico circa idem tempus aliquem titulum a Sede Apostolica concedendum ambitiosissime per litteras et legationes postulante, Leo decimus ejus et Cardinalis Wolsaei instantiis fatigatus diversorum titulorum indicem scripsit, ac in Henrici arbitrio posuit, ut quem omnium vellet, assumeret. Ille vero ante alios *Defensoris Fidei* honorem affectavit, et ne non meruisse videretur, librum in haeresim Lutheranam nunquam a se compositum sed instar plagiarum suo nomine editum illi titulo assequendo praetendit. Quare Lutherus, alter porcus et ursus, ita calamum | in Henricum necdum lapsum acuit, ut Henricus non solum Catholicus, sed etiam postea haereticus capitali odio Lutherum persecutus et Lutheranos perinde ac Catholicos persecutus secundam haeresim ex articulis pestilentissimis a se excogitatis consarcinatam in Anglia atque Iberniae parte ab Anglo-Ibernibus ejus imperium non detrectantibus occupata propagarit. Verum Eduardo sexto jam dicto ejus filio, regnante, Anglia et praefata Iberniae pars Lutheranismo januam aperuit. Idemque Rex apud Iberniam in prophanandis bonis Ecclesiasticis progressum fecit. Quo etiam regnante Anglo-Ibernorum Prorex haereticus, Eduardus Bellinghamus cum suis Anglo Ibernorum viribus in O'Conorum, O'Morraeum, O'Diomaseum, Lageniae Principes antiquo regum Iberniae sanguine prognatos juxta Provinciam Anglicanam in vicinia Dublinensi sitam late dominantes, et in alios ex eadem antiquissima veterum Ibernorum nobilitate Lagenienses movit, non obstantibus transactionibus ante cum

pag. 69. Henrico octavo celebratis, affecturus ut illis fidei Catholicae assertoribus extirpatis haeresis et haeretici in eorum principatibus plantarentur. De quo atque hoc ejus progressu Davisius : " Erat (inquit) primus Prorex (a tempore Regis Eduardi tertii usque ad Eduardi sexti regnum) qui Provinciae Anglicanae limites extenderit." Sic ille. Verum ille progressus paulo post ad nihilum recidit | nam illi bello instaurato Principatus sibi iniquissime ereptos deturbatis haereticis generose recuperarunt.

218

COMMENTARIUS RINUCCINIANUS

VOLUMEN I.

PARS II.

Ann. 1553-1599

(1) Eduardus 6^{us} regnandi juxta ac vivendi finem fecit anno 1553 octavo Idus Julii, annos natus circiter sexdecim. Quo sublato successit germen sanctum et filia benedictionis, Maria, Henrici octavi ex prima uxore, Catharina Hispanica, proles, quae non Henricum patrem nec Eduardum, fratrem, sed probam matrem imitata, velut altera Esther Ecclesiam Anglicanam et Iberniae partem coronae Anglicanae subditam, quam utique solam haeresis infecerat, ab Aegyptiaco schismatis et erroris jugo liberavit, adjuvante Julio tertio deindeque post Julii mortem praepropere secutam Paulo quarto, Polo quoque Cardinale, nec non Carolo quinto matruale et Philippo secundo Hispaniarum Monarcha potentissimo, suo marito. Invenit illa, ad regni exordium, "sanctificationem desertam, altaria prophanata, portas exustas et in atriis virgulta nata sicut in saltu vel in montibus." 1 Mach. 4
Sed "elegit sacerdotes sine macula voluntatem habentes in lege Dei et mundavit sancta et facta est laetitia in populo magna valde et aversum est opprobrium gentium."

(2) Plurimos Catholica illa virago magnasque in restituenda hoc modo Ecclesia atque haeresi restinguenda difficultates superavit, | haereticis, etiam aliquot Angliae proceribus, nihil occulta arte et aperto Marte non molientibus quo illam Regno et illa Regnum intercluderent. Sed dedit demum veritati manus mysterium iniquitatis et triumphavit Fidei Bellona, cui similem aestate sua vix invenit Salomon, licet quaesierit dicens: *mulierem fortem quis inveniet? Procul et de ultimis finibus pretium ejus.* 219
Porro Julius tertius in Ecclesia Anglica convertenda suas partes acturus allegavit ad Reginam Mariam Reginaldum Polum, S.R.E. Cardinalem, natione Anglum, et regio Anglorum sanguine imbutum, cui amplissimas concessit facultates postea (ut ferunt) a Paulo quarto ad Iberniam extensas, quas propterea hic in medium producendas duxi: Prov. 31.

Julius Papa tertius, etc.

(3) "Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem: Dudum cum carissima in Christo filia nostra, Maria, Angliae tunc Princeps, Regina declarata fuisset, et speraretur regnum Angliae, quod saeva Regum tyrannide ab unione sanctae Ecclesiae Catholicae separatum fuerat, ad ovile gregis Dominici et ejusdem

Ecclesiae unionem, ipsa Maria praesertim regnante, redire posse.
 220 Nos te praestanti virtute, singulari pietate, | et multa doctrina
 insignem ad eandem Mariam Reginam et universum Angliae
 regnum, de fratrum nostrorum consilio et unanimi assensu,
 nostrum et Apostolicae Sedis Legatum de Latere destinavimus,
 tibi que, inter caetera, omnes et singulas utriusque sexus tam
 laicas, quam Ecclesiasticas saeculares et quorumvis ordinum
 Regulares personas in quibusvis etiam sacris ordinibus constitu-
 tas, cujuscunque status, gradus, conditionis et qualitatis exis-
 terent, et quacunque Ecclesiastica, etiam Episcopali, Archiepis-
 copali et Patriarchali, aut mundana, etiam Marchionali, Ducali,
 aut Regia dignitate praefulgerent, etiamsi capitulum, collegium,
 universitas, seu communitas forent, quarumcunque haeresum aut
 novarum sectarum professores, aut in eis culpabiles vel suspectos
 ac credentes, receptatores, et fautores eorum, etiamsi relapsi
 fuissent, eorum errores cognoscentes et de illis dolentes ac ad
 orthodoxam fidem recepi humiliter postulantes, cognita in eis
 vera et non ficta aut simulata paenitentia, ab omnibus et singulis
 per eos perpetratis haereses et ab eadem fide apostasias, blas-
 phemias et alios quoscunque errores etiam sub generali sermone
 non venientes sapientibus, peccatis, criminibus, excessibus, et
 220 delictis, nec non | excommunicationum, suspensionum, et inter-
 dictorum et aliis Ecclesiasticis ac temporalibus, etiam corporis
 v. afflictivis et capitalibus sententiis, censuris et paenis in eos
 praemissorum occasione a jure vel ab homine latis vel promul-
 gatis, etiamsi in eis viginti vel plus annis insorduissent, et eorum
 absolutio Nobis et dictae Sedi et per litteras in die Caenae Domini
 legi consuetas reservata existeret, in utroque conscientiae vide-
 licet et contentioso, foro plenarie absolvendi et liberandi ac aliorum
 Christi fidelium consortio aggregandi, nec non cum eis super
 irregularitate per eos praemissorum occasione, etiam quia sic
 ligati Missas et alia divina officia, etiam contra ritus et caere-
 monias ab Ecclesia eatenus probatas et usitatas celebrassent, aut
 illis alias se immiscuissent, contracta, nec non bigamia per eosdem
 clericos saeculares vel Regulares vere aut fecte, seu alias quali-
 tercunque incursa, etiamsi ex eo quod clerici in sacris constituti
 cum viduis vel alias corruptis matrimonium contraxissent, prae-
 tenderetur, rejectis et expulsis tamen prius uxoribus sic de facto
 copulatis, quodque bigamia aut irregularitate ac aliis praemissis
 non obstantibus in eorum ordinibus, dummodo ante eorum
 221 lapsum | in haeresim hujusmodi rite et legitime promoti vel
 ordinati fuissent, etiam in altaris ministerio ministrare, ac quaecun-

que et qualitercunque, etiam curata, beneficia saecularia vel Regularia, ut prius, dummodo super eis altari jus quaesitum non existeret, retinere, et non promoti ad omnes, etiam sacros et praesbyteratus ordines ab eorum ordinariis, si digni et idonei reperti fuissent, promoveri, ac beneficia Ecclesiastica, si eis alias canonice conferentur, recipere et retinere valerent, dispensandi et indulgendi ac omnem inhabilitatis et infamiae maculam sive notam ex praemissis quomodolibet insurgentem penitus et omnino abolendi, nec non ad pristinos honores, dignitates, famam, et patriam, ac bona etiam confiscata, in pristinumque et eum, in quo ante praemissa quomodolibet erant, statum restituendi, reponendi et redintegrandi, ac eis, dummodo corde contriti eorum errata et excessus alicui per eos eligendo Catholico confessori sacramentaliter confiterentur, ac paenitentiam salutarem eis per ipsum confessorem propterea iniungendam omnino adimplerent, omnem publicam confessionem, abjurationem, renunciationem et paenitentiam jure debitam arbitrio tuo moderandi, vel in totum remittendi, nec non Communitates et universitates ac singulares |
 personas quascunque a quibusvis illicitis pactionibus et conventionibus per eas cum dictis aberrantibus, seu in eorum favorem
 quomodolibet initis et eis praestitis juramentis et homagiis, illorumque omnium observatione, et, siquem eatenus occasione eorum incurrissent, perjurii reatu etiam absolvendi et iuramenta ipsa relaxandi, ac quoscunque Regulares et Religiosos, etiam in haeresim hujusmodi (ut praefertur) lapsos, extra eorum Regularia loca absque dictae Sedis licentia vagantes ab apostasiae reatu et excommunicationis aliisque censuris ac paenis Ecclesiasticis per eos propterea, etiam juxta suorum ordinum instituta, incursis pariter absolvendi, ac cum eis, ut alicui beneficio Ecclesiastico curato, de illud obtinentis consensu, etiam in habitu clerici saecularis, habitum suum Regularem sub honesta toga praesbyteri saecularis deferendo, deservire, et extra eadem Regularia loca remanere libere et licite possint, dispensandi, nec non quibusvis personis, etiam Ecclesiasticis, ut quadragesimalibus et aliis anni temporibus et diebus, quibus esus ovorum et carniū est de jure prohibitus, butiro, caseo, et aliis lacticiniis ac dictis ovis et carnibus de utriusque seu alterius spiritualis, qui Catholicus existeret medici consilio, aut si locorum et personarum | qualitate inspecta
 ex defectu piscium aut olei, vel indispositione personarum earundem, seu alia causa legitima id tibi faciendum videretur, tuo arbitrio uti et vesci possent, indulgendi et concedendi, nec non per te in praeteritis duntaxat casibus aliquos clericos saeculares,

221
v.

222

tantum praesbyteros, diaconos, aut subdiaconos, qui matrimonium cum aliquibus virginibus, vel corruptis saecularibus etiam mulieribus de facto eatenus contraxissent, considerata aliqua ipsorum singulari qualitate et cognita eorum vera ad Christi fidem conversione, ac aliis circumstantiis et modificationibus tuo tantum arbitrio adhibendis (ex quibus aliis, praesertim clericis in sacris ordinibus hujusmodi constitutis, quibus non licet uxores habere, scandalum omnino non generaretur) circa tamen altaris ac alia sacerdotum ministeria et titulos beneficiorum Ecclesiasticorum, ac omni ipsorum ordinum exercitio sublato, ab excommunicationis sententia et aliis reatibus propterea incursis, injuncta inde eis etiam arbitrio tuo paenitentia salutari, absolvendi, ac cum eis (dummodo alter eorum superstes remaneret de caetero sine spe conjugii) quod inter se matrimonium legitime contrahere, et in eo, postquam contractum foret, licite remanere | possent, prolem exinde legitimam decernendo, misericorditer dispensandi, ac quaecunque beneficia Ecclesiastica tam Saecularia, quam Regularia, et quae per Rectores Catholicos possidebantur, de ipsorum tamen Catholicorum Rectorum consensu, seu absque eorum praejudicio, cujuscunque alteri beneficio Ecclesiastico ob ejus fructuum tenuitatem, aut hospitali jam erecto vel erigendo, seu studio universaliter, vel scholis literariis uniendi, annectendi, et incorporandi, aut fructus, redditus, et proventus, seu bona eorundem benefactorum dividendi, separandi et dismembrandi, ac eorum sic divisorum, separatorum et dismembratorum partem aliis beneficiis, seu hospitalibus, vel studiis, aut scholis, seu piis usibus, similiter arbitrio tuo perpetuo applicandi et appropriandi, ac cum possessoribus bonorum Ecclesiasticorum (restitutis prius, si tibi expedire videbitur, immobilibus per eos indebite detentis) super fructibus male perceptis ac bonis mobilibus consumptis concordandi, et transigendi, ac eos desuper liberandi et quietandi, ac quicquid ex concordiiis et transactionibus hujusmodi proveniret, in Ecclesiae, cujus essent bona, vel in studiorum universalium aut scholarum hujusmodi, seu alios pios usus convertendi, omniaque et singula alia, quae in | praemissis et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna esse cognosceres, faciendi, dicendi, gerendi, et exercendi, nec non Catholicos locorum ordinarios aut alias personas Deum timentes, fide insignes, et litterarum scientia praeditas, ac gravitate morum conspicuas et aetate venerandas, de quarum probitate et circumspectione ac charitatis zelo plena fiducia concipi posset, ad praemissa omnia cum simili vel limitata potestate (absolutione et dispensatione clericorum circa connubia, ac unione

222

v.

223

beneficiorum, seu eorum fructuum et bonorum separatione et applicatione, ac concordia cum possessoribus bonorum Ecclesiasticorum et eorum libatione duntaxat exceptis) substituendi et subdelegandi, ac diversas alias facultates per diversas alias nostras tam sub plumbo, quam in forma Brevis confectas litteras, concessimus, prout in illis plenius continetur. Verum cum tu ad partes Flandriae, ex quibus brevissima ad Regnum praedictum transfretatio existit, te contuleris, et ex certis rationabilibus nobis notis causis inibi aliquandiu subsistere habeas, ac a nonnullis forsitan nimium scrupulosis haesitetur, an tu in partibus hujusmodi subsistens praedictis ac aliis tibi concessis facultatibus uti, | ac 223
in eodem Regno locorum ordinarios aut alias personas (ut praemittitur) qualificatas, quae facultatibus per te eis juxta dictarum litterarum continentiam pro tempore concessis utantur, alias juxta earundem litterarum tenorem substituere et delegare possis. Nos causam tuae subsistentiae in eisdem partibus approbantes, et singularum literarum praedictarum tenores praesentibus pro sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, circumspectioni tuae, quod quandiu in eisdem partibus de licentia nostra moram traxeris, legatione tua praedicta durante, etiam extra ipsum Regnum existens, omnibus et singulis praedictis et quibusvis aliis tibi concessis, et quae per praesentes tibi conceduntur, facultatibus, etiam erga quoscumque Archiepiscopos et Episcopos ac Abbates, aliosque Ecclesiasticorum tam secularium quam quorumcunque ordinum Regularium, nec non monasteriorum et aliorum Regularium locorum Praelatos, non secus ac erga alios inferiores clericos uti potes, nec non erga alias personas in singulis litteris praefatis quovis modo nominatas ad te pro tempore recurrentes vel mittentes, etiam circa ordines, quos nunquam aut | male susceperunt, et munus consecrationis, quod eis ab 224
aliis Episcopis vel Archiepiscopis, etiam haereticis et schismaticis, aut alias minus rite et non servata forma Ecclesiae consueta impensum fuit, etiamsi ordines et munus hujusmodi, etiam circa altaris ministerium, temere executi sint, per te ipsum vel alios ad id a te pro tempore deputatos libere uti, ac in eodem Regno tot, quot tibi videbuntur, locorum Ordinarios, vel alias personas (ut praemittitur) qualificatas, quae facultatibus per te eis pro tempore concessis, *citra tamen eas* quae solum tibi (ut praefertur) concessae existunt, etiam te in partibus Flandriae hujusmodi subsistente, libere utantur, et eas exerceant et exequantur, alias juxta ipsarum litterarum continentiam et tenorem sub-

224
v.

225

stituere et subdelegare, nec non de personis quorumcunque Episcoporum vel Archiepiscoporum, qui Metropolitanas aut alias Cathedralis ecclesias de manu laicorum, etiam schismaticorum, et praesertim quondam Henrici Regis et Eduardi, ejus nati, receperunt, et eorum regimini et administrationi se ingesserunt, eorum fructus, redditus, et proventus, etiam longissimo tempore, tanquam veri | Archiepiscopi aut Episcopi temere et de facto usurpando, etiamsi in haeresim (ut praefertur) inciderint, seu antea haeretici fuerint, postquam per te unitati sanctae matris Ecclesiae restituti extiterint, tuque eos rehabilitandos esse censueris, si tibi alias digni et idonei videbuntur, eisdem Metropolitanis et aliis Cathedralibus ecclesiis de novo, nec non quibusvis aliis Cathedralibus, etiam metropolitanis ecclesiis per obitum vel privationem illarum praesulum, seu alias quovis modo pro tempore vacantibus, de personis idoneis, pro quibus ipsa Maria Regina juxta consuetudines ipsius Regni tibi supplicaverit, autoritate nostra providere, ipsasque personas eisdem ecclesiis in Episcopos aut Archiepiscopos praeficere, ac cum iis, qui ecclesias Cathedralis et Metropolitanas de manu laicorum, etiam schismaticorum (ut praefertur) receperunt, quodque eisdem, seu aliis, ad quas eos alias rite transferri contigerit, Cathedralibus, etiam Metropolitanis ecclesiis in Episcopos vel Archiepiscopos praeesse, ipsasque alias ecclesias in spiritualibus et temporalibus regere et gubernare, ac munere consecrationis eis hactenus impenso uti, vel si illud | eis nondum impensum extiterit, ab Episcopis vel Archiepiscopis Catholicis per te nominandis suscipere libere et licite possint, nec non cum quibusvis per te (ut praemittitur) pro tempore absolutis et rehabilitatis, ut eorum erroribus et excessibus praedictis non obstantibus, quibusvis Cathedralibus, etiam metropolitanis ecclesiis in Episcopos et Archiepiscopos praefici et praeesse, illasque in eisdem spiritualibus et temporalibus regere et gubernare, ac ad quoscunque, etiam sacros et praesbyteratus, ordines promoveri et in illis aut per eos jam licet minus rite susceptis ordinibus, etiam in altaris ministerio ministrare, nec non munus consecrationis suscipere et illo uti libere et licite valeant, dispensare etiam libere et licite possis, plenam et liberam Apostolica autoritate per praesentes concedimus facultatem et potestatem, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac omnibus aliis, quae in singulis litteris praefatis volumus non obstare, caeterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 8^o Martii 1554, Pontificatus nostri anno quinto." |

(4) Postea vero idem Pontifex eidem Cardinali Polo recentiores concessit facultates, quas hic habe : 225
v.

Julius Papa tertius, etc.

" Dilecte fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Superioribus mensibus oblata Nobis spe per Dei misericordiam et serenissimae in Domino filiae nostrae, Mariae, Angliae Reginae, summam Religionem et pietatem nobilissimi illius Angliae Regni, quod jam diu quorundam impietate a reliquo Catholicae Ecclesiae corpore avulsum fuit, ad ejusdem Catholicae atque universalis Ecclesiae unionem, extra quam nemini salus esse potest, redu-
cendi, te ad praedictam Mariam Reginam, atque universum illud Regnum, nostrum et Sedis Apostolicae Legatum de Latere, tan-
quam pacis et concordiae Angelum, de Venerabilium fratrum nostrorum, S.R.E. Cardinalium, consilio, atque unanimi assensu
destinavimus, illisque facultatibus omnibus munivimus, quas ad
tanti negotii confectionem necessarias putavimus esse, seu quo-
modolibet opportunas, atque inter alia circumspectioni tuae, ut
cum bonorum Ecclesiasticorum possessoribus super fructibus
male perceptis et bonis mobilibus consumptis concordare et
transigere | ac eos desuper liberare et quietare, ubi expedire 226
videretur, posset, auctoritatem concessimus et facultatem, prout
in nostris desuper confectis literis plenius continetur.

(5) " Cum autem ex iis principiis, quae ejusdem Mariae seduli-
tate et diligentia, rectaque et constante in Deum mente, tuo
etiam in ea re cooperante studio atque consilio, praefatum reduc-
tionis opus in praedicto Regno usque ad hanc diem habet, ejusdem
praeclari operis perfectio indies magis speretur, eoque faciliores
progressus habitura res esse dignoscatur, quo Nos majorem in
Ecclesiasticorum bonorum possessionibus in illa superiorum tem-
porum confusione per illius Provinciae homines occupatis Aposto-
licae benignitatis et indulgentiae spem ostenderimus, Nos nolentes
tantam dilectissimae nobis in Christo nationis recuperationem et
tot animarum pretioso Jesu Christi, Domini nostri, sanguine
redemptarum salutem ullis terrenarum rerum respectibus im-
pediri, more pii Patris in nostrorum et sanctae Catholicae Ecclesiae
filiorum post longum periculosae peregrinationis tempus ad Nos
respectantium et redeuntium proptatum complexum occurrentes,
Tibi, de cujus praestanti virtute, singulari pietate, doctrina,
sapientia, ac in rebus gerendis | prudentia et dexteritate plenam in 226
Domino fiduciam habemus, cum quibuscunque bonorum Eccles-
iasticorum tam mobilium quam immobilium in praefato Regno v.

possessoribus seu detentoribus, pro quibus ipsa serenissima Regina Maria intercesserit, de bonis per eos indebite detentis arbitrio tuo auctoritate nostra tractandi, concordandi, transigendi, componendi et cum eis, ut praedicta bona sine ullo scrupulo in posterum retinere possint, dispensandi, omniaque et singula alia, quae in his et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna fuerint, concludendi et faciendi (salvo tamen in his, in quibus propter rerum magnitudinem et gravitatem haec Sancta Sedes merito tibi videretur consulenda, nostro et praedictae Sedis beneplacito et confirmatione) plenam et liberam Apostolica auctoritate, tenore praesentium, et ex certa scientia concedimus facultatem, non obstantibus literis faelicis recordationis Pauli Papae secundi, Praedecessoris nostri, de non alienandis bonis Ecclesiasticis nisi certa forma servata, et aliis quibusvis Apostolicis ac in Provincialibus et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non quarumvis | ecclesiarum et Monasteriorum ac aliorum Regularium et
 227 piorum locorum juramento, confirmatione Apostolica vel quavis alia firmitate roboratis foundationibus, statutis, et consuetudinibus (quarum tenores pro sufficienter expressis habemus) contrariis quibuscunque. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 28 Junii 1554 Pontificatus nostri anno quinto."

(6) Itaque eodem anno 1554 tota Angliae curia Parliamentaris libellum supplicem conflarunt, cujus summa esset, quod se magnopere paeniteret schismatis et haeresis, aliorumque scelerum ex eo fonte derivatorum, proindeque Regi Philippo secundo jam in Angliam advecto, Reginae Mariae, et Cardinali Polo, Legato a Latere, universi Regni nomine supplicarunt ut eorum interventu ad Ecclesiae gremium et Sedis Apostolicae obedientiam admitterentur et absolutionem obtinerent : quod et factum, omnibus actis, quae ab anno Henrici Octavi vigesimo contra fidem Catholicam, Ecclesiam et Sedem Apostolicam lata erant, ita refixis ut Cardinalis ingentes possessiones Ecclesiasticas inter haeresim Ecclesiae ereptas iniquis possessoribus, nescio quibus conditionibus et limitationibus, in | Anglia confirmarit, *ne quies Regni*
 227 v. *turbaretur*. Julio autem tertio a quo Cardinalis Polus in Legatum missus erat, nec non ejus successore, Marcello secundo mortuis, Paulus quartus 1^o Kalendas Junii 1555 creatus et 7^o Kalendas Junias eodem anno coronatus, die ejusdem mensis 7^o Philippo et Maria potenter sollicitantibus decretum condidit, quod aliter in medium producere non possum, quam sicut in Marchionis Gerini libro habetur ejus mentio his verbis :

Die 7^o Junii 1555.

(7) " Sanctissimus Dominus noster erexit Insulam Iberniae, cujus ab eo tempore, quo illius dominium per Sedem Apostolicam adepti sunt Reges Angliae, qui pro tempore fuerunt, se dominos tantum nuncupare consueverant, et cujus Regium titulum quondam Henricus octavus postquam ab unitate Ecclesiae Catholicae et obedientia Romani Pontificis secessit, praetextu cujusdam legis per parlamentum ejusdem Insulae (ut praetenditur) latae primo, et deinde ejus natus, Eduardus sextus eorum nominum, qui, dum viverent, pro Regibus Angliae se gesserunt, de facto usurpaverant, in regnum | ad instar aliarum insularum Regio 228 titulo, dignitate et honore fulgentium sine praejudicio jurium S. Romanae Ecclesiae et cujuscunque alterius in ea vel ad illam jus habere praetendentis, juribus, insigniis etc, Regiis ac quibus alia Christi fidelium regna utuntur etc, insignivit et decoravit." Haec ibi: ex quibus conjectandum videtur Iberniae Principes antiquissimo Insulae sanguine regio prognatos eousque et tunc coronae Anglicanae imperium detrectantes Romae apud Pontificem illi Regis Philippi et Reginae Mariae postulationi per procuratores vel litteras obviasse, vel aliter Pontificem eorum rationem habuisse, cum illum Regni Iberniae titulum non erexerit nisi *sine praejudicio jurium S. Romanae Ecclesiae et cujuscunque alterius in ea vel ad illam jus habere praetendentis*. Ex quibus etiam additamenti colligendum videtur fuisse aliquem principem exterum, qui se opposuerit. Nam cujuscunque alterius non solum *in ea* (quibus verbis nativi Iberniae Principes respiciuntur) sed etiam *ad illam* (quae verba etiam de non nativis intelligantur) | jus habere praetendentis intactum reliquit. Tradunt 228 autem rerum illo saeculo gestarum scriptores Jacobum quintum v. Scotiae Regem, tanquam cujusdam territorii in Ibernia positi, quod Ultoniae partem, et forsan illam demum a Mac-Donaldis, Ibero-Scotis, vindicatam, fuisse crediderim, Principem, nec ratum nec gratum habuisse illud actum Parlamentare, quo Anglo-Ibernos Henrico octavo Regis Iberniae titulum decrevisse vidimus. Quare fidem habet Jacobi quinti filiam et haeredem, Mariam Stuartam, Scotiae Reginam, proindeque coronam Gallicanam Mariae Stuartae tunc in Gallia se tenentis jura tanquam sua sustentem apud Paulum quartum instituisse ne Philippi secundi et Mariae Anglicanae, suae uxoris, votis jam dictis acquiesceret, proindeque Pontificem modo praefato postulatorum a Scota, Galliae Delphino, ejus sponso, Delphinique patre, Henrico secundo Rege Christianissimo, interpositorum rationem duxisse tantam

ut Iberniam in regnum erigendo nihil innovaverit, praesertim cum ille titulus Iberniae tot saeculis ante illud diploma Pontificium competierit ab antiquitate adeo obstrusa ut aliae pene totius orbis Christiani Monarchiae, si cum Ibernica comparentur, adhuc in cunis vagire videantur.

229

(8) Julius tertius facultates superius positas non circa | Iberniam, sed circa Angliam concessit. Archiepiscopo tamen Firmano, Innocentii decimi et Sedis Apostolicae Nuncio ad Confaederatos Iberniae Catholicos extraordinario, ex Urbe ad annum 1645 in Iberniam profecturo nonnulla suo loco inferius collocanda monita circa ecclesiasticas Iberniae possessiones data praeter alia sic habent: "Ex his fieri potest ut pars restet *saecularizata* a Cardinale Polo autoritate cujusdam Bullae a Julio tertio concessae, cujus apographum Dominationi vestrae dabitur." Haec ibi. Mihi tamen in Nuncii jam dicti tabulis non alia occurrit potestas Cardinali Polo a Julio tertio facta, quam binorum actorum superius positorum apographa, ex quibus ea transcripsi. Quare colligendum videtur haud Romae haberi aliarum facultatum circa Iberniam Cardinali Polo concessarum mentionem: secus enim earum potius apographum praefato Nuncio non in Angliam sed in solam Iberniam destinato suppeditatum fuisset. Nec aliud ad solvendum hunc nodum mihi restat, quam non deesse, qui ferant easdem facultates postea a Paulo quarto ad Iberniam fuisse extensas. Quod, vel saltem aliquid simile, colligatur ex sanctione in Anglo-Ibernorum Parlamento ad annum 1557, indicto condita et inferius tangenda, nec non ex acto, quod | a

229

v.

Cardinale Polo circa Iberniam conditum ferunt, cujus duo apographa latina mihi in dicti Nuncii scriniis occurrunt apicibus non Italicum sed Ibernicum scribam redolentibus exarata, proindeque ei, vel certe Italis ipsi assistentibus apud Iberniam (credo) communicata, sed erratis etiam in grammaticae leges peccantibus non carentia, ut non nisi facta amborum apographorum collatione actum restituerim, sicut hic sequitur.

(9) *Reginaldus, miseratione divina Tituli S. Mariae in Cosmedin S. R. E. Presbyter Cardinalis Polus, Archiepiscopus Cantuariensis, Sanctissimi Domini Nostri Papae et Sedis Apostolicae ad Serenissimos Philippum et Mariam, Angliae et Iberniae Reges et universa Angliae et Iberniae Regna, ac Dominiae et partes illis adiacentes, de Latere Legatus, ad perpetuam rei memoriam.*

(10) "Cum insula Iberniae sub dominio Angliae Regum existens ab Ecclesiae Catholicae unitate et Romani Pontificis

obedientia, cui antea semper maxime dedita fuerat, metu potius quam libera voluntate discesserit, et eiusdem insulae Supremum Concilium Parlamentum appellatum, quod universum ipsius Insulae corpus repraesentat se ipsum, et eandem insulam haeresi et schismate involvendo, ac sententias, censuras et paenas tam ecclesiasticas quam temporales contra talia perpetrantes tum a iure tum ab homine latas et promulgatas damnabiliter incurrendo, Henrico octavo primum ac deinde Eduardo sexto ad id impellentibus et auctoritatem suam praestantibus, | quasdam leges 230 seu constitutiones generales contra potestatem et auctoritatem Romani Pontificis ediderit, in quibus erat et illud specialiter statutum, quod Romanus Pontifex caput ecclesiae in terris et Christi vicarius non erat et quod ipse Angliae et Iberniae Rex in Ecclesia Ibernica supremum in terris sub Christo caput existebat, licet eadem insula (ab eo statim tempore, quo serenissima Maria, Henrici praefati filia, quae semper in vera fide et religione, etiam contra domesticos suos constans et firma, perstiterat, post obitum Eduardi, ejus fratris, unanimi voce Regina declarata fuit, et tam hujus Regni Angliae, quam dictae insulae gubernacula suscepit, ac deinde serenissimo Philippo, Hispaniae tunc Principi, nunc Regi, matrimonio conjuncta est, ac utriusque pietate, sapientia, et studio idem Angliae regnum ad unitatem Catholicae Ecclesiae et Apostolicae Sedis obedientiam reductum est, et omnes constitutiones, quae per Henricum et Eduardum praedictum et ejusdem Angliae Regni Parlamentum contra Catholicam fidem et Ecclesiae unitatem latae erant, revocatae fuerunt) ad Ecclesiae unitatem et Romani Pontificis obedientiam de facto redierit ejusdemque Romani Pontificis supremitatem et auctoritatem in omnibus agnoverit, ab eadem Apostolica Sede tam in Romana Curia, quam a nobis hoc in regno varias et innumerabiles gratias | et indulta impetrando, aliaque omnia, 230 quae caetera regna et nationes Catholicae faciunt, faciendo, v nec non diversae particulares personae tam Ecclesiasticae quam temporales, quae hujusmodi schisma incurrerant, a schismate et censuris praedictis tam per nos, quam per alios a nobis ad id delegatos absolutae et ecclesiae Catholicae reconciliae fuerint; nihilominus iidem serenissimi Reges, Philippus et Maria, subditorum suorum animarum saluti, quieti, et tranquillitati plene consulere cupientes nobis exposuerunt se magnopere desiderare ut eandem insulam in Regnum auctoritate dictae Apostolicae Sedis ad eorum supplicationem pridem erectam (quae sicut praedictarum legum et constitutionum contra potestatem et auth-

oritam Romani Pontificis editione universaliter in eandem Apostolicam Sedem peccavit et ab ejus obedientia defecit, ita nunc easdem leges et constitutiones eodem modo, quo editae fuerunt, per parlamentum ipsum revocare, eidemque Apostolicae Sedi auctoritatem suam restituere intendit ac parata est, et ad hunc etiam effectum, ex permissione et mandato ipsorum, dictum parlamentum nuper convocavit, idque prius fecisset, nisi non nulla justa impedimenta obstitissent) universaliter ab haeresi et schismate praedicto et ab omnibus paenis per ea propterea incursis liberaremus, ipsumque Regnum Iberniae ad unionem | Ecclesiae Catholicae reciperemus. Et insuper cum schismate in dictum Iberniae Regnum introducto ejusdem Regni Parlamenti perversa auctoritate aliquae inferiores Ecclesiae in Collegiatae et fors in Cathedrales Ecclesias erectae, ac diversae Ecclesiae scholae et hospitalia fundata, nec non plurimae dispensationes et beneficiorum provisiones factae fuerint, et multae personae, quibus persuasum fuerat Juris Canonici dispositionem eo in Regno amplius locum non habere, ac omnia ejusdem juris impedimenta matrimonialia iisdem perversis legibus sublata fuisse, in consanguinitatis et affinitatis gradibus, ac aliis impedimentis Canonicis sibi obstantibus matrimonia inter se per verba de praesenti contraxerint, ac ea etiam consummaverint, ac multi processus et acta judiciaria tam in prima, quam ulterioribus instantiis super rebus spiritualibus et Ecclesiasticis coram iudicibus tam ordinariis quam delegatis, qui auctoritate laicali procedebant, habita et formata, ac super eis etiam sententiae latae et promulgatae, bonaque Ecclesiastica per diversas ejusdem Regni personas occupata et apprehensa fuerint, quae, licet ex sacrorum canonum institutis irrita declarari possent, quia tamen si ad alium, quam in quo nunc sunt, statum revocarentur, publica pax | et quies ejusdem Regni turbaretur et maxima confusio sequeretur, iidem serenissimi Reges a nobis ut praemissarum rerum firmati et stabilitati providere, ejusdemque Regni quieti et tranquillitati, eodem modo quo huic Regno Angliae consulimus, consulere vellemus, maxima cum instantia postularunt. Nos igitur, qui Legationis officium pro eo sustinemus, qui illius vices in terris gerit, cujus est proprium misereri et parcere, attendentes quod pia mater, Ecclesia, ad se redeuntibus gremium nunquam claudere solet, audita ejusdem insulae habitatorum vera et sincera paenitentia et erga Sedem Apostolicam praefatam debita reverentia et devotione, dictorum serenissimorum Regum, qui pro unitate Ecclesiae et Sedis

231

231

v.

Apostolicae auctoritate in eisdem Regnis restauranda tam sancte
 et studiose elaborarunt, piis et honestis votis annuentes, autho-
 ritate Apostolica nobis per Sanctissimum Dominum nostrum
 Papam et Sedem Apostolicam praedictam concessa, et qua fung-
 imur in hac parte, tenore praesentium universum Iberniae Regnum
 ejusque provincias, | dominia, civitates, oppida, terras et loca 232
 quaecunque ab haeresi et schismate praedictis, et quibusvis
 suspensionis, et interdictorum, aliisque Ecclesiasticis et tempor-
 alibus sententiis, censuris et paenis cujuscunque generis existant,
 in quas praemissorum occasione universitas ejusdem Regni
 quomodolibet incurrisset, etiamsi in eis per plures annos insordu-
 isset, et eorum absolutio dictae Sedi Apostolicae, etiam per Bullam
 in die Caenae Domini legi consuetam reservata existat, in utroque,
 conscientiae scilicet et contentioso, foro plenarie absolvimus et
 liberamus, et ad Catholicae Ecclesiae unitatem recipimus et
 aliarum Christi fidelium consortio aggregamus, ac omnem inhabi-
 litatem et infamiae maculam sive notam ex praemissis quomo-
 dolibet insurgentem ab eis paenitus et omnino abolemus, eaque ad
 pristinos honores, dignitates, famam ac bona, in pristinumque,
 et eundem, in quo ante praemissa quomodolibet erant, statum
 ita ut omnibus et singulis gratiis, privilegiis, favoribus, et indultis
 eidem Regno Iberniae tam a Romanis Pontificibus, quam ab
 aliis | concessis, et quibus alii Christi fideles gaudent, et gaudere 232
 quomodolibet possunt, uti et gaudere valeant in omnibus et per
 omnia, perinde ac si a Fide Catholica et Ecclesiae unitate ac
 Romani Pontificis obedientia nunquam in aliquo defecissent,
 plenarie restituimus et redintegramus, et insuper ut ejusdem
 regni Iberniae paci et tranquillitati consulamus (ad quam etiam
 et omnia, quae ad eam pertinerint, omni studio procuranda,
 a sanctissimo Domino Nostro, Papa, et Sede Apostolica de Latere
 missi sumus) atque ut unitas Ecclesiae, ex qua salus tot animarum
 pretioso Christi sanguine redemptarum dependet, in eodem regno
 jam introducta corroboraretur et salva permaneat (cum utriusque
 rei stabilitatem in eo maxime consistere, si dictorum bonorum
 Ecclesiasticorum possessoribus molestia nulla inferatur quominus
 ea teneant, multa et gravia testimonia nobis fidem faciant) utque
 universum ipsum Iberniae Regnum Sedis Apostolicae praefatae
 vere maternam indulgentiam et charitatem erga se agnoscat |
 et re ipsa experiatur, quoscunque ad quos infrascripta pertinent, 233
 a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque
 Ecclesiasticis sententiis, censuris et paenis a jure vel ab homine
 quovis occasione vel causae latis, siquibus quomodolibet innodati

existant, ad effectum praesentium duntaxat consequendum
 harum serie absolventes et absolutos fore censentes, eadem
 auctoritate Apostolica nobis (ut praemittitur) concessa, harum
 praesentium tenore statuimus et decernimus quod omnes et
 singulae Cathedralium Ecclesiarum foundationes tempore prae-
 teriti schismatis, licet nulliter de facto attentatae, in eo statu,
 in quo omnes sunt, perpetuo firmae et stabiles permaneant,
 illisque Apostolicae firmitatis robur adjicimus ita ut non temeritate
 priore, sed Apostolica auctoritate, quam nunc eis tribuimus,
 factae ab omnibus censeantur, et cum omnibus et singulis personis
 Regni Iberniae praedictae, quae in alicujus consanguinitatis vel
 affinitatis gradu etiam multiplici vel cognationis spiritualis seu
 publicae honestatis justitiae impedimento uno vel pluribus de
 jure positivo introductis, in quibus idem sanctissimus Dominus
 233 noster, Papa, dispensare | consuevit, matrimonia scienter vel
 v ignoranter tempore schismatis praedicti de facto contraxerunt,
 ut aliquo impedimento horum non obstante in eorum matrimoniis
 sic contractis libere et licite remanere, seu illa de novo contrahere
 possint, misericorditer in Domino dispensamus, prolem susceptam
 et suscipiendam exinde legitimam decernentes, ita tamen ut qui
 scienter et malitiose contraxerint, a sententia excommunicationis
 et ab incestus seu sacrilegii reatu absolutionem a suo ordinario
 vel curato, quibus ad id faciendum auctoritate et tenore prae-
 sentium facultatem concedimus, obtineant, et salutarem paeniten-
 tiam eisdem propterea imponendam adimpleant, ac omnes
 Ecclesiasticos saeculares seu quorumvis ordinum Regulares et
 personas, quae aliquas impetrationes, dispensationes, gratias,
 concessionem, et indulta tam ordines quam beneficia Ecclesiastica
 seu alias spirituales materias concernentia, praetensa auctoritate
 234 suprematis Ecclesiae Ibernicae, licet de facto nulliter, obtinu-
 erunt, si ad cor reversae Ecclesiae | unitati restitutae fuerint,
 in suis ordinibus et beneficiis per nos ipsos seu per alios a nobis
 ad id deputatos recipimus (prout multae jam receptae fuerunt)
 secumque super his opportune in Domino dispensamus, ac omnes
 processus, in quibusvis instantiis coram quibusvis iudicibus tam
 ordinariis quam delegatis, etiam laicis, super materiis spiritualibus
 habitos et informatos, et sententias super eis licet de facto nulliter
 latas quoad nullitatem ex defectu jurisdictionis tantum insur-
 gentem sanamus, illosque et illas confirmamus ac (salvis tamen
 remanentibus iis, quae de bonis et iuribus Ecclesiasticis per
 serenissimos Reges praedictos ad nostram dispensationem dimissis
 per nos eadem auctoritate Apostolica statuta fuerunt) quibusvis

ejusdem Regni Iberniae personis, ad quarum manus bona Ecclesiastica ex quocunque contractu seu titulo oneroso vel lucrativo jam devenierint, illaque tenuerint, seu etiam teneant, omnes et quoscunque fructus ex eisdem bonis, licet indebite, perceptos remittimus et relaxamus, volentes | ac decernentes quod dictorum 234
 bonorum Ecclesiasticorum tam mobilium quam immobilium possessori praefati non possint in praesenti, nec in posterum seu per Conciliorum generalium vel provincialium dispositiones seu decretales Romanarum Pontificum epistolas, seu aliam quamcunque censuram Ecclesiasticam in dictis bonis seu eorundem possessione molestari, inquietari, vel perturbari, nec eis aliquae censurae vel paenae Ecclesiasticae propter hujusmodi detentionem, seu non restitutionem irrogari vel infligi, et sic per quoscunque iudices et auditores sublata eis quovis aliter judicandi et interpretandi facultate et autoritate, judicari et diffiniri debere, et quicquid secus attentari contigerit, irritum et inane fore decernimus, non obstantibus praemissis defectibus et quibusvis Apostolicis ac provincialibus et Synodalibus Conciliis edictis specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem ut idem Regnum Iberniae | in eo, quod proxime celebrabit, 235
 Parlamento omnes leges et constitutiones, quae ab anno vigesimo Regni Henrici octavi usque ad Eduardi sexti obitum adversus Ecclesiae Catholicae unitatem et Sanctissimi Domini nostri Papae et Sedis Apostolicae suprematam et auctoritatem directe vel indirecte in ejusdem Regni Parlamentis seu alias quomodolibet temere latae et promulgatae fuerunt, casset, irritet, et annullet, omnemque eam subjectionem et obedientiam erga Romanam Ecclesiam, quam ante dictum annum vigesimum eidem exhibebat et praestabat, in se recipiat; alioqui praesentes eidem Regno nullatenus suffragentur. Et insuper admonemus (cum erectio Cathedralium Ecclesiarum sit de majoribus causis, quae Summo Pontifici reservatae) recurrendum esse ad suam Sanctitatem et ab ea suppliciter postulandum, ut haec confirmare seu de novo facere dignetur. Et licet omnes res mobiles Ecclesiarum indistincte iis, qui illas tenent, | relaxaverimus, eos tamen admonitos 235
 esse volumus, ut ante oculos habentes divini iudicii severitatem v
 contra Baltasarem, Regem Babylonis (qui vasa sacra non a se sed a patre e templo ablata in prophanos usus convertit) ea propriis, si extant, vel aliis Ecclesiis restituant, hortantes etiam, et per viscera misericordiae Jesu Christi obtestantes omnes eos, quos res haec tangit, ut salutis suae non omnino immemores

hoc saltem efficiant, ut ex bonis Ecclesiasticis, maxime iis, quae ratione personatum et vicariatuum ad populi ministrorum sustentationem fuerant specialiter destinata, Cathedralibus et aliis quae nunc extant, inferioribus Ecclesiis curam animarum exercentibus ita provideatur ut earum pastores, personae, et vicarii commodè et honestè juxta eorum statum et qualitatem sustentari, ac curam animarum laudabiliter exercere et onera sibi incumbentia congrue supportare possint. Datum Lambethae prope Londinum Wintoniensis diaecesis anno a nativitate Domini 1557, pridie | nonas Maii, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri, Pauli divina Providentia Papae quarti anno secundo.

Reginaldus Cardinalis Polus, Legatus."

(II) Observo in hac dispensatione Cardinalem Polum uti solita loquendi et scribendi formula suorum Anglo-Ibernorum a Corona Anglicana tunc stantium, et Anglorum, quibus, ex quo Iberniam invaserant, per ostentationem et ob rationes politicas familiare fuit ut sui districtus Anglo-Ibernici acta, leges, Parlamenta et Proreges appellarent Iberniae acta, leges, Parlamenta ac Proreges, et generaliter de rebus ad illam Iberniae partem Coronae Anglicanae obsequentem pertinentibus perinde loquerentur et scriberent, ac si totam Iberniae personam gereret, licet, etiam Philippi et Mariae diebus adeo strictis limitibus illa regni pars circumscriberetur et veteres Iberniae Principes suis avitis tribunalibus, legibus, ritibus, praerogativis, magistratibus a se | institutis et lingua, aliisque immunitatibus dominium supremum argumentibus utentes regni partem longe maximam occuparent. Itaque quicquid in hac Cardinalis Poli dispensatione et in Parlamenti Anglo-Ibernici tunc celebrati et inferius ad trutinam revocandi actis de antegresso Iberniae schismate et haeresi sub Henrico octavo et Eduardo sexto in eam insulam introducta habetur, et generaliter quicquid ab ejusmodi conventiculis ante, tunc, vel post, usque ad Regis Jacobi tempora in Iberniam celebratis sancitum legitur, non de Iberniae regno, nec de natione Ibernica, sed de Anglo-Ibernis et eorum numero longe paucioribus Anglis in Iberniam Anglo obsequentibus intelligatur, usqueadeo ut illa acta ab infensissimis Iberniae et nationis Ibernicae hostibus, in ejus excidium, condita fuerint. Porro illa Cardinalis Poli dispensatione in Iberniam transmissa, Anglo-Iberni in suo Parlamento actum eodem spectans condidisse dicuntur, quod mihi in Archiepiscopi Firmani, Nuncii Apostolici ab Innocentio X. (sicut videbimus)

ad Iberos anno 1645 allegati chartophilaciis occurrit, | ei (credo) 237
in Ibernia, dum ibi Nuncii provinciam obiret, traditum et ab
aliquo ex Anglico Latine versum. Cujus primam partem ex
eadem versione Latina (nam ipsum exemplar Anglicum non vidi)
hic habe, sed monitus, eos Reginam Mariam alloqui, et ei
supplicare :

(12) " Cum a vigesimo anno Henrici octavi illustris memoriae,
qui fuit parens Majestatis tuae, Reginae nostrae, doctrinae
variae falsae et erroneae fuerint edoctae, praedicatae et scriptae
partim per diversos nativos hujus Regni subditos, partim ab
exteris nationibus introductae et hic disseminatae ac sparsae,
quarum occasione tam spirituales huius regni quam saeculares
seu temporales personae regnorum et dominiorum tuorum de-
fecerunt ab obedientia Sedis Apostolicae, et declinarunt ab unitate
Ecclesiae Christi et in eo statu perstiterunt, donec, Deo providente,
Majestas tua ad Regale solium evecta est et matrimonio juncta
serenissimo Principi, Regi nostro, marito tuo. Tum sua Sanctitas
et Sedes Apostolica misit ad vos tanquam ad personas immaculatas
et divina bonitate servatas a communi illa infectione, | et ad 237
Regna Angliae et Iberniae, Illustrissimum D. Cardinalem Polum, v
Legatum de Latere, ut nos revocaret ad rectam viam, a qua
jamdudum erravimus et defecimus. Et post varias diuturnas illas et
graves paenas et calamitates, per divinam bonitatem cognoscentes
nostros errores, Nos domini temporales et spirituales et com-
munitates in hoc praesenti Parlamento congregatae et universum
corpus hujus Regni tui, Iberniae, repraesentantes, consideratione
Majestatis tuae habita eo potius admissi et accepti sumus in
unitatem et sinum Ecclesiae, et considerantes distantiam et
pericula marium, magnos sumptus et ultiores molestias et
labores, qui subeundi essent transmigrando ad dominum Il-
lustrissimum D. Cardinalem, Polum, in Angliam, ut ibi faceremus
submissionem nostram humillimam, quemadmodum fecerunt
Domini spirituales et temporales in Parlamento apud West-
monasterium 1^o et 2^o anno Regni vestri, exprimentes re-
vocationem omnium statutorum, articulorum et provisionum
factarum contra Sedem Apostolicam Romanam a vigesimo anno
Henrici octavi, Parentis vestri, | praevidentes nostram de- 238
bilitatem et diuturnam in nostro errore continuationem, amanter
desiderantes illius remedium et nostram unionem et conjuncti-
onem cum vestris Angliae subditis in fide Christi, ex pio affectu
bonitatis vestrae semper nobis exhibitae, vestra mediatione et

intercessione obtinuimus a Sanctissimo Domino Papa, Paulo illius nominis quarto, per Illustrissimum D. Cardinalem Polum, Legatum a Latere, indulgentiam, remissionem et absolutionem una cum multis aliis beneficiis, uti clarius constat ex bulla sub dicti Illustrissimi D. Legati sigillo, cujus tenor sequitur.

(13) "*Reginaldus miseratione divina*" etc. ut supra.

238 "Quae bulla per Illustrissimum D. Thomam Radcliffum, Equitem aureae periscellidos, Comitem Sussexiae, Vicecomitem Fitz-Walter, Dominum Egremont et Burnel, suae Majestati a privato cubiculo, Capitaneum generosorum pensionariorum suae Majestatis et generosorum in armis in Regno Angliae, Iberniae deputatum, cum omni reverentia fuit edita et tradita hujus regni Iberniae Cancellario, qui etiam devote et summa cum reverentia |
v illam recepit, et genibus flexis ad bonum exemplum omnium in publico Parlamento deliberate, distincte et alta voce illam legit, quam nos domini spirituales et temporales et communitates in hoc praesenti Parlamento repraesentantes totum corpus hujus tui Regni Iberniae, nostro ipsorum nomine speciatim, et nomine dicti corporis universalis hujus regni, audientes illam legi et recitari amplexi sumus, et summa cum reverentia ac humilitate in genua provoluti et paenitentes, pro nostra paenitentiae declaratione immediate comitantes praedictum D. Deputatum contulimus nos ad Cathedrallem Ecclesiam et gratias agentes Deo, fecimus *Te Deum Laudamus* solemniter cantari, et ulterius in certum paenitentiae nostrae testimonium maxime congruo tempore immediate, autoritate hujus praesentis Parlamenti, contenti sumus et erimus contenti abrogare et revocare omnes illos actus et statuta, quae fuerunt acta in Parlamento a dicto vigesimo anno Regis Henrici octavi contra *suprematiam* Sedis Apostolicae Romanae, secundum tenorem et effectum dictae bullae." Haec illi. |

239 (14) Prolixum foret reliquam illius acti partem plures paginas continentem hic inserere. Summam ergo dico 1^o, itaque Regi Philippo secundo et Reginae Mariae gratias agunt, quod ipsis apud Pontificem intercedentibus dispensationem illam obtinuissent. 2^o, Parlamenti autoritate statuunt ut omnes articuli et clausulae in praefata Cardinalis Poli dispensatione contentae circa Episcopatum et Cathedralium Ecclesiarum stabilimenta, matrimoniorum in gradibus per Ecclesiae Canones prohibitis contractorum confirmationem, prolis legitimationem, processum juridicorum et sententiarum forensium in causis Ecclesiasticis

invalide latarum ratificationem, aliaque omnia, quae dicta dispensatio continet, acceptentur et sint valida in omnem effectum et propositum. 3^o Decernunt ut omnia bona monastica, archiepiscopalia, et episcopalia atque alia cujuscunque generis praedia Ecclesiastica non solum ab Henrico octavo et Eduardo sexto, sed etiam (quod mireris) ab ipsa Regina Maria et Rege Philippo, laicis nedum singulis sed etiam municipiis et communibus concessa, ipsis et iis, in quos eorum dominium | transtulerint, confirmentur. 239

(15) 4^o Decernunt ut omnia anteriora pseudo-Parlamentorum suorum Henrici octavi et Eduardi sexti diebus celebratorum statuta, aliaque quaecunque acta, et instrumenta publica, quibus iniqui illorum bonorum invasores nixi in ea involaverant, eatenus valida habeantur. 5^o Sanciunt ut quisquis imposterum circa repetendas et Ecclesiae vendicandas illas possessiones intra vel extra Iberniam litem intenderit, incurrat paenas et multas decretas acto *praemunire* lato in Anglia ad annum regis Richardi secundi decimum sextum. 6^o Constituunt ut jura et acta Pontificia antea schismatis et haeresis tempore in Anglo-Ibernico ipsorum districtu calcata reviviscant et postea ferenda vim habeant, sed illaeso Coronae jure et lege. 7^o Statuunt ut spiritualis jurisdictio, quae abbatibus et aliis monachorum praefectis in quasdam ecclesias parochiales ab archiepiscoporum et episcoporum imperio exemptas ante Henrici octavi lapsum competebat, quaeque ab Henrico et Eduardo sexto tanquam Ecclesiae Ibernicae | capitibus, in meros laicos translata fuerat, 240 imposterum non ad laicos sed ad Ecclesiasticos pertineat. 8^o Decernunt ut nulla hujus acti clausula praerogativis Regiis praejudicet, et Pontifici Romano tanquam supremo in terris, Ecclesiae Capiti sua autoritas apud Iberniam exercenda, quae ipsi ante Henrici octavi haeresim conveniebat, restituatur, et ecclesiastica archiepiscoporum ac aliorum ordinariorum jurisdictio quoad causarum processus, criminum animadversionem, censurarum executionem et litium ad illas spectantium cognitionem ad priorem temporis Catholici statum redeat. 9^o Concedunt iis, qui ex arbitraria devotione voluerint, suorum bonorum Ecclesiae transcribendorum licentiam certis ibi conditionibus parum piis limitatam et tantum ad vicennium duraturam.

(16) Satis explicari non potest quanta impietate Anglo-Iberni a corona Anglicana in Ibernia stantes Henrico octavo et Eduardo sexto in Ecclesiae Ibernicae perniciem militarint et in vastissimas possessiones Ecclesiasticas involarint: sed sordidior fuit eorum avaritia, quod sub Principibus ter Catholicis tantopere institerint

240 ac demum | obtinuerint ut dictas possessiones restituere non
 v cogenterentur. Licet enim quod in praefata Cardinalis Poli ab
 ipsis (ut videtur) decepti Bulla habetur, eos scilicet sub Henrico
 octavo et Eduardo sexto ad labendum fuisse coactos, usqueadeo
 falsum sit ut icto cum veteribus Iberniae principibus faedere
 omnem haeresi aditum praecludere facillime potuerint, aliquod
 tamen coactionis velum sub illis principibus haereticis suae
 iniquitati haud tanta absurditate praetenderint, quanta nunc
 nullo principe ad praedia ecclesiastica non restituenda cogente,
 imo Pontifice, Rege et Regina tantopere Catholica contrarium
 suadentibus et Anglia jam a triennio ad Sedis Apostolicae
 obsequium conversa adeo suae obstinationi institerunt ut demum
 Pontifex potentissimorum principum intercessionibus fractus
 eorum duritiae cordis haud acquievisse videatur nisi deceptus,
 sicut nec Cardinalis Polus. Quod alia ostensurus circa praefatas
 Julii tertii bullas ab ipso ut in Anglia executioni mandarentur,
 concessas et (sicut nonnulli dicunt) a Paulo quarto ad Iberniam
 241 postea extensas, nec non | circa Cardinalis Poli dispensationem
 superius positam observo 1^o Julium illas facultates Cardinali
 Polo circa Angliam concessisse, eumque nec ante nec post recon-
 ciliatam cum Ecclesia et absolutam a Cardinale Polo Angliam,
 nec ejus in Pontificatu successorem, Marcellum secundum (qui
 tamen dies tantum 22 sedit) nec ipsum Cardinalem Polum Pauli
 quarti, qui Marcello successit, autoritate praeterquam mense
 Maio anno 1557, proinde 2^o Pontificatus Pauli anno pene finito
 eas cum Iberniam communicasse, usque adeo ut Anglis anno 1554
 in Anglia absolutis, Anglo-Iberni non nisi triennio circiter inter-
 jecto eas posterius participarint. Quod vel solum indicare videtur
 Sedem Apostolicam et principes ab initio in eam ivisse sententiam,
 et per aliquot annos in ea perstitisse ut facultates illas haud
 ad Iberniam extendendas, sed Anglo-Ibernos ad bona Ecclesi-
 astica restituenda cogendos judicarint. Diversitatis autem ratio
 fuerit optima, quod in Anglia quidem timendum esset, ne nisi
 241 laici de bonis Ecclesiasticis ibi male partis | securi redderentur,
 v quies Regni turbaretur, in Iberniam vero Anglo-Iberni, bonorum
 Ecclesiasticorum possessores, facili negotio ad ea redhibenda
 cogendi essent ab ipso Summo Pontifice, a Regina Maria, a tota
 Anglia jam conversa, a Philippo secundo Hispaniarum Rege
 potentissimo et a veteribus Iberniae principibus ita extra coronae
 Anglicanae districtum in Iberniam positus et Sedis Apostolicae
 obsequentissimis ut insulae partem longe maximam possiderent
 et cleri postliminio restituendi occasionem anhelarent. Denique

si Pontifex, Rex et Regina in illam bonorum Ecclesiasticorum restitutionem consensissent, et eam constanter imperassent, haud dubito quin ipsorum Anglo-Ibernorum plerique illis Ecclesiae agris nunquam ditati mox obtemperassent, et alios obstinatiores ad obsequendum compulissent. Quae omnia efficiunt ut vix dubitandum sit quin Paulus quartus nunquam nisi falsissima rerum tunc Ibernicarum relatione deceptus praefatas Cardinalis Poli facultates demum ad Anglo-Ibernos, eorumque in Ibernia districtum extenderit, proindeque | illa extensio plane surreptitia 242 fuerit.

(17) 2^o Cardinalis Poli dispensatio circa Anglo-Ibernos pridie nonas Maii 1557 data in veniae et dignationis incentivum allegat schismaticos et haereticos Anglo-Ibernicos metu potius quam libera voluntate ab Ecclesiae unione et Pontificis Romani obsequio discessisse. Cum tamen certissimum sit, et ex iis, quae circa haeresis in Ibernia originem et progressus superius retulimus, manifeste constet Anglo-Ibernos a Corona Anglicana stantes haeresi aditum facillime fuisse praeclusuros, si cum veteribus Ibernis, et aliis Anglo-Ibernis sane sapientibus faedus Catholicum percussissent, in quam sententiam tantum abest ut iverint, ut etiam Henricum octavum ac ejus filium, Eduardum sextum in Ecclesiae Ibernicae detrimentum arte et Marte, viris et viribus sceleratissime secundarint, idque suapte sponte, cum Henricus et Eduardus (sicut vel ex Davisio constat, et superius demonstravimus) nunquam eas in Iberniam vires transmiserint, quae vel ad tertiam ipsorum Anglo-Ibernorum partem compellendam suffecissent. Itaque cum illi Cardinalem Polum | in hoc controversiae capite deceperint, multo plus fidem habet 242 eos hac ex parte Pontificibus longe gentium distantibus, nominatim Paulo quarto fucum fecisse, et Regi, alienigenae, Reginaeque ejusmodi figmenta persuasisse, atque adeo id egisse, ut Principibus intervenientibus, Paulus ipsis omni potius animadversione dignissimis non succensuerit, sed in eos tanquam ab Henrico octavo et Eduardo sexto ad labendum coactos se indulgentissimum praeberit, persuasum habens fore ut Henrico et Eduardo jam mortuis et Philippo ac Maria, Principibus adeo Catholicis, regnantibus sincere resipiscerent, et nunquam in haereticorum favorem Ecclesiae bellum indicerent.

(18) 3^o In eadem Cardinalis Poli dispensatione habetur "Iberniam sub dominio Angliae Regum existentem ab Ecclesiae Catholicae unitate et Romani Pontificis obedientia discessisse." Qualia etiam verba paulo inferius habentur. Ibidemque dicitur

243 “ejusdem insulae Supremum Concilium, Parlamentum appellatum, quod universum ipsius insulae corpus repraesentaret, se ipsum et eandem insulam | haeresi et schismate involvendo, ac sententias, censuras, et paenas tam Ecclesiasticas quam temporales contra talia perpetrantes tum a jure, tum ab homine latas et promulgatas damnabiliter incurrendo, Henrico octavo primum, et deinde Eduardo sexto ad id impellentibus et auctoritatem suam praestantibus, quasdam leges seu constitutiones generales contra potestatem et auctoritatem Romani Pontificis edidisse” etc. Quae magnam partem huc spectantem falsissima sunt, cum certum sit non Iberniam sed longe minorem Iberniae partem Anglo-Ibernicam sub dominio Angliae Regum existentem ab Ecclesia defecisse, et non minus liqueat illa Anglo-Ibernorum Parlamenta nunquam Iberniae personam gessisse, sed ab Anglo-Ibernis, infensissimis Iberniae hostibus insulae partem longe minorem incolentibus fuisse celebrata. Porro sicut hujusmodi loquendi formulae in Cardinalis Poli dispensatione jam dicta et in Parlamenti ab Anglo-Ibernis ad eundem annum 1557 celebrati acto huc spectante continentur, ita nemo dubitet quin 243
v
similibus loquendi modis apud Sedem Apostolicam, praesertim apud Paulum quartum institerint, | quibus (ut credere par est) factum ut delusus illorum artificii Pontifex totam Iberniam, perinde ac Angliam, lapsam censuerit, ideoque concessas Cardinali Polo a Julio tertio circa Angliam facultates ad Iberniam extendendas duxerit ne in funestum exitum *quies Regni Iberniae turbaretur*, cum tamen illa ratio in Iberniam, praesertim Anglia jam ad frugem Catholicam recepta, non valeret.

(19) 4^o Cardinalis Poli modus loquendi in sua dispensatione his consonat, “ut (inquit) ejusdem Regni Iberniae paci et tranquillitati consulamus, atque ut unitas Ecclesiae, ex qua salus tot animarum pretioso Christi sanguine redemptarum dependet, in eodem regno jam introducta corroboretur, et salva permaneat, cum utriusque rei stabilitatem in eo maxime consistere si dictorum bonorum ecclesiasticorum possessoribus molestia nulla inferatur quominus ea teneant, multa et gravia testimonia nobis fidem faciant,” etc. Haec Cardinalis, quae nos docent rem, 244
quo dixi, modo ei fuisse expositam ab | Anglo-Ibernicis praedictorum ecclesiasticorum possessoribus, qui cum illas possessiones pessime occupaverint, et eatenus restituerint, nec eas suapte sponte restituerint, sed anteriori rapinae usqueadeo institerint ut ad eorum cordis durtiam in possessione confirmati fuerint ne maius malum nasceretur, sic ipsis non defuerint artificia,

quibus lucriones in tanta perversissimorum hominum, etiam charorum, multitudine sibi de testimoniis a Cardinale citatis in sordidissimae avaritiae scopum providerint, quibus non solum Cardinali sed etiam Regi Reginaeque longeque magis Pontifici imposuisse videantur.

(20) 5° Ipse Cardinalis Polus haud omnia bona ecclesiastica antea ab haereticis apud Iberniam prophanata laicis dimisit, sicut ex illis suae dispensationis verbis colligitur. "Salvis (inquit) remanentibus iis, quae de bonis et juribus Ecclesiasticis per serenissimos Reges praedictos ad nostram dispensationem dimissis per nos eadem autoritate Apostolica statuta fuerant," Haec ibi: idque ipsum exactis 2° Elizabethae anno in pestilentissimo Anglo-Ibernorum parlamento postea conditis expressius patet. Verum ipsorum Anglo-Ibernorum a Regina | Elizabetha ad
annum sequentem regnante stantium, nedum ipsius Elizabethae
culpa factum ut ecclesia non solum bonis illis a Cardinale Polo
exceptis sed etiam aliis omnibus apud Iberniam spoliata fuerit.
Quo ergo jure, imo qua fronte illae familiae Cardinalem Polum, et
Paulum quartum sibi praedia Ecclesiastica transcripsisse allegent,
cum suam resipiscentiam ipso facto revocaverint.

244
v

(21) 6° Julius tertius, cujus facultates Cardinali Polo circa Angliam concessas Paulum quartum cum Iberniam communicasse ferunt, in potestate Cardinali Polo 28 Junii, 1554 facta circa bona Ecclesiastica laicis possessoribus transcribenda habet hanc exceptionem. "Salvo tamen (inquit) in his in quibus propter rerum magnitudinem et gravitatem haec Sancta Sedes merito tibi videretur consulenda, nostro et praefatae Sedis beneplacito et confirmatione." Haec ibi: quae demonstrant Julium haud illam Cardinali Polo fecisse potestatem nisi ea lege ut absolvendae a Cardinale transactiones, ejusque acta huc spectantia postea a Sede Apostolica ad trutinam revocarentur, et partibus, quarum interesset, ad plenum auditis, secundum | Pontificis examen
et judicium subirent. Quod ratio et omnis aequitas exigebat. Ipse quoque Cardinalis in sua dispensatione jam dicta: "Admonemus (inquit) cum erectio Cathedralium Ecclesiarum sit de majoribus causis, quae Summo Pontifici sunt reservatae, recurrendum esse ad Suam Sanctitatem et ab ea suppliciter postulandum ut haec confirmare seu de novo facere dignetur." Sic ille, juxta duorum apographorum a me superius citatorum unum ipsi Anglo-Ibernorum acto Parlamentari insertum. Alterum autem habet paulo aliter his verbis: *Ut has confirmare seu de novo facere dignetur.* Atqui mihi nusquam occurrit Cardinalis

245

Poli dispensationem circa res Ibernicas a Sede Apostolica postea fuisse confirmatam, imo si non refixam, certe nunquam Romae approbatam fuisse credendum est, praesertim cum Regina Maria paucis mensibus interjectis extremo morbo laborare caeperit, annoque dispensationem Cardinalis Poli circa res Ibernicas datam sequenti, nempe 17 Novembris 1558 ipsa et Cardinalis decesserint, succedente flagitorum serva, Regina Elizabetha, quae cum suis

245
v

Anglo-Ibernis potius refingendae | dispensationi millenas occasiones prae-
buit et ita tyrannidem haereticam exercuit ut partes
Cardinalis Poli credulitate et dispensatione in Ibernica laesae
litem illius lupae Anglicanae rabie direptam viderint, proindeque
causam alias in foro Romano constanter a se prosequendam
forsan deseruerint tanquam sibi tunc ingenti persecutionum
pelago mersis futuram non modo inutilem sed etiam molestam ob
longinqui itineris Romani labores et impensas nulla proprii com-
modi per sententiam pontificiam assequendi spe profundendas.

(22) 7^o Cardinalis Polus sui mandati limites excessisse videtur.
Nam cum ipse in Iberniam ad res ibi mature discutiendas non
trajecerit, nec Anglo-Iberni (sicut ex acti Parlamentaris ab ipsis
tunc conditi frusto superius in medium producto 'discimus')
multoque minus alii e clero populoque Ibernico, quorum causa
in ea dispensatione gravissime vertebatur, ad eum ex Ibernica
in Angliam ad controversiae nodos coram agitandos se receperint,
qua ratione aequam in tanti momenti negotio sententiam tulerit,
nisi | forsan delegata aliis sua autoritate, quam re ipsa delegare
poterat circa multa sed (sicut facultatem 8^o Martii 1554 a Julio
tertio concessam continere vidimus) "absolutione et dispensatione
clericorum circa connubia, ac unione beneficiorum seu eorum
fructuum et bonorum separatione et applicatione ac concordia
cum possessoribus bonorum ecclesiasticorum et eorum libatione
duntaxat exceptis." Haec Pontifex. Porro Cardinalis Polus
ad Angliam in Legatum a Latere destinatus per privilegium
speciale facultati jam dictae insertum obtinuit, ut si ex continente
in Angliam haud adeo cito trajiceret, sed ei in Flandria, prae
haereticorum furore et metu, haerendum esset, in Flandria
existens suam circa Angliam et Anglos jurisdictionem exerceret,
et eam aliis personis delegaret, "quae (inquit Pontifex Cardinali)
facultatibus per te pro tempore concessis, *circa tamen eas, quae
solum tibi* (ut praefertur) *concessae existunt*, etiam te in partibus
Flandriae hujusmodi subsistente, libere utantur, et eas exercent."

246

246
v

Haec ibi. Quare Cardinalis | in Angliam advectus, et regno
illo pacato, de novo post Julii mortem iisdem facultatibus circa

Iberniam utendis a Paulo quarto munitus, haud iis in Anglia se tenens circa Iberniam, regnum semper alterum et non nisi ex parte longe minori coronae Anglicanae tunc subditum, citra privilegium uti nec illam earum partem specialiter exceptam aliis delegare potuisse videtur, praesertim cum in Iberniam facili negotio trajicere, ibi citra metum et obicem suam auctoritatem praesens exercere valuerit, idque tanti ponderis mandatum postulaverit, et Pontifex non nisi de ipsius praestanti virtute, singulari pietate, doctrina, sapientia ac in rebus gerendis prudentia et dexteritate plenam in Domino fiduciam habens tantam ei fecerit potestatem, nec exceptiones circa delegandi auctoritatem ipsi 8^o Martii 1554 communicatam jam dictas per posteriores facultates 28 Junii 1554 datas revocaverit.

(23) 8^o Vastissima praedia ecclesiastica apud Iberniam ab Henrico octavo et Eduardo sexto sui ibi fautoribus transcripta fuerant in fines nedum haereticos Ecclesiae praejudicantes, sed etiam |
 politicos, ut scilicet suam in Ibernica factionem Anglo-Ibernicam ditarent, et potentio-rem, Coronaeque Anglicanae devinctiorem 247
 ac addictiorem redderent in veterum Ibernicae Principum apud insulam latissime dominantium, coronae perinde Anglicanae hostium ac Sedis Apostolicae obsequentissimorum, praejudicium, quod non solum ipsorum intererat ut potius ecclesia, quam eorum hostes infensissimi illis praediis Ecclesiasticis gauderent, sed etiam quod ipsorum majores, Ibernicae Reges et inferioris ordinis principes, regni archiepiscopatus, episcopatus, ordinum monasticorum, et canonicorum Regularium, atque aliorum e clero monasteria, collegia et conventus liberalissime ditarent, dotarentque, proindeque eis competierit Jus Patronatus eorundem bonorum prophanatione in gravissimam illorum Principum injuriam extinguendum, quod Henricus octavus probe sciens quantopere ipsorum interesset ut id non fieret, actis solita iniquitate et impietate conditis decreverat, ut illud eis ulterius non competeret. Quare omnium institutorum Ecclesiasticorum jam dictorum et Principum antiquissimo Ibernicae sanguine regio prognatorum referebat, ne Cardinalis Polus, natione Anglus, in illius causae |
 judicem destinaretur, habens etiam in mandatis 28 Junii 1554 247
 circa Angliam a Julio tertio datis et vix unquam a Paulo quarto ad Iberniam nisi surreptitiae extensis ut dispensaret cum bonorum Ecclesiasticorum possessoribus, pro quibus Angliae *Regina, Maria, intercessura esset*, quam sui Anglici consilarii statistae ac ministri antea magnam partem haeretici et postea sub Regina Elizabetha ad haeresim relapsi publico regni sui bono temporali
 v

plus aequo studentes et sub Catholicismi larva in Ecclesiae detrimentum tempori etiam in hoc servientes facillime seduxerint. Quis ergo dispensationem et sententiam praefato clero populoque Ibernico adeo injuriosam, nec nisi a solo hostium Anglo-Ibernorum, Parlamento in sordidissimum ipsorum eo favore indignissimorum commodum receptam, atque ab ipsis surreptitie (ut credere par est) procuratam non sustineat fuisse iniquissimam.

248 (24) 9^o Julius tertius non concessit ut favores in suis facultatibus contenti Anglis (eadem ratio in Anglo-Ibernis, ad quos Paulus quartus easdem facultates extendisse dicitur, locum habet) a Cardinale Polo communicarentur, nisi cognita in eis vera et non ficta aut | simulata paenitentia. Verum Anglo-Ibernicos et Anglicos bonorum Ecclesiasticorum in Ibernia raptores scelerum a se in ecclesiam ante patratorum non paenituisse validissime praesumendum est, cum non solum in illa bona, nemine cogente sed suapte sponte sub binis retro principibus haereticis invaserint, sed etiam ne restituere cogerentur, millenis fucis et artificiis cum diuturna obstinatione conjunctis usi sint, et anno Cardinalis Poli dispensationem sequenti, Regina Maria mortua, Elizabetham ad regni clavum tyrannide sedentem, horrendo adulterio natam, Clementis septimi et Pauli tertii sententiis superius positis declaratam successionis incapacem et ecclesiae hostem trunculentissimam usqueadeo turpissime adorarint ut eam in pessundanda iterum Ecclesia Ibernica et Anglicana potentissime secundarint, atque adeo conditionibus et pollicitationibus non steterint, idque nemine cogente, cum facillime possent et deberent, illa inferni face exclusa, legitimae haeredi, Mariae Stuartae, bellonae ter Catholicae, adhaerere, et ejus nec non Galli manus auxiliares porrigentis, deindeque Philippi secundi, Regis Hispaniae, et veterum Iberniae Principum, nedum Sedis Apostolicae, ope, |

248

v

(25) 10^o Anima legis est mens legislatoris. Atqui Summi Pontificis scopus (quod etiam ex ipsis facultatibus superius positis nec non ex ipsa Cardinalis Poli dispensatione nobis constat) in concedendis illis facultatibus fuit ut Ecclesia quoad caetera non pauculos tantum menses sed permanenter in integrum restitueretur. Quare cum Pontifex illa sua mente frustratus fuerit, dispensatio quoad bona ecclesiastica laicis confirmanda corrui, perinde utique habenda ac si dictam mentis Pontificiae exequendae conditionem expresse continuisset, eamque legem bonorum Ecclesiasticorum possessores et, quorum interventu facultates illae a Pontifice concessae atque a Cardinale Polo in

proxim redactae sunt, Principes Coronae Anglicanae nomine nec non Anglo-Ibernorum Parlamentum praestandam spopondissent. Reque ipsa Cardinalis in sua dispensatione: "volumus (inquit) ut idem Regnum Iberniae in eo, quod proxime celebrabit, Parlamento, omnes leges et constitutiones, quae ab anno vigesimo Regni Henrici octavi usque ad Eduardi sexti obitum adversus | ecclesiae Catholicae unitatem et sanctissimi Domini nostri, Papae, 249 et Sedis Apostolicae supremiorem et auctoritatem directe vel indirecte in ejusdem Regni Parlamentis, seu alias quomodolibet temere latae et promulgatae fuerunt, casset, irritet et annullet, omnemque eam subjectionem et obedientiam erga Romanam ecclesiam, quam ante dictum annum vigesimum eidem exhibebat et praestabat, in se recipiat: alioqui praesentes eidem Regno nullatenus suffragentur." Haec Cardinalis. Quibus conditionibus Anglo-Iberni (sicut ex ipsorum acto Parlamentari superius memorato liquet) subscripserunt, haud ignorantes futurum ut secus dispensationis favores a se non participarentur. Cum ergo illud eorum Parlamentum 1^o Junii anno 1557 Dubliniae inchoatum dictam obedientiam erga Romanam ecclesiam *suo ipsorum nomine specialim, et nomine corporis universalis Regni in se receperit*, 1. spoponderit futurum ut praestaretur, et postea non praestiterit, imo anno sequenti 1558 cum aliis Anglo-Ibernis Coronae Anglicanae obsequentibus Elizabetham, spuriam, et Dei, fidei atque | Ecclesiae hostem infensissimam in Reginam admiserint, eique exinde in ecclesiam perfidiosissime et ingratisime plerique militarint, stare debet Cardinalis clausula dispensationis ab ipsis in illis Comitibus 1^o Junii anno 1557 inchoatis ratificata. *Alioqui (inquit) praesentes eidem Regno nullatenus suffragentur.*

249
v.

(26) 11^o Ipsi Anglo-Iberni probe scivisse videntur futurum ut derivatus ad se Cardinalis Poli dispensatione titulus ad trutinam Romae vel alibi revocandus non staret, etiamsi ab Ecclesia ad haeresim deficiendum non esset. Quare remedium residuas haeresis suae faeces redolens excogitarunt quadam praefati acti sui in Comitibus 1^o Junii anno 1557 inchoatis ante relapsum Elizabethae conditi clausula, quam ipsissimis versionis latinae superius tactae verbis hic habet: "similiter (inquiunt) constituatur auctoritate supradicta, quod quicumque per ullum processum obtentum ab ulla ecclesiastica curia intra hoc Regnum aut extra, aut per praetensionem ullius spiritualis jurisdictionis, aut alio modo contra leges hujus Regni turbabit aut molestabit ullam | personam 250 aut personas, aut communitatem politicam propter ullum ex dictis maneriis, terris, tenementis, haereditamentis aut rebus

supra specificatis contra verba, sententias, et sensum hujus acti, incurreret periculum acti *Praemunire* statuti decimo sexto anno Regis Richardi secundi." Hactenus illa clausula. Porro illud actum, *Praemunire*, gravissimas confiscationis et mortis paenas sui transgressoribus irrogandas praescribebat, quas hic nostri Anglo-Iberni omnibus (ne clero quidem excepto, imo hac sagitta in clerum principaliter directa) quamcunque ipsis circa illa praedia ecclesiastica exinde molestiam exhibituris infligendas decreverunt, ne Iberniae clerus populusque, quorum causa ibi jugulabatur, eos et Cardinalis Poli dispensationem tanquam multis titulis iniquissimam ad calculos vocarent potissimum Romae, a qua sibi per illas duas vuculas, *aut extra*, caverunt, tunc quidem anterioris schismatis paenitentiam agentes, saltem specie, sed de facto actis ter haereticis antea ab ipsorum parlamento sub Henrico octavo conditis, quibus interdicebatur nequa ad Sedem |
 250 Apostolicam appellatio interponeretur, insistentes, atque adeo
 v. vel hoc ex capite dignissimi, qui non solum ad illa latifundia clero redhibenda compellerentur, sed etiam scelerum antegressorum paenas darent, praesertim cum ex ipsa Cardinalis Poli dispensatione et ipsissimo eorum acto Parlamentari ad jurisdictionem ecclesiasticam, potissimum pontificiam in throno collocandam tenerentur. Caeterum si illa iniqua, violenta, atque impia eorum prohibitio cum aliis sordidis atque innumeris eorum artificijs, et potentissimorum Principum suorum, Philippi et Mariae politicorum artibus cum Rege marito deceptae imperio atque interventu conjuncta effecit ut Cardinalis Poli dispensatio brevi deinde temporis Catholici intervallo a Pontifice rescissa non fuerit, novam et prima pejorem arguit surreptionem, qua vel sola omnis titulus a Cardinalis Poli dispensatione mutuandus ad nihilum recidat. Denique praefata clausula adeo iniquitatem et haeresim spirat, ut ipso actorum haereticorum postea sub Elizabetha ibidem latorum primo confirmetur.

(27) Haud ignoro non deesse quosdam agnatorum suorum praediis illis Ecclesiasticis ditatorum fautores, qui Parlamentum
 251 illud sub Philippo | et Maria in Ibernia celebratum non solum ex laicis sed etiam ex membris ecclesiasticis constitisse, et ipsos Mellifontis, S. Thomae Dublinensis, B. Mariae Dublinensis, Baltinglassae, Tinternae, Douskae, Tractonae, Bectiffae, Rathoae et Jeripontae Abbates in Anglo-Ibernorum Comitibus pro suo jure suffragium ferentes et S. Trinitatis Dublinensis, S. Petri novae villae juxta Trimmam, Kinlisiae in Ossoria, S. Patricii de Duno, omnium Sanctorum Dublin. et S. Edmund. Athassel Priores in iisdem consessibus sedere solitos, praeter aliquot mendicantium

ordinum Priores in illam Cardinalis Poli dispensationem consensisse objiciant. Respondetur autem id nisi certo probetur, non concedendum, deindeque totum districtus Anglo-Ibernici clerum simul sumptum cleri Ibernici vicem obire non potuisse, cum clerus populusque veteri Ibernorum sanguine prognatus saltem duplo majorem insulae partem tunc possideret, et ita Regni personam gereret ut suis legibus, atque aliis praerogativis sub suorum Principum imperio | utentes illi conventiculo non interfuerint, atque adeo acto jam dicto in Ecclesiae praejudicium ex parte tendenti non subscripserint, imo ab illo tanquam in aerescatorum hostilium favorem et lucrum turpiter condito eatenus abhorruerint. Quin etiam circa infrequentiore districtus Anglo-Ibernici clerum illi conventiculo assistentem vel in eo sedentem multa considerata sunt, quibus hoc telum retundatur. Nam fidem habet haud omnes fuisse Anglo-Ibernos, sed magna ex parte Anglos pro Regum Angliae more in districtu Anglo-Ibernico ad beneficia promotos et ob rationes politicas in Iberniam transmissos ut ter infamis Proregis, Comitis Sussexiae, pariter Anglici, atque aliorum similium politicorum non de Ecclesiae sed de coronae Anglicanae juribus sollicitorum consiliis astipularentur. Deinde validissime praesumendum est ipsos Anglo-Ibernicos praediorum Ecclesiasticorum invasores avaritia impulsos haud ita rebus suis indormiisse, quin suos necessarios ad dignitates ecclesiasticas (quod aliorum | Anglo-Ibernorum, atque Anglorum ope ac Regis Philippi, Reginaeque Mariae politicorum suggestionibus facile deceptae interventu a Cardinale Polo et per Cardinalem a Pontifice obtinuerint) promovendos sagaciter curarint, quo non solum aliorum, qui secus in praelatos cooptandi atque ecclesiae in ipsos suffragaturi essent, molestiam declinarent, sed etiam suorum carne et sanguine, vel alia necessitudine occupatorum suffragiis atque autoritate apud Iberniam, Angliam, Urbem et posteritatem multifariam profutura protegerentur. Hanc enim se etiam ecclesiastico suorum brachio in politicis tutandi artem Anglo-Ibernis ante et post Henrici 8 schisma usque ad praesens tempus familiarissimam fuisse et esse reperio. Praeterea quid in praefatorum districtus Anglo-Ibernici Abbatum et Priorum atque aliorum Regularium pars, eaque forsantissima, fuerint ipsissimi schismatici atque haeretici juxta factam Cardinali Polo potestatem amplissimam recens ab haeresi et caeteris maculis absoluti ut foro uterentur, et tempori servirent, forteque si non omnes | certe ex parte illi ipsissimi ex Anglo-Ibernico districtu Praelati, atque alii ecclesiastici, quos tanta turpitudine Dei, fidei, ecclesiae et propriae salutis aeternae ac

251
v.

252

252
v.

famae causam prodidisse vidimus ut, nemine cogente, monasteriorum, conventuum et collegiorum suorum possessiones per instrumenta publica familiarum suarum ecclesiasticarum calculis et sigillis munita Henrico octavo ad primos sui schismatis annos (qualem etiam execrandam ignaviam ad annos posteriores sub ipso atque ejus filio ab aliis ejusdem fermenti apostatis continuatam fuisse credamus) transcripserint, ipsique postea pudicitiae et pudori nuntium remiserint. Denique Abbates illi, Priores atque alii Regulares Anglo-Ibernici, quos in Cardinalis Poli dispensationem circa confirmanda laicis praedia Ecclesiastica consensisse ferunt, suis potius monasteriis, collegiis, conventibus, et institutis, ac fundatorum menti in causa tam justa ex officio, debito, et conscientiae legibus militassent, quibus suis partibus cum usqueadeo defuerint, ut iniquissimis illorum bonorum possessoribus suffragati sint, citra temeritatem | asseverandum est, eos non tam illorum laicorum titulos roborasse quam suam insigni documento perfidiam prodidisse. Nec hoc dico, quin pro certo habendum ducam Anglo-Ibernico clero non defuisse viros omni tempore et tunc zelo domus Dei flagrantibus, sed ab ejusdem factionis pluralitate et praevalente aliorum imperio (sicut in ipsa Anglia successit) ita superatos, ut forsitan in illo Parlamento sub Regina Maria celebrato tantae bonorum ecclesiasticorum prophanationi haud se viriliter opposuerint, ne incassum in se persecutionem concitarent, expectantes futurum ut causa Romae suis ponderibus libranda liberius et efficacius agigaretur. Nec mihi hoc dicenti negotium facessit praefatum Anglo-Ibernorum actum tanquam *dominorum spiritualium et temporalium et communitatum* autoritate in dicto Parlamento conditum: Observavi enim Anglo-Ibernos in more posuisse ut illa loquendi formula conventiculorum suorum actis auctoritatem conciliarent, nec requirerent ut | clerus in iisdem conventiculis sedere et suffragia ferre solitus actis subscriberet, sed saltem Parlamenti ex clero infrequentiori et longe frequentiori laicorum numero compacti pluralitas consentiret, licet clerus vel major ejus pars dissentiret. Quam Anglo-Ibernorum consuetudinem in bello ad annum 1641 fidei causa caepto ecclesiae Ibernicae excidium et clero magnum dedecus peperisse videbimus. Caeterum haec Cardinalis Poli dispensationi nec non praefati Parlamenti acto in eundem scopum tendenti a me objecta locum habent, modo illam dispensationem et praefatum actum haud a falsariis et impostoribus in suae suorumve avaritiae scutum adversus ecclesiam excogitata vel adulterata fuisse constet. Quod mihi

usque modo non liquet, cum mihi nusquam occurrant nisi in Archiepiscopi Firmani anno 1645 ab Innocentia X^o ad Confederatos Iberniae Catholicos in Nuncium Apostolicum allegati scriniis, in quibus ille eorum apographa apud Iberniam ab aliquo (credo) Anglo-Iberno recepta reliquit. Quare cleri et ecclesiae est bonorum ecclesiasticorum | possessoribus haec vel alia quaecunque acta in sui juris confirmationem allegaturis fidem non habere, nisi ipsa autographa exhibeant, vel aliter suas allegationes evidenter probent cum prudentissime dubitandum sit ne et in his actis falsandis mala fides intervenerit. 254

(28) In praefato Parlamento ad Philippi et Mariae mandatum in Iberniam ab Anglo-Ibernibus celebrato condita fuisse lego alia acta juxta conditiones in Cardinalis Poli dispensatione contentas et praefatorum Principum mentem eo tendentia ut haeresis ex Anglo-Ibernorum districtu potentius eliminaretur. Verum et illa postea in altero Anglo-Ibernorum Parlamento post biennium et pauculos menses ad annum Reginae Elizabethae secundum Dubliniae celebrato ita refixa fuisse constat, ut antea ab ipso regni Elizabethae initio re ipsa in fumum abierint.

(29) Eduardo sexto regnante prorex haereticus cum suis Anglo-Ibernibus impium indixit bellum in Iberniam O'Conoro, O'Morro, O'Diomaso, Principibus veterum Iberniae Regum sanguine prognatis, et in Lagenia | juxta *provinciam Anglicanam* late dominantibus, et aliis eadem antiquissima nobilitate oriundis, effecturus ut illis fidei pugilibus extirpatis, haeresis et coloniae haereticae in eorum principatibus plantarentur. Verum illi suos principatus bello perditos paulo post bello recuperarunt. Verum ter impius Sussexiae Comes, Philippo et Maria regnantibus Anglo-Ibernorum Prorex Catholicus, paulo post sub Regina Elizabetha eorundem Prorex haereticus, Mariae in reducenda ad Catholicismum Ecclesia Anglo-Ibernica et Elizabethae in eadem ad haeresim revocanda infame instrumentum, ita priores haereticorum conatus secundavit ut illos principes Iberos instaurato bello deturbarit et in his Anglo-Ibernorum Comitibus sub Philippo et Maria convocatis duo acta condenda curaverit, quorum uno decretum ut dictus prorex illa territoria, in quos vellet, distribuere valeret, et altero statutum ut illi Principatus in duos *Regis* et *Reginae* Comitatus erigerentur, et propugnaculum in Reginae Comitatu | exstructum Mariamburgus a Reginae nomine, sicut et alterum in Regis Comitatu constructum a Regis 254 v. 256*

Statut.
Iberniae
pag.
247 et
248.

*in paginatione nn. 255 et 255 v in originali omitti sunt.

nomine Philippopolis vocitaretur. Quo etiam tempore Rex Philippus in Belgio duo sua propugnacula recens extracta iisdem nominibus nobilitavit. Verum propter illos Principatus Ibernicos multum deinde sanguinis fusum fuit, Lageniensibus familiis jam dictis et earum Principibus sua antiquissima patrimonia bello Catholicismo sub Regina Elizabetha repententibus et haereticis eos repulsantibus.

(30) Cardinalis Poli dispensationem pridie nonas Maii 1557 datam fuisse vidimus. Anglo-Ibernorum autem Parlamentum, quo ea recepta fuit, Dubliniae Kalendis Junii eodem anno celebrari caepit, ibidem usque ad 2^m Julii ita continuatum ut eo die intermissum, postea Limerici, Anglo-Ibernorum urbe in Momonia, decimo Novembris eodem anno 1557 sederit. Harum autem sessionum utra, vel qua die aut mense Anglo-Iberni nostri per illam dispensationem absoluti fuerint, mihi nondum liquet.

256 v. Quicquid sit, Regina Maria paulo post | febr. semestri et aqua intercuti laborans 17 Novembris anno 1558 discessit, et nostri Anglo-Iberni mox Reginae Elizabethae, spuriae atque haereticae adhaeserunt Henrici octavi ex Anna Bolena filiae sceleratissimo illo matrimonio natae, quod Clemens septimus et Paulus tertius summi Pontifices ipseque post plexam capite Annam Henricus autoritate parlamentaria, sicut et Regina Maria, aliis Angliae comitiis suffragantibus, nullum omnino, et illegitimum fuisse decreverunt. Juxta quae acta et ipsam liquidissimam ac notoriam veritatem et aequitatem gloriosissima Scotiae Regina, Maria Stuarta, eodem anno 1558, mense Maio, Parisiis Francisco, Galliarum Delphino, Henrici secundi, Francorum Regis, primogenito, nupta, per aviam paternam, Margaritam, Henrici septimi, Angliae Regis, filiam natu maximam legitima coronae quoque Anglicanae Regina fuit ab intestato. Quare Henricus secundus, Galliarum Rex, ab aliquot retro annis Scotiam praesidiariis militibus occupaverat, pluresque indies illo submittebat coronam Anglicanam et Iberniae partem eidem coronae obtemperantem

257 filio et nurui ex confinio | mox Marte repetiturus. Qua mente se bello Hispanico, Flandrico, Allobrogico, et Italico expedivit, inita cum Philippo secundo Hispaniarum Monarcha, pace, cui urbes, propugnacula, aliasque munitiones amplius quadringentas, superioris belli trophaea, lubens restituit, quo non modo Scotiam jam possessam servaret, sed et Angliam atque Iberniae partem jam dictam Mariae Stuartae, atque adeo filio jure uxorio, vendicaret. Quibus etiam imperavit, idque effectum est, ut in omnibus diplomatibus hoc titulo uterentur: *Franciscus et Maria Dei*

gratia Scotiae Angliae et Iberniae Rex et Regina, insigniaque Angliae et Iberniae conjunctim cum insignibus Scotiae in supellectili et parietibus ubique depicta et faecialium paludamentis intexta passim proposuit. Equitum praeterea peditumque delectus in Gallia Germaniaque habuit, qui in Scotiae partes Angliae vicinas transveherentur. " Et sane (inquit ipse Camdenus, Elizabethae a Commentariis) res Anglica afflictissima nunc jacuit hinc Scotico, inde Gallico bello implicata, aere alieno, quod Henricus octavus et Eduardus sextus contraxerant, oppressa, aerario exhausto, Caeto et Regione | Oyensi cum magno apparatu 257 bellico non sine Anglici nominis dedecore ammissis, populo discordibus de Religione sententiis distracto, Regina ab amicis potentibus nuda et nulla exterorum principum cognatione munita : " Haec ille. Qui per Reginam intelligit non Mariam Stuartam, sed Elizabetham.

Elizab.
1°.

257
v.

(31) Ex his colligere est, nostri Anglo-Iberni, quam facili tunc negotio Iberniam ab Elizabethae tyrannide et renascente haeresi Anglicana praeservare poterant Mariae Stuartae Catholicissimae et legitimae Reginae obsequendo, Deo, fidei, Ecclesiae et Pontifici Romano in spiritualibus obtemperando et faedus Catholicum cum veteribus Iberniae Principibus coeundo, qui id toto corde anhelarunt. Verum Elizabetha non obstantibus tot periculis undique ipsi immensibus Regina Maria, sorore, defuncta, mox a suis Anglis et Anglo-Ibernis in Reginam fuit agnita, et probe sciens se juxta ecclesiae Catholicae decreta adulterio, et horrendo, natam, atque adeo in regni jus haud rite succedere posse, eam continuo amplexa est religionem, haeresim utique, quae se filiam legitimam et | proximam coronae haeredem decerneret. Itaque 258 Angliam versatilem tot religionum pilam, ante annum circiter 1530 quo Henricus octavus perverti caepit, totam Catholicam, exinde usque ad annum 1547 quo Henricus obiit, primum schismaticam, et ex schismatica deinde haeticam, sed quodam haeresi ab ipso Henrico excogitata infectam, sub Eduardo vero sexto sexennio circiter Lutheranam, ac denique sub Eduardi et Elizabethae sorore Regina Maria pauculos annos rursus Catholicam, Elizabetha denuo haeticam reddidit et velut tot religionum, quas per anteriores viginti quinque aetatis annos percurrerat, pertaesa novam sibi haeresim ex omni haeresum colluvione consarcinatam cudit. Ubi vero Angliam denuo pervertisset hac ex parte utcunque secura nihil prope magis metuebat quam ne Iberni, quos ipsius historiographus haeticus, Camdenus, *Romanae Religioni addictissimos* dicit, ipsi negotium facessarent.

Camd.
in Eliz.

ad
annum
1558.

258

v.

Eliz. 1^o

259

259

v.

A quo illa damno, ut sibi caveret, haeresim quoque in Iberniam inter suos Anglo-Ibernos postliminio restituendam curat suae factionis in Mariam Stuartam auctitandae desiderio, quo nec unquam | alio, fuisse praecipitatum ad fidem mortua sorore abjurandam vel ipse ejus idolatra, Camdenus satis superque innuit. Is enim ubi Philippum secundum, Hispaniae Regem, praemortuae ejus sororis, Reginae Mariae antea virum antequam secundas cum Galli filia nuptias contraheret, Elizabethae conjugium cum Summi Pontificis dispensatione per litteras ambiisse recenset. Mox de Philippo. "Cum autem (inquit) ille crebris literis urgendo instaret, et illa compositos tanti Regis mores modestissima gravitate, atque gratia, majestate dignissimos subinde praedicando admiraretur, et invitari gauderet, prodierunt aulici, qui contra Hispanos ut fastu tumidos declamitarunt, et nonnulli ex intimis consiliariis in aures assidue insussurarunt mollissimo ingenio virgini, dum timerent ne animus in dubio facillime impelleretur, actum de ipsa et amicis esse, conclamatum de Anglia si Pontificiam auctoritatem in dispensando aut alia quacunque re agnosceret. Duos Pontifices matrem illegitime Henrico octavo enuptam pronunciasset, et inde ex eorum sententia jam lata Scotorum Reginam jus in Regnum Angliae | sibi arrogare. Pontificem sententiam istam nunquam rescissurum, nec aliquid aequi a Romanis expectari posse, qui in matrem et illam fuerant iniquissimi. Ad haec Gallum jam Romae enixe agere ut Maria Scotica legitima Angliae Regina declaretur." Haec ille.

(32) Hic iterum in medium prodeat Anglo-Ibernorum Prorex, Thomas Walterus, vel Fitz-Walter, qui et Radcliffus, Sussexiae Comes, natione Anglus, quem cum aliis, patriotarum plerisque parvo illo annorum recens praeteritorum spatio de religione in religionem ad aulae norman descendisse ex iis, quae tunc gessit conjectare licet. Etsi enim is fuit, qui Reginae Mariae in Anglia et Iberniae parte Coronae Anglicanae obtemperante ad Catholicismum reducenda operam accommodaverat, mox tamen atque Elizabetha atque Anglia religionem mutavit, ille quoque deseruit suam et ad aulae modum se composuit, usqueadeo ut cum Elizabetha in pervertendis iterum Anglo-Ibernis sui pene negotii cardinem poneret, et suae mentis pestilentissimae studiosissimum ac negotio plane absolvendo aptissimum deligere statueret, Sussexium sub Maria eorundem | Proregem ex Iberniam accitum atque in suo noviciatu Londinensi pertentatum iterato Proregem in Iberniam destinavit ut Anglo-Ibernos sub ipso recentissime ad Catholicismum revocatos nunc ad haeresim reduceret. In

qua provincia obeunda partes ille suas adeo strenue et sagaciter egit ut vel hoc nomine dignissimus sit, qui omnibus infamiae maculis notatissimus habeatur. Quo Prorege praesidente Anglo-Iberni anno Elizabethae secundo et Christi 1560, duodecimo Januarii Dubliniae Parlamentum inchoarunt, non nisi usque ad Kalendas Februarii proxime secuti continuatum, cujus acta omnia eo spectabant ut haeresis, et scelera cuncta haeresi annexa postliminio restituerentur, Elizabetha in Reginam et Ecclesiae Ibernicae caput agnosceretur, bonaque Ecclesiastica partim ejus fisco addicerentur, partim ad ejus nutum fautoribus transcriberentur, et residuae Archiepiscopatum ac Episcopatum possessiones ad pseudo-Episcopos pertinerent. Primum illius conventiculi statutum hic ex Anglico latine verto, lectorem praemonens Parlamenti membra Elizabethae supplicare, et supplicando decernere |

(33) *Actum, quo antiqua in statum Ecclesiasticum et spirituales Jurisdictio Coronae restituitur, et omnis extranea potestas eidem repugnans aboletur.* 260

"Tui fideles, et obediens subditi, Domini spirituales et temporales cum communibus in hoc Parlamento congregati excellentissimae Maiestati tuae humillime supplicantes exponunt varias bonas leges et statuta, tam ad extinguendam omnino et explodendam ex hoc regno tuo omnem usurpatam et extraneam potestatem atque auctoritatem, quam ad restituendas et uniendas imperiali hujus Regni Coronae antiquas jurisdictiones, auctoritates, superioritates et praeeminentias ad eam ex jure pertinentes et spectantes, regnante dignae memoriae charissimo Patre tuo, Henrico octavo, fuisse condita, quibus nos, tui humillimi et obedientissimi subditi, ab anno Regni charissimi Patris tui jam dicti vigesimo octavo citra intermissionem bene regebamur, et variis magnis atque intolerabilibus oneribus et sumptibus per eam extraneam potestatem et auctoritatem antea usurpatam illiciti accipi | atque exigi solitis exonerabamur, donec omnes 260
illae bonae leges et statuta per quoddam actum parlamentare v.
anno nuperi Regis Philippi et Reginae Mariae, tuae Celsitudinis sororis, tertio et quarto conditum (quod inscribitur *Actum omnia statuta, articulos et provisiones contra Sedem Apostolicam Romanam ab anno Regis Henrici octavi vigesimo factas reficiens et pro abolitione spiritualium atque Ecclesiasticarum possessionum et haereditamentorum in laicos translatorum*) protinus abrogata et antiquata fuere, sicut ex dicto acto abrogatorio fusius constat,

quo revocationis statuto dicti tui humiles subditi iterum sub extranea potestate atque autoritate positi fuere, et usque modo in ea servitute persistunt, in intolerabilia tuorum charorum subditorum gravamina, nisi hujus augustae curiae tuae autoritate ex tuae Celsitudinis assensu de aliquo remedio provideatur. Itaque quo praefata usurpata extranea potestas reprimatur, et jura, jurisdictiones, ac praeeminentiae ad Imperialem hujus Regni tui Coronam pertinentes restituantur, tua Celsitudo hujus Parlamenti | autoritate sanctitum velit ut praefatum actum anno Regni praenominati Regis Philippi et Reginae Mariae tertio et quarto omnesque ejus partes, clausulae, ac sententiae, exceptis inferius excipiendis, hujus Parlamenti autoritate ab ultima hujus sessionis Parlamentaris die refigantur, exindeque cassentur, et nullam vim habeant; et quo diversae ex dictis legibus ac statutis jam dicto charo patre tuo regnante conditis reviviscant tuae Celsitudini placeat ut quoddam actum et statutum in comitiis 1^o Maii anno nuperi Regis, Henrici octavi, jam nominati, vicesimo octavo Dubliniae celebratis deindeque (sicut illius Parlamenti tabulae fusius continent) comperendinatis et continuatis latum, quod inscribitur *Actum appellationum*, et certum statutum in eodem Parlamento conditum, cui titulus est *Actum facultatum*, omnesque eorundem variorum actorum et statutorum partes, verba, et sententiae, praesentis Parlamenti autoritate ab ultima hujus sessionis Parlamentarii die, omnique exinde tempore reviviscant et ad omnem intentionem, | interpretationem ac propositum vigeant, et plenam vim habeant, et praedictorum variorum actorum clausulae, sententiae et verba judicentur, censeantur et accipiantur tanquam extensa ad tuam Celsitudinem, haeredes et successores tam pleno atque amplo modo ac eadem acta aut eorum quodcunque extensum fuit ad nuperum Henricum octavum jam dictum, patrem tuae Celsitudinis.

(34) " Et tua Celsitudo hujus Parlamenti autoritate sancitum velit ut actum aut statutum in comitiis 13^o Junii anno Regni praefati chari patris tui Henrici octavi trigesimo tertio Dubliniae inchoatis, deindeque (sicut ex illius Parlamenti volumine curiali fusius apparet) prorogatis, comperendinatis, et continuatis scriptum, quod inscribitur *Actum pro matrimonio*, ex illa sola parte, quae consanguinitatis gradus tangit et concernit, imposterum pari modo vigeat, reviviscat, et plenam obtineat vim ac robur in omnem intentionem et propositum, non obstante quacunque re in praefato abrogationis acto | jam memorato contenta, aut alia re vel causa in contrarium.

(35) "Et tua Celsitudo ulterius eadem autoritate sancitum velit ut omnes aliae leges et statuta, omniumque actorum et statutorum, quae praefato abrogationis decreto praedicti nuperi Regis Philippi et Reginae Mariae diebus antiquata atque evacuata fuere, quaeque per hoc actum specialiter nec memorantur, nec reviviscunt, membra, et clausulae subsistant, remaneant, et revocentur atque evacuentur eodem plane modo ac ratione quae ante conditum hoc actum, non obstante quacunque re in hoc statuto contenta in contrarium.

Locus
videtur
corrup-
tus
etiam in
textu
Anglico.

(36) "Et tua Celsitudo eadem autoritate sancitum velit ut quoddam actum aut statutum anno praefati nuperi Regis Philippi et Reginae Mariae tertio et quarto datum, quod intitulatur *Actum quo tria statuta ad puniendas haereses scripta restituuntur*, ipsaque tria statuta, de quibus in eodem acto mentio fit, quaeque per idem actum restituta sunt omniaque et singula membra articuli, clausulae et sententiae in variis actis et statutis jam dictis contenta, eorumque unumquodque | ab ultima hujus sessionis Parlamentaris die censeantur et remaneant penitus revocata, irrita, et nullius effectus in omnem intencionem et praepositum, non obstante quacunque re in praefatis variis actis, aut eorum quocunque contenta, vel quacunque alia re aut causa in contrarium. Et quo omnis usurpata atque extranea potestas, ac autoritas spiritualis ac temporalis in perpetuum funditus extinguatur, et nunquam in hoc regno exerceatur aut observetur, tua Celsitudo ulterius autoritate praefata sancitum velit ut nullus extraneus Princeps, persona, praelatus, status, aut Potentatus spiritualis aut temporalis ullo tempore post ultimam hujus sessionis Parlamentaris diem utatur, gaudeat, aut exerceat cujuscunque generis potestatem, jurisdictionem, superioritatem, autoritatem, praeeminentiam, aut privilegium spirituale vel Ecclesiasticum in hoc Regno, sed imposterum eadem penitus hoc Regno | aeternum exulent, non obstante quocunque statuto, ordinatione, consuetudine, constitutionibus, aut alia re vel causa in contrarium quomodocunque faciente.

262
v.

263

(37) "Et tua Celsitudo similiter eadem autoritate sancitum ac constitutum velit ut jurisdictio, privilegia, superioritates, et praeeminentiae spirituales atque Ecclesiasticae ad visitandum Ecclesiasticum statum, et personas, et ad easdem reformandas, moderandas et corrigendas, nec non ad extirpandos cujuscunque generis errores, haereses, schismata, abusus, offensas, contemptus et enormitates quacunque spirituali vel Ecclesiastica potestate, aut autoritate antehac exercitae aut tractatae fuerint, aut

exerceri vel tractari legitime possint, cum imperiali hujus Regni Corona uniantur et jungantur, et tuae Celsitudini, haeredibus et successoribus, hujus Regni Regibus ac Reginis, plena competat potestas atque autoritas hujus acti virtute per litteras patentes magno Angliae vel hujus | Regni sigillo muniendas et D. Proregi, vel alii hujus Regni Gubernatori, vel Gubernatoribus pro tempore virtute hujus acti per litteras patentes ipsius, aut ipsorum autoritate scribendas, et magno hujus Regni sigillo roborandas plena similiter competat potestas et facultas assignandi, nominandi, et autorizandi quando, et quoties tua Celsitudo, haeredes et successores, aut D. Prorex, Gubernator, aut Gubernatores hujus Regni pro tempore convenire judicaverint, et quandiu tuae Celsitudini, haeredibus et successoribus, aut D. Proregi vel Gubernatoribus hujus Regni pro tempore placuerit talem, aut tales viros, nativos tuae Celsitudinis, haeredum, aut successorum subditos, quos tua majestas, haeredes aut successores, seu D. Prorex, Gubernator, aut Gubernatores hujus Regni pro tempore idoneos duxerint ad exercendam, tractandam, occupandam et exequendam sub tua Celsitudine, haeredibus, et successoribus, cujuscunque generis | potestatem, privilegia et praeminentias quamcunque spirituales aut Ecclesiasticam jurisdictionem in hoc tuo Iberniae Regno quomodocunque tangentes, aut concernentes, et ad visitandos, reformandos, resarciendos, ordinandos, corrigendos, ac emendandos omnes errores, haereses, schismata, abusus, offensas, contemptus, et enormitates quascunque, quae cujuscunque generis spirituali vel Ecclesiastica potestate, autoritate, vel jurisdictione legitime conformari, ordinari, resarciri, corrigi, coerceri, vel emendari queant, in Dei omnipotentis obsequium, virtutis incrementum, et hujus Regni pacis ac concordiae conservationem. Et ut ejusmodi persona vel personae sic a tua Celsitudine, haeredibus, et successoribus, aut a D. Prorege, Gubernatore vel Gubernatoribus hujus Regni pro tempore (sicut praedictum est) nominandae, assignandae, autorizandae, et delegandae, ubi praefatae litterae patentes (sicut dictum est) absolutae, atque ipsi vel ipsis traditae fuerint, hujus acti et praedictarum litterarum patentium virtute plenam sub | tua Celsitudine, haeredibus, et successoribus habeant potestatem et auctoritatem exercendi, utendi atque exequendi praedicta juxta eorundem diplomatum tenorem et mentem, non obstante quacunque re vel causa in contrarium quomodocunque faciente.

(38) " Et quo hoc actum melius observetur, atque in praxim

263

v

264

intoler-
abilis
verborum
abusus

264

v

redigatur, tua Celsitudo ulterius autoritate praedicta sancitum velit ut omnes et singuli Archiepiscopi, Episcopi, omnesque et singulae aliae personae Ecclesiasticae, officiales et ministri cujuscunque status, dignitatis, praeeminentiae, vel gradus fuerint, et omnes ac singuli temporales Judices, Justitiiarii, Praetores Urbani, atque alii officiales, ac ministri laici et temporales, omnesque aliae personae tuae Celsitudinis mercede et stipendio in hoc Regno conductae suscipiant corporale juramentum per Evangelistas coram tali persona vel personis, quales placuerit tuae Celsitudini, haeredibus et successoribus sub magno Angliae, vel hujus Regni sigillo, vel visum fuerit D. Proregi seu alteri Gubernatori vel Gubernatoribus pro tempore per litteras patentes ad ipsius | vel ipsorum mandatum magno hujus Regni sigillo 265 roborandas, assignare et nominare ad illud ministrandum juxta tenorem et concepta verba hic sequentia: 'Ego A. B. plane testificor et declaro ex conscientia Reginae Celsitudinem esse supremam hujus Regni atque omnium aliorum suae Celsitudinis dominiorum et ditionum gubernatricem, tam in hujus Regni rebus et causis spiritualibus atque Ecclesiasticis quam in temporalibus, quare omni alii extraneae jurisdictioni, potestati, praelaturae, atque auctoritati renuntio et desero, meque polliceor imposterum Reginae Celsitudini, haeredibus et successoribus veram fidem et obsequium praestitutum, et pro virili propugnaturum ac defensurum omnes jurisdictiones, privilegia, praeeminentias, et auctoritates Reginae Celsitudini, haeredibus et successoribus concessas et ad eos spectantes, vel cum imperiali hujus Regni Corona unitas et conjunctas. Ita me Deus adjuvet et quae in hoc libro continentur.'

(39) "Et sanciat ut si quis ejusmodi Archiepiscopus, Episcopus, aut quivis alius officialis, aut Minister Ecclesiasticus, | aut quispiam ex dictis Judicibus, aut Iustitiariis saecularibus, 265 aut aliquis alius ex laicis officialibus et ministris dictum juramentum suscipere perfracte et obstinate detrectaverit, ejusmodi recusans tantum omni Ecclesiastica et spirituali promotione, beneficio et officio, atque omni saeculari et laica promotione et officio quo tunc recusationis tempore gaudebit, quoad vixerit multetur, et totus cujusvis talis promotionis, beneficii, atque aliorum officiorum titulus, jus, et possessio personae sic recusanti competens quandiu vixerit, penitus expiret et perinde cesset, ac si recusans decessisset, omnisque ejusmodi persona sic praefatum juramentum suscipere recusans mox post ejusmodi recusationem, exindeque per totam vitam sit inhabilis ad resti-

266 tuendum aut exercendum quodcunque officium, aut aliam pro-
 motionem, quam talis recusationis tempore conjunctim, aut in
 communi cum quacunque alia persona, vel personis habuerit.
 Et ut omnes alii quocunque tempore imposterum ad quemcunque
 Archiepiscopatum aut Episcopatum, vel quodcunque aliud |
 Ecclesiasticum beneficium, promotionem, dignitatem, officium
 aut ministerium praeferendi, promovendi, vel assumendi, vel a
 tua Celsitudine, haeredibus, et successoribus ad quodcunque
 saeculare, vel laicum officium, ministerium, aut servitium in
 hoc Regno asciscendi, aut cooptandi, antequam ullum ejusmodi
 Archiepiscopatum, Episcopatum, promotionem, dignitatem,
 ministerium, officium, aut servitium obeundum, aut occupandum
 subierint, idem juramentum corporale antea memoratum per
 Evangelistam faciant et suscipiant coram talibus personis,
 quibus ejusmodi personam ad tale officium, ministerium vel
 servitium admittendi autoritas competit, vel competierit, aut
 coram illis personis, quae a tua Celsitudine, haeredibus, aut
 successoribus per mandatum magno Angliae, vel hujus Regni
 sigillo muniendum, aut a D. Prorege, vel alio hujus Regni
 Gubernatore, vel Gubernatoribus pro tempore per litteras patentes
 266 ejus vel ipsorum autoritate scribendas et magno hujus Regni
 sigillo roborandas nominatae, | assignatae aut delegatae fuerint
 v ad praefatum juramentum ministrandum. Et autoritate jam
 dicta similiter sanciantur ut si qui imposterum ad ullum ejusmodi
 munus spirituale vel Ecclesiasticum beneficium, aut ministerium
 promovendi, praeferendi, aut assumendi vel a tua Celsitudine,
 haeredibus, aut successoribus ad quodcunque saeculare vel
 laicum officium ministerium, aut servitium promovendi, vel
 assumendi praefatum juramentum ipsis ministrandum perfracte
 et pertinaciter suscipere recusaverint, tunc illi sic recusantes mox
 censeantur ex lege inhabiles ad recipiendum, obeundum et hab-
 endum illud munus spirituale aut Ecclesiasticum, et praefatum
 saeculare officium, ministerium, aut servitium in hoc Regno ad
 omnem intentionem interpretationem et propositum.

(40) " Et ulterius praefata autoritate constituatur ut quot-
 quot ex laicis supplicaverint ut sui juris fiant, et extra tuae
 Celsitudinis, haeredum aut successorum potestatem ponantur,
 ante obtentam ac concessam illam libertatem ac emancipationem,
 267 | omnesque laici a tua Celsitudine, haeredibus, et successoribus
 ad quamcunque praediorum investituram vel in famulos ad-
 mittendi corporale juramentum antea memoratum faciant et
 suscipiant coram D. Cancellario Iberniae vel magni sigilli custode
 pro tempore vel coram illis, qui a tua Celsitudine, haeredibus

et successoribus, vel a Domino Prorege, vel alio hujus Regni gubernatore vel gubernatoribus pro tempore per litteras patentes ejus aut illorum autoritate scribendas et magno hujus Regni sigillo roborandas ad id ministrandum nominati et delegati fuerint, et ut omnes sacris ordinibus initiandi, atque ad quemcunque gradum scholasticum in quacunque universitate apud hoc tuum Regnum futura promovendi vel assumendi idem juramentum hoc acto (sicut praedictum est) editum et declaratum faciant et suscipiant coram suo ordinario, commissario, cancellario, vice-cancellario vel idoneis eorum in dicta universitate legatis, antequam ullis | ejusmodi ordinibus initiati, vel ullum talem doctrinae gradum promoti fuerint. 267
v

(41) "Provisum tamen et autoritate jam dicta ulterius sancitum sit ut si quis suam fortunam haereditariam in quocunque saeculari officio vel officiis positam habens imposterum dictum juramentum (sicut praelibatum est) suscipere obstinate et peremptorie recusaverit, deinde quocunque tempore, quoad vixerit, idem juramentum libenter suscipere voluerit, et sic illud jusjurandum coram aliquo legitimam id deferendi auctoritatem habente fecerit, tunc immediate postquam se ejusmodi sacramento obnoxium effecerit, redintegretur, et in eundem dicti officii statum, in quo ante praefatam recusationem erat, restituatur, et eodem plane modo, quo ante recusationem, illud officium exerceat ac obeat, nullatenus obstante quacunque re in hoc acto contenta in contrarium.

(42) "Et quo hoc actum certius observetur, | omnisque extranea atque usurpata potestas et autoritas protinus extingatur, tua Celsitudo ulterius autoritate praedicta sancitum velit ut si quis in hoc regno tuo degens aut habitans, cujuscunque status, dignitatis, aut gradus fuerit post diem ab hujus sessionis Parliamentarii fine trigesimum, scribendo, typis mandando, docendo, concionando, expresse loquendo, faciendo, vel agendo ex praemeditato consilio, malitiose et directe cujuscunque extranei Principis, Praelati, personae, status, aut potentatus auctoritatem, praeeminentiam, potestatem, aut jurisdictionem spirituales, aut Ecclesiasticam antehac in hoc Regno vendicatam, exercitam aut usurpatam affirmaverit, sustinuerit, propugnaverit, publicaverit, suffulserit et defenderit, vel ad extollendam, promovendam, publicandam, sustinendam, aut defensandam quamcunque ejusmodi praetensam aut usurpatam jurisdictionem, potestatem, praeeminentiam, aut auctoritatem, vel | ullam ejus partem ex plena deliberatione, malitiose et directe quidpiam egerit, aut executioni mandaverit, tunc omnis persona sic se 268
v

gerens et delinquens, instigatores, cooperatores, procuratores et consiliarii legitime convicti, et debito communium hujus Regni legum ordine cursuque condemnati, in primi delicti animadversionem omnibus suis bonis et facultatibus realibus et personalibus tuae Celsitudinis, haeredum, et successorum fisco addicendis multentur, et nisi sic convictus et reus peractus habuerit talis suae convictionis et condemnationis tempore in propriis bonis et facultatibus viginti librarum valorem, tunc quilibet sic convictus et condemnatus, praeter omnium suorum bonorum et facultatum jam dictarum confiscationem, per annum integrum incarcerationetur, nec vadimonio liberetur; et omnium e clero, qui sic deliquerint, et condemnati fuerint, beneficia, praebendae, aliaeque officia ac dignitates Ecclesiasticae quaecunque, mox post ejusmodi condemnationem, perinde | ac si possessor decessisset, prorsus vacent ad omnem intentionem et propositum et cujuscunque talis beneficii, praebendae, Ecclesiastici officii et dignitatis patronus et collator non secus ac si possessor diem obiisset ad ea legitime praesentare, vel ea conferre possit, et siquis hujusmodi transgressor aut transgressores post talem convictionem et condemnationem eadem delicta vel eorum quodpiam modo jam dicto iterum commiserint, aut perpetraverint, et (sicut praedictum est) convicti et rei peracti fuerint, tunc quilibet ejusmodi transgressor et transgressores (in illius secundae offensae paenam) pericula, animadversiones, et confiscationes sanctione provisionis et *Praemunire* ad annum regni Regis Richardi secundi decimum sextum in Angliae Regno condita praescriptas et decretas contrahant, et siquis ejusmodi transgressor aut transgressores quocunque tempore post secundam illam convictionem et condemnationem tertio eadem delicta, vel eorum aliquod modo et ratione jam dicta commiserint et | perpetraverint, eo casu omnis ejusmodi offensa in laesae Majestatis crimen imputetur et iudicetur, et transgressores, ubi juxta hujus Regni jura legitime convicti et condemnati fuerint, ultimo supplicio, atque aliis paenis, confiscationibus et jacturis (sicut in laesae Majestatis criminibus secundum hujus Regni leges fieri solet) afficiantur.

269
v

(43) " Et tua Celsitudo eadem auctoritate sancitum velit ut nemo ob praefatas offensas tantum concionando, docendo, vel loquendo committendas aut perpetrandas molestiam patiat, aut earum reus agatur, nisi intra sex menses post culpam sic commissam et contractam legitime accusatus fuerit. Quod si contingat ut quispiam ob aliquam ex praefatis offensis tantum

concionando, docendo, vel loquendo committendis in carcerem conjiciatur, et intra semestre post commissam ejusmodi culpam non accusetur, eo casu in carcerem conjectus libertate donetur, nec ulterius ob ullam ejusmodi causam aut offensam in custodia detineatur. |

(44) " Provisum tamen et autoritate jam dicta sancitum sit ut nec hoc actum, nec quippiam in eo contentum ullatenus eo spectet ut ulla clausula, res aut sententia in praefato statuto abrogatorio ad annum praedicti nuperi Regis Philippi et Reginae Mariae tertium et quartum condito contenta et designata, quae ullum casum, aut rem ad edictum *Praemunire* quomocunque spectantem aut pertinentem tangit, aut rem vel casum quemcunque intra edicti *Praemunire* limites esse decernit, antiquetur, sed tantum quatenus ullum edicti *Praemunire* casum aut rem tangit et concernit, pleno vigore et efficacia perinde ac ante conditum hoc actum, polleat, nullatenus obstante quacunque re in hoc statuto contenta in contrarium. 270

(45) " Provisum etiam et autoritate praedicta sancitum sit ut nec hoc actum nec quippiam in eo contentum ullatenus eo spectet ut ulli personae vel personis ob | quamcunque offensam aut offensas contra cujuscunque acti vel statuti nunc hoc edicto resuscitati tenorem aut scopum commissas aut perpetratas, aut imposterum ante diem post hujus sessionis Parlamentaris exitum trigesimam committendas aut perpetrandas praejudicat, non obstante quacunque re in hoc acto contenta, aut quacunque alia materia vel clausula in contrarium. Et si quempiam ex hujus Regni proceribus cujuscunque offensae, quae hoc acto resuscitatur, aut ad casus per legem *Praemunire* prohibitos pertinere, vel laesae Majestatis crimen esse decernitur, accusari contigerit, tunc ille satrapas aut satrapae sic accusati ad omnia talis accusationis capita coram illo hujus Regni Satrapa majoribus Anglicanis prognato, quem D. Prorex, aut hujus Regni Gubernator aut Gubernatores sub magno sigillo delegaverint, respondeant a magnatibus ipsorum paribus examinandi, et ex dicto magnatum sibi parium | examine, vel aperta ejusdem delicti vel delictorum confessione tale subituri iudicium, quale in aliis laesae Majestatis criminibus, aut legis *Praemunire* casibus ferri consuevit. Provisum semper et modo praefato sancitum sit ut nulum cujuscunque generis decretum, actum aut statutum hujus Parlamenti autoritate circa quamcunque Religionis materiam, aut causam Ecclesiasticam conditum aut latum existimetur, censeatur, intelligatur, aut iudicetur, quocunque im-

posterum tempore esse error, haeresis, schisma, vel opinio schismatica non obstante quocunque decreto, statuto, sententia, constitutione, aut lege in contrarium.

271 (46) " Provisum etiam et autoritate praedicta sancitum sit
v ut illi, quibus tua Celsitudo, haeredes, aut successores imposterum per litteras patentes magno Angliae vel hujus Regni sigillo muniendas, aut D. Prorex, aut alius hujus Regni Gubernator aut Gubernatores pro tempore per | litteras patentes ipsius, aut ipsorum autoritate conficiendas, et magno hujus Regni sigillo roborandas facultatem dederint habendi aut exequendi aliquam jurisdictionem, potestatem aut autoritatem spirituales, aut visitandi, reformandi, ordinandi, vel corrigendi quoscunque errores, haereses, schismata, abusus aut enormitates, nullam hujus acti virtute habeant autoritatem aut potestatem ordinandi, definiendi, vel judicandi quampiam materiam aut causam esse haeresim praeter illam solam quae antehac determinata, decisa, et judicata fuit in haeresim scripturarum canonicarum autoritate, vel primis quatuor conciliis generalibus, aut eorum aliquo, quibus ea res per expressos et apertos earundem scripturarum canonicarum terminos declarata fuit haeresis, aut certe praeter ea quae imposterum augusta Parlamenti hujus Regni curia haereses esse decreverit, judicaverit et diffinierit, non obstante quacunque re in hoc acto contenta in contrarium.

272 (47) " Et ulterius praedicta autoritate sancitum sit ut posthac nemo cujusvis delictorum hoc acto resuscitatorum aut prohibitorum | accusetur, aut reus agatur, nisi duo idonei testes aut plures ad testificanda et declaranda illa delicta, quorum accusandus aut reus agendus esset, se obtulerint, iidemque testes, aut quotquot eorum accusationis tempore in hoc regno superstites erunt, facie ad faciem coram reo prodierint, et ibi quicquid accusatio objicere poterunt, testificati fuerint, et declaraverint, si ille id requisierit.

(48) " Provisum et ulterius autoritate praefata decretum sit ut siquis iis, qui imposterum in quacunque materia vel re ad legem *Praemunire* pertinente, vel proditione per hoc actum resuscitata aut prohibita deliquerint, ullum subsidium, opem aut auxilium praebuerint, aut illis ullatenus subvenerit, succurrerit aut astiterit, tunc ejusmodi subsidium, auxilium, aut opitulatio crimini non vertatur, nisi se obtulerint saltem duo testes idonei, qui palam testificari et declarare poterunt, et re ipsa testificabuntur et declarabunt, eum, qui talem opem, subsidium, aut auxilium praebuit, talis delicti a transgressore commissi vel perpetrati

notitiam habuisse, | cum ejusmodi opem, auxilium, et subsidium 272
ferret aut praeberet, non obstante quacunque re in hoc acto
contenta, vel quacunque alia materia vel causa in contrarium : ”
Hactenus illud actum. v

(49) In comitiis sub Henrico octavo celebratis decretum ut
Henricus ejusque haeredes et successores sibi arrogarent titulum
capitis Ecclesiae Anglicanae et Ibernicae, quem etiam ipse atque
ejus filius, Eduardus sextus, usurparunt, et jurisdictionem spiritua-
lem eo spectantem exercuerunt. Sed Regina Maria Pontifici Ro-
mano lubens restituit. Verum Regina Elizabetha ipso primo regni
anno in Comitiis Anglicanis ita haeresim postliminio restituit ut sibi
decernendum curaverit titulum supremae regnorum suorum
Gubernatricis in omnibus tam spiritualibus rebus aut causis quam
temporalibus : *Titulus enim* (inquit ejus historiographus) *supremi*
capitis Ecclesiae Anglicanae minime placuit. Verum Petrus Lom-
bardus, primas Ardmachanus, in sua Resolutione Paulo quinto
praesentata atqui inedita de decreto et Juramenti forma eodem
spectante loquens “ in qua (inquit) Juramenti forma, | quod ejus-
modi facta sit mutatio ut Regina Elizabetha non appelletur
nomine *capitis Ecclesiae* quomodo habebat titulus et stylus Regum
Henrici et Eduardi, sed nominetur suprema gubernatrix in om-
nibus rebus et causis uti temporalibus seu civilibus ita et in
Ecclesiasticis atque spiritualibus, quamvis ad moderationem
aliquam istius juramenti videatur excogitatum, quod absonum
putarent etiam illi ipsi, qui id ipsum juramentum excogitaverunt,
ut faemina vocaretur *Caput Ecclesiae*, tamen praeter eorum ex-
pectationem accidit ut passim existimaretur per nomenclaturam
Supremae Gubernatricis in rebus et causis Ecclesiasticis seu
spiritualibus plus tribui Reginae Elizabethae, quam tribuebatur
Henrico et Eduardo, Regibus, per nomen Capitis Ecclesiae. Unde
et necesse fuit emitti paulo post admonitionem quandam cum
libro Injunctionum Reginae majestatis dicto, qui eodem anno
prodiit. Quae admonitio postmodum comprobata est in Parla-
mento coacto iterum anno quinto regni Elizabethae, quod nomine
supremae Gubernatricis nulla alia intelligeretur et agnosceretur |
authoritas competere Reginae, haeredibus ejus et successoribus, 273
quam quae sub nomine capitis Ecclesiae tribueretur Henrico
octavo et Eduardo sexto, Regibus.” Haec ille suae Resolutionis
quaestione quarta, quae etiam eundem articulum in praefato
Parlamenti ab Anglo-Ibernis celebrati acto contentum explicant.
Porro cum haec Pontifex Anglicana, Regina Elizabetha per lineam

Camd.
ad an.
1559.

v

paternam ab antiquis Britonibus descenderit, et hi se a Trojanis descendisse jactent, quid nocet hic illam prophetiam a poeta excogitatam memorare :

Aeneid.
Lib. I.

“ Hic jam tercentum totos regnabitur annos
Gente sub Hectorea, donec *Regina sacerdos*
Marte gravis geminam partu dabit Ilia Prolem.”

(50) Aliud pestilentissimum illorum comitiorum ab Anglo-Ibernis secundo Elizabethae anno Dubliniae celebratorum actum hic ex Anglico latine verto.

Stat.
Ibern.
p. 268.

(51) *Actum pro Uniformitate communium Precum et officii Ecclesiastici atque administrationis Sacramentorum.*

274

“ Cum ad nuperi, Supremi Domini Nostri, Regis Eduardi sexti, mortem remaneret uniformis ordo communis officii Ecclesiastici, precum et | administrationis sacramentorum, rituum, et caeremoniarum in Ecclesia Anglicana editus in quodam libro, qui inscribitur *liber communium precum et administrationis sacramentorum et aliorum rituum ac caeremoniarum in Ecclesia Anglicana*, autorizatus Comitiorum ad annum dicti nuperi supremi Domini nostri Regis Eduardi sexti quintum et sextum apud praefatum Angliae Regnum celebratorum acto cui titulus est, *Actum pro communium precum et administrationis Sacramentorum uniformitate conditum*, quod anno regni nuperae Supremae Dominae nostrae, Reginae Mariae, primo in eodem Angliae Regno sanctione Parlamentari refixum fuit in magnum cultus divini detrimentum et afflictionem profitentium veram Christi Religionem, hujus Parlamenti autoritate sancitum sit ut dictus liber et officii Ecclesiastici, administrationis sacramentorum, rituum, et caeremoniarum ordo, una cum alterationibus et appendicibus hoc statuto ei additis et assignatis, vigeat, et post festum Pentecostes proxime futurum juxta hujus acti tenorem et scopum plenam vim et effectum | sortiatur.

274

v

(52) “ Et praeterea a Reginae Celsitudine cum procerum et communium in hoc Parlamento congregatorum assensu atque eorundem comitiorum autoritate decretum sit, ut omnes Ministri in quibuscunque hujus Regni Iberniae Ecclesiis Cathedralibus et Parochialibus, atque aliis locis, a S. Joannis Baptistae festo proxime futuro teneantur recitare atque adhibere matutinum, vespas, caenae Dominicae celebrationem, sacramentorum administrationem et quascunque eorum preces communes et publicas

ordine et forma in praefato libro per Parlamentum ad eundem regni Regis Eduardi sexti annum quintum et sextum autorizato memorata, praeter quarundam lectionum omnibus anni Dominicis utendarum alterationem, aut additionem, et formam litaniarum alteratarum et correctarum, nec non duas solum sententias additas inter administrandum communicantibus sacramentum recitandas, nec aliud nec aliter. Si quis autem cujuscunque status vicarius aut alius qualiscunque Minister communes preces in praefato libro contentas recitare, vel | sacramenta adminis- 275 trare debens a praefato S. Joannis Baptistae festo in ejusmodi Ecclesiis Cathedralibus et Parochialibus, aut aliis locis, ordine et forma in eodem libro memorata atque edita, dictis communibus precibus uti, vel sacramenta, sicut deberet, administrare recusaverit, aut pertinaciter et obstinate in eadem sententia persistens quocunque alio ritu, caeremonia, ordine, forma, aut modo celebrandi Caenam Dominicam, Matutinum, Vesperas, sacramentorum administrationem, aut alias preces publicas in eodem libro memoratas aut editas (per preces publicas in hoc acto intelliguntur illae preces, ad quas alii in Ecclesiis publicis, vel capellis, aut oratoriis privatis confluere, easque audire debent, vulgo dictas officium Ecclesiasticum) palam aut clam usus fuerit, aut in praefati libri vel cujuscunque rei in eo contentae, vel ullius suae partis derogationem aut depravationem quidpiam praedicaverit, declaraverit, aut dixerit, et per duodecim virorum sententiam aut propriam confessionem aut notoriam facti evidentiam juxta hujus Regni leges convictus fuerit, in primi | delicti 275 animadversionem omnium suorum beneficiorum Ecclesiasticorum proventibus per annum integrum post ejus convictionem decerpendis, et Reginae Celsitudinis, haeredum ac successorum fisco addicendis multetur, et sic convictus in ejusdem delicti paenam per sex menses in carcerem conjiciatur, nec vadimonio liberetur. Et si quis talis quocunque crimine praefata concernente semel convictus iterum post suam convictionem deliquerit, et modo jam dicto legitime convictus fuerit, tunc in relapsus paenam per annum integrum custodiae mancipetur, deindeque eam ob rem ipso facto omnibus beneficiis ecclesiasticis privetur et cunctis omnium ac singulorum beneficiorum ecclesiasticorum jam dictorum patronis et collatoribus ad ea praesentare, vel ea conferre, perinde liceat, ac si offendens expirasset. Et si quis modo jam dicto bis convictus in praemissis tertio deliquerit et (sicut praedictum est) eo crimine legitime convictus fuerit, tunc sic tertio offendens et convictus ipso facto omnibus suis ben-

276

eficiis ecclesiasticis spoliatur, et per totam vitam in carcere detineatur. | Si autem qui sic offenderit, et ob praefata modo jam dicto convictus fuerit, nec beneficium nec aliud munus ecclesiasticum habuerit, idem sic offendens et convictus in primi delicti paenam per annum integrum post praefatam sui convictionem in carcerem detur, nec vadimonio liberetur. Siquis autem talis nullum habens beneficium ecclesiasticum post primam sui convictionem iterum in praefatis deliquerit, et modo jam dicto rite convictus fuerit, eo casu per totam vitam incarcerationetur.

276
v

(53) " Et autoritate praedicta decernitur ac sancitur ut si quis cujuscunque conditionis post dictum S. Joannis Baptistae festum in quibuscunque comaediis, ludicris, cantilenis, rythmis, aut aliis verbis apertis in dicti libri aut cujuscunque rei in eo contentae aut cujusvis partis ejus derogationem, depravationem aut contemptum quidpiam declaraverit aut dixerit, aut evidenti facto, vel acto, vel manifestis comminationibus compulerit, aut coegerit, aut aliter procuraverit, aut suffulserit quamcunque personam, vicarium aut alium | Ministrum in quacunque Ecclesia Cathedrali vel parochiali, vel sacello, vel in alio loco quocunque ad cantandas aut recitandas quascunque communes et publicas preces aut administrandum ullum sacramentum aliter, aut alio modo et forma, quam in dicto libro continetur, aut quamcunque personam, vicarium, aut alium ministrum in quacunque Ecclesia Cathedrali, vel Parochiali, capella, vel alio loco quocunque communes et publicas preces cantare vel sacramenta, vel illorum quodpiam modo et forma in praefato libro praescripta administrare illicite prohibuerit, aut interpellaverit, tunc quilibet talis modo praedicto legitime convictus in primae transgressionis animadversionem supremae Dominae nostrae Reginae, ejus haeredibus et successoribus, centum marchas numeret. Siquis autem tali crimine semel convictus in praefatorum delictorum quodpiam reciderit, et iterum modo jam dicto convictus fuerit, in relapsus paenam supremae Dominae nostrae, Reginae, ejusque | haeredibus et successoribus quadringentas marchas solvat. Siquis autem modo jam dicto de praefatorum delictorum quocunque bis convictus, tertio deliquerit et modo praedicto legitime convictus fuerit, eo casu quilibet ejusmodi transgressor in tertii delicti paenam omnibus bonis et facultatibus Reginae fisco addicendis multetur et per totam vitam incarcerationetur. Et si quis modo jam dicto de praefatarum transgressionum prima convictus summam ex convictione solvendam modo et methodo, qua solvi debet, ante sex septimanas post convictionem non solverit, eo casu quilibet sic convictus et non solvens in ejusdem primae offensae paenam summae loco

277

semestrem incarcerationem patiatur, nec vadimonio liberetur. Et si quis modo praefato de praedictarum transgressionum secunda convictus eandem summam ex convictione et hoc statuto solvendam ea ratione et via, qua solvi debet, intra sex septimanas post praefatam secundam convictionem non pependerit, tunc quilibet sic convictus et eam summam non pendens in praefati | relapsus paenam summae jam dictae loco per annum integrum in carcere detineatur, nec vadimonio dimittatur.

277
v

(54) " Et decernitur ut a dicto S. Joannis Baptistae festo omnes in hoc regno habitantes, exceptis qui ob legitimam et rationabilem causam abfuerint, diligenter et fideliter conentur frequentare suam Ecclesiam parochialem, aut solitam capellam, vel si legitime impediti fuerint, aliquem alium locum usitatum ubi communes preces, et ejusmodi servitium divinum talis impedimenti tempore celebrabuntur, singulis dominicis, et aliis diebus observari solitis tanquam festis, et tunc atque ibi remanere ordinate et sobrie durante communium precum, concionum, aut alterius servitii divini ibi celebrandi et ministrandi tempore sub paena censurarum ecclesiasticarum et duodecem denariorum a quolibet sic delinquente et quamlibet ejusmodi transgressionem per parochiae, in qua ejusmodi delictum perpetratum fuerit, aedituos in ejusdem parochiae pauperum | usus ex ejusmodi transgressoris bonis possessionibus et tenementis per viam pignoris exigendorum, quo autem hoc debita mandetur executioni, excellentissima Reginae Majestas et Domini temporales cum omnibus communibus in hoc Parlamento congregati in Dei nomine serio praecipunt et injungunt omnibus Archiepiscopis, Episcopis et aliis ordinariis, ut pro viribus et notitia hoc in suis diaecesibus et districtibus exequendum curent tanquam Deo rationem reddituri malorum et pestium, quibus Omnipotens suum populum ob neglectam hanc bonam et salutarem legem juste affligere valeat. Porro quo hac ex parte potestatem habeant praefata autoritate ulterius sancitum sit ut omnes et singuli jam dicti Archiepiscopi, Episcopi, aliique eorum officiales jurisdictionem Ecclesiasticam exercentes, tam in loco exempto quam non exempto, in eorum diaecesibus ex hoc acto plena quoslibet et singulos hoc statutum et sanctionem in eorum districtibus et diaecesibus post dictum S. Joannis Baptistae | festum transgressuros reformandi, corrigendi, et censuris Ecclesiasticis coercendi nitantur facultate atque autoritate, non obstante quacunque alia lege, statuto, privilegio, exemptione, aut provisione antehac facta, habita, aut permissa in contrarium.

278

278
v

(55) " Et prae fata autoritate decernitur ac statuitur ut

omnibus et singulis irenarchis, latrunculatoribus, quaestoribus, et justitiariis itinerantibus plena competat potestas et autoritas in omnibus eorum publicis et generalibus sessionibus inquirendi, audiendi, et judicandi intra mandati ipsis tradendi limites omnia delicta contra quemcunque articulum in hoc acto contentum committenda vel perpetranda, et instituendi litem ejus rei exequendae causa sicut in quemcunque coram ipsis proditiōis accusatum aut legitime convictum procedere possent.

279 (56) " Provisum semper et autoritate praedicta constitutum sit ut quilibet Archiepiscopus et Episcopus possit omni tempore pro suo arbitrio et beneplacito, se hujus acti virtute | iisdem irenarchis, latrunculatoribus, quaestoribus et justitiariis itinerantibus in omnibus jam dictis publicis et generalibus sessionibus quocunque suae diaecesis loco celebrandis jungere et associare ad praefata delicta discutienda, audienda et judicanda.

(57) " Provisum etiam et autoritate praedicta decretum sit ut libri ad praefata spectantes parochorum cujusque parochiae et Cathedralis Ecclesiae sumptibus ante praefatum S. Joannis Baptistae festum comparentur et procurentur, omnesque ejusmodi parochiae, atque Ecclesiae Cathedrales aliaque loca, in quibus ante praedictum S. Joannis Baptistae festum praefati libri comparati et procurati fuerunt, intra tres septimanas proximas post eosdem libros comparatos et procuratos eadem servitio divino utantur, et id juxta hoc actum in praxim redigant.

279 v (58) " Et ulterius autoritate praedicta sancitum sit ut nemo cujusvis offensarum superius memoratarum atque imposterum contra hoc actum committendarum et perpetrandarum ullo unquam tempore accusetur, aut secus ob eas molestiam patiat, nisi qui sic offenderit, reus actus fuerit in proximis generalibus | sessionibus celebrandis coram quibus ejusmodi irenarchis, latrunculatoribus, quaestoribus aut justitiariis itinerantibus post talem culpam contra hujus acti tenorem commissam et perpetratam.

* (59) " Provisum semper et autoritate praefata sancitum ac decretum sit ut omnes et singuli proceres Parlamentares circa tertiam offensam superius memoratam examinentur a sui ordinis magnatibus coram eo hujus Regni pari majoribus Anglicanis prognato quem D. Prorex aut alius hujus Regni Gubernator, aut Gubernatores pro tempore per mandatum magno sigillo muniendum delegaverint.

(60) " Provisum etiam et autoritate praedicta sancitum et decretum sit ut Praetor Dubliniensis, et quicumque alii omnium et singularum civitatum, burgorum et municipiorum hujus Regni,

quae ab irenarchis, latrunculatoribus, quaestoribus et iustitiariis itinerantibus communiter non usitantur, praetores, conquisitores et praecipui officiales hujus acti virtute plenam habeant potestatem et auctoritatem inquirendi, audiendi, et iudicandi praefata delicta et eorum quodlibet quotannis intra quindecim dies post Paschatis et S. Michaelis | Archangeli festa, eodem modo et 280 norma, qua ab irenarchis, latrunculatoribus, quaestoribus et iustitiariis itinerantibus fieri posset.

(61) "Provisum etiam et auctoritate praedicta decretum ac sancitum sit ut omnes et singuli Archiepiscopi, Episcopi omnesque eorum cancellarii, commissarii, Archidiaconi et alii ordinarii, quibus ulla peculiaris jurisdictio Ecclesiastica competat, hujus acti virtute plenam habeant potestatem et auctoritatem in eorum visitationibus, synodis, et alibi in suis districtibus quocunque alio tempore et loco inquirendi, et de praefatis omnibus intra suae jurisdictionis atque auctoritatis limites committendis ac perpetrandis cognoscendi, et eadem per admonitionem, excommunicationem, sequestrationem, depositionem, et alias censuras ac processus vindicandi eodem modo quo antehac in similibus casibus secundum Ecclesiasticas *Reginae* leges fieri consuevit.

(62) "Provisum etiam et sancitum sit ut quisquis in praedictis lapsus ex ordinarii sententia sui primi delicti paenam dederit et testimonium ejusdem ordinarii sigillo roboratum super ea re exhibuerit, iterum coram iustitiariis ejusdem criminis iudicium non subeat, et si ex iustitiariorum sententia ejusdem primi lapsus | paenam luerit ob idem crimen iterum ab ordinario non puniatur, 280 non obstante quacunque re in hoc acto contenta in contrarium.

(63) "Provisum etiam et constitutum sit ut ea Ecclesiae ac ministrorum ejus ornamenta, quibus Parlamenti auctoritate ad annum Regis Eduardi sexti secundum in Ecclesia Anglicana utebantur, retineantur et usurpentur, donec majestatis Reginae auctoritate et suorum commissariorum per mandatum magno Angliae vel hujus Regni sigillo muniendum circa res ecclesiasticas delegandorum et autorizandorum consensu, vel D. Proregis aut alterius Gubernatoris vel gubernatorum hujus Regni pro tempore auctoritate, nec non sanctioris concilii hujus Regni consensione sub magno hujus Regni sigillo aliter decretum fuerit, et si praescriptis in isto libro contentis abutendo aliquis in Ecclesiae caeremoniis aut ritibus contemptus aut irreverentia successerit, Reginae Majestas ex eorundem commissariorum consensu vel D. Prorex aut alius hujus Regni Gubernator aut gubernatores pro tempore eas ultiores caeremonias et ritus, qui ad Dei gloriam,

Henrici
8 et
Eduardi
sexti
leges.

280
v

281 hujus Ecclesiae aedificationem et debitam | sacrorum Christi
mysteriorum reverentiam promovendam magis conducant
statuere et promulgare valeant.

(64) " Et autoritate jam dicta ulterius sancitum sit ut omnes
leges, statuta atque ordinationes, quibus quodcunque aliud officium
divinum, Sacramentorum administratio aut communes preces in
hoc Regno utendae praescribuntur, decernuntur aut eduntur,
imposterum omnino abrogentur, et nullum effectum sortiantur.
Cum autem in plerisque hujus Regni locis Ministri Anglici ad
serviendum in ecclesiis aut locis, quae communibus precibus
recitandis destinata sunt vel ad sacramenta populo administranda
reperiri nequeant, et debitus Deo cultus multum promoveretur,
si de aliquo bono medio provideretur, quo in lingua, quam magis
intelligerent, precibus, officio divino et sacramentorum ad-
ministratione per hoc actum edita et constituta uterentur, cumque
id nativa eorum lingua, tum ob ejus typis mandandae difficul-
tatem, tum ob eorum, qui in toto Regno characteres Ibernicos
legant, paucitatem fieri nequeat, tuae Majestati humillime
281 supplicamus ut tuae Celsitudinis favore | et assensu Regio sanc-
v atur et provideatur hujus Parlamenti autoritate ut in omni
ejusmodi ecclesia et loco, ubi communis minister aut sacerdos
nec lingua Anglica utitur, nec eam callet, eidem communi ministro
aut sacerdoti liceat recitare et adhibere Matutinum, Vesperas,
Caenae Dominicae celebrationem, sacramentorum omnium ad-
ministrationem et cunctas suas communes ac publicas preces
lingua latina, eo ordine et norma quae continentur et evulgantur
in praefato libro per hoc actum stabilito, et juxta hujus acti
tenorem, nec aliter nec alio modo, non obstante quacunque re
in hoc statuto expressa et contenta in contrarium."

(65) Haec bina acta haeresim paulo antea deturbatam in
Iberniae partem ab Anglo-Ibernis habitata revocarunt, quorum
primo nefaria Henrici octavi statuta ante biennium et quod
excurrit Philippi et Mariae zelo refixa reviviscunt, et statuta sub
282 Philippo et Maria in eorum abrogationem et in fidei | atque
Ecclesiae favorem condita antiquantur, aliaeque Appendices
magis haereticae introducuntur. Secundo vero sacra faciendi,
sacramenta administrandi et cultum Deo exhibendi ritus Catholici
abolentur norma haeretica ita substituitur, ut utrumque
statutum, nec non Henrici octavi edicta haeretica, per amborum
primum resuscitata Catholicos illis sceleratissimis praescriptis
non obtemperaturos infinitis mulctis et paenis ipsique ultimo

supplicio obnoxios reddant, adeo ut ex his aliisque hujus conventiculi execrandis sanctionibus, tanquam ex fonte, extremum Iberniae excidium promanarit, Catholicis in illas crudelissimas leges jurare nolentibus easque spernentibus, et haereticis propterea eos immunitate et barbarie plusquam Neroniana atrocissime persequentibus, multique proinde bellis a Catholica Ibernica in haereticos gestis sed demum nationi atque Ecclesiae Ibernicae fatalibus, supremo judice ob rationes nobis occultas sed semper justissimas id in peccatorum nostrorum paenam et servorum suorum exercitium permittente.

(66) Tertio ejusdem parlamenti Anglo-Ibernici statuto varia Henrici octavi acta | circa primi anni proventus, ab omnibus utriusque cleri saecularis et Regularis Ecclesiasticis in Ibernia promovendis coronae solvandos, et circa vigesimam exinde reddituum partem ab ipsis eidem numerandam, ac denique circa alias ejusdem Henrici accusationes ejus diebus condita, sed Philippi et Mariae zelo abrogata, reviviscunt cum quibusdam levioris momenti limitationibus.

282

v

Statuta
Ibern.
pag.
273.

(67) Quarto ejusdem conventiculi acto eligendorum in Ibernia archiepiscoporum et episcoporum jus Summo Pontifici et sub Pontifice decanis atque capitulis competens abrogatur et haereticae Reginae decernitur. Quintum autem eorundem comitiorum statutum in legitimae haeredis gloriosissimae et ter Catholicae Reginae Mariae Stuartae exclusionem, atque in haereticae, nedum spuriae, Elizabethae gratiam summa impietate atque iniquitate conditum, hic ex Anglico latine versum habe.

Ibid.
pag.
282.

(68) *Actum quo agnoscitur titulus Reginae Celsitudini competens in imperialem hujus Regni coronam.*

"Charissima et suprema Domina, sicut nihil | sub Deo majorem nobis, tuis humillimis, fidelissimis et obedientissimis subditis, Dominis spiritualibus et temporalibus, nec non communibus in hoc parlamento congregatis, laetandi causam parere potest aut debet quam hoc solum quod Deo (quare ex intimis animorum visceribus humiles et gratias agimus, eum laudamus et benedicimus,) ex sua erga nos et hoc nostrum Regnum misericordii providentia et bonitate placuerit non solum providere, sed etiam praeservare et conservare nobis et fortunis nostris tuam Regiam Majestatem, maxime legitimam et aequissimo jure supremam Dominam et Reginam nostram, ad regnandum faelicissime super nos; sic nihil est quod nos, praefati subditi tui, ex parte nostra possumus aut debemus erga tuam Celsitudinem firmitus, candidius

283

Ibid.
pag.
284.

et certius in cordium nostrorum puritate cogitare, aut ore declarare et confiteri esse verum, quam Majestatem tuam, praefatam dominam nostram, esse re ipsa, nec non jure optimo ex lege divina et hujus Regni actis ac statutis esse debere verissimam |
 283 et maxime legitimam supremam Dominam et Reginam nostram
 v et tuam Celsitudinem recta ac legitima linea ex Regio hujus Regni sanguine descendisse, cujus Regiae personae et post te corporis tui haeredibus legitime nascituris absque ullo dubio, ambiguitate, haesitatione aut controversia temporalis et Regius hujus regni titulus, locus, corona et dignitas, cum omnibus honoribus, juribus, titulis, dignitatibus, regalitatibus, jurisdictionibus et praeeminentiis ad ea nunc spectantibus et pertinentibus plenissime, rectissime, realissime et integerrime quo praesenti et futuro deferuntur cohaerent, uniuntur, et annectuntur tam plene et legitime in omnem intencionem, interpretationem et propositum quam ea ad nuperum Regem Henricum octavum, aut nuperum Regem Eduardum sextum, tuae Celsitudinis fratrem, aut ad nuperam Reginam Mariam, tuae Celsitudinis sororem, spectarunt, quocunque tempore post comitorum Westmonasterii in tuo Angliae Regno celebratorum actum anno Regni praefati nobilissimi patris tui, Regis Henrici octavi, trigesimo quinto conditum,
 284 quod | intitulatur *Actum circa Majestatis Regiae successionem in imperiali hujus Regni corona stabiliendam*. Quas ob causas nos, praefati tui chari fideles et obedientes subditi, a quibus tres hujus Regni tui Iberniae ordines geruntur, nisi nostrum in tuam Celsitudinem et haeredes ex te legitime nascituros obsequium plus nimio oblivioni traderemus, non possumus quin velut jure divino et humano ad id obligati tuae Celsitudini humillime supplicemus ut hujus Parlamenti autoritate sanciat, statuatur et declaretur nos recognoscere, agnoscere, et confiteri praefatum tuum jus, titulum, et succedendi rationem plenam, integram et quoad omnes ejus partes, modo jam memorato, declarato et agnito, tuae Celsitudini et haeredibus ex te nascituris competere. Cui nosmetipsos, haeredes et posteritatem nostram in aeternum humillime et libentissime, nec non summa animorum demissione apud tuam Celsitudinem ulterius instamus, ut dignetur acceptare,
 284 non solum hanc nostram | agnitionem jam dictam, sed etiam
 v fideles nostras pollicitationes, spondentium fore ut tuam Regiam Majestatem et haeredes a te pariendo, hujus regni Reges et Reginas, praefataque jura et titulos tibi in imperialem statum, locum, coronam et dignitatem jam dictam convenientes in omnibus eo spectantibus quocumque tempore totis viribus propugnemus,

sustineamus et defendamus, et adversus quoscumque quidpiam in contrarium molituros in eam causam ritas, patrimonia et facultates impendamus.

(69) "Auctoritate etiam praedicta statuatur ut tam haec nostra declaratio, confessio et agnitio, quam in Imperialem hujus regni Coronam succedendi juris limitatio et declaratio in praefato acto ad praedictum annum regni ejusdem nobilissimi patris tui trigesimum quintum condito memorata et contenta vigeat, subsistat et sit perpetua hujus regni Iberniae lex, eadem vi, robore, efficacia, modo, et forma, qua fuit, est, et | imposterum erit lex 285 regni Angliae, et ut omnes sententiae, judicia ac decreta habita, lata, declarata, edita, publicata et promulgata, nec non omnis clausula, articulus, membrum, materia aut res in quocunque Parlamenti acto vel actis contenta atque expressa, quatenus huic nostrae jam dictae confessioni, declarationi et agnitioni, aut ulli ejus parti vel particulae vel praedictae in imperialem coronam succedendi juris limitationi praefato acto ad annum regni ejusdem nuperi Regis Henrici octavi trigesimum quintum jam dictum condito stabilitae ullatenus repugnant, adversantur aut derogant, quacunque potestate vel auctoritate scripta vel pronunciata fuerint, prorsus frustrentur, evacuentur et nullum effectum sortiantur, et ad tuae Celsitudinis arbitrium ac beneplacitum perinde cancellentur, exolescant et perpetuae tradantur oblivioni ac si nunquam fuissent habita, lata, declarata, in lucem edita, publicata vel promulgata."

(70) Sexto ejusdem conventiculi acto prohibetur | sub paenis 285 gravissimis etiam confiscationis et mortis nequis repugnet titulo Elizabethae, tanquam illegitimae, Reginae Iberniae, aut haeredum, qui ab ea pariendi essent.

(71) Hospitale S. Joannis Ierusalemiani in Ibernia opulentum ab Henrico octavo suae avaritiae dedicatum et ei etiam ab impio Joanni Rawsono, Ordinis equestris ejus Priore, sponte deditum fuit, usque adeo ut Parlamentum Dubliniae anno Henrici octavi 33^o inchoatum Joanni atque ejus collegis (quos etiam Hospitalis transcriptioni in Henrici favorem factae suapte sponte subscripsisse habetur in actis hujus Parlamenti anno Elizabethae secundo ibidem celebrati cap. 7^o pag. 289) abeundi et inter saeculares saeculariter vivendi licentiam dederit, (ut actorum illius Parlamenti cap. 8^o legimus) et idem Parlamentum postea prorogatum et Limerici resumptum addixerit illius Hospitalis possessiones in Ibernia Henrico. Quae tamen Philippus secundus et Regina Maria Oswaldo Messingberdo, Equiti, auctoritate Pontificia in ejusdem

285
v

Stat.
Ibern.
pag.
289.

286 Hospitalis Priorem assumpto, restituerunt, | ejusque in eadem provincia successoribus. Verum anno Elizabethae primo Oswaldus Iberniam exivit quem hoc Parlamentum Dubliniense anno Elizabethae secundo celebratum suorum actorum cap. 7^o "corrupta et factiosa mente fuisse dicit et animo perfido (sicut praesumunt) exiisse, idque contra obsequium ab ipso debitum et ob causas potius ipsis suspectas quam notas;" quae eorum censura in Oswaldi potius laudem redundare videtur. Porro idem Parlamentum anno Elizabethae secundo Dubliniae ab Anglo-Ibernibus celebratum statuit acto septimo ut illud Stat. Ibern. pag. 289. Hospitalis cum annexis bonis Reginae Elizabethae esset, refixis literis patentibus Philippi et Mariae, nec non ipsis diplomatibus Pontificiis in Oswaldi favorem datis. Et haec quidem sunt quae de septem illius conventiculi actis (nam plura in lucem edita non sunt) dicenda habui.

(72) David Rothus, Episcopus Ossoriensis, mentionem faciens duorum primorum statutorum in hoc parlamento conditorum de authoritate Pontificis abroganda, suprema Ecclesiae in Regina conferenda, ritibus Ecclesiae tollendis, novisque cudendis, et de aliis dogmatibus haereticis stabiliendis: "Communis | (inquit) fama est captatam a prolocutore occasionem proponendi et concludendi sanctionem, cum illi a Comitibus abessent, qui et fiducia causae vellent, et iudicii et eloquii viribus valerent ex adverso stare et refutare propositionem. Et quia sanctiones nec sancte sunt editae, nec sane promulgatae aut executioni mancipatae (ut praesefert veterum vox et seniorum traditio) per multa annorum lustra sub Regina legislatrice siluit eorum observatio, vel saltem viluit non observantium animadversio." sic ille. Et de illo Prolocutore: "hujus (inquit) Logodaedali prolocutoris posterius egestate et infortunio paenam luere dicuntur, idque merito, vicinis et notis inclamantibus male parta ex Dei justo iudicio per infrunitum haereditatem male dissipari, quia fidem prodidit avus, quam ecclesiae et patriae servare debuit." Haec ille, quae sexaginta annis post comitia illa Dubliniae celebrata in lucem edidit: et a nonnullis in ejusdem sententiae favorem citatus Petrus Lombardus Iberniae Primas. "Quamvis (inquit) statuta ista et decreta in comitiis Iberniae nunquam recepta, imo per ea 287 (ut postea dicitur) rejecta essent." etc. | Sic Ardmacan. Et postea fidem hic datam liberans: "statuta (inquit) illa seu decreta crudelitatis Anglicanae ad Catholicos puniendos et perendos postquam sancita in Comitibus Angliae proponerentur etiam in Iberniam, a Comitibus hujus Regni sunt rejecta et explosa."

De
Ibern.
Com-
ment.
p. 275.

Ibid.
pag.
287.

Haec Lombardus in suo Commentario de Ibernia ad annum 1632, proindeque septuaginta amplius annis post celebratum illud conventiculum Lovanii edito.

(73) Quin etiam Walterus Enos, S. Theologiae doctor, in sua pacis Ormonicae anno 1646 promulgatae *Revisione* part. 1^a pag. 27: "semper (inquit) me in admirationem rapuit quo pacto statuta anni secundi Elizabethae et latae in Religionem Catholicam leges paenales adeptae sint auctoritatem in hujus Regni Comitibus, ubi tot decies essent orthodoxi, quot heterodoxi. Colloquio autem habito cum erudito jurisconsulto in rebus hisce apprime versato, adhibitaeque insuper quarundam historiarum lectione, didici sane illa edicta nunquam fuisse in Ibernia recepta nisi factione, fraude et violentia. Anno Elizabethae secundo parlamentum Dubliniae profesto Kalendarum Maiarum | fuit prorogatum in diem perendinum, proindeque praemoniti comitiorum suffragatores ne citius convenirent. Interea pars haeretica, numero quidem pauci sed Proregis eidem sectae et factioni dediti, auctoritati insolescentes clanculum eos citant omnes quos conjugatione, fraude aut subdola pollicitatione in suam traxerint sententiam, eosque officii commonent ut scilicet ipsis Kalendis Maiis summo mane in comitium confluerent inter ibi Prolocutorem D. Stanihurstum Corduffensem, tunc in urbe Dubliniensi Recordatorem, emunt constuprantque. Tabulas etiam ad has leges paenales stabiliendas praeparant quibus tertio perlectis exinde Parlamenti statutum ratum fixumque existimarunt. Catholici vero et pars incorrupta ut quod factum esset, didicerunt, omni festinatione in concessum irruerunt. Quorum Edmundus Butlerus, census equestris, districto gladio tam sinistras atque infames machinationes cum zelo et animi magnitudine in disquisitionem venire jubet. Magnos ergo in concione adeo miscuere tumultus ut interposita opus fuerit proregis auctoritate quae nec ipsa ad sedandas turbas profecisset, nisi publico | insuper ac solemni jurejurando, per *coronam utique Angliae*, fidem dedisset minime gentium fore ut ejusmodi acta in Ibernia statuti Parlamentaris instar vigerent." Hactenus Doctor Enos: et Gratianus Lucius anno 1662 in suo Cambrensi Everso eorum quae Ossoriensis in suis Analectis scripserat substantiam repetit. Et Georgius Dillonus ab eo citatus de illo secundo Elizabethae anno loquens: "Eo (inquit) anno Jacobus Stanihurstus, Corduffae Toparcha, cum in Parlamenti (ut vocant) altera Camera esset Prolocutor, Ibernis honestioribus, qui adesse debebant non monitis sed clam ascitis aliis de mulctis furtivam legem tulit, quas ii persolverent,

287
v

288

pag.
240.

qui festis diebus se templorum caetibus subducerent. Atque haec cum coeuntibus et frequentem senatum postea innotescerent, coram omnes fraudem, injuriam, dolum malum inclamare. At subtili astutia proregis et aliorum nunquam eas multas irrogandas sacramenti fide promittentium circumventi reliqui legem eam ut scriptis in libris remaneret permiserunt. Haec vera esse a multis aetate | provectionibus non semel accepi. Atque ita se habere ut facilius credam, adducor, quod totis quadraginta ac duobus annis, quibus supervixit Regina, lex ea vim sortita est nullam. Regnante quidem Jacobo aulicorum et jurisperitorum technis eas multas severissime Proreges non nunquam exegerunt," Haec ille nescio quis Georgius Dillonus.

(74) Haud alia mihi occurrunt testimonia in Anglo-Ibernorum purgationem producenda, quam praefata, quibus Episcopus Ossoriensis suae Kilkenniae, Ardmachanus suae Waterfordiae, Doctor Enos suae Dubliniae, Gratianus Lucius suae Galviae, et Georgius Dillonus suae familiae, ab Elizabetha stantium, omnesque Anglo-Ibernorum plerorumque patrocinium utcumque susceperunt. Verum in his referendis Episcopus Ossoriensis famam sequitur. Ardmachanus, quae in Ossoriensis Analectis legerit, in suae assertionis fundamentum jecisse videtur, nisi dicere malimus eum (quod verissimum esse puto) locis superius citatis non loqui de statutis in Anglo-Ibernorum | Parlamento jam dicto ad annum Elizabethae secundum Dubliniae celebrato conditis, sed de aliis ejusdem Reginae actis haereticis posterioribus. Ardmachani verba haec sunt. " Ut (inquit) liberius in Catholicos animadverti, quasi non tam pro religionis causa, quam ob legum transgressionem, statuta quaedam condita sunt non quidem in Iberniam, sed in Comitibus Angliae, tantae plena immanitatis et amentiae ut quae Catholicae Religionis sunt vera exercitia, per statuta ista decernantur delicta civilia, capitalia, et quaedam etiam laesae Majestatis crimina, ut sacrum Missae officium celebrare vel audire, non velle accedere ad officia et templa schismaticorum et haereticorum, inferre vel habere Missalia, Breviaria, officia B. Virginis, aut Romanae consecrationis cruces, coronas, Rosaria, medallia, Agnos Dei, peccatorum confessionem facere, vel ab iis absolvere. Maxime vero Romanae Ecclesiae aliquem reconciliare." Haec ille. Et mox. " Quamvis (inquit) statuta ista et decreta in Comitibus Iberniae nunquam recepta, imo | per ea (ut postea dicitur) rejecta essent." etc. Porro quae hic Ardmachanus dicit, non in illa statuta ad annum Elizabethae secundum Dubliniae condita et superius posita, sed in alia apud Angliam

postea ad annos posteriores lata quadrant. Non enim omnia quae illis statutis, de quibus loquitur, prohibita fuisse dicit, in actis illis ad annum Elizabethae secundum Dubliniae latis, sed in aliis ad posteriores ejusdem Reginae annos in Anglia promulgatis expresse et singulatim vetantur. Quod et ipse suae *Resolutionis Paulo octavo praesentatae*, sed hactenus ineditae, quaestione quarta manifeste docet. De illis vero statutis Dubliniae anno Elizabethae secundo latis ejusdem suae *Resolutionis* quaestione prima loquens: "cum (inquit) sub initio regni Elizabethae duae quaedam leges repugnantes veritati et professioni Catholicae Religionis essent statutae, in Anglia quidem rogatae in Parlamento celebrato anno primo regni ejus, in Ibernia vero quomodocunque obtrusae etiam in Parlamento celebrato anno secundo regni ejusdem Reginae." Haec ille, ubi de duobus primis illis conventiculi Dubliniensis actis superius | positis loquitur. Quorum etiam tanquam ab 290 iisdem Comitibus Dubliniensibus conditorum bis mentionem facit ejusdem *Resolutionis* quaestione tertia. Porro cum P. Franciscus Haraldus in suo *Historiae Franciscanae a Waddingo compositae compendio* tradat illum Ardmachani *Commentarium de Ibernia* anno 1632 Lovanii typis mandatum ab ipso autographo MS. Romae asservato discrepare, fidem forsitan habet Ardmachanum in sua *Resolutione* et *Commentario* de illis comitiis ad annum Elizabethae secundum Dubliniae celebratis eadem dicere, sed *Commentarii* adulteratorem, quae ille circa illud conventiculum scripserit, expunxisse, tanquam nationi (nam Ibernium fuisse conjecto) propudiosa, sed ea quae de posterioribus Elizabethae actis in Ibernia non receptis loco superius citato dixerit haud suppressisse, quod in patriae et patriotarum honorem redundarent.

(75) Ad Doctori Walteri Enos testimonium descendo. Quod scripsit credulus episcopi Ossoriensis jam dictis *Analectis* et Ardmachani *Commentario* haud suis ponderibus librato, nec non illi suo jurisconsulto quem ipsi retulisse conjecto | Parlamentum 290 illud anno Elizabethae secundo Dubliniae profesto Kalendarum v Maiarum fuisse prorogatum in diem perendinum, sed postridie partes haereticas aliis non citatis sedisse atque illa acta surreptitiae condidisse. Quod in illorum actorum titulum non quadrat, cujus ipsissima verba latina hic habe. "Statuta, ordinationes, actus et provisiones editae in quodam Parlamento Illustrissimae Principis Dominae nostrae Elizabethae, Dei gratia Reginae Angliae, Franciae et Iberniae, Fidei Defensoris etc., virtute commissionis et mandati dictae Dominae Reginae sub magno sigillo suo Angliae apud Dublin die veneris proxime ante festum S.

Stat.
Ibern.
pag.
259.

291

Hilarii, videlicet 12^o die Januarii, anno Regni praedictae Dominae Reginae secundo, coram charissimo consanguineo et consiliario suo Thoma, Comite Sussex, ordinis sui Garterii milite capitaneo omnium generosorum Pensionariorum suorum ad arma Capitali Justitiario, omnium forestarum, parcorum et chacearum suarum citra Trentam ac Deputato ejusdem dominae Reginae Regni sui Iberniae, tento et ibidem continuato usque ad 1^m diem Februarii tunc proxime | sequentis et eodem 1^o die Februarii dissoluto, finito et terminato." Hactenus ille titulus. Ex quo liquet Parliamentum illud non mense Maio sed Januario ita caepisse ut nunquam prorogatum, comperendinatum aut interruptum, sed continuatum fuerit usque ad Kalendas Februarias, quibus dissolutum est. Denique Iberniae jurisconsulti pene omnes anno 1646, quo Doctor Enos suum librum edidit, viventes, quo pacto ad anteriores Confaederationis Catholicae annos clanculariis molitionibus et ad posteriores aperto Marte a causa Catholica Sede Apostolica ejusque partibus ad haereticos desciverint, ipse Doctor Enos postea litteris mandavit, quare illius Leguleii ab ipso consulti relatio parvi facienda est, cum eam nulla actorum evidential probaverit.

291

v

(76) Jam Gratianum Lucium transeo, qui non nisi Episcopum Ossoriensem, rumores, et Georgium illum Dillonum citat, cum ipse Georgius solam aliorum famam sequatur, nec suos Anglo-Ibernos nisi de illorum actorum secundo superius posito purgare conetur. Porro Gratianus in suorum Anglo-Ibernorum favorem quantopere a | veritate et ipsa causa Catholica aberraverit posteritatem non latebit. Certe ipse Episcopus Ossoriensis, qui omnium primus suis Anglo-Ibernis hac ex parte suo Analectorum loco superius citato patrocinari conatus est et aliis viam aperuit, quanta vel judicii caecitate vel immoderato passionis impetu suae illius factioni studuerit, et demum in Ecclesiae nationisque Ibernicae excidium aperte caespitaverit, ad annum 1648 exindeque videbimus.

(77) His alia hic spectantia addamus. 1^o. Anglo-Ibernos sub Henrico octavo in Ecclesiam, fidem Catholicam, Sedem Apostolicam, clerum Ibernicum, ejusque in Insula fautores insurrexisse, in eorum Parliamentis tunc dierum celebratis acta ter haeretica superius partim in medium producta partim perstricta condidisse, in Ecclesiae bona involasse, aliaque plurima scelera ab eodem fonte derivata perpetrasse et sub Eduardo sexto in pejus profecisse ac sub Regina Maria ita Sedi Apostolicae fucum fecisse ut illa praedia pessime parta non

restituerint, sed pertinacissime operam dedisse ut ea restituere non cogerentur. Si ergo majoribus per tot saecula anteriora Catholicis | prognati, parentibus orthodoxis nati, Catholice edu- 292
cati et nullis antea pravis dogmatibus infecti, ad Henrici octavi lapsum ab Ecclesia tam turpiter defecerint, quanto magis prae-sumendum videtur eos per Cardinalis Poli dispensationem pridie nonas Maii 1557 datam absolutos et haereticae Elizabethae anno sequenti obsecutos ita Ecclesiae defuisse ut nefariis illis actis in conventiculo Dubliniensi, ad ineuntem Elizabethae annum secundum et Christi millesimum quingentesimum sexagesimum celebrato, subscripserint, cum non constet de contrario, et acta illa, tanquam ab illo conventiculo condita, magistratus Anglici atque haeretici exinde semper pro virili executioni mandaverint et in lucem ediderint, nec Anglo-Iberni ullo unquam tempore probaverint se illis in illo Parlamento non subscripsisse. Quod tamen facillimo negotio probassent et probare debuissent, si illa de facto non condidissent.

(78) 2°. Negari non posse quin legitima coronae haerede, Maria Stuarta, non solum Catholica sed etiam constantissima fidei bellona | per summam impietatem et iniquitatem exclusa, 292
Elizabetham, non solum horrendo adulterio natam, sed etiam v
anteriorum Pontificum decretis et ipsius parlamenti Anglicani actis, iisque Anglo-Ibernorum consensione sub Henrico octavo et Regina Maria confirmatis, succedendi jure abdicatam, et a suae sororis Reginae Mariae morte mox haeticam et haeresis iterum in Anglia stabilitae authorem, usqueadeo in Reginam admiserint ut in praefato conventiculo Dubliniensi eam acto Parlamentari in throno Regis confirmaverint, et altero edicto ibidem condito (quod totum ipsi nusquam negant nec negare possunt) sub gravissimis etiam confiscationis et mortis paenis prohibuerint nequis ejus imperium detrectaret. Quod quid erat aliud quam latissimum haeresi januam aperire, praesertim cum nec in illo Parlamento Dubliniensi, nec postea unquam acta tulerint, quibus haeresi jam in Anglia postliminio restitutae atque in Iberniam sub ejusmodi Regina intrudendae obviarent, nec actis sub Philippo et Maria recens | in Ecclesiae favorem conditis 293
viriliter institerint, sed eandem Elizabetham in clerum populumque Ibernicum ter Catholicum et fidei defensandae studio bellantem plerique viris et viribus, opere et ope atque opibus semper secundaverint, nec unquam, ne sententiis et censuris quidem Pontificiis etiam postea subinde latis, ab ea pervicacia dimoveri potuerint.

(79) 3°. Illius conventiculi acta etiam in ecclesiae perniciem expresse condita abjecta cunctatione caepisse executioni mandari in districtu Anglo-Ibernico, in quo exinde per totam Elizabethae vitam soli haeretici in Proreges, provinciarum praesides, aliosque praecipuos Reipublicae officiales admissi sunt, ecclesiis haeresi apertis et Fidei Catholicae occlusis, archiepiscopatibus, episcopatibus atque inferioris ordinis cleri saecularis beneficiis in pseudo-episcopos et ministellos haereticos palam distributis, multis monachorum, canonicorum Regularium et aliorum ecclesiasticorum possessionibus, quarum alias Iberniae principes antiquo Insulae sanguine regio procreati in suis districtibus collocatas |
 293 ab Henrici octavi et Eduardi sexti rapina defenderant, alias Ecclesiae sub Henrico et Eduardo ereptas Philippus secundus et
 v Regina Maria clero restituendas curarunt colluvioni haereticae transcriptis pro Elizabethae et suae factionis Anglo-Ibernicae progressu in extirpandis pedetentim veteribus Ibernis, iisque ad collum coronae Anglicanae submittendum cogendis, secus effecturis ut Ecclesiastici et Ecclesiastica in tuto ponerentur. Quae aliaque plurima haeretica apud Iberniam ex illis statutis Elizabethae diebus exercita effecissent ut comitiorum illorum ad annum Elizabethae secundum celebratorum suffragatores Anglo-Ibernici se nunquam in acta illa consensisse probarent. Quod cum nusquam evidenter probatum fuisse legamus, sed Anglo-Ibernorum plerique ab Elizabetha in Ecclesiae perniciem abominationes illas haeticas exequente steterint, non est cur pauperrimis illis rumoribus ab Episcopo Ossoriensi et aliis eum secutis diu post Elizabethae mortem in suorum defensionem
 294 editis fidem habeamus, | praesertim cum nec episcopus Ossoriensis nec alii Anglo-Iberni inter bellum Catholicum ab utraque Ibernorum veterum et Anglo-Ibernorum parte anno postea 1641 inchoatum, deindeque per plures annos in haeticos gestum, illos rumusculos ullo unquam testimonio evidenti probaverint, licet illa Elizabethae statuta praecipuam dicto bello gerendo occasionem praebuerint, et Confaederatorum Iberniae Catholicorum nomine Vicecomes Gormanopolitanus, Lucas Dillonus census equestris, Robertus Talbottus, Miles Baronettus, et Joannes Walshaeus, Armiger, quatuor Anglo-Iberni 17 Martii 1643 Trimiae in Midia regni gravamina Regis commissariis praesentarint etiam praefatos rumusculos continentia sed ita ab haeticis risos ut etiam Anglo-Iberni eos risisse videantur, cum nullam iis probandis operam dederint sed una cum veteribus Ibernis postea institerint, non ut illius Parlamenti Dubliniae

ad annum Elizabethae secundum celebrati acta haberentur surreptitia, et ab initio invalida, sed ut abrogarentur, refigerentur, et antiquarentur, usqueadeo ut post porrecta | 17^o. 294
Martii 1643 praefata gravamina, non solum haeretici sed etiam v
ipsi Catholici, imo Confaederatorum Catholicorum moderatores crebram illorum statutorum tanquam in dicto Parlamento conditorum mentionem fecerint, sicut ex multis eorundem Confaederatorum actis inter illud bellum conditis, et suo ordine inferius producendis liquebit. Denique nostri Anglo-Iberni inter illud bellum licet utcumque institerint ut illa acta refigerentur, illae tamen instantiae adeo fuere flaccidae et enerves ut id ex omni parte nunquam obtinuerint, sed potius plerique haereticis illa acta ad annum Elizabethae secundum condita suffulcientibus contra veterum Ibernorum plerosque eorum abrogationem illo bello extorquere conantes primum occultis machinationibus et demum aperto Marte coaluerint, reque ipsa per ipsos steterit quominus refigerentur, facem praeferente ipso Episcopo Ossoriensi, cujus proinde rumusculum jam dictum bello illo Catholico necdum caepo ab eo editum, nec ipse cum sustinendus esset sustinuit sed deseruit.

(80) Quanquam statuta illa in rebus | gravissimis a me jam 295
tactis atque aliis multis Reginae Elizabethae diebus in Iberniam, intra districtus ibi Anglici limites executioni mandata fuerunt, in aliis tamen eorum articulis interea exequendis haeretici suum furorem ex astutia temperarunt, ne Anglo-Iberni, ex parte longe maxima Catholici, Reginae imperium detrectarent, et vetesibus Ibernis in eam fidei patriaeque defensandae causa identidem bellantibus adhaerent. Quare Elizabetha regnante haud multam Angli operam dederunt ut Anglo-Ibernos ad haeresim profitendam, ad haeticorum templa frequentanda, et ad fidem Catholicam intra privatos parietes non exercendam, cogerent. Quo sensu verum est quod Ossoriensis de illis sanctionibus habet. Analect.
pars 1.
P. 389.
"Per multa (inquit) annorum lustra sub Regina legislatrice siluit earum observatio, vel saltem viluit non observantium animadversio." Haec ille. Qualia etiam alii Anglo-Iberni post ipsum repetierunt absolute falsa, si absolute dicerentur, sed sensu praefato verissima. Licet autem argumenta a me in medium |
producta Episcopi Ossoriensis atque aliorum eum secutorum 295
rumusculo toties tacto praeponderent, illorum tamen comitiorum v
ab Anglo-Ibernis ad annum Elizabethae secundum celebratorum culpam non universae Anglo-Ibernicae genti imputemus, sed Anglo-Ibernicis hujus saeculi filiis potissimum illius Parlamenti

suffragatoribus si non omnibus certe plerisque, quos fidem habet bonis Ecclesiasticis partim jam possessis, partim ulterius acquirendis, et aliis proprii commodi escis constupratos et Reginae nec non Proregis atque haeretici ante in geniis atque ingeniis Anglo-Ibernicis versatissimi astutia atque imperio ex Anglo-Ibernorum comitatibus, civitatibus et burgis data opera fuisse delectos, et potentiores causae Catholicae proditores in suam rem et spem suffragia praeparasse, emisse atque emendicasse, denique fraudem, violentiam et malam fidem suas vires exeruisse ut in praefato conventiculo dicta statuta conderentur, sicut in ipso Parlamento Anglicano paulo ante celebrato haeresim similibus malis artibus postliminio restitutam fuisse Angliae |

296 Catholicis obmurmurabant. Verum praecipua Religioni Catholicae apud Iberniam inflicta est plaga non illas leges condendo, sed a Regina spuria, haeretica, tyrannica, et haeresim totis viribus propagare conanante stando, quod Anglo-Ibernorum plerique per totam ejus vitam sub civilis obsequii specie praestiterunt, praesertim omnes Iberniae civitates et oppida, et plerique Provinciae Anglicanae in vicinia Dublinensi positae indigenae, aliique qui eo gravius in Deum, ejusque Ecclesiam peccaverunt, quod Regina Maria mortua, et Elizabetha sceptrum sibi arrogante, Angli in Anglo-Ibernica Iberniae parte, atque adeo in tota Iberniam, non nisi trecentos viginti equites et nongentos quadraginta pedites praesidiarios teste vel Camdeno habebant, proindeque Anglo-Ibernis omnes Iberniae civitates et oppida, nec non praefatam provinciam Anglicanam atque alios quosdam insulae tractus incolentibus facillimum fuerit Elizabethae tyrannidi obviare veteribus Ibernis et Mariae Stuartae, haeredi legitimaе, adhaerendo,

296 in quam potius et in | illos modo jam dicto Elizabethae sceleratissime militarunt in Mariae necem, nationis atque Ecclesiae Ibernicae excidium, et tantam sanguinis Catholici profusionem. Negari tamen non potest quin in bellis Ibernicis per totam Elizabethae vitam adversus illam subinde gestis Anglo-Ibernorum multi ruri se tenentes a causae Catholicae assertoribus praeclare steterint, et veterum Ibernorum non pauci sub Elizabethae vexillis identidem stipendia fecerint, non ita mente ut nationi aut Ecclesiae nocerent vel Elizabethae jura sustinerent, sed ut Anglorum viribus in fratres, nepotes ex fratribus patruelis aliosque agnatos successionis haereditariae competitores, aut in suos principes clientelam a se exigentes uterentur, qui mutato proprii commodi incentivo plerumque in Anglos aliis velocius surgebant.

(81) O'Nellus, Ultoniae princeps, Connus cognomento Claudus,

Camden
ad an.
1559.

v

Tironiae Comitis honore (sicut superius vidimus) ab Henrico octavo exornatus, postulavit et obtinuit | ut Feardorchum, postea 297
 ab Anglis Matthaeum vocatum, suum filium naturalem idem Rex
 Dungeanoniae Baronem crearet, ei jus succedendi in patris
 haereditatem decerneret, excluso juniore Conni filio legitimo,
 Joanne *superbo*, qui postea id aegerrime ferens Feardorchum
 peremit, vel (ut ab quibusdam Ultoniensibus audiui) ejus potius
 collactanei trucidarunt in ipsius quidem gratiam et ipso praesente,
 sed totis viribus contendente ne perimeretur. Quicquid sit, caedi
 praetendebatur justitia et Ultoniae, imo Iberniae salus publica,
 quod Feardorchus in rem suam, in legitimorum haeredum prae-
 judicium, et in patriae ruinam nationis et Ecclesiae Ibernicae
 hostibus truculentissimis, haereticis Angliae principibus clien-
 telam ludicram quidem illam, sed quae Anglis viam ad Ultoniam
 demum subigendam sterneret, obtulisset, et ulterius oblaturus
 esset, quo | ipse atque ejus posteri Henrici octavi diplomate et 297
 coronae Anglicanae, quod sua interesset ad futurae brachio
 haereditatem occuparent. Porro Conno *Claudo*, Joannis et
 Feardorchi patre, postea vita functo, Joannis haeredem et
 Ultoniae Principem gessit calcato Regis Henrici octavi diplomate
 omnique jure magistratu atque imperio Anglicano, nec non
 excluso haereditate Feardorchi tunc tenellae aetatis filio Hugone
 O'Nello, qui praefati diplomatis regii titulo haereditatem Joanni
 extorturus Anglis adhaesit, ei patrocinantibus in rem suam et
 Ultoniae ruinam, sed qui postea evasit Dei Flagellum ad puni-
 endam eorum tyrannidem.

(82) In O'Nellum, (sic Joannem imposterum vocabimus)
 Ultoniae principem, Maria apud Angliam regnante, movit Sus-
 sexiae Comes. Tunc Anglo-Ibernorum Prorrex Geraldus Geral-
 dinus, Kildariae Comes, illius Kildarii quem sub Henrico octavo
 in turri Londinensi usque ad mortem squaluisse vidimus filius,
 a Regina Maria utcunque postliminio restitutus, Thomas |
 Butlerus, Ormoniae Comes, cum viribus Anglo-Ibernicis, inter 298
 quas et O'Nellum cruentae intervenerunt pugnae, Ultonia
 flammis et depredationibus lugubriter deturpata. Verum illi,
 ubi O'Nellum nec Kildarii et Ormonii, quibus proxima cum ipso
 cognatio intercedebat, blanditiis nec bello nec oblati conditioni-
 bus frangere potuissent, receptui cecinerunt. O'Nellus autem
 Mac-Donaldos Iberno-Scotos in Scotia potentes arctaque secum
 necessitudine conjunctos in auxilium accivit. Quorum viribus
 Ultoniam transvectis ac bello hunc in modum per O'Nellum
 redintegrato Regina Maria in Anglia expiravit, et successit

Elizabetha, renitente Maria Stuarta non modo Scoticae sed etiam Anglicanae Coronae haerede, et Gallo ejus tanquam suum vendicante. Verum Henrici, Regis Christianissimi, jam ad expeditionem Anglicanam se accingentis mors inopina, quae in hastiludio inter festivitates nuptiales filiae cum Hispano et sororis cum Sabauda Julii 1559 successit, Mariae Stuartae nec non O'Nelli conatibus | haud mediocriter praejudicavit. Illo enim jam extincto haeretici quorum numerus jam in Scotia succreverat Elizabethae artibus in rebellionem prorumpunt, Reginae viduae in Scotia *Regentis*, matronae pissimae modestissimaeque, quae Mariae Stuartae mater, imperium detrectant, monasteria, sacras imagines, Sanctorum reliquias caeteraque vitae religionis Catholicae vestigia delent, Episcopos, sacerdotes, Religiosos persequuntur, et ipsi paucorum mensium spatio in utramque Scotiae jurisdictione molestiam exhibitura lectissimum terra marique exercitum in auxilium transmittit, et in ipso faedere Bervicensi inter illam et Scotiae sectarios percusso conventum hunc in modum: "Comes Argatheliae, Scotiae Justitiarius, operam dabit ut pars Iberniae Septentrionalis in ordinem redigatur certis quibusdam conditionibus, de quibus inter Iberniae proregem et ipsum conveniet. Denique praescribitur quod uterque praestabit, si Jacobus Mac-Conellus aut | alii Hebridiani in Scotia vel Ibernia aliquid moverint." Haec ibi, ubi Jacobus Mac-Conellus corrupte vocatur Jacobus Mac-Donellus, seu (ut alii scribunt) Mac-Donaldus, faedere cum O'Nello conjunctus.

(83) O'Nellus ergo bellum nunc non cum Anglis modo et Anglo-Ibernis sed etiam cum Scotiae haeticis in Fidei defensionem jam aliis justis ejus titulis additam gerendum habuit. Itaque Sussexius, prorex, jam sub Elizabetha haeticus, Ormonius, Kildarius, alique Anglo-Iberni cum eorum viribus adversus eum se in Ultoniam secundo receperunt. Ad quae bellum in O'Nellum gerendum haud legimus nisi quingentos pedites ex Anglia suppeditatos. Quare restat ut dicamus O'Nellum de haeresi facile triumphaturum, nisi Anglo-Iberni in eum ab haeticis stetissent, praesertim cum non legamus Argathelium ullas in eum ex Scotia vires trajecisse juxta | faedus Bervicense. O'Nello etiam haud parum nocuit quod O'Donellus, Tirconalliae princeps, nec non Mac-Donaldi a se ex Scotia in auxilium acciti insurrexerint. Prorex enim a Regina O'Nelli conatus fractura antea in mandatis habuit ut Somurlum Mac-Donaldum, cognomento Flavum, O'Nello militantem in possessiones, quas jure haereditario in Ultonia vendicavit, feudali jure ad servitia praestanda

298
vCamden
ad an.
1560.

299

Camd.
an.
1560.299
v

admitteret. Quin etiam haeretici in Gallia Elizabethae artibus in Franciscum secundum, Regem Christianissimum, suae uxoris, Mariae Stuartae, jure Elizabetham armis aggressurum rebellant, ipseque Rex Franciscus ad Kalendas Decembris 1560 expiravit ut Elizabetha exinde sibi a Gallia non metuerit. Itaque Kildariae Comes, O'Nello cognatus et ob faedere inter amborum familias Henrico octavo regnante contracta longe charissimus, ab Anglis in instrumentum adhibitus, oblatiis optimis conditionibus ei persuasit ut pacem iniret. Quare fide publica Londinum trajecit regio prope comitatu dedignatus in ipsa aula Anglicana se | suosque ad Anglorum ritum vestire, armare, ullo denique modo ad eorum normam quadrare, sed Ibernismi tenax cum securigero nobilium satellitio, capitibus nisi biretro nudis, crispatis cicinnis dependentibus, camisiis croco flavis, manicis laxis, braccis, atque aliis vestimentis Iberniciis. Ab Elizabetha autem honorificentissime exceptus id effecit ut Henrici octavi diplomate, quò Feardorehum in haeredem ascitum fuisse vidimus, prorsus refixo, ipse, etiam Elizabetha ratum habente, Principatus possessionem continuaret velut filius legitimus et haeres ab intestato, nec a Religione Catholica latum unguem in Ultonia recedere permisit, exceptis pauculis oppidis et eorum districtibus satis arctis coronae Anglicanae obtemperantibus quia Anglo-Iberniciis, quibus non ille sed Angli legem dicebant.

Camd.
an.
1559.

300

(84) In Iberniam reversus Mac-Donaldos Iberno-Scotos Ultoniam invadentes ita Marte repulsavit, ut eorum ducem, Jacobum Mac-Donaldum, socerum suum, ejusque fratrem, Angnum praelio occiderit, profligatis eorum copiis et amborum fratre, Somurlo Mac-Donaldos in custodiam dato, iis etiam succensens | quod in bello nupero a se ex Scotia in auxilium acciti adeo ac defuerint ut in ipsum ad Anglos defecerint. In nativos etiam Ultoniae principes se inferiores tanquam illius provinciae Rex dominatum exercens O'Donellum ipsi in Ultonia secundum quod antea in ipsum ad Anglos desciverit, et tunc ejus imperium detractaret, captum in custodiam dedit, rapta ejus uxore, et in suam adulteram publicam sceleratissime induta. Nonnullos etiam alios Ultoniae principes, tanquam suos vassallos haud pro debito obtemperantes male multavit. Porro licet ante in Anglia Reginae responderit se nihil autoritatis in Ultoniae proceres (nam similem ab eis clientelam ante pacem cum Elizabetha initam exegerat) sibi arrogasse nisi quam majores retroactis temporibus ut prolatis tabulis probare poterat, jure suo exercuerant, et Regina tunc his ejus rationibus acquieverit, nunc tamen Angli,

300
v

Camd.
an.
1562.

- 301 pacta publica cum Ibernis celebrata violare | soliti, horum O'Nelli
vassallorum patrociniū in eum suscipiunt, neutri partium
non obfuturi quo ambarum discordiis in earum perniciem et
rem suam utantur. Quo ille viso denuo Elizabethae, ejusque
in Ibernia fautoribus bellum indicit, sed re pro bono et aequo
deinde composita ad pacem rediit, filio in obsidem dato.
Utque in colenda cum Anglis pace magis persisteret Regina
minime roganti decrevit Tironiae Comitissae titulum olim paternum
nedum fraternum Baronis Dungeanoniae honorem. Sed utrumque
Camd. ille generose respuit. Quin etiam hanc secundam pacem Angli
ad an. cum ipso contractam haud diu observarunt. Quare ille tertium
1565. Reginae ejusque in Ibernia fautoribus bellum intulit et Mariae
Stuartae jam ex Gallia in Scotiam reversae Iberniam obtulit,
quem teste etiam Camdeno Maria in patrociniū recepit. Quo
idem. Elizabetha cognito Henricum Killegraeum ad annum 1566 in
ad an. Scotiam misit qui Mariae partu levatae et filio nato congratu-
1566. laretur, eamque rogaret ne O'Nello amplius faveret. Verum
Mariam huic ejus postulationi subscripsisse non lego: obicem
301 tamen O'Nelli menti posuit secutus paulo | post Mariae in Scotia
v status, Rege marito, Henrico Stuarto 1^o Februarii 1646 crudeliter
trucidato et Calvinistis Scotiis in eam postea insurgentibus ut
carceri mancipatam libertate atque autoritate abdicarint, illaque
deinde in Angliam dilapsa illam Elizabethae sensit crudelitatem
quam orbis novit universus. O'Nellus tamen Anglicanam in
in Ibernia provinciam ferro et flammis devastans magnam pros-
peri successus spem fecit. Sed Anglo-Ibernorum prorege, Henrico
Sidneio, cum Anglo-Ibernorum viribus et aliquot cohortibus
Anglicis, nec non aliquot ipsius Ultoniae principibus cum Turlogho
O'Nello principatus competitore in eum bellantibus, demum ad
legionem Ibero-Scoticam paucis comitantibus perrexit ex Scotia
recens advectam, duce Alexandro Mac-Donaldo, Jacobi Mac-
Donaldi antea in Ultonia per O'Nellum inter pugnam perempti
fratre, et Macgillaspico Mac-Donaldo, ejusdem Alexandri et
Jacobi nepote ex | Angno fratre, quem pariter O'Nellus in
302 Ultonia inter pugnandum occiderat. In horum ergo Mac-Donald-
orum recens ex Scotia appulsorum castris O'Nellus prima fronte
humaniter exceptus est, sed eodem die mense Junio 1647 a
Macgillaspico rixam concitante aliisque Ibero-Scotis in Alex-
andri tentorio trucidatus, cui in proxima ecclesia ita Scoti par-
entarunt ut Guillelmus quadriduo jam sepultum tumulo in-
humaniter extraxerit, eique caput amputarit Proregi 21^o ejusdem
mensis Vadiponti praesentatum. Ultonienses autem praefatum

Turloghum O'Nellum in illius familiae principem eligerunt. Quam ille Provinciam multos deinde annos obiit, licet Anglo-Ibernorum comitia praesidente Prorege jam dicto ad annum 1569 Elizabethae undecimum Dubliniae celebrata decreverint ut O'Nelli dignitas extingueretur, et vastissimae ejus nec non adhaerentium possessiones fisco addicerentur, sed statui executioni Ultonienses obviarunt. Caeterum illorum | comitiorum, quae sic in O'Nellum statuerunt, membra quam in religionem Catholicam iniqua fuerint, colligendum est ex illius conventiculi actoterm haeretico, quo decreverunt ut prorex vel alius pro tempore sub Elizabetha ejus in Ibernia districtus Gubernator, adeoque haeticus, per decennium in omnibus Momoniae et Conaciae Ecclesiis Cathedralibus, exceptis Limericensi, Corcagiensi, Waterfordiensi et Cassiliensi jam haeresi infectis et Elizabethae ob pseudo-clerum Anglicum vel Anglo-Ibernicum studentibus, decanos, cantores, cancellarios, thesaurarios et archidiaconos nominaret tales qui linguam Anglicam legerent et loquerentur. Quam illud Parlamentum haeresis in Ibernia magis propagandae viam excogitavit. Porro licet insula clero Catholico, pio et docto abundaret, negari tamen non potest quin ex ipso clero Catholico multi, sublata per haeticos disciplinae et | animadversionis Ecclesiasticae (quae praesertim ad compescendos nebulones Cardinalis Poli facultate habilitatos necessaria erat) severitate, se vitiis, etiam publicis concubinatibus, manciparint, citra paenarum Canoniarum metum quod ejusmodi tenebriones regnante Elizabetha juris pontificii executionem riderent, quo forsane Romae audito decretum fuit in Urbe quod in Marchionis Gerini libro saepius citato lego his verbis: "die 22 Februarii 1574 Sanctissimus Dominus noster decrevit quod Episcopi Iberni non possint exercere Pontificalia in aliis Ecclesiis, etiam de consensu Episcoporum, alias si exercebunt Pontificalia ipso facto sint suspensi." Haec ibi.

(85) Eodem anno 1569 Pius Quintus sententiam in Elizabetham tulit his verbis:

Pius Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

"Regnans in Excelsis, cui data est omnis in caelo et in terra potestas, unam, sanctam, Catholicam et Apostolicam Ecclesiam, extra quam nulla est salus, uni soli in terris | videlicet Apostolorum principi, Petro, Petrique successori, Romano Pontifici, in potestatis plenitudine tradidit gubernandam. Hunc unum super omnes gentes et omnia regna Principem constituit, qui evellat,

Statut.
Ibern.
pag.
309.

302
v

Statut.
Ibern.
pag.
330.

303

303
v

destruat, dissipet, disperdat, plantet et aedificet, ut fidelem populum mutuae charitatis nexu constrictum in unitate spiritus contineat salvumque et incolumem suo exhibeat Salvatori.

(86) " Quo quidem in munere obeundo Nos, ad praedictae Ecclesiae gubernacula Dei benignitate vocati, nullum laborem intermittimus, omni opera contententes ut ipsa unitas et Catholica Religio, quam illius author ad probandam suorum fidem et correctionem nostram tantis procellis conflictari permisit, integra conservetur, sed impiorum numerus tantum potentia invaluit ut nullus jam in orbe locus sit relictus, quem illi pessimis doctrinis corrumpere non tentarint, adnitente inter caeteros flagitiorum serva Elizabetha, praetensa Angliae Regina, ad quam veluti ad asylum, omnium | infestissimi profugium invenerunt. Haec eadem regno occupato Supremi Ecclesiae capitis locum in omni Anglia ejusque praecipuam auctoritatem atque jurisdictionem monstruose sibi usurpans regnum ipsum tum ad fidem Catholicam et bonam frugem reductum recursus in miserum exitium revocavit.

(87) " Usu namque verae Religionis, quam ab illius desertore Henrico octavo olim eversam clarae memoriae Maria Regina legitima hujus Sedis praesidio reparaverat, potenti manu inhibito secutisque et amplexis haereticorum erroribus regium concilium, ex Anglica nobilitate confectum, diremit, illudque obscuris hominibus haereticis complevit, Catholicae Fidei cultores oppressit, improbos concionatores atque impietatum administros reposuit, missae sacrificium, preces, jejunia, ciborum delectum, caelibatum, ritusque Catholicos abolevit. Libros manifestam haeresim continentes toto regno proponi, impia mysteria et instituta ad Calvini praescriptum a se suscepta et observata, etiam a subditis servari mandavit. | Episcopos, Ecclesiarum Rectores et alios sacerdotes Catholicos suis Ecclesiis et beneficiis ejicere, ac de illis et aliis rebus Ecclesiasticis in haereticos homines disponere, deque Ecclesiae causis decernere ausa praelatis, clero et populo, ne Romanam Ecclesiam agnoscerent, neve ejus praeceptis sanctionibusque canonicis obtemperarent, interdixit, plerosque in nefarias leges suas venire et Romani Pontificis auctoritatem atque obedientiam abjurare, seque solam in temporalibus et spiritualibus dominam agnoscere jurejurando coegit, paenas et supplicia in eos, qui dicto non essent audientes, imposuit, easdem ab iis, qui in unitate fidei ex praedicta obedientia perseverarunt, exegit. Catholicos Antistites et ecclesiarum rectores in vincula conjecit, ubi multi diuturno languore et tristitia confecti extremum

vitae diem misere finierunt. Quae omnia cum apud omnes nationes perspicua et notoria sint, et gravissimo quamplurimorum testimonio ita comprobata ut | nullus omino locus excusationis, 305
defensionis aut tergiversationis relinquatur, Nos, multiplicantibus aliis atque aliis super alias impietatibus et facinoribus, et praeterea fidelium persecutione, Religionisque afflictione impulsu et opera dictae Elizabethae quotidie magis ingravescente, quoniam illius animum ita obfirmatum atque induratum intelligimus ut non modo pias Catholicorum Principum, de sanitate et conversione, preces, monitionesque contempserit, sed ne hujus quidem Sedis ad ipsam hac de causa Nuncios in Angliam trajicere permiserit, ad arma justitiae contra eam de necessitate conversi dolorem lenire non possumus quod adducamur in unam animadvertere, cujus majores de republica Christiana tantopere meruere. Illius itaque autoritate suffulti, qui Nos in hoc supremo justitiae throno licet tanto oneri impares voluit collocare, de Apostolicae potestatis plenitudine declaramus praedictam Elizabetham haereticam, | et haereticorum fautricem, eique adhaerentes in 305
praedictis anathematis sententiam incurrisse, esseque a Christi v
corporis unitate praecisos. Quin etiam ipsam praetenso regni praedicti jure, nec non omni et quocunque dominio, dignitate privilegioque privatam, et item proceres, subditos et populos dicti regni ac caeteros omnes qui illi quomodocunque juraverunt, a juramento hujusmodi ac omni prorsus dominii, fidelitatis et obsequii debito perpetuo absolutos, prout Nos illos praesentium autoritate absolvimus et privamus eandem Elizabetham praetenso jure regni, aliisque omnibus supradictis. Praecipimusque et interdicimus universis et singulis proceribus, subditis, populis, et aliis praedictis ne illi ejusve monitis, mandatis et legibus audeant obedire ; qui secus egerint eos simili anathematis sententia innodamus.

(88) "Quia vero difficile nimis esset praesentes quocunque illis opus erit perferre, volumus ut earum exempla, notarii publici manu et praefati Ecclesiastici ejusve curiae | sigillo obsignata, 306
eandem illam prorsus fidem in judicio extra illud ubique gentium faciant quam ipsae praesentes facerent, si essent exhibitae vel ostensae.

(89) "Datum Romae apud S. Petrum anno incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo nono 5° Kalendas Martii, Pontificatus nostri anno quinto. Caes. Glorierius."

(90) Huic mandato Pontificio satisfecit Mac-Cartius Magnus,

Momoniae Australis Princeps, antiquissimo Iberniae sanguine
 Regio per lineam masculinam prognatus, in ea regni provincia
 potentissimus, cui, praeter inferiores suae familiae principes,
 vassalles suos, et clientelam numerosissimam in eodem bello
 Elizabethae indicto ex ipsis Anglo-Ibernis adhaeserunt Ormoniae
 Comitis fratres bini, Edmondus et Petrus, nec non ex Geraldinis
 Jacobus, Desmoniae Comitis patruelis, et Imokelliae seneschallus.
 Allegavit autem ad Pium V. et Hispanum legatos, Archi-
 episcopum Cassiliensem, Episcopum Imolacensem, et Jacobum
 306 Geraldinum, Juniorem Comitis | Desmoniae fratrem, suum ex
 v sorore nepotem et suae uxoris fratrem, qui opem ad religionem
 Catholicam in Iberniam asserendam ab iis flagitarent. Ad quod
 bellum Catholicum proseguendum Joannes Mendoza a Philippo
 secundo Rege Catholico missus in Iberniam ex Hispania trajecit.
 Denique ipso Camdeno teste "hi confaederati cum Pontifice
 Romano et Hispano de asserenda religione et deturbanda Eliza-
 betha Iberniae regno sategerunt." Porro exercitus Catholicus
 1569. Kilkennia incassum obsessa atque eorum, qui Reginae militabant,
 partibus, potissimum Kilkenniae vicinia misere devastata, post
 multas velitationes demum aequis conditionibus pacem con-
 traxit, auxiliis externis ad triumphum conficiendum idoneis haud
 suppeditatis, Anglo-Ibernis pene omnibus Elizabethae more
 solito militantibus, aliis faederi Catholico nomen non dantibus,
 Angliae Catholicis praeter paucos in Reginam non insurgentibus,
 307 et misso indidem in Iberniam | Ormoniae Comite, qui binis
 fratribus a faedere Catholico revocatis cum Reginae viribus
 in MacCartii Magni Clancartiae Comitis principatum ita
 penetravit ut bellum illud in contractam pacem desierit, et ille
 recesserit.

(91) Praecipuus deinde conatus in Iberniam ad asserendam
 religionem adhibitus fuit a Desmoniae Comite, et adhaerentibus.
 Hujus Desmonii pater, Jacobus Geraldinus, ad annum 1543
 Comes salutatus, et ab Henrico octavo in Momoniae praesidem
 cooptatus, ad annum primum regni Elizabethae decessit, re-
 lictis filiis quatuor, Thoma cognomento *Rufo*, Geraldo, Joanne
 et Jacobo, quorum primum ex Vicecomitis Rochaei filia, secundum
 et tertium ex Mora, O'Carulli prole, et quartum ex Mac-Cartii
 Magni filia, illius Clancartiae Comitis, quem in Elizabetham
 bellasse diximus, sorore suscepit. Patre mortuo, orta est de
 succedendi jure controversia inter Thomam primogenitum et
 Geraldum secundogenitum, hoc allegante amborum patrem cum
 Thomae matre nunquam contraxisse matrimonium. Utut fuerit,

"Geraldus paulo | post patris obitum centum generosorum stipatus famulatu Angliam petit obsequium Reginae exhibiturus, ab eaque perhonorifice tractatus quicquid ejus majores possederant, novo diplomate confirmatum denuo recipit." Sunt O'Dalii verba. Porro Thomae jam dicti filius, Jacobus, Geraldo (sicut videbimus) perempto, Desmoniae Comitem gerens in sua ad Regem Catholicum epistola 14 Martii 1599 ex Castris Iberniciis data de Patre loquens: "Fuit (inquit) genuino succedendi jure legitimus comitatus Desmoniae haeres, quia Jacobi, avi mei, Desmoniae Comitis filius natu maximus. Sed frater secundogenitus, patruus meus, Geraldus, Desmoniae Comitis dignitatem, genuinum patris mei titulum, usurpavit, quod steterit a Regina Angliae in sceleratis ejus machinationibus ad promovendum illicitum titulum supremi capitis Ecclesiae." Sic ille.

307
v
Rel.
Gerald.
pag.
43.

Pacata
Ibern.
pag.
143.

(92) Geraldus, Elizabethae recens ad regni clavum sedentis autoritate Desmoniae Comes salutatus, in primam uxorem duxit Joannam Geraldinam, illius Jacobi Desmoniae Comitis, quem multos annos in Henricum | octavum rebellasse vidimus filiam unicam, antea Jacobo Butlero Ormoniae Comiti ad annum 1546 defuncto, denique Briano Justitiario et demum Geraldo nuptam, cujus ex primo matrimonio filius, Thomas Butlerus, Ormoniae Comes, circa annum 1533 natus "suxit (sunt verba saepius a me citatae genealogiae domus Ormonicae) cum nutricis lacte in quantum bona educatio potuit instillare fidem Catholicam." Haec ibi. Vixit autem Thomas, Ormoniae Comes, sub Henrico octavo jam schismatico primos aetatis annos circiter quatuordecim deindeque post Henrici mortem Regi Eduardo sexto ejus filio fuit charissimus adolescenti adolescens. "Nam Anglicanam (inquit eadem genealogia) curiam frequentabat ob eximias animi corporisque dotes amor et deliciae Principum, praecipue vero Eduardi sexti qui nunquam passus est illum a suo latere divelli." Haec ibi. Ex quibus, nec non ex iis, quae de Thomae patre et avo paterno superius retuli, validissime praesumendum est Thomam a fide Catholica, quam cum nutricis | lacte suxerat ad Henrici octavi haeresim sub Henrico et sub Eduardo ad aliam sectam, nempe Lutheranam, sub hoc principe in Angliae regnum introductam, defecisse. Eduardo tamen ad annum 1553 vita defuncto eum Reginae Mariae ter Catholicae constanter adhaesisse reperio. Quare vix dubitandum est quin sub Regina Maria ad fidem Catholicam redierit. Maria autem mortua Elizabetham non solum obsequio civili sed etiam publica haeresis professione secutus est, usqueadeo ut per quadraginta deinde annos et quod

308

308
v

309 excurrit, eximias animi et corporis dotes naturales domus fundatissima opulentiam maximam apud numerosissimos potentissimosque agnatos, cognatos et affines fidem clientelae et sequacium plurimorum, praesertim suorum Anglo-Ibernorum, robur, quicquid denique poterat in sustinenda ejus tyrannide, atque adeo in Ecclesia et natione Ibernica pessundanda collocaverit ipso suo patre et avo paterno in his malis artibus longe perniciosior, quem in hanc insaniam egit, non solum proprii commodi | (nam suo apud Elizabetham favore rem, praesertim possessionibus Ecclesiasticis, supra modum auxit) ratio, familiae Anglo-Ibernicae origo, atque ejusmodi alia animae mundo mancipatae incentiva, sed etiam cognatio, quam sibi intercedere putabat cum Regina, tanquam Thomae Buleni nepte, quem Thomae Butleri, Ormoniae Comitis, anno 1515 defuncti ex filia nepotem fuisse ita vidimus, ut Sanderi locum citaverimus asserentis Annam Bolenam, Elizabethae matrem, non Thomae Buleni sed ipsius Henrici octavi filiam extitisse, proindeque hanc domus Ormonicae et Elizabethae cognationem fuisse mere commentitiam.

Eccle. 4. (93) Geraldus, Desmoniae Comes jam dictus, et hic Ormonius, cognatione atque affinitate inter se conjuncti, nec non Elizabetha, ad primos hujus Reginae annos mutuam sibi operam praestabant multo valentissimam *instar funiculi* triplicis qui difficile rumpitur. Sed demum orta inter Ormonium et Desmonium de finibus atque aliis emolumentis controversia hanc amborum Comitum amicitiam cum capitalibus inimicitiis commutavit, usqueadeo ut 309 litibus et contentionibus in Anglia atque Iberniam alteri ab | altero diu et perfracte intentis et demum praelio diremptis, Desmonius, in quem Regina Ormonio studebat, in turrim Londinensem haud semel datus et totidem vicibus per aliquot annorum intervalla in belli, quod ejus causa apud Iberniam ab amicis gerebatur, sedandi instrumentum ab Elizabetha dimissus, licet illud reipsa toties sedaverit et comitatum aequis conditionibus recuperarit, ab Anglis tamen exinde haberetur ad res novandas pronus, tanquam qui Reginae et Ormonio atque aliis Anglici in Iberniam ministris haeresi et multiplici tyrannide sordentibus succenseret.

(94) Bellis illis pace finitis Jacobus Geraldinus Desmonii patre-
elis, vir magnanimus, qui praefatos motus subinde concitaverat, in continentem transvectus apud Pontificem Maximum, Gregorium XIII., Gallum quoque et Hispanum egit de Iberniam eorum armis et subsidiis a crudelissimo Elizabethae jugo asserenda. In quem finem a Pontifice et Rege Catholico non nihil adjutus ex Hispania in Iberniam remeavit, appulsus ad S. Mariae vicum,

vulgo *Smervic*, in comitatu Kierriensi circa Kalendas Julias |
 1579, cum Sandero, tunc legatina apud Iberniam autoritate 310
 fungente, et Alano, sacerdote, atque aliquot Hispanicis cohortibus
 auxiliaribus, quas in munimento ibi erecto reliquit, exinde in
 Iberniam interiorem progressus, sed paulo post in pugna, in qua
 Theobaldum Boorkum Domini Castri Conaldi filium ejusque
 fratrem Guillelmum sui aggressores interemerat et victoriam
 reportaverat, laethali vulnere accepto post paucas horas pie
 decessit, assignato militibus in belli prosequendi ducem Joanne
 Geraldino, Desmonii fratre, expeditionis Catholicae recens socio,
 in cujus nec non in Jacobi, fratris natu minimi, favorem Gregorius
 XIII. Iberniae Catholicis scripsit his verbis.

(95) "Gregorius XIII, universis et singulis Archiepiscopis,
 episcopis, caeterisque praelatis nec non Principibus, Comitibus,
 Baronibus, Clero, nobilibus et populis regni Iberniae, salutem
 et Apostolicam benedictionem.

"Cum proximis superioribus annis per nostras litteras vos
 hortati fuerimus ut ad vestram libertatem recuperandam, eamque
 adversus haereticos tuendam ac conservandam | bonae memoriae 310
 Jacobo Geraldino, qui durum servitutis jugum vobis ab Anglis, v
 Sanctae Romanae Ecclesiae desertoribus, impositum depellere
 summo animi ardore cogitabat, pro virili vestra adesse, eumque
 contra Dei et vestros hostes ire parantem prompte ac strenue
 adjuvare velletis, quo id alacrius efficeretis, omnibus contritis
 et confessis, qui ipsum Jacobum ducem ejusque exercitum Catho-
 licae Fidei assertorem et propugnatorem secuti fuissent et se illi
 adjunxissent, aut consilio, favore, commeatibus, armis, aliisque
 bellicis rebus seu quacunque ratione in hac expeditione opem
 dedissent, plenariam omnium peccatorum suorum veniam et
 remissionem, et eandem, quae proficiscentibus ad bellum contra
 Turcas et ad recuperationem terrae Sanctae per Romanos Ponti-
 fices impertiri solita est, concessimus.

(96) "Nuper autem non sine gravi animi nostri dolore per nos
 accepto ipsum Jacobum fortiter cum hostibus dimicando (sicut
 Domino placuit) occubuisse, dilectum vero filium, Joannem
 Geraldinum, ejus consobrinum, in expeditione hujusmodi eximia
 pietate et animi | magnitudine auctore Deo cujus causa agitur 311
 successisse, compluraque egregia facinora de Catholica fide bene-
 merendo jam edidisse. Idcirco vos omnes et singulos, majori
 quo possumus affectu, hortamur, requirimus, et urgemus in
 Domino ut eundem Joannem, ducem, ejusque exercitum omni

ope, quemadmodum dictum Jacobum viventem, ut faceretis, vos admonuimus, contra dictos haereticos adjuvare studeatis. Nos enim vobis omnibus confessis et communicatis, et vestrum singulis in dictis litteris contenta pro ipso Joanne, et ejus exercitu facientibus, et post ipsius obitum, si forsitan contigerit, (quod Deus avertere dignetur) Jacobo, ejus fratri, adhaerentibus atque faventibus eandem plenariam peccatorum vestrorum indulgentiam et remissionem, quam adversus Turcas et pro recuperanda terra sancta bellantes consequuntur, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum ejus, autoritate confisi tribuimus, et elargimur, praesentibus, quoad dicti Joannes et Jacobus, fratres, vixerint, et bellum contra haereticos ipsos gesserint, duraturis. Quoniam autem difficile esset has nostras litteras ad omnium, quorum interest, | notitiam pervenire, volumus ut earum exemplis etiam impressis manu notarii publici subscriptis, sigilloque personae in dignitate Ecclesiastica constitutae obsignatis, plena ac certa fides ubique habeatur ac si praesentes essent exhibitae vel extensae.

311
v

“Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 13 Maii 1580, Pontificatus nostri anno 8°.

Caesar Glorierius ”

(97) Ex hujus diplomatis Pontificis initio constat eundem Pontificem antea circa Jacobum Geraldinum Desmonii patrelem et expeditionem ab eo susceptam aliud simile ad Iberniam Catholicos dedisse diploma, quod tamen mihi hactenus nusquam occurrit. Porro Joannes Geraldinus, Desmonii frater, in haereticos bellum fortiter prosecutus, binos fratres, Desmonium et Jacobum, in societatem allexit. Quorum Jacobus Muscriam depraedatus incidit in Danielelem, Muscriae principis fratrem, qui praedam multis caesis recuperavit et Jacobum vulnere laethali sauciatum, captumque, praefectis Anglicis tradidit, tanquam suae familiae ter Catholicae aggressorem inveterata domus Desmonicae in Muscriae principes hostilitate actum ad Muscriam | depraedandam; Jacobum autem haeretici Anglici Corcagiae extremo supplicio affecerunt. Porro Joannes Geraldinus, ubi octingenti circiter milites a Rege Catholico cum aliis etiam subsidiis in Iberniam ad idem bellum in haereticos proseguendum missi anno 1580 Smervici munimentum bene vallatum Proregi haeretico turpiter dedissent, ipsique et aliae cohortes auxiliares antea advectae pene omnes Anglorum gladio periissent, in multis velitationibus jam victor, demum ab iisdem haereticis preemptus

312

belli gerendi curam reliquit Desmonio, fratri, qui et ipse eximia animi fortitudine aliquandiu Anglis et eorum fautoribus molestiam bellando facessivit, sed subsidiis exteris non subministratis et viribus ejus partim deletis partim militiam pene desperatam deserventibus, in quandam comitatus Kierriensis vallem, vulgo *Gleann-aguintam*, pauculis assistentibus se abdidit, ubi dum alii sui abessent a duobus equitibus ei assistentibus derelictus est, accedentibus binis exploratoribus quibus in ejus tugurium ingressis eorum alter 11 Novembris 1583 dextera manu deindeque aure ac demum capite illum truncavit, postridie ab haeticis Corcagiam, deindeque Londinum ad Elizabetham misso, ibique ad Turris Londinensis verticem | craticula aenea incluso, catenaeque suspenso, vastissimis ejus et multorum e nobilitate Momoniensi, qui ipsi in illo bello adhaeserant, possessionibus fisco adjudicatis acto octavo et nono Parlamenti ad annum 1586 et Elizabethae vigesimum octavum Dubliniae celebrati. Porro negari non potest quin complures ex Anglo-Ibernica Momoniae nobilitate, praesertim ipse Desmoniae Comes, bini fratres, patruelis Jacobus Geraldinus, alique Geraldini et aliis familiis prognati, singularem in illo bello fidei defensandae zelum exeruerint, sed non ita qui ex veteribus Ibernis praesertim ex MacCartiis, O'Donochuis, O'Brienis et O'Mahonis viri generis splendore praeclarissimi Desmonio in eodem bello coaluerint, quorum atque aliorum aboriginum amplissima patrimonia tot saeculis antegressis avita binis statutis jam dictis confiscata legimus.

312
vStatut.
Ibern.
pag.
403 et
408.

(98) Eodem etiam tempore in Lagenia adversus Elizabetham praeclare bellarunt Jacobus Eustatius, Baltinglassiae Vicecomes, et Fiachus O'Bruin, suae antiquissimae et nobilissimae familiae princeps, ex quibus Baltinglassius infaelici belli Momoniensis eventu et rebus desperatis | exanimatus in Hispaniam cum fratre profugit, ubi a Philippo secundo, Rege pientissimo, excepti, dum vixerunt regiae munificentiae donis fuerunt aliti et ornati. Fiachus autem haud prius arma deposuit, quam incolumitatem pactus fuit et patrimonium, Baltinglassium vero ejusque fratres quatuor Edmundum, Thomam, Walterum et Richardum, Comitibus ad annum Christi 1585 et Elizabethae vigesimum septimum Dubliniae celebrata laesae Majestatis crimen contraxisse declararunt, eorumque et adhaerentium bona fisco addixerunt. Quo factum ut verificata sit prophetia hujus Baltinglassii avo paterno, Thomae Eustatio, Baroni Kilcullinensi, pronuntiata, cui bona Ecclesiastica anhelanti et Henricum octavum in suis flagitiis secundanti eidem Rex Ordinis Cisterciensis Monasterium Baltinglassiae,

313

Statut.
Ibern.
pag.
374.

313 nec non plurimas ejus possessiones, exturbatis monachis, tran-
 scripsit, et Baltinglassiae Vicecomitis honorem decrevit. Nec
 v diu post Vicecomes per quietem vidit quendam sibi minitantem
 et prophetizantem | hoc carmine Ibernico :

Med do thoile d'fhearán cille
Bhera gan iarmhuirt do bhaile
Racha do shliocht uait uile
Mar chith duille do druim aille :

Quod sic latine verto :

Sacrati Christo fundi tua tanta cupido
Efficiet viduam posteritate domum.
Succus ut in praeces frondis dilabitur imber
Sic tibi citra spem tota propago ruit.

Com. de Ibern. pag. 334. Quae prophetia effectum sortita est, cum Thomae ex Rolando filio, Baltinglassiae pariter Vicecomite, nepos Jacobus et ejus fratres infortunium superius memoratum passi sint sub Regina Elizabetha. Porro quantum hoc Desmonii bello confecto Angli in Momonienses exercuerint crudelitatem refert Petrus Lombardus, Iberniae primas, his verbis : “ Quibus (inquit) pro Anglorum voto ita succedentibus, quamvis nulli jam restarent, qui eorum potentiae resistebant, non tamen illi desierunt in istorum procerum propinquos, familiares, subditos quosque saevire, idque tam |
 313 (bis) diris et feris modis, ut sine horrore vix audiri possit aut narrari. Nam in illis villis, castellis, pagis, plures adhuc superesse deprehenderant, ut compendioso mortis genere eos tollerent, coactis omnibus sine ullo respectu aetatis, sexus, conditionis, meriti, in antiqua horrea, injecto igne sic inclusos extinxerunt. Quod si aliqui essent, qui erumpere attentarent, illi a circumstantibus hostibus vel ad focum repulsi, vel ferro sunt excepti. Ubi pauciores invenerunt phalanges foris, vel latentes domi, eos ad libitum partim sclopetis trajecerunt, partim gladiis transfoderunt, partim in obviis quibusque arboribus seu stipitibus suspenderunt. Inter quae non nunquam visa sunt ejusmodi crudelia spectacula, ut matribus in cruces levatis, parvuli qui adhuc lactentes sive vagientes, in earum reperti ulnis, earundem capillis strangulati, hac nova laquei forma simul etiam suspenderentur. Sed et alios pueros ubicunque occurrentes seu repertos pro lusu erat atque recreatione hastis suis sive lanceis | in aera levare, in terram affigere, ad saxa allidere, cum hujusmodi impropertiis, quia si

vivere sinerentur futuri aliquando rebelles papistae. Ad haec quaecunque Religionis monumenta supererant in his ditionibus (supererant autem multa usque ad istud bellum) ea, nisi quae abscondita aut oblata tempestive fuerant, omnia ab iisdem impie prophanata, nominatim vero direpta passim templa et monasteria diruta. Itaque cum ex his secuta magna vastitas et solitudo praesertim in amoenissimis et fertilissimis Momoniae regionibus, novae in eas et numerosae ex Anglia Cambriaque inductae sunt coloniae omnis generis hominum, illustrium, nobilium, plebeorum, agrorum, et aliorum artificum." Haec Ardmachanus.

(99) Ex Mac-Cartii Magni, Momoniae australis Principis et Clancartiae Comititis, vassallis plurimis Desmonii partes fidei Catholicae studio in hoc bello secutis fuere inter alios dynastae tres, Thadaeus Mac-Cartius Cosmangiae satrapas, Thadaeus Mac-Cartius cognomento *rufus*, territorii *filiorum Donaldi Rufi* ! dominus, et Rorius O'Donochuus, suae nobilissimae et antiquissimae familiae Princeps, vulgo O'Donochus magnus, quorum luculenta patrimonia praefatis parlamenti actis confiscata Mac-Cartius Magnus fisco Anglicano non cessit, sed sibi vendicavit etiam ex Reginae Elizabethae sententia, ubi Barraei magni, et Praetoris Corcagiensis testimoniis, aliisque probationibus Londini demonstrasset se majoresque, nunc Momoniae Australis, nunc duarum provinciarum Momoniensium, nunc dimidii Mogi, vulgo Leah-moiae, quae Iberniae dimidium continet, nunc totius Iberniae reges, nunquam illis vasallis in Momonia Australi positis et communi secum trunco prognatis transcripsisse patrimonia nisi pro arbitrio et suis legibus repetenda, quod probat quantum fuerit huic principi et majoribus in vasallos inferiores principes etiam Elizabethae diebus multos imperium, sed demum Anglorum tyrannide sublatum in suae Coronae utilitatem et si ipsa Regina Elizabetha per litteras patentes, quibus hunc Mac Cartium Magnum 4^o Junii 1565 in Clancartiae Comitem cooptavit, "ei confirmavit jurisdictiones, (sunt ipsa diplomatis verba) gubernationes, servitia, exactiones | et proficua, qualia praedictus Donaldus MacCartius *Mor* antehac de jure habuit, percepit aut gavisus fuit, aut aliqui antecessorum suorum vocati de jure habuerunt, perceperunt aut gavisii fuerunt." Haec ibi.

(100) Hunc finem sortita est domus Desmonica prognata per lineam masculinam Mauritio filio Geraldii a Windesora, Anglo, inter primos Iberniae aggressores ad annum 1169 in eam insulam transvecto, cujus posterii coronae Anglicanae brachio atque ipsorum Ibernorum discordiis et multiplici demum necessitudine

314

314
v

Relat.
Gerald.
pag.
159.

cum Geraldinis contracta suffulti, MacCartios, ante et post Anglorum invasionem Momoniae reges, eorumque vasallos et contribules magna illius provinciae parte excusserunt tanta iniquitate ut ipsorum Geraldinorum historiographus, P. Dominicus de Rosario O'Daly, Desmoniae Comitum totus aere et libra, gravibus delictis ob quae Deus illorum domum extinxerit, ingenue accenseat eorum in MacCartios, caeterosque vicinos *violentam ac injustissimam* invasionem. |

315

(101) Praeter hos Iberniae motus a me recensitos alii quoque eadem Elizabetha regnante successerunt, Anglis solitam tyrannidem exercentibus, et haeresim tota Ibernia propagare conantibus, sed Ibernis nunc in una nunc in altera regni provincia repugnantibus non una conspirantibus quod Anglorum ea esset malignitas ut nationem non universam simul sed per partes divexarent, haud ignorantes futurum ut secus tota in eorum perniciem faedus coiret. Itaque in ipsa Momonia O'Brienus, suae regiae familiae princeps, et Tomoniae Comes Cornelius nomine cum Eduardi Fittoni Conaciae praefecti corruptelas ferre non posset, insurgendum censuit, verum se ab aliis regni Proceribus derelinquendum ratus, post aliquas leviusculas velitationes in Galliam profugit, ubi circa annum 1570 ita cum Norrisio, Legato Anglico apud Gallum suae Reginae negotia tractante, et per hunc cum Elizabetha egit ut postliminio restitutus domum redierit, semper bonus Catholicus, sed Helena Butlera, Petri Ormoniae Comititis filia natus, proindeque Thomae cognomento nigri, | Ormoniae Comititis sub Elizabetha potentissimi, amitini sui, atque aliorum Anglo-Ibernorum et Anglorum brachio in patrum Donaldum O'Brienum aliosque contribules suffultus ad introducendam in Tomoniae principatum successionem haereditariam filii post patrem secundum leges Anglicanas sed contra jus Ibernicum, quo frater fratri etiam filios habenti plerumque succedebat, deindeque finita fratrum serie filius fratris primogeniti natu maximus ad principatus clavum sedebat. Quare Cornelius ad hanc suam et posteritatis successionem firmandam Anglorum, quorum etiam intererat ut leges Ibernicae pedetentim in desuetudinem abirent et Anglicae paulatim subrogarentur, opera utens haud magnam Elizabethae molestiam exhibuit.

315
v

316

(102) In Conacia etiam ad annum 1572 Comititis Clanricardiae filii, Anglo-Iberni, ejusdem Fittoni crudelitatem ferre nolentes ita insurrexerunt ut, non nisi Fittono Conaciae profectura per Reginae mandatum abdicato, se submiserint, sed postea ob acerbum | Anglorum regimen ad annum 1576 iterum adeo in

haereticos armati ut multa viriliter gesserint, nec caeptis destiterint nisi patre libertate donato, quem tanquam rebellionis conscium Angli in castrum Dubliniense conjecerant. Quos Clanricardii filios paulo post ab Anglis in Geraldinos Desmonien-
 enses pro Religione Catholica bellantes stetisse reperio. Quorum duorum filiorum suorum Clanricardius moriens Ullicum primo-
 genitum Clanricardiae Comitem et Joannem secundogenitum Leitrimiae Baronem reliquit. Sed orta deinde inter binos fratres
 duabus matribus natos circa haereditatem controversia, et Barone apud quendam utriusque consanguineum diversante, et
 jam post convivium cum suis dormiente, Comes, inter quem et perfidum hospitem convenerat, castellum noctu aggreditur, et
 ab ejus siccariis hospitis jam dicti perfidia introductis, Baro diris vulneribus conficitur eodem anno 1583 quo Desmonium a
 proditoribus capite truncatum fuisse vidimus. Clanricardius exinde atque ejus filius, patre mortuo, Clanricardiae | Comes, 316
 Reginae Elizabethae in maximum Ecclesiae et nationis Ibernicae v
 praejudicium militarunt. In eadem Conaciae provincia ad annum 1585 alii ex Clanricardii familia viri praeclarissimi in Richardum Binghamum, Anglicum, Conaciae praefectum, crudelissimum
 carnificem, armis insurrexerunt et multa praeclare gesserunt cum aliis partim Ibernis, partim Ibero-Scotis, praesertim Mac-Donaldus cum armata eorum manu in auxilium accitis, sed demum funesto Conaciae fato Binghamus, Clanricardius, alique, praesertim Angli et Anglo-Iberni illos bello proffigarunt.

(IO3) In Lagenia quoque O'Morri Lisiae principatu semel et iterum ab Anglis ad annos superiores excussi bellum ad annum 1572 instaurarunt, sed Kildariae Comite, qui ob necessitudines et mutua domorum faedera Henrici octavi diebus contracta, maxima apud ipsos fide pollebat, in Anglorum favorem suadente, pacem | pactis conditionibus firmatam admiserunt. Verum 317
 ulteriorem Anglorum malam fidem et tyrannidem deinde experti una cum O'Conoris suo pariter principatu ad annos superiores in Lagenia spoliatis in Anglos eorumque fautores ad annum 1573 bellum innovarunt, et inter alias res genere gestas Atloniam diripuerunt, incenderuntque, adeo deinde in reportandis victoriis progressi ut saltem ad annum 1575 suos duos principatus, Lisiam et Ophaliam, vi et armis recuperarint, multisque postea rebus in haereticos atque eorum fautores insigni animi magnitudine gestis suam famam nobilitarint.

(IO4) In Ultonia quoque crebri sub Elizabetha motus pullularunt, etiam post Joannis O'Nelli cognomento superbi mortem,

Terentio vel Turlocho O'Nello suae Regiae familiae Principem agente, qui Anglorum barbarie haeretica irritatus ad annum 1569 bellum suscepit, in eo tamen haud multum progressus usque ad annum 1573, quo Rupis Fergusii oppido ab Ultoniensibus |
 317 incenso Essexiae Comes aliique haeretici Anglici se Elizabethae
 v ad domandam Ultoniam obtulerunt. Bellum ergo partim suis partim reginae sumptibus appararunt, et praecipiti Augusto, eodem anno 1573 navigiis in Ultoniam appulerunt. Quos O'Nellus aliique Ultonienses adeo strenue repulsarunt, ut illa haeticorum expeditio ad nihilum reciderit, pace ab O'Nello ad annum 1575 in Anglorum ignominiam eorum postulationibus potius emendicata quam inita, et Essexio post tantam bonorum ac honoris jacturam in Angliam postea regresso, deindeque ab Elizabetha dedecoris ulciscendi causa in Iberniam remisso cum Comititis Marescialli Iberniae titulo, ubi aerumnoso etiam secundae hujus expeditionis successu et maerore contabescens anno 1576 expiravit.

(105) Anno autem 1587 sexto idus Februarii Maria Stuarta ad annum captivitatis decimum octavum et aetatis 46^m martyrio affecta orbis Catholicus plus solito horruit execrandam Reginae Elizabethae crudelitatem, quam vindicaturus Rex Catholicus et
 318 fidem Catholicam apud Angliam in throno | collocaturus, classem et exercitum anno sequenti 1588 ingentibus sumptibus apparavit, et Sixtus V., Pontifex Max., adfuit, qui per prolixam Bullam declaravit Anglos et Iberos minime teneri ad obediendum Elizabethae, quos ibidem ea obligatione prorsus solvit et absolvit, ipsamque Reginam post Pium V. et Gregorium XIII., quorum Bullas in illam latas renovavit, ex plenitudine potestatis omni regni jure dejecit, citatis ad longum flagitiis et inhabilitate, ac praesertim quod esset *haeretica illegitima* et *crudelis in Mariam Scotorum Reginam* etc. Praecepitque ibi sub paena excommunicationis nequis illi obtemperaret, opem ferret aut faveret, sed ex adverso omnes potius eam adorirentur cum Philippo secundo Rege Catholico et Principe Parmensi, et plenarias concessit iis indulgentias omnemque de caelo benedictionem, quibus suis praescriptis morem gererent, eodemque diplomate praedixit fore ut nemo hisce suis monitionibus obsequi detrectaret, quin paenas tantae culpaе respondentes incurreret.

(106) Mense autem Julio eodem anno 1588 Regis Philippi exercitus et classis in Angliam | movit, sed praelio navali classi
 318 Anglica succubuit, ut plures naves Hispanicae in Iberniae
 v littoribus perierint, Hispanis militibus et nautis magno numero per insulam dispersis, quibus Angli quidem atque eorum

fautores saevitiam sed nonnulli Iberniae primores antiquissimo Insulae sanguine regio procreati misericordiam exhibuerunt. Et hinc novi deinde belli semen emersit, prorege et Elizabethae aliis in Ibernia administris in Hispanorum fautores, hospites, servatoresque saevientibus. Inter quos Hispanorum benefactores haud ultimus fuit O'Ruarkius, Brethniae princeps, in quem reginae jussu Anglici ejus in Ibernia praefecti, nec non Clanricardiae Comes, alique Reginae fautores moverunt, quibus post multa ab O'Ruarkio in ipsos praeclare gesta Dei permissu praevalentibus O'Ruarkius in Scotiam se recepit, unde rex Jacobus eum in Angliam ad Elizabetham misit. Ubi in praetorio Westmonasteriensi | accusatus est quod Alexandrum Mac-Donaldum 319
Dynastam Ibero-Scoticum et alios in reginam excitasset, et fovisset, Reginae effigiem in tabula depictam ad equi caudam appensam per ludibrium raptari et contumeliose dissecari jussisset, Hispanos naufragos hospitio contra proregis edictum excepisset, Elizabethae fautorum aedes per suos milites ignem injicientes in cineres rede-
gisset, ex iisdem plures interemisset et Iberniam Scotorum regi possidendam obtulisset, quae per interpretem edoctus (nam Anglice nesciebat) Princeps magnanimus duodecem virorum natione Anglicorum judicio se submittere recusavit, nisi comperendinaretur, causarum patronus assignaretur, accusationes ex Iberniamissae in manus traderentur, et ipsa Regina pro tribunali iudex sederet. Quibus ejus votis cum haeretici pro tribunali sedentes non respondissent, lata in eum mortis sententia 3^o Novembris 1591 paucis horis ante necem jam in rheda, qua ad supplicium trahebatur, manus pedesque ligatus, multifariam tentatus | est ab haeticis ad fidem Catholicam 319
deserendam, et ad profitendam publice paenitentiam eorum quae v
in Elizabetham patraverat, verum ille adeo sibi constans erat ut potius illa velut opera meritoria rata grataque haberet. Porro adhibitus est ad ipsum pervertendum Melmurius Magrathius, ex Franciscano et episcopo Dunensi pseudo-Archiepiscopus Cassiliensis, cui prava dogmata Ibernice praedicanti O'Ruarkius apostasiam objecit, monens ut potius ipse resipisceret. Itaque praeclarissimus satrapas genuinorum martyrum instar eas ob causas, quae perennem illi laudem promeruerint, post multas atque humiles apud Deum fusas preces non capite truncatus, sed velut emptus de lapide primo in patibulum actus est, deindeque semimortuus in terram demissus, moxque eviratus et evisceratus, extis et pudendis in ignem coniectis, nec nisi tunc amputato capite ad palum affigendo, reliquo corpore in membra dissecto. |

- 320 (IO7) Hujus principis filius suae regiae familiae coryphaeus, nullam Anglis Marte nocendi occasionem non anhelabat. In Ultonia quoque ei vicina Mac-Mahonius, Maguirius, ac demum O'Donellus e Castro Dubliniensi cum aliis nobilissimis provincialibus, ubi aliquot annis Anglorum tyrannide detenti squaluerant, noctu dilapsus, principes in ea provincia potentes et antiquissimo regum Iberniae sanguine prognati, crudele et haeticum Anglorum jugum excutere percupiebant. Hinc paulo post O'Ruarkii mortem illam quam Londini successisse vidimus, novum bellum omnibus anterioribus bellis sub Elizabetha gestis pertinacius caepit et eos paulatim progressus fecit ut demum Hugo O'Nellus Conni cognomento *Claudi*, Ultoniae principis et Tironiae Comitis Henrico octavo nominatissimi ex Feardorcho filio naturali nepos, ab Elizabetha in rem suam primum Dungeananae Baro, deindeque Tironiae Comes salutatus, eidem bello ita operam dederit, eumque | Ultonienses primum invito, deindeque paulo post mortuo Terentio O'Nello superius haud semel memorato in O'Nellum nempe O'Nellorum familiae principem et totius militiae Catholicae imperatorem cooptarint, jam Anglis, quibus a patris morte obtemperaverat infensissimum ob eorum in Iberos, praesertim Ultonienses, et ante alios in se ipsum immanitatem, et diabolica propagandae haereseos, fidei Catholicae extirpandae et nationis paulatim excidendae artificiae ei notissima, quod se tot annos in illorum aula, foro, parlamenti, et conciliabulis volutasset. Quantopere autem ille ad eam provinciam obeundam idoneus esset vel ipse Camdenus, Elizabethae a
- Camd.
ad an.
1590.
- commentariis, in confesso ponit. "Corpus (inquit) laborum, vigiliae et inediae patiens, industria magna, animus ingens maximisque par negotiis, militiae multa scientia, ad simulandum animi altitudo profunda, adeo ut nonnulli eum vel maximo Iberniae bono vel malo natum tunc praedixerint." Haec ille.
- 321 Hoc faedus Catholicum suscepit paulatim | tota pene Ultonia (exceptis paucis praesidiolis ab Elizabetha stantibus, et a gente partim Anglica partim Anglo-Ibernica inhabitatis) magna Conaciae, Lageniae et Momoniae pars, in quarum provinciarum ultima non nisi ad annum 1598 deindeque procures Catholici huic faederi ascripti in Anglos, eorumque fautores insurrexerunt Donaldus Mac-Cartius Mac-Cartii Magni, Clancartiae Comitiss, et Momoniae Australis principis paulo antea defuncti filius naturalis electioni populari in illius familiae regiae haeredem et corypheum, deficiente filio legitimo, agnitus, vir magnanimus et eximiis animae corporisque dotibus praeditus, Jacobus Geral-

dinus Geraldii, Desmoniae Comitum, quem ad aliquot annos superiores in Elizabetham bellasse, et anno 1583 peremptum fuisse vidimus, ex fratre primogenito, Thoma *rufo*, sed instar illegitimi haereditate paterna excluso, qui in Geraldum, fratrem, ab Anglis steterat, nepos inter hoc bellum ad annum 1598 a Confaederatis | Catholicis in Desmoniae Comitem habitus, haereticorum Angli- 321
corum, in quos Regina vastissimum Desmonii bello extincti patrimonium distribuerat, malleus, Donatus Mac-Cartius et Dermotus Mac-Cartius, Douhalliae principatus competitores, O'Sullivanus, Bearrae et Beantriae princeps, Daniel O'Sullivanus, O'Sullivanus magni filius primogenitus (cujus pater suae regiae familiae et patrimonii antiquissime aviti princeps bellum suscipere senectute prohibebatur) O'Conor Kierriensi, Arachtae princeps, O'Drisceolus, Cothliae princeps, O'Mahunus Carbrius, O'Donobhanus, O'Donochuus magnus, O'Donochuus de valle, Rochaeus, Fermoiae Vicecomes, Richardus Butlerus Montgerati Vicecomes cum Tironii filia matrimonio copulatus, Mac-Mauritius Licsnaae Baro, Thomas Butlerus, Cahiriae Baro, Patricius Condonus, Condoniae princeps, Richardus Purcellus, Luochnae Baro, Guillelmus Geraldinus Eques auratus Kierriensis, Edmundus Geraldinus Eques auratus albus, Edmundus Geraldinus Eques auratus *vallis*, alique plurimi, ex quibus | Rochaeus, et Mont- 322
garetus, nec non Cahiriae Baro haud longo tempore in bello illo adversus haereticos gerendo perstiterunt, et horum duos postremos pro partibus Catholicis se nunquam declarasse, sed ob injurias acceptas a praefectis Anglicis in armis fuisse auctor est Petrus Lombardus, Primas Ardmachanus. Denique sicut in aliis bellis sub Elizabetha gestis, sic etiam in hoc per universam Iberniam Anglo-Ibernorum plerique, et ante alios omnes regni urbes et oppida, nec non partem longe maximam provincia Anglicana nedum Angli in Iberniam se tenentes ita Reginae militabant ut ex ipsis veteribus Ibernis nonnulli proprio commodo ducti contra propensionem naturalem ab ea steterint, et eorum qui in illam bellabant praecipui et pars longe maxima fuerint veteres Iberni, quibus tamen multi ex Anglo-Ibernis ruri se tenentibus etiam viri praeclari generose et constanter adhaeserunt praesertim in Momonia. |

(IO8) Prolixum esset horum confaederatorum victorias tot 322
tantasque de haereticis Anglicis eorumque fautoribus tota Iberniam
reportatas recensere. Porro Elizabetha, tot suis magni nominis
ducibus et viribus in Iberniam caesis atque impensis inutiliter
profusis, demum anno 1599 ingentibus Angliae sumptibus vicena
v

323 circiter equitum peditumque millia armis et rebus omnibus ad triumphandum utilibus instructa in Iberniam transfudit, sub prorege et imperatore Essexiae Comite, illius Essexii, quem ad annos superiores Iberniam infaeliciter aggressum fuisse vidimus, filio, qui et ipse in hoc patrissavit ut nihilo pene in Iberniam praestito viribus ejus haud semel profligatis, et tanto exercitu novoque supplemento Catholicorum fortitudine magnam partem deleta, quasi proficiendi animum despondisset, in Angliam remearit, ibi post multas ejus tragedias 23 Februarii 1601 securi percussus, supremo numine ejus animum in Iberos malevolum vindicante per illos ipsissimos quorum malignitati et tyrannidi in Ecclesiae | Ibernicae perniciem exequendae operam lubens accommodaverat.

COMMENTARIUS RINUCCINIANUS

VOLUMEN I.

PARS III.

Ann. 1600-1641



[VOL. I. PARS III. ANN. 1600-1641.]

(1) Ad ineuntem annum 1600 Elizabetha in Iberniam destinavit novum proregem, Carolum Bluntum, Baronem Montiorum, et in Momoniae Praesidem ascivit Georgium Carewum, equitem auratum, praesbyteri filium, ingenio supra aliorum haereticorum vulgus malignissimo. In qua provincia quantae deinde illius belli calamitates usque ad Elizabethae mortem successerint ipse in volumen Anglicanum anno 1633 Londini typis mandatum, quod *Pacata Ibernia* inscribitur, digessit.

(2) In Momonia ante alios omnes Mac-Donaldus Cartius, Clancartiae Comititis Mac-Cartii Magni filius naturalis, patre mortuo in Mac-Cartium Magnum et Momoniae Australis principem a Confaederatis Catholicis agnitis, nec non novus Desmoniae Comes superius nominatus bellum haereticis exitiale tractarunt. Quare Regina ad horum duorum conatus enervandos duo instrumenta adhibuit. In | Donaldum quidem usa est Florentio Mac- 323
Cartio, Donati, Carbriae Principis filio Helenae Mac-Cartiae, v
Clancartiae Comititis filiae et unicae prolis legitimae superstitis marito, summis animae et corporis dotibus praedito, qui ex Iberniam raptatus et in turrim Londinensem conjectus, postquam undecim circiter annos in custodia squaluisset, demum mense Maio anno 1599 in Iberniam dimissus est, Regina non dubitante quin jure uxorio Mac-Cartii Magni principatus repetiturus Donaldum, jam haereticorum malleum, gradu dejiceret, et postea coronae Anglicanae semper adhaereret tanquam solo ejus jure haereditatem illam suis posteris relicturus, quod jus Ibernicum in eo principatu eousque vicens filias nunquam sed semper haeredes masculos ad haereditatem vocaverit. Porro (sicut etiam Pacatae Iberniae pag. 162 legimus) Regina Essexio, tunc Iberniae proregi scripsit, eique fecit potestatem conficiendi litteras patentes, quibus non solum Florentius de | suo patrimonio sed etiam ipse 324
nec non uxor Helena legitimique liberi et posterius masculi de totius Desmoniae possessione securi redderentur. Monuit autem Regina Essexium et suum in Iberniam Concilium ut illud diploma Florentio traderent vel tradendum different pro ipsorum prudentia politica et modo quo ille in coronam Anglicanam se gereret. Verum Florentius in Iberniam redux ita plerorumque Desmoniensium applausa et auxilio Donaldum Mac-Cartii Magni titulo et principatu excussit riteque inauguratus ad regiminis clavum sedit, ut

non haereticis sed Confaederatis Catholicis studuerit, proindeque praefatas litteras patentes nunquam acceperit.

(3) In praefatum autem Desmoniae Comitem hoc bello nominatissimum regina usa est Jacobo Geraldino ejus patruelo, Geraldus Desmoniae Comitatus ad annum 1583 trucidati filio unico, qui ad annum 1579 a matre in obsidem Ormonio et ab Ormonio Anglis traditus, ac in turrim Londinensem conjectus, sed demum anno 1600 libertate ab Elizabetha donatus | est per litteras patentes 1^o Octobris eodem anno datas nuda Desmoniae Comitatus dignitate sine patrimonio insignitus, ejusque recuperandi spe vanissima inescatus, atque in Iberniam eodem mense Octobri missus, ut ipse atque Angli eorumque fautores in praefati ejus patruelis, qui sibi legitimae successionis jure haereditatem deberi contendebat, conatibus frustrandis se mutuo adjuvarent. Hanc Comitem a Regina destinatum Ibernii, quibus ob patris memoriam charissimus erat, primis diebus ab impulsu adeo observarunt ut Killoctiae opus fuerit valido ad eum servandum satellitio, ne a celebritate undique ad eum invisendum certatim conflente, et oppidi tecta, fenestras et vicos occupante atque applaudente suffocaretur. Verum postera die Dominica cum eum ad haereticorum templum se contulisset, proindeque reginam etiam religione secutum fuisse observassent, non minori nec minus publico eum ludibrio et contemptu | exceperunt. Deindeque exceptis paucis provinciales omnes horruerunt. Adeo ut praefatus Momoniae Praeses suae *Pacatae Iberniae* pagina 92 asseveret, eum exinde Momoniensibus fuisse abominationi, sed ab omnibus adorandum nisi a fide Catholica descivisset. Quare tradit eum patrueli parum abfuisse, licet P. Dominicus a Rosario in sua relatione Geraldinorum, alique testentur hunc Desmonium ab Elizabetha constupratum sua apud domus Desmonicae clientes et alios necessarios fide effecisse ut patruelem deseruerint, quem ab omnibus pene derelictum et in caverna subterranea delitescentem Jacobus Geraldinus, communiter appellatus *Eques Albus*, ipsius agnatus, aliis sex vel septem iisque Comitatus pariter clientibus comitantibus 29 Maii 1601 cepit et praefato Praesidi tradidit, eodem anno in Angliam missum, ubi reliquos vitae dies in turri Londinensi transegit. Quo etiam | anno ad ineuntem Junium idem praeses Florentium Mac-Cartium superius nominatum, alteram causae Catholicae in Momonia columnam, contra fidem publicam quam eum Corcagiam invitaverat, cepit, et mense Augusto una cum praefato Desmonio in Angliam transvehendum curavit, ubi Florentius usque ad annum circiter 1630 in eadem turri squaluit, exinde

324

v

Pacat.
Ibern.
pag.
91.

325

325

v

permissus habere Londinum in custodiam, sed gravi obstrictus vadimonio, ibique semper constantissimus Catholicus anno 1640 decessit. Porro praefatus Desmoniae Comes Elizabethae pollicitationibus inescatus Geraldii Desmoniae Comitii filius, ubi se ab Angliis in Iberniam delusum observasset, mense Martio 1601 in Angliam remeavit et in aulam se recepit, sperans futurum ut ab Elizabetha praesertim in obsequii jam praestiti mercedem et ulterius praestandi spem in integrum restitueretur. | Verum sua expectatione frustratus paucis mensibus interjectis ibi diem obiit haud absque veneni suspitione, licet praefatus praeses asseveret nunquam extitisse qui libentiori animo reginae obsequium praestare cupierit. Caeterum Florentio in custodiam dato praefatus Donaldus Mac-Cartius in Anglos praeclare bellavit.

326

Pacat.
Ibern.
pag.
122.

(4) Praefata Anglorum artificia causae Catholicae gravem plagam inflixerunt, sed longe magis ei praejudicavit Anglo-Ibernica factio ex parte longe maxima Elizabethae sub obsequii civilis praetextu militans licet prope tota Catholica, qua omnes regni civitates et oppida, nec non ejusdem provinciam Anglicanam et alios tractus occupante, et suum clerum ex eadem petra excisum subinde consulente, illi eorum ecclesiastici in Reginae favorem respondebant, abutentes quaestione Gregorio XIII. Catholicorum Angliae nomine (si Camdeno credamus) proposita et ab eodem Pontifice soluto hunc in modum. "Petatur a Sanctissimo Domino nostro explicatio Bullae declaratoriae per Pium quintum contra Elizabetham et ei adhaerentes. Quam | Catholici cupiunt intelligi hoc modo ut obliget semper illam et haereticos, Catholicos vero nullo modo rebus sic stantibus, sed tum demum quando publica ejusdem bullae executio fieri poterit. Has praedictas gratias concessit Summus Pontifex Patribus Roberto Personio et Edmundo Campiano in Angliam profecturis die 14 Aprilis 1580, praesente Patre Oliverio Manareo Assistente." Haec Camdenus.

Camden
ad an.
1580.326
v

(5) Dixi clerum Anglo-Ibernicum inter hoc bellum suis Anglo-Ibernibus ab Elizabetha stantibus fucum fecisse, asserendo hanc Gregorii XIII. responsionem circa Angliae Catholicos datam etiam in Anglo-Ibernibus apud Iberniam locum habere. Verum tota pene Anglia haeresim amplexa erat, unde mirum non est Pontificem circa Angliae Catholicos, quibus ad haereticos bello domandos vires non suppeterent, modo praefato respondisse. Sed tota pene Iberniam fidem Catholicam retinebat, nec nisi ex nativis admodum pauci haeresim profitebantur. Quare si binae Ibernorum | partes faedus Catholicum percussissent, haereseos et

327

haereticorum jugum facillimo negotio excussissent, praesertim in hoc bello, in quo Rex Catholicus (sicut videbimus) valentissimam opem tulit, majorem laturus, si Catholici in unum corpus coaluissent. Quamobrem omnes pene Iberniae Ecclesiastici veteribus Ibernis prognati, et ex Anglo-Ibernico clero non pauci qui sane sapiebant, ab O'Nello et allis Confaederatis regni Catholicis super hoc modo consulti unanimi consensu declararunt praefatam cleri Anglo-Ibernici ab Elizabetha et fautoribus stantis responsionem in fidei et Ecclesiae perniciem redundare. Quod licet esset verissimum, ab aliis tamen adeo fuit spretum ut in sententia, etiam postea, perfracte et impie perstiterint, suosque ad eam sequendam adduxerint. Quo viso O'Nellus ad ineuntem annum 1600 cum suo exercitu ex Ultonia in Momoniam progressus, | et Mac-Cartius Magnus, nec non Desmonius, ac Dermitius Mac-Cartius Douhalliae satrapas, vulgo Mac Donochus, litteris communibus 30 Martii 1600 ad Summum Pontificem scriptis ex castris suis Catholicis: "insuper (inquiunt) desideramus ut quemadmodum faelicis recordationis Pius quintus, Pontifex Maximus, contra Reginam Angliae ejusque fautores Bullam excommunicationis ediderat. Nec non Gregorius XIII. eadem continuaverat ac vim habere in bello Geraldinorum indicavit. Similem quoque sententiam ad hoc bellum promovendum et ad faelicem exitum deducendum Sanctitas vestra emittere dignetur." Sic illi. Pacat. Ibern: pag: 176; quibus et aliis anterioribus instantiis eodem spectantibus quo pacto satisfecerit Pontifex, hic habe.

(6) *Clemens Papa 8^{us} universis et singulis venerabilibus fratribus Archiepiscopis, et praelatis, nec non dilectis filiis Principibus, Comitibus, Baronibus ac populis Regni Iberniae salutem et Apostolicam | Benedictionem.*

"Cum jam diu (sicut accepimus) vos Romanorum pontificum, praedecessorum nostrorum, ac nostris et Apostolicae Sedis cohortationibus adducti, ad vestram libertatem recuperandam, eamque adversus haereticos tuendam et conservandam, bonae memoriae Jacobo Geraldino primum, (qui durum servitutis jugum vobis ab Anglis S. Romanae Ecclesiae desertoribus impositum summo animi ardore depellere dum vixit pro viribus procuravit) deinde Joanni Geraldino, ejusdem Jacobi consobrino, et novissime dilecto filio, nobili viro Hugoni, principi O'Nello, dicto Comiti Tironiensi, Baroni Dungennaniae et Capitaneo generali exercitus Catholici in Ibernia, conjunctis animis ac viribus praesto fueritis, ac opem et auxilium praestiteritis, ipsique duces et eorum milites manu

Domini exercituum illis assistente, processu temporis, plurima egregia facinora contra hostes viriliter | pugnando praestiterint, et in posterum praestare parati sint. Nos, ut vos ac dux et milites praefati alacrius in expeditionem contra dictos haereticos opem et operam in posterum praestare studeatis, spiritualibus gratiis et favoribus vos prosequi volentes, eorundem praedecessorum nostrorum exemplo adducti, ac de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum ejus, auctoritate confisi, vobis omnibus et singulis, qui praefatum Hugonem ducem ejusque exercitum, Catholicae fidei assertores, et propugnatores sequimini, ac illis vos adjunxeritis, aut auxilio, favore, com meatibus, armis, aliisque bellicis rebus seu quacunque ratione eis ex hoc expeditione operam dederitis, ipsique Hugoni duci ejusque exercitus militibus universis et singulis, si vere paenitentes et confessi, ac etiam (si fieri poterit) sacra Communione refecti fueritis, plenariam omnium peccatorum suorum veniam et remissionem et eandem quae proficiscentibus ad bellum | contra Turcas et ad recuperationem terrae Sanctae per Romanos Pontifices concedi solita est misericorditer in Domino concedimus, non obstantibus, si opus sit, nostris decretis de non concedendis Indulgentiis ad instar ac suspensionis indulgentiarum occasione anni Iubilaei, aliisque Ordinationibus et Constitutionibus Apostolicis caeterisque contrariis quibuscunque. Verum quia difficile foret praesentes nostras ad omnium quorum interest notitiam pervenire, volumus ut earum exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis ac sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem fides ubique habeatur quae iisdem praesentibus haberetur. Datum Romae apud S. Petrum die 16 Aprilis 1600, Pontificatus nostri anno nono."

328

v

329

(7) Anglo-Ibernicus clerus pro Regina haeretica faciens, quamlibet Catholicus, hanc Clementis Octavi decisionem et indulgentias tanquam surreptitiae obtentas repudiavit. De qua re sequentem censuram eorum ineptias convellentem subdo. |

329

v

(8) "*Censura Doctorum Universitatum Salmanticae et Vallisoleti de praesenti Iberniae bello, et eorundem declaratio litterarum Sanctissimi domini nostri Clementis Papae octavi super eodem bello.*

"Illustrissimus princeps Hugo O'Nellus bellum gerit cum Angliae Regina et Anglis ob Catholicam Religionem tuendam, ut scilicet liceat illi et Ibernis libere Catholicam Religionem pro-

literi, quam libertatem vi et armis Angliae Regina conatur eripere. Duo nunc circa hoc bellum in dubium revocantur. Alterum est an liceat Catholicis Ibernicis praedicto Principi Hugoni in eo bello favere armis et quibuscunque aliis modis? Alterum an eisdem Catholicis liceat pugnare contra praefatum Principem citra mortale peccatum, et Anglis in eo bello favere armis, et quavis alia ratione? Praesertim cum si Anglis hoc auxilii negent, manifesto vitae periculo aut amittendi bona temporalia sese exponant. Et praeterea cum ipsis Catholicis Iberniae a Summo Pontifice sit permissum, ut possint praedictae Reginae Angliae obedire ac, ut legitimam Regnam tributa illi solvendo, recog-
 330 noscere, | videntur id praestare posse, quod subditorum est, pugnare scilicet adversus Reginae rebelles, qui debitam ei obedientiam negant, et terram illius ditioni subjectam usurpare videntur. Ut utrique quaestioni satisfiat tanquam certum est decipiendum, posse Romanum Pontificem fidei desertores et eos qui Catholicam Religionem oppugnant armis compellere ac coercere, cum alia ratio non suppetat tanto malo occurrendi. Est praeterea ut firmum constituendum, Angliae Regnam Catholicam Religionem oppugnare, nec permittere Ibernis Catholicam fidem publice colere, eademque de causa praedictum Principem et ante eum alios, quos Apostolicae litterae Clementis octavi commemorant, bellum adversus illam suscepisse.

(9) " His ita constitutis, facile prima quaestio expeditur. Citra quaestionem namque est, posse quoscunque Catholicos dicto Principi in praedicto bello favere, idque magno cum merito et spe maxima retributionis aeternae. Cum enim praedictus Princeps bellum gerat autoritate Summi Pontificis ob | tuendam
 330 v Religionem Catholicam, ad idque eum Pontifex per suas litteras adhortetur, et omnes Christi fideles (ut ex ejus litteris constat) atque Principi in eo bello faventes multis gratiis prosequatur, ac si bellum contra Turcas gererent, nemo jure dubitaverit et susceptum bellum justum esse et magni esse meriti pro Catholica Religione, quae omnium maximum bonum est, tuenda pugnare.

(10) " Est etiam de secunda quaestione omnino certum eos omnes Catholicos peccare mortaliter, qui Anglorum castra contra praedictum Principem sequuntur, nec posse illos aeternam salutem consequi, nec ab ullo sacerdote a suis peccatis absolvi, nisi prius respiscant ac castra Anglorum deserant. Idemque de illis censendum est qui armis et comitatibus in eo bello Anglis favent, vel quid simile tribuunt praeter ea tributa consueta, quae ex Summi Pontificis indulgentia et permissione eis licet

Reginae Angliae aut ejus exactoribus solvere. Haec assertio hac apertissima ratione confirmatur. Quoniam per litteras Summi | Pontificis satis est compertum Angliae Reginam et ejus 331
duces bellum gerere injustum contra praedictum Principem et eos qui illi favent. Cum enim Pontifex dicat Anglos adversus Catholicam Religionem pugnare eosque, non minus ac Turcas, oppugnari debere, eisdemque gratiis eos oppugnantes prosequatur quibus contra Turcas pugnantes prosequitur, quis dubitet bellum ab Anglis adversus exercitum Catholicum omnino iniquum geri? At nemini licet iniquo bello favere aut illi adesse sub paena aeternae damnationis. Peccant ergo gravissime Catholici qui in castris haereticorum contra praedictum Principem pugnant in bello aperte iniquo et injusto, et omnes qui eidem bello favent armis aut commeatibus aut quacunque alia ratione quae per se belli progressum juvent, nec possent rationem inire indifferentis obsequii.

(II) "Nec eos quicquam juvat Apostolicas litteras surreptionis notare. Surreptio enim intervenire non potest, ubi nulla narratur petitio eorum in quorum favorem expeditur. At Summus Pontifex aperte in | illis docet se, et antecessores suos sponte 331
exhortatos fuisse ad illud bellum gerendum Ibernus Principes v
ac fideles omnes, et ad eos magis provocandos magnis eos gratiis ac indulgentiis donat. Qui ergo fieri potest ut surreptitiae sint litterae, quae solam exhortationem magnis gratiis erga assistentes cumulatam continent. Nec possunt Catholici Anglis faventes rationibus in secunda quaestione adductis se tueri. Nullum enim peccatum mortale committendum est, etiamsi vita aut res familiaris amittenda sit. Ea vero, quae bellum injustum per se promovent ac juvant, exercere, aperte peccatum est mortale. Permissum est etiam Catholicis haereticae Reginae id genus obsequii praestare quod Catholicam Religionem non oppugnat. Nec fuit nec potest esse Pontificis mens ea obsequia circa Reginam eis permittere, quae aperte cum fine et scopo ipsius Pontificis de promovenda in Ibernia Catholica fide ac Religione pugnant. Hanc autem ejus esse mentem et scopum litterae ipsae apertissimae declarant. Ex quibus omnibus satis manifestum | 332
relinquitur, Illustrissimum Principem, Hugonem O'Nellum, et alios Catholicos Iberniae bellum gerentes adversus Reginam haeticam orthodoxam fidem oppugnantem nullo modo rebelles esse, neque debitam obedientiam negare aut terras Reginae injuste usurpare, quin potius justissimo bello se terramque suam ab iniqua et impia tyrannide vindicare, sacramque orthodoxam

fidem (ut Christianos ac Catholicos decet) pro viribus tueri atque defendere. Quae omnia et singula nos infrascripti ut certissima ac verissima judicamus et approbamus. Datum Salmanticae 2°. Februarii anno Domini 1603.

"*Doctores Salmanticenses* : Fr. Franciscus Zumel, Decanus Salmanticensis. Mag. Alphonsus de Curiel S. Theologiae primarius professor. Fr. Petrus de Herera. Mag. Doctor Franciscus Sancius. Fr. Dionisius Juberus. Mag. Andreas de Leon. Fr. Petrus de Ledesma. Fr. Martinus de Perca.

332 " *Doctores Theologi Vallesoletani* : Dominus Franciscus
v Sobrino, Decanus. D. Alphonsus | Vacca de Snatiago. D. Joannes Garcia de Coronel. Mag. Fr. Joannes Negron. D. Torre. Fr. Josephus de Luxan. Vallisoleti 8° Martii anno 1603.

" *Patres Societatis Jesu* : P. Joannes de Zinguenca. P. Emanuel de Roias. P. Gaspar de Mena, professores Theologiae in collegio ejusdem Societatis Salmanticensi. P. Petrus Ossorius in eodem collegio Ecclesiastes."

Hist.
Tom. 3.
Lib. 8.
f. 202.

(12) Hoc actum ex nobili, docto, et de sua Ibernica optime merito atque eximio causae Catholicae zelatore, D. Philippo O'Sullevano, transcripsi. Verum eadem censura a Patribus Societatis Jesu hic nominatis prius emanavit nempe 7° Martii 1602, idque stilo novo, sicut a Georgio Carrewo Momoniae Praeside *Pacatae Ibernicae* pag. 284 et seqq. in medium producitur. Quam tamen censuram Elizabethae in Ibernica fautores Catholici solita pervicacia atque impietate spreverunt, licet sibi non constantes in bello Catholico ad annum 1641 caepto veteribus Ibernis in haereticos coaluerint, et illud justissimum esse, | nec non Catholicorum paucos, qui haereticis studebant tanquam impios censuris terebrandos, gravissimeque puniendos censuerint. Quod ipsos atque eorum patres Elizabethae diebus se pessime gessisse demonstrat, cum arma in Elizabetham titulis longe justioribus sumpta fuerint quam in Carolum primum, in quem nedum in Parlamentarios bellum illud annum 1641 susceptum fuisse videbimus. Quam ergo justo Dei judicio successit ut nostri Anglo-Iberni, per quos steterat quominus Iberni in bellis Catholicis adversus Henricum octavum, Eduardum sextum, et Elizabetham gestis triumpharent, demum ab haereticis Anglicis, quibus tam impie militaverant, libertate spoliati, urbibus, municipiis et oppidis ejecti, possessionibus magnam partem male partis excussi, ac plerique funditus extirpati (sicut suo loco dicitur) in mercedem acceperint carnificinam, lanienam et exterminium. Sed unde digressi sumus redeamus.

333

(13) Anno 1601 Rex Catholicis opem tulit et classis Hispanica ostium portus Kinsaliae | subintravit 23 Septembris et milites 333
 exposuit. Quo viso Richardus Percius, qui oppido cum centum v
 quadraginta militibus praeerat, impar resistendo cum suis se
 Corcagiam ex jussu recepit. Hispani autem vexillis explicatis,
 et portis apertis Kinsaliam nemine resistente intrarunt. Et
 Joannes de Aquila qui ipsis praeerat, *Titulo magistri Generalis
 et ducis Regis Catholici in Dei bello pro fide tenenda in Ibernia*
scriptis editis declaravit Elizabetham Reginam Summorum
Pontificum sententiis regno esse abdicatam, subditos a fidelitatis
juramento absolutos, et se cum Regis Catholici viribus ac sub-
sidiis advenisse ut Iberniam a faucibus diaboli liberarent. Accessit
 etiam paulo post altera classis Hispanicae pars cum virium et
 subsidiorum supplemento. Itaque duae bellantium partes, altera
 Hispanis subventura, altera ipsos Regno deturbatura, ex universa
 insula in eum Momoniae angulum confluerunt. Proregis haeretici
 exercitum conflabant multa Anglorum millia audito Hispanorum
 appulsu in Iberniam transvecta, veterani | milites Anglici antea 334
 in Ibernia stipendia facientes, plures legiones et cohortes, partim
 Anglo-Ibernicae partim Ibernicae, quae sub frequenti nobilitate
 Anglo-Ibernica et sub pauculis ducibus Ibernicis proprio commodo
 contra cordis propensionem ductis Reginae castra sequebantur,
 quibus, excepta sola Kinsalia ab Hispanis occupata, omnes regni
 civitates et oppida ab Anglo-Ibernis et paucis Anglis habitata
 adhaerebant. Vires autem Catholicas fidem propugnantes
 constabant praecipuis totius regni principibus antiquo Iberniae
 sanguine regio procreatis, eorumque legionibus, et nonnullis ex
 nobilitate Anglo-Ibernica causam Catholicam generosissime sustin-
 entibus praeter militiae Hispanicae partem, quae recentius in
 insulam advenerat. Sed Reginae exercitu aliquot septimanis
 Kinsaliam atque in ea alteram Hispanorum partem obsidente et
 O'Nelli exercitu obsidionem solvere conante, post multa ab
 obsessis, obsidentibus, et obsidionem solvere conantibus non
 citra magnam animarum | fortitudinem et prudentiae militaris 334
 laudem interea gesta, demum Reginae exercitus fossis castren- v
 sibus egressus exercitum Catholicum incaute accedentem 24
 Decembris 1601 partim profligavit partim fugavit, irruente ante
 alios in vires Catholicas et nemini parcendum clamitante Richardo
 Boorko vel de Burgo Anglo-Ibernico Clanricardiae Comite, illius
 Clanricardii, a quo Joannem fratrem ad annum 1583 trucidatum
 fuisse vidimus, de causa pariter Catholica pessime meriti et paulo
 ante vita defuncti filio, nec non alterius Clanricardii, qui inter
 bellum anno 1641 fidei causa caeptum patrissasse videbimus,

patre tametsi Catholico. Denique obsessi conditionibus 2^a
 Januarii 1602 utrinque conclusis Kinsaliam et vicina aliquot
 castella ipsis ab Ibernis dynastis ex causae Catholicae zelo antea
 in potestatem permissa proregi haeretico dediderunt, et eorum
 reliquiae in Hispaniam remearunt, quo toto anno bellum in
 335 Iberniam continuatum est, sed demum | Elizabethae morte, quae
 in diem 24 Martii ann. 1603 incidit, finitum, succedente Rege
 Jacobo, qui ab Ibernis eo libentius in Regem agnitus quod ex
 antiquissimis Iberniae Regibus descenderit, amnestiae acto
 etiam ad Tironium extenso, et aliis actis circa nostratium pos-
 sessiones in securo ponendas editis, ita Iberniam paci et pacem
 Iberniae restituit ut sub ipso, nec unquam prius, veteres Iberni
 et Anglo-Iberni in unam nationem coaluerint abrogato anti-
 quissimo Ibernorum Jure, et substituta in ejus locum municipali
 Anglo-Ibernorum atque Anglorum lege, sed nunquam a priscis
 Ibernis recepta, nedum ab initio eorum suffragiis condita,
 secundum illam partem statutorum schismaticorum et haere-
 ticornum, quae sub Henrico octavo, Eduardo sexto et Regina
 Elizabetha lata fuisse vidimus. Quo non obstante Rex Jacobus
 ita ad primos regni sui annos ex prudentia politica concitandae
 in Ibernos persecutionis animum suspendit, ut exinde sangu-
 335 inarias retro principum haereticorum, | praesertim Elizabethae,
 v leges in nostrates executioni mandandas curarit, et toto conatu
 operam dederit ut haeresis fide Catholica extirpata per totam
 Iberniam propagaretur, non solum veteribus Ibernis, sed etiam
 Anglo-Ibernis etiam iis qui cum suis majoribus nedum anteri-
 oribus Angliae Regibus Catholicis, sed et ab Henrico octavo,
 Eduardo sexto, et Elizabetha in aborigines steterant, crudelissime
 divexatis, quae tamen binae Ibernorum partes in illa fornace
 Babylonica tantam exercuerunt constantiam ut vix millesimus
 quisque haereticorum synagogas frequentarit, et eorum ipsorum
 paucissimi fuerint qui corde fidem non retinuerint, proindeque
 in vitae progressu vel saltem ante mortem non resipuerint. Porro
 hac saevissima persecutione factum ut Ibernorum plurimi ad
 336 extremam egestatem redacti vincula, carceres, exilia et alias
 aerumnas fidei causa tolerarint. | Tironius hanc recrudescentem
 haereseos tyrannidem aegre ferens clandestina (inquiunt) cum
 nonnullis magnatibus Catholicis ad Dubliniense castrum intercipi-
 endum et fidem Catholicam iterato bello vindicandam consilia
 iniit. Verum his ad proregem haeticum occulte delatis, ille
 quoque delata fuisse rescivit, et mox ineunte Septembri anno
 1607 in continentem navigavit, comitante praeclarissimo Regiae

et antiquissimae familiae suae principe, O'Donello, (quem Rex Jacobus Tirconalliae, aviti principatus, Comitem nominaverat) Tironiae Comitissa, tribus Tironii filiis, Arto O'Nello, Tironii per fratrem nepote, Caffero O'Donello, Tirconallii fratre, et ipsius Tirconallii ex Kildariae Comitis filia sibi nupta unico, eoque vix anniculo filiolo, cum aliis compluribus inferioris quidem, sed magnae notae nobilibus, utriusque sexus agnatis, cognatis et clientibus. Qua nobilissima exulum Catholicorum caterva stipati Tironius et Tirconallius in Galliam trajecerunt, | exindeque in 336
v Flandriam se receperunt, per civitates Belgicas principum instar maximis honoribus excepti, et mox Romam profecti, ubi vitam pie transactam finierunt, Tirconallius quidem paulo post, sed Tironus 20 Julii anno Christi 1616 et aetatis suae 66^o, quorum vastissima patrimonia a tribus circiter annorum millibus haereditaria Rex Jacobus Scoticis Calvinistis et haereticis Anglicis concessit, ut Ultonia, antea semper fidei bellona, postea evaserit coloniarum heterodoxarum sentina.

(14) Jacobo fatis functo ad regni clavum sedit filius, Rex Carolus, quo regnante persecutio in Ibernica ita deferbuit ut Catholicis intra privatos parietes suae religionis functiones exercere plerumque licuerit. Porro utroque Rege regnante multorum magnatum et nobilium Ibernorum, praesertim aboriginum, patrimonia *ex ratione status* ipsis extorta, et in colonias haereticas ex Anglia Scotiaque advectas distributa, millenaeque aliae ex-cogitatae fuere artes, quibus natio Ibernica et cum | natione 337 fides paulatim extirparetur, et insula sectariis ex Anglia Scotiaque catervatim confluentibus (quorum tamen haud pauci in Ibernica ad fidem conversi sunt) in praedam cederet, quae corruptelae et violentum Strafordiae Comitis proregis regimen anno 1635, exindeque viam straverunt ad Confaederatorum Ibernicae Catholicorum bellum anno 1641 caeptum, de quo imposterum agemus.

(15) Guillelmus Laudus, pseudo-Archiepiscopus Cantuariensis, sibi nomen facturus et alias haereticorum, praesertim Puritanorum, Independentium, et Brounistarum sectas a sua differentes ac nimium in Anglia excrescentes depressurus, Regi Carolo primo author fuit ut novum Liturgiae librum anno 1637 in Scotiam mitteret in Puritanorum ibi templis legendum. Quo factum ut orto in Scotia tumultum missi fuerint ex eo regno ad Regem, qui eum orarent ut suum illud mandatum revocaret, Rege autem immoto suumque mandatum renovante, et ut omnes Edinburgo, Scotiae Metropoli, qui istuc tumultuandi causa confluerant, statim discederent, per edictum jubente, haec omnia in tantum

337 nihil profecerunt ut etiam seditiosorum | numerum auxerint.
 v Qui consiliarios regios Edinburgi rogant ut Regis animum de hac
 re iterum tentent, interea multum pseudo-Episcopos suos ut
 innovationis hujus reos criminantur. Rex autem consiliarios
 vetuit petitiones eorum accipere et per Comitem Traquarium
 in Scotiam missum, Sterlini in eo regno edictum promulgavit,
 declarans pseudo-Episcopos quoad librum hunc innocentes, se
 totius rei authorem ipsorumque actiones esse seditiosas, et ni
 quiescerent ac acquiescerent secundum legem puniendas. Contra
 quod edictum Scotiae nobiles cum ministellis Calvinisticis
 aliisque protestantur, suosque conventus ut legitimos defendunt,
 et in impuri Puritanismi sui propugnationem ac nedum fidei
 Catholici, sed etiam sectarum haereticarum a Calvinismo aliarum
 extirpationem faedus solemne blasphemiis horrendis plenissimum
 inter se sanciunt Anglo-Scotica lingua editum, atque ab ipsis
 (credo) ut Calvinistis exteris communicaretur latine redditum
 verbis a me juxta ipsum actum vernaculum correctis.

(16) *Confessio Fidei Ecclesiae Scoticae.*

338 “Regis chirographo et ab ejus familia primum anno Domini
 1581, postmodum ab omnium ordinum Regni | civibus anno 1581
 ex Senatus consulto et Synodi nationalis statutis approbata, cui
 denovo subscripserunt omnis conditionis cives anno 1590 ex novo
 Senatus consulto postulante id Synodo nationali. Addito insuper
 communi faedere de vera Religione et Majestate regia tuenda,
 quam denique hoc anno 1638 Nos, Proceres, Barones, reliquique
 nobiles, urbium municipes, verbi Dei praecones, aliique regni
 cives chirographis consignavimus una cum firmo nostri animi
 proposito, pacto, promissoque (propter rationum quae suo loco
 memorabuntur momenta) purioris Religionis et Majestatis regiae
 propugnandae ad ejusdem confessionis et sanctionum regni prae-
 scriptum. Cujus faederis formula hic sequitur.

338 (17) “Nos universi et singuli subscribentes profiteamur, post-
 quam de Religionis controversiis diu multumque apud nos deliber-
 atum esset, cunctis ad Lydium veritatis divinae lapidem accuratus
 v examinatis, in veritatis certa persuasione per Dei verbum et
 Spiritum Sanctum animos nostros acquiescere. Ideoque corde
 credimus, ore confitemur, consignatis chirographis testamur et
 constanter asserimus, Deo teste invocato, et universo genere
 humano in conscientiam appellato, hanc unicam | esse fidem et
 Religionem Christianam Deo acceptam hominique salutarem,
 quae nunc ex immensa Dei misericordia per Evangelii prae-
 dicationem mundo patefacta a multis Ecclesiis gentibusque

clarissimis, praesertim ab Ecclesia Scotica, Rege nostro serenissimo, tribusque Regni hujus ordinibus ut aeterna Dei veritas et unicum salutis nostrae fundamentum recepta, credita et propagata est, explicata etiam uberius in *Fidei confessione*, plurimis comitiorum publicorum actis confirmata, Regisque serenissimi et universorum hujus regni civium publica multorum jam annorum professione approbata, cui nos *Confessioni*, cultusque Divinae formulae ut veritati Divinae certissima sacrarum litterarum autoritate subnixae libentissimis animis in singulis assentimur, omniaque adeo contraria Religionis dogmata aversamur, praesertim vero papismum universum et singula ejus capita, quemadmodum hodie Dei verbo confutata, et ab Ecclesia Scotica damnata sunt. Nominatim detestamur Antichristi illius Romani in sacras scripturas, in Ecclesias, in magistratum politicum, in hominum conscientias sacrilege vendicatam auctoritatem, nefarias omnes de rebus adiaphoris leges libertati nostrae Christianae derogantes, impium de sacrarum litterarum, de legis, de officii Christi, de Beati Evangelii imperfectione dogma, perversam de peccato | originali, de naturae nostrae impotentia et in legem divinam contumacia, de justificatione per solam fidem, de imperfecta nostra sanctificatione et obedientia legi praestanda, de sacramentorum natura, numero et usu doctrinam; quinque ejus adulterina Sacramenta, omnesque ritus, ceremonias falsasque traditiones genuinorum Sacramentorum administrationi citra verbi divini auctoritatem accumulatas, crudelem ejus de infantibus sententiam ante baptismum morte praereptis, districtam ejus et absolutam baptismi necessitatem, blasphemam ejus de transubstantiatione et reali praesentia Corporis Christi sub speciebus, cujus etiam impii fiant participes, et de orali ejusdem manducatione doctrinam, ejus dispensationes in juramentis solemnibus et perjuriis, nec non gradibus matrimonialibus Dei verbo interdictis, ejus crudelitatem in innocentes divortio separatos, ejus diabolicam Missam, sacrilegum sacerdotium, abominandum pro vivorum mortuorumque peccatis sacrificium, hominum Canonizationem, Angelorum et Sanctorum defunctorum invocationem, imaginum, Reliquiarum et Crucis venerationem, in creaturarum honorem dicata fana, altariaque, dies sacratos, vota nuncupata, ejus purgatorium, pro defunctis deprecationem, ignotae linguae in precibus sacrisque usum; ejus solemnes supplicationes, blasphemae litanias, et intercessorum seu mediatorum multitudinem, ordinum | Ecclesiasticorum multiplicem varietatem, confessionem auricularem, desperatam et incertam paenitentiam, generalem et ancipitem fidem, peccatorum per satisfactiones humanas ex-

indifferentibus.

339

339

v

piationem, justificationem ex operibus, opus operatum, opera supererogatoria, merita, indulgentias, peregrinationes et stationes, ejus aquam lustralem, campanarum baptismationem, demoniacorum exorcismos, bonas Dei creaturas cruce obsignandi, lustrandi, ungendi, conjurandi et consecrandi ritum, mundanam ejus Monarchiam et sceleratam Hierarchiam, tria vota solemnia, multiplices tonsuras, erronea et sanguinaria Concilii Tridentini decreta, omnesque illius crudelis et cruentae congregationis in Christi Ecclesiam conjuratae subscriptores et approbatores. Denique detestamur omnes ejus inanes allegorias, ritus, signa et traditiones obtrusas Ecclesiae praeter aut contra Dei verbum et doctrinam hujus Ecclesiae vere reformatae, cui in doctrinae capitibus, fide, Religione, disciplina et usu Sacramentorum ut viva illius, sub Christo, capite nostro, membra nosmetipsos libenter aggregamus, promittentes, et Domini Dei nostri nomen jurantes nos in hujus Ecclesiae doctrina et disciplina observanda constanter perseveraturos, eamque pro cujusque vocatione ac viribus omnibus vitae diebus defensuros sub paena omnium in
 340 lege contentarum maledictionum, aeternique cum animae, | tum corporis exitii periculo in tremendo illo Dei judicio.

(18) "Cumque sciamus non paucos a Sathana et Antichristo illo Romano subornatos promissionibus, subscriptionibus et juramentis se obstringere, et in usu sacramentorum cum Ecclesia ad tempus subdole contra conscientiam communicare, versute constituentes obtento interim Religionis velo verum Dei cultum adulterare, clanculum et per cuniculos labefactare, ac tandem per occasionem apertis inimicitiis oppugnare, vana spe proposita veniae dandae a Papa, cujus rei potestatem contra Dei verbum sibi arrogat ipsi perniciosam et illis in die Christi Jesu futuram magis exitiosam. Nos igitur, omnem hypocrisis atque ejusmodi simulationis erga Deum ejusque Ecclesiam suspicionem amoliri cupientes, protestamur et cordium omnium scrutatorem attestamus huic nostrae confessioni, promissioni, juramento et subscriptioni animos nostros usquequaque respondere, nullique rerum terrestrium momento, sed indubia et certa notitia ex amore veritatis divinae per Spiritum Sanctum in cordibus nostris inscriptae, ad eam nos inductos ita Deum propitium habeamus eo die quo cordium omnium arcana palam fierit.

340 (19) "Cum vero nobis constet, per eximiam Dei gratiam huic
 v regno praefectum esse Regem nostrum | serenissimum ad Ecclesiam in eo conservandam et justitiam nobis administrandam, cujus incolumitate et bono exemplo secundum Deum Religionis

et Ecclesiae tranquillitas ac securitas nitatur, sancte ex animo, eodem adacti sacramento, eademque paena proposita pollicemur et consignatis chirographis promittimus, sacratissimi Regis nostri incolumitatem et auctoritatem in sancto Christi Evangelio defendendo, in libertate patriae asserenda, in justitia adminis- tranda, in improbis puniendis, adversus hostes quoscumque sive domesticos sive externos, quovis etiam bonorum et vitae discrimine a nobis constanter propugnandum. Ita Deum nostrum optimum, maximum, potentem et propitium conservatorem habeamus in mortis articulo et adventu Domini Nostri Jesu Christi, cui cum Patre et Spiritu Sancto sit omnis honos et gloria in aeternum. Quin etiam complura publicorum regni nostri comitiorum seu Parlamenti (ut vocant) statuta in universum quascunque leges, senatus consulta, constitutiones canonicas, civiles et municipales, cuncta denique placita, instituta et paenarum irrogationes, quibus verae Religioni ejusque professoribus, aut verae Ecclesiae ejusdem disciplinae, jurisdictioni et libertati praejudicium fiat, aut quae idolatriae et superstitioni, aut | Ecclesiae Romanae 341 patrocinentur, antiquant, abrogant et irrita esse jubent, ut lex 3^a et lex 31^a Parlamenti 1. l. 23. p. 11., l. 114. p. 12. Jacobi sexti omnemque Papismum et superstitionem funditus extirpari jubent, ex sententia statutorum conventus ordinem memorata lege 5. p. 20. Jacobi sexti. Atque adeo in Papistas omnes et sacrificulos, tanquam verae Religionis in Ecclesiis hujus regni legibus constitutae hostes, multis paenis qua civilibus, qua Ecclesiasticis animadverti jubent, l. 24. p. 11. Jacobi sexti, imo tanquam omnis regiminis Christiani hostes publicos l. 18. p. 16. Jacobi sexti et ut perduelles et serenissimi Regis nostri auctoritatem impug- nantes l. 47. p. 3, et ut idololatrias l. 10. p. 7. Jacobi sexti, praeterea et ipsa fidei confessio et complures praeterea leges nominatim Pontificis Romani auctoritatem et jurisdictionem damnant, et ex hoc Regno prorsus eliminant, ejusque propugnatores paenis coerceri jubent l. 2. p. i. l. 51. p. 3. l. 106. p. 7 l. 114. p. 12. Jacobi sexti, haeticam Papae doctrinam, omnesque in doctrina errores, verae Christianae Fidei publice apud nos receptae et legibus constitutae vel minimo in apice repugnantes damnantes damnant, simulque in ejus generis librorum, schedi- asmatum, elucubrationum, epistolarum, | scriptorumque quorum- 341 libet autores et disseminatores animadverti jubent l. 46. p. 3. v l. 106. p. 7. l. 24. p. 2. Jacobi sexti, baptismationem omnem secundum Ecclesiae Papisticae ritus et missae idolatriam damnant, omnes Missificos, Missaeque Ultroneos auditores, et

quicumque sacrificulos, Jesuitas, negotiatores Romanos clam
fovent, auxilio juvant, tectoque excipiunt nulla exceptione facta,
paenis multari jubent l. 5. p. 1. l. 120. p. 12. l. 164. p. 13. l. 193.
p. 14. l. 1. p. 19. l. 5. p. 20. Jacobi sexti. Omnes item libros,
omniaque scripta damnant errores in doctrina contra veritatem
Religionis publice receptae aut superstitiones, ritus, ceremoniasve
Pontificias complectentia, quibus mirifice populus effascinantur,
gravesque paenas in eorundem importatores irrogant l. 25. p. 11.
Jacobi sexti. Superiorum quoque temporum idolatriae monu-
menta et vestigia damnant, ut cruces invisendi, sanctorumque
ferias celebrandi pravam consuetudinem, hujusque generis ritus
Papisticos superstitionem redolentes, quibus honori divino
derogatur, vera Religio contemptui habetur, et graves in plebe
foventur | errores. In horum superstitionum crimen si quis
342 iterato relabatur, eadem illa paena statuitur, quae idololatriis l.
104 Parl. 7. Jacobi sexti permultis etiam conventus publici
statutis Religionis vere Christianae conservationi, ejusque in
doctrina et sacramentis puritati consulitur, Ecclesiae quoque
prospicitur libertati in synodis nationalibus et provincialibus,
Praesbyteriis, consistoriis Parochianis, totaque politica disciplina
et jurisdictione uti haec Religionis puritas et Ecclesiae libertas
usu recepta fuit exercitio confirmata, verbo praedicata et pro-
fessione declarata ad praescriptum reformatae Religionis in
regno Scotiae, ut constat l. 99. p. 7. l. 23. p. 11. l. 114. p. 12.
l. 166. p. 13. Jacobi sexti, quae etiam confirmantur l. 4. seren-
issimi Regis nostri, Caroli, ita ut lex 6. p. 1. et l. 68. p. 6. Jacobi
sexti in anno 1579 veram et sanctam Jesu Christi in hoc regno
Ecclesiam definiant esse beati Evangelii ministros a Deo tum
excitados aut postea etiam excitandos, cum iis qui tum viverent
in doctrina et sacramentorum administratione consentientes una
cum populo Christum, uti tum per Evangelium offerebatur,
342 profitente, et in usu | sacramentorum secundum ritus in Ecclesia
v reformata hujus regni tum receptos, et doctrinam in confessione
Fidei comprehensam, communicante. Omnesque adeo a societate
hujus Ecclesiae et verae Religionis publice receptae excludant,
quicumque vel evangelii doctrinae publice approbatae explicatae-
que Fidei confessione in conventu publico anni 1560 omnium
ordinum professione confirmata et in acta primi Parlamenti relata,
quamque sexti huius Parlamenti autoritas ratam esse jubet,
contradicunt, vel usum Sacramentorum, quibus tum ritibus
celebrabantur, respuunt, quamdiu in ea secessione persistunt.
Quin et ea quae sequitur, lex 69. parlam. 6. Jacobi sexti nullam

aliam Ecclesiae aut Religionis faciem agnoscendam esse pronun-
 ciat, quam quae illo tempore per Dei bonitatem in hoc regno
 constituta fuerat, quae propterea verae, divinae, Christianae et
 absolutae Religionis elogiis constanter insignitur, ad cujus pro-
 fessionem omnes hujus regni cives permultis comitiorum publi-
 corum legibus obstringuntur, omnesque ejus articulos, ipsamque
 adeo fidei confessionem chirographis approbare, erroresque omnes
 et | doctrinas iisdem articulis repugnantes eierare tenentur l. 49. 343
 p. 1. ll. 45. 46. et 47. p. 3. l. 71. p. 6. l. 106. p. 7. l. 24. p. 11. l. 123.
 p. 12. ll. 194. et 197. p. 14. Jacobi sexti, omnibusque provinciarum
 praefectis aliisque magistratibus imperatur ut cunctos secus
 facientes investigent comprehendant, et paenis afficiant l. 5.
 p. 1. l. 104. p. 7. l. 25. p. 11. Jacobi sexti, nulla habita ratione
 privilegii a Rege in contrarium impetrati cujusmodi privilegiis
 qua exercendis in papistas et sincerioris religionis adversarios legum
 sanctionibus ullatenus praejudicant, fides omnis et robur abrogatur
 l. 106. p. 7. Jacobi sexti e contra l. 47. p. 3. Jacobi sexti purioris
 religionis divinae et sacrae auctoritatis regiae causam arctissimis
 vinculis ita complicatam pronunciat ut utriusque semper damna
 sint communia, adeoque neminem fidem et religionem instauratam
 non confitentem et publice profitentem fidelem civem et auctoritati
 regiae obsequentem esse, sed perduellionis supplicio teneri Omnes
 etiam in apostasiam prolapsos ad fidei confessionem revertentes
 perseverantiam deinceps in eadem fide auctoritatis regiae prop-
 gnationem, verosque evangelii ministros et professores adversus
 inimicos quosunque et oppugnatores | tuendi et pro cujusque 343
 viribus adjuvandi studium promittere jubet, nominatim adversus
 omnes cujuscunque demum nationis, conditionis et ordinis,
 Tridentinae conjurationis socios, omnesque qui sanguinaria illius
 Concilii decreta adversus evangelii professores exequi conabuntur,
 aut ad ea exequenda auxilium conferent. Quae sane lex totidem
 omnino verbis reponitur in capitibus pacificationis Perthensis 23
 Februarii 1572 (quam quidem pacificationem comitia ultimi
 Aprilis 1573 approbarunt, comitia anni 1587 ratam esse jusserunt,
 quamque etiam lex 123. p. 12. Jacobi sexti commemorat) addita
 clausula, quae cives cunctos teneri asserit omni perduellioni et
 hostili adversus puriorem Religionem ejusque professores aut
 regiam auctoritatem molitioni resistere.

(20) "Pariter etiam cives omnes serenissimi Regis incolumi-
 tatem et auctoritatem defendere tenentur, uti et auctoritatem
 supremi ordinum conventus, sine qua neque ulla lex potest
 constitui, neque legitimi Judicii forum l. 130. et 131. p. 8 Jacobi

344

sexti tenentur et civium tueri libertatem, qui non alio jure vitam instituere, non alio gubernari | debent, quam sanctionibus regiis seu publicis Regni legibus l. 47 p. 3 Jacobi primi, l. 79 p. 6 Jacobi quarti, quae sanctio repetitur l. 131 p. 8 Jacobi sexti. Quod si publicae leges et libertates induentur, si quid iis derogetur, delegatio data de uniendis Scotiae Angliaeque regnis quae unica fuit sanctio Parlamenti 17 Jacobi sexti tantam verum perturbationem orituram pronunciat, ut omnis liberae Monarchiae ratio in hoc regno penitus tollatur, quippe quod fundamentalibus hujus regni legibus, antiquis privilegiis, muneribus publicis et immunitatibus, non majestas tantum et autoritas stirpis regiae per tot saecula conservata fuerit, sed et populo quoque praedium, possessionum, munerum, libertatis, dignitatis, omniumque fortunarum jura sarta tecta permanserint. Ut ergo sinceræ Religioni legibus et libertati hujus regni sua constet integritas lege 8^a p. 1, repetita l. 99 p. 77, approbata l. 23 p. 11 et l. 114 p. 12 Jacobi sexti, et l. 4 Regis Caroli statutum est ut reges omnes imperium ineuntes in diadematis et imperii susceptione sancto et interposito juramento religiose promittant, Deo | aeterno teste invocato, se per omnem vitam Deo ex verbi sui praescripto pro viribus inservituros, nec non ad ejusdem verbi normam sinceram religionem Christianam, verbi divini praedicationem, genuinam sacramentorum administrationem, uti tum in usu confessioni Fidei ab Ecclesia Scotica receptae consentaneam, conservaturos, omnesque doctrinae errores huic Fidei repugnantes abolituros, populumque suae fidei commissum ex Dei voluntate per verbum patefacta et receptis in hac Republica legibus et institutis verbo Dei non repugnantibus gubernaturos, omnique studio conaturos ut Ecclesia Dei et populus Christianus sincera et firma pace deinceps fruatur, omnesque haeretici et purioris Religionis hostes pravitatis istius nomine ab Ecclesia vera damnati e ditionibus suis eliminentur. Quod a serenissimo nostro Rege, Carolo, regni hujus diadema suscipiente praestitum fuit Edimburgi anno 1633, ut ex coronationis formula constat.

344
v

345

(21) "Quod ergo Deus Opt. Max. praecepit, quod superioribus temporibus pii factitarunt, quod exemplo laudatissimo nobis praemonstrarunt majores nostri | sinceræ Religionis studiosi, multique etiamnum superstites senatus consulti insuper auctoritate nixi omnibus hujus regni civibus mandantis ut communibus syngraphi tabulis consignatis universi cujuscunque demum ordinis aut conditionis mutuum faedus paciscantur, quod duabus de causis initum fuit. Altera erat asserendae verae Religionis

ergo uti a corruptelis omnibus tum vindicatae atque explicatae in Fidei confessione, de qua supra, aliaque insuper prolixiori confessione, quam cum pluribus sanctionibus tum Ecclesiae conventus nationales tum ordinum regni comitia confirmarunt, quam Catechismi publici enarrant, quam a multis annis Deo caelitus benedicente pastores promulgarunt, regnique cives universi et indubiam Dei veritatem una verbi divini autoritate suffultum suo testimonio confirmarunt. Causa altera fuit, ut serenissimi Regis incolumitas et autoritas illaesa conservaretur, cum ea sit purioris cultus divini et Majestatis regiae arctissima conjunctio ut una consistent et corruant, communesque sint utriusque hostes et amici. Denique quod nobis conscientia dictitat et ore confitemur, Nos et posteros | omnes ad nationale hoc jusjurandum et faedus inviolabile conservandum obstringi. Nos subscribentes regni Scotiae proceres, Barones, reliquique nobiles, urbium municipes, verbi Dei praecones, alique regni cives, agnoscentes quantopere cum alias saepe numero tum praesertim hac tempestate periclitetur Religionis puritas, regiae Majestatis dignitas, et publica hujus regni tranquillitas ex multis variisque innovationibus et malis, de quibus cum in genere tum nominatim per libellos supplices et protestationes nuper questi sumus, per praesentes profiteamur, Deo teste invocato, et beatis Angelis ac universo genere humano conscio palam declaramus nos concordi omnium sententia ex animo statuere verae huic Religioni ad extremum usque spiritum constanter adhaerere, eamque pro virili propugnare, quaeque in rebus ad cultum divinum pertinentibus jam novata sunt, una cum corruptelis Ecclesiastici regiminis et Ecclesiasticorum in civilibus potestate et magistratum nulla ratione approbare, donec liberis synodorum et comitiorum regni judiciis examinata et probata fuerint, omnique licito | conatu et molimine ut pristina Religionis nostrae puritas et libertas, quae ante supradictas innovationes ege constituta et publica professione recepta fuerat, recuperetur operam dare, cumque diu multumque rationum momentis examinatis et perpensis exploratum nobis sit innovationes antea memoratas, de quibus supplices questi et protestati sumus, nulla verbi divini autoritate niti, supradictis confessionibus earumque doctrinae repugnare, Religionis apud nos instauratorum sententiae et supra positae comitiorum legibus adversari; ad Papistam et Religionem et tyrannidem postliminio restituendam, ad veram reformatam Religionem subvertendam, ad nostram libertatem, fortunas, regnique leges evertendas manifesto gradum

345
v

346

facere, declaramus universi supradictis confessionibus non minus
 damnari innovationes omnes antea memoratas et mala in Eccle-
 siam introducta, quam si singula diserte in iisdem expressa
 fuissent, nosque pariter ab iis abhorretere teneri, atque a caeteris
 Papismi capitibus ibidem eieratis. Quamobrem conscientia
 officii nostri erga Deum, Regem et Patriam permoti, nullo ad
 346 hoc inducti rerum terrestrium illicio, quantum | humana fert
 v infirmitas Deo propterea ad uberiores gratias assequendam
 precibus interpellato, sancte pollicemur et verendum Domini Dei
 nostri nomen juramus, nos ad extremum vitae halitum in
 purioris hujusce Religionis professione et obedientia constanter
 perseveraturos, pro ejus defensione staturos, omnemque cor-
 ruptelam omnesque errores illi adversantes unumquemque pro
 muneris sui conditione totis viribus fortiter oppugnaturus. Eadem
 quoque animi sinceritate Deum hominesque testamur tantum
 abesse nos ab omni consilio aut voluntate quidpiam adversus
 Dei gloriam Regiaeve Majestatis amplitudinem et auctoritatem
 moliendi, ut e contra polliceamur et sancte juremus omnibus
 viribus, etiam quovis bonorum et vitae discrimine, augustissimi
 Regis nostri incolumitatem et auctoritatem in Religionis puritate
 et patriae nostrae libertate ac legibus asserendis et conservandis
 nos propugnaturus, atque in hac causa religionis et supradictae
 auctoritatis Regiae defendendae mutuam auxilium adversus
 quoscunque adversarios communicatis viribus, consiliis ac opibus
 347 invicem allaturos, ita ut quicquid in hac causa adversus ullum
 nostrum | designabitur, id perinde habeamus, ac si in universos
 et singulos designatum foret. Denique in beati hujus faederis
 societate nos ea fide et constantia perstituros, ut nemo omnium
 ullis artibus, ullis illecebris aut terroribus recta vel obliqua ab eae
 divelli patiatur, aut communia consilia in tam honesta causa
 prosequenda ullis objectis impedimentis remoretur, sed e contra
 ad eam quisque promovendam omni honesto studio incumbat,
 quod si quo consilio sive coram sive per litteras ad societatis
 hujus desertionem quispiam nostrum sollicitabitur, illud, si fieri
 potest, in ipso ortu extincturos ne ad alios pertingat, aut si res
 postulet, ad publicam deliberationem statim relatu-
 ros, ut mature obviam eatur. Neque est quod nos perduellionis, conjurationis
 aut alia ad genus probra et convicia deterreant (quibus nos
 infamare adversariorum improbitas et versutia conabitur) cum
 ad haec consilia justissimis causis descenderimus, et firmissimis
 nixi rationibus serio praesertim studio purioris cultus divini,
 Majestatis Regiae et tranquillitatis publicae conservandae impulsi,

ut faelicitate publica et ipsi et posteri fruamur. Cumque sperare non liceat consilia nostra et conatus secundaturum Deum, si ad professionem et faederis consignationem ea non accedat vitae et probitas et integritas, quae Christianos | deceat faederis cum Deo instaurati reos sancte cum nostro ipsorum tum familiarum et clientium nomine pollicemur, qua publice in propria quemque familia, qua privatim in sua persona, singulos omni studio advigilatu- 347
 ros ut intra Christianae libertatis limites quisque se contineat, aliisque pietatis, temperantiae et iustitiae omniumque officiorum erga Deum hominemque exemplo praeluceat. Denique ut conjunctionis huius vinculum religiose conservetur, Deum im- mortalem cordium nostrorum scrutatorem, nobis testem appel- lamus, qui hoc esse novit sincerum nostrum propositum et veram animi sententiam. Ita Domino nostro Jesu Christo acceptae sint rationes nostrae in tremendo iudicio, quod si huic faederi non steterimus iram Dei sempiternam in futura vita, atque in hoc saeculo infamiam nobis imprecamur. Supplicissimis interim votis Deum obtestamur ut ad hæc praestanda Spiritu suo Sancto nos confirmet studia et incepta nostra faelici exitu atque omni benedictionum genere accumulare dignetur, ut in patria hac nostra religio vigeat et iustitia, idque in Dei gloriam, Regis nostri honorem, publicamque omnium pacem et solatium. In quorum omnium fidem appositis | chirographis ista *consigna-* 348
vimus " Hactenus illud faedus millies execrabile.

(22) Rex haereticum, ipsique Monarchiae intus et in cute exitiale faedus haec, quod praesbyterianum, puritanicum, Calvinisticum et Scoticum per vices vocitatur, damnat. Sustinent Scoti, cum quibus Marchio Hamiltonus ut Regis delegatus, incas- sum agit, ut omnis impietatis et rebellionis pleno faederi re- nuncient. Edictum tamen Regis promulgat. Quo ad publicam illius libri lectionem se non coacturum palam facit. Verum nec hoc, nec Parlamenti synodique celebrandae potestate eodem edicto facta, nec aliis favoribus Calvinistarum rabiem sedavit. Deinde Hamiltonus una aestate bis in Angliam ad Regem profectus, demum mense Novembri ex Regis edicto Glascuae in Scotia Nationalem Calvinistarum synodum convocavit. Quam tamen intra septem dies dissolvit, asserens seditiosos illos tam in electionum forma, quam in variis negotiis et transactionibus durante sessione in synodi liberae leges peccasse. Contra quam dissolutionem Scoti protestantur. Pseudo-Synodum producunt. Decreta ad suae rebellionis scopum quadrantia condunt. Dein-

348 deque | synodo dissoluta declarationem suis fratribus praesbyter-
 v ianīs Anglicis in Angliam mittendam edunt, qua quaesitis undique
 coloribus suam rebellionem palliant, et eosdem ad similen
 seditionem disponunt.

(23) Rex Scotis succensens, in eos edictum promulgat quod in
 templis per totam Angliam legi jubet. Magno quoque cum
 exercitu in eos movet ; Scoti pariter ad arma velocissime recurrunt.
 Arces, castella et oppida munita occupant. Fidei in Regem
 intemeratae suspectos exarmant, reique militari Alexandrum
 Leslaeum praeficiunt. Non tamen ad manus ventum est, sed
 ad colloquium et pacificationem 18 Junii 1639 promulgatam,
 qua factum ut utroque exercitu dimisso, Rex Scotis conciliabuli
 nationalis in diem sequentis Augusti sextam et Parlamenti in
 diem ejusdem mensis 24^m incidendi potestatem fecerit, Anglique
 et Scoti domum redierint. Verum Rege Londinum reverso
 simultates recruderunt, usqueadeo ut instrumentum, in quo
 veras pacis conditiones contineri Scoti affirmabant, Rex velut
 349 falsam repudiarit, et | ex edicto publico cornificis manu comburi
 jusserit, bellumque in Scotos redintegrandum statuerit. Cujus
 nervum ut sibi compararet initio Decembris 1639 suum privati
 concilii proceribus animum aperuit, statuisse scilicet se Parla-
 mentum in Anglia indicere sequenti Aprili an. 1640 incipiendum,
 Comitem quoque Strafordiae, proregem Iberniae, in eam insulam
 ex Anglia misit, qui ordinum conventum ibi indicturus subsidium
 exigeret. Quod Iberniae Catholici magna bonorum profusione
 et animi alacritate ita Regi decreverunt, ut ad rebelles Scotos
 armata manu aggrediendos se offerent paratissimos.

(24) Hic operae pretium esse duxi Catholicorum Angliae tunc
 statum tangere, inter quos ab aliquot retro annis turbulentissima
 coorta fuit discordiarum procella, quod illo destinatus episcopus
 Calcedonensis natione Anglus, et solus ex utroque Angliae Scoti-
 aequae regno in Magna Britannia dignitate episcopali fulgens, a
 multis quidem sacerdotibus saecularibus ad suam Provinciam
 Episcopalem obeundem admitteretur, ab aliis vero, nominatim
 a religiosis Missionariis, ac potissimum a Patribus Jesuitis ipsi
 349 resisteretur. Haec discordia adeo spissa et spinosa fuit, ut
 v partes | libris in lucem editis digladiatae sint, rationum momentis
 utrinque in medium productis, et Angliae laicis Catholicis pari
 mensura inter se divisus, quia cleri Anglicani partes varie
 sequentibus pro studiorum ac opinionum distantia. In hac
 controversia sopienda P. Franciscus Nugentius, Capucinus
 Ibernus, et Missionis Ibernicae Capucinorum fundator, cum

anno 1628 ex Continente per Angliam in Iberniam remearet, et rursus dum anno 1630 ex Iberniam per Angliam in continentem regrederetur, Londini quasi compromissus operam praeclare collocavit. Verum partes ambas tanta animorum contentio et opiniorum tenacitas occupaverat, ut is post quam multa fecisset, demum nihil fecerit, sicut in actis huc spectantibus, quae apud Capucinatorum Ibernorum archivia Carolopolitana hodieque asservantur, me fusius legisse memini. Porro sicut discordiis omnibus semel natis familiare est ut instar renascentium hydrae capitum magis magisque pullulent, sic etiam in hac contestatione successit. Quare Catholicorum Anglicorum alii fidelitatis juramentum ipsis a magistratu civili, utique haeretico, conceptis verbis ministratum velut | conscientiae legibus consonum susceperunt, alii tanquam 350 impium detrectarunt.

(25) Hoc discordiae incendium quo restingeret, Urbanus VIII. jam dictum Episcopum Calcedonensem etiam anno 1633 majore auctoritate per Breve Pontificium concessa munivit. Verum religiosi, praesertim Jesuitae, adeo suam causam etiam libris prelo suppositis orarunt ut Calcedonensis conatum frangerint, et Pontifex Gregorium Panzanum, natione Italum, instituti Oratorii a S. Philippo Nerio erecti alumnum, doctorem ac Juris Canonici Consultum, velut aequum arbitrum in Angliam destinavit.

(26) Panzanus in Angliam transvectus ubi suum appulsum Regi nedum Reginae gratum esse rescivisset, demum apud Regem (ut Sirius Mercurii sui lib. 1^o pag. 196 author est) institit ut episcopum Catholicum, suae Majestatis natu subditum, in Angliam admitteret, ea lege ut a sua Majestate nominaretur, nec nisi juxta Regis praescripta suam provinciam obiret, Rex licet haec Panzani instantia ipsi non arrideret, cum tamen interrogavit nunquid Pontifex illum in episcopum cooptare vellet, qui sacramentum | fidelitatis licitum esse sustineret, vel certe cum iis qui 350 id suscepturi essent conniveret, Panzano autem respondente se
▼
nec in monitis nec in mandatis habere ut de hoc articulo ageret, tractatus ad nihilum recidit, et Panzanus demum, percontatus quam difficile esset Angliam ad Sedis Apostolicae obsequium revocare, discessit, Rege tamen concedente ut minister Apostolicus tractatum prosecuturus ad Reginam allegaretur, aulamque Anglicanam sequeretur, sed non sacerdos. Quare Urbanus VIII. illo destinavit Georgium Connaeum, natione Scotum, qui in eum finem S. Joannis Lateranensis Canoniatu se abdicavit, homo de facto peritus et sagax, sed quem jam dictus Abbas Sirius eo nullum progressum fecisse tradit, quod se Jesuitarum consiliis

permisisset, quos idem author loco jam citato valde atro carbone notat, cum tamen ubique gentium, nedum in ea vinea Anglicana excolenda, pondus diei et aestus egregie portent. Porro nemo inficias iverit, quin et Panzanus et Connaeus illi operi magna cum laude utramque manum admoverint. Verum saepe fit ut qui multam seminant, parum metant.

351

(27) Horum duorum missione dictum exitum sortita, | postea Pontifex ad Reginam Angliae Comitem Carolum Rossettum allegavit. Claret inter Ferrarienses Rossettorum familia multorum virorum illustrium quos Comes Galeazus Gualdus Prioratus in sua Italiae virorum illustrium scena, ubi de Cardinale Rossetto agitur, recenset, ferax, qua Carolus prognatus patrem habuit Comitem Alexandrum Rossettum, matrem vero Comitissam Margaritam Estensem Tassoniam, et fratrem, Hieronimum Rossettum, quem imperator, Ferdinandus tertius, ex Comite Marchionem salutavit, ea praerogativa ut ad ejus ex utroque sexu haeredes eandem Marchionatus dignitatem extenderit.

351

v

(28) Carolus anno 1615 natus et nobiliter educatus pueritiam et adolescentiam vitae probitati, bonisque litteris dedicavit, tanto progressu ut totius Philosophiae theses, unaque nonnullas theologicas Ferrariae, deindeque Bononiae in Ecclesia Cathedrali totum S. Theologiae, demumque ibidem in gymnasio publico integrum quatuor annorum Juris cursum palam sustinuerit, anno aetatis duodevicesimo philosophiae et sacrae theologiae laurea doctorali donatus, et quatriennio | circiter interjecto in Juris doctorem cooptatus, quo ipso anno aetatis 22^o Romam progressus, ibi sub Panzirolo, Auditore Rotae, et avvocato Vermiglioso, viris insignibus, se in fori tritura volutavit.

(29) Interea temporis S. Theologiae thesibus Urbano VIII. in Urbe a nescio quo dedicatis et universo sacro collegio disputationi illi publicae assistente, Carolus inter alios sustinentem aggressus est tanta ingenii subtilitate, tam magnis lateribus, adeoque universali applausu ut omnes, et prae aliis Cardinalem Franciscum Barberinum Pontificis nepotem tunc dominantem, in sui admirationem rapuerit, suaque Eminentia ejus triumphum Pontifici referente, Urbanus, viros doctos et nobilia ingenia magni facere solitus, eum mox in utriusque *signaturae* praelatum asciverit.

(30) Vix Carolus biennium in fori, aulaeque Romanae arena theoriam praxi expolivit, cum Georgius Connaeus ex Anglia in Urbem remigravit, et legatione relata suae Sanctitati ob oculos posuit factu opus esse ut alium ministrum apostolicum ad Reginam

Angliae allegaret, qui inter Britanniae motus jam caeptos et discrepantia sectariorum studia, | malis malorum discordiis in
omnium bonum et Regis regnique conversionem prudenter
uteretur, ad quod arduum opus peragendum Pontifex Carolum
annos tunc circiter 24 natum delegit, cum quo dedit ad Reginam
Angliae hoc Breve.

352

(31) *Reginae Magnae Britanniae Urbanus Papa Octavus.*

“Charissima in Christo filia nostra, salutem. Plurima atque
eximia animi ornamenta, quibus Majestas tua a divina liberalitate
insignita est, eum ab ingenita pietate splendoris et amplitudinis
cumulum accipiunt, ut non modo amplissimum istud regnum,
sed universum Christianum orbem illustribus praestantissimarum
actionum exemplis locupletare possint. Nos, qui ejusmodi
virtutum merito praecipua te charitate in Domino prosequimur,
assiduum istic adesse cupimus non tantum mentis nostrae inter-
pretem, sed etiam paternae benevolentiae testem, dilectum filium,
Comitem Carolum Rossetum. Eum ad id muneris selegimus,
qui optimarum artium et eruditionis studio ingenium ita excoluit
ut acceptum a majoribus splendorem | propriis laudibus cumu-
laverit, speramus fore ut, qua sane integritatis, prudentiae,
morumque suffragatione Romanae aulae quaesivit affectum, eadem
Majestatis tuae patrocinium facile assequatur. Illum ut per-
humaniter excipias a te petimus, simulque ut iis, quae Nostro
nomine exponet, fidem habeas. Quae autem negotia pro communi
Catholicorum utilitate et pro divina gloria tuenda atque ampli-
ficanda ipsum tractare contigerit, ea in tutelam sic a se suscipi
optamus, ut omnes intelligant plurimum Catholicae Religionis
interfuisse, regio tuo praesidio communiri. Annuat votis nostris
Altissimus, atque in maximam istius regni faelicitatem et com-
modum diutissime sospitem servet Majestatem tuam, cui Nos
apostolicam Benedictionem amantissime impertimur. Datum
Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 16 Aprilis 1639,
Pontificatus nostri anno 16.”

352
v

(32) Facultates etiam Comiti Rossetto concessas hic habe:

“Facultates concessae a Sanctissimo Domino nostro, Urbano, |
divina providentia Papa VIII., R. admodum D. Carolo Rossetto,
Ferrariensi, utriusque signaturae ejusdem Sanctissimi Domini
nostri Papae Referendario.

353

(33) “Absolvendi a casibus Sedi Apostolicae etiam in Bulla

Caenae Domini reservatis, injunctis injungendis, et reconciliandi Ecclesiae Catholicae quoscunque commorantes in dominiis Regis Angliae etiā Ecclesiasticos et Regulares, dummodo non sint ex partibus in quibus exercetur Sanctum Officium Inquisitionis.

(34) "Dispensandi cum iisdem in quacunque irregularitate ex delicto occulto proveniente, excepta ea quae ex homicidio voluntario contrahitur.

(35) "Dispensandi in 3^o et 4^o simplici vel mixto consanguinitatis vel affinitatis gradu cum Catholicis, illarum partium tam in contractis quam in contrahendis nuptiis, in contractis vero cum haereticis conversis etiam in gradibus jure tantum positivo prohibitis, et in his casibus prolem susceptam declarandi legitimam.

353 (36) "Dispensandi super impedimentis publicae honestatis et
v criminis, neutro tamen conjugum machinante, et cognationis legalis et spiritualis, | non tamen inter levantem et levatum, et restituendi jus petendi debitum ex quacunque causa amissum fuerit.

(37) "Dispensandi et commutandi vota simplicia in alia pia opera, exceptis castitatis et religionis: tenendi et legendi in Anglia quoscunque libros prohibitos etiam haereticorum, et similem facultatem viris spectatae doctrinae et pietatis concedendi, ita tamen ut libri extra illam regionem non extrahantur, exceptis tamen Caroli Molinaei et Nicolai Machiavelli operibus, ac libris de Astrologia judiciaria tractantibus.

(38) "Concedendi facultatem celebrandi sub dio vel in quocunque loco decenti, etiam subterraneo, et in altari portatili, etiam una hora ante lucem.

(39) "Dispensandi super esu carniū, ovorum vel lacticiniorum diebus quadragesimae vel jejunii.

(40) "Dispensandi cum conversis ad fidem Catholicam super fructibus vel retentione bonorum Ecclesiasticorum, cum promissione de stando judicio ecclesiae ubi regnum Angliae ad Ecclesiae unitatem redierit.

354 (41) "Concedendi facultatem benedicendi et | consecrandi paramenta sacra, et omnia necessaria ad sacrificium Missae, ubi non intervenit sacra unctio.

(42) "Concedendi praedictas facultates sacerdotibus tam saecularibus quam Regularibus idoneis ad quinquennium pro foro conscientiae tantum in iis, quae ad absolutiones vel dispensationes pertinent, et gaudendi quibuscunque privilegiis, quae aliis Missionariis concessa sunt, arbitrio ipsius, dummodo parce utatur secundum necessitatem.

(43) "Suspendendi ab usu facultatum quoscunque missionarios saeculares vel Regulares repererit vel vita vel doctrina aliis scandalo et offensioni esse.

(44) "Utendi supradictis facultatibus in Ibernia, Anglia, Scotia, Mona, et aliis locis domini Regis Magnae Britanniae."

Feria S. die 30 Junii 1639.

(45) "In congregatione generali Sanctae et universalis Inquisitionis habita in palatio Apostolico Montis Quirinalis Sanctissimus D. N. Papa concessit suprascriptas facultates | praedicto R.A.D. Rossetto ad septennium proxime futurum.

354

Fr. Cardinalis Barberinus.

v

Joannes Antonius Thomasius, S. Romanae et universalis Inquisitionis Notarius."

Locus — sigilli.

(46) Non deerunt forsitan qui Comiti Rossetto, solis tunc ordinibus minoribus initiato, has facultates concessas fuisse admirabuntur, sed perpendant aliis ad sacros ordines promotis communicandi factam ipsi potestatem, ut taceam eum intra tempus ibi praescriptum ad sacros ordines promoveri, et sic eas facultates per se exercere potuisse si voluisset. Verum Regis Angliae voto acquiescendum erat, qui noluerat ut ad Reginam sacerdos allegaretur, ne haeretici majorem exinde tumultuandi occasionem arriperet.

(47) Comes 28 Augusti 1639 se Londinum capessivit, | ubi non occulte (sicut ante Panzanus et Connaeus) sed palam Ministrum Apostolicum agebat in non mediocrem fidei Catholicae progressum, cui tunc ostium magnum aperuit 1^o quod Regina apud Regem maritum solito zelo Dei causam secundaret. 2^o quod Maria de Medicis, ejusdem Reginae mater, ipsaque olim potentissima Galliarum Regina etiam Regens tunc Galliis exul, et Londini se tenens, ejusdem causae apud Regem, socerum, apud quem singulari autoritate polleret, promovendae valentissimum se praeberet instrumentum. 3^o quod binae sorores, Britanniarum et Hispaniarum Reginae, contrahendum inter suos liberos matrimonium anhelarent, ambarum maritis, Anglo et Rege Catholico Philippo quarto, id ipsum studentibus, Anglo quidem ut exteri Principis potentissimi brachio suam et posteritatis auctoritatem in subditos haereticos, quorum seditio indies gliscebatur, firmaret, Hispano vero ut in Gallum, cum quo tunc bellabat, Angli viribus illa novo necessitudine obtinendis uteretur, reque ipsa Anglus, haud ignorans secus nec Pontificem dispensaturum nec Regem

355

355

v

Catholicum in illas nuptias consensurum, jam effecit, ut persecutio magis deferbuerit. 4^o denique quod Rex | Angliae jam haereticorum seditione late gliscente sibi, posteris et Monarchiae ab illis rebellibus excidium metueret, et ex adverso praecipuam secundum Deum in Catholicis, praesertim Ibernis, spem poneret, atque a Summo Pontifice aliisque Principibus orthodoxis, nec non totius orbis Christiani clero populoque Catholico suppetias expectaret, saltem modo resipisceret et veram majorum fidem amplecteretur.

356

pag.
6.

356

v

(48) Hunc ergo in modum Deus Comiti Rossetto ad ea, quae a Pontifice Urbano in mandatis monitisque habuerat, inter Anglos exequenda viam stravit, qua ille in suum scopum usus est zelo, prudentia, et animi magnitudine singulari, Regi, binis Reginis, et Aulae Anglicanae etiam ob tersos mores et politam conservandi consuetudinem adeo charus, ut hoc ipsum ei ad Legationem utiliter obeundam haud mediocriter profuerit. Ex his omnibus quae dixi factum ut Catholici in Anglia per Regis conniventiam magna ex parte *Conscientiae libertati* aequivalentem numero crescerent, crescente praedicandae fidei et refutandae haereseos permissione, et Ecclesiasticorum caterva, nec non | deferbescente (usque ad procellam anno 1640 concitatum et inferius referendam) legum paenaliū in Catholicos, praesertim in clerum olim latarum executione, adeo ut usque ad praefatam tempestatem rarus esset qui fidei Catholicae odio in carcerem contruderetur, et longe rarior, imo pene nemo, in quem non obstante Parlamenti rabie, quam diu Rossettus in Anglia pedem fixit, saevius quam carceris vel exilii paena animadversum sit, ipsique pseudo-episcopi multa introduxerint Catholicorum ritibus adeo affinia, ut Regi et ipsis Scoti, aliique rebelles, Angliae Parlamentarii, objecerint eos fidem Catholicam gradatim et sensim sine sensu postliminio restituere voluisse. Denique haereticus ille, qui historiae belli civilis Angliae compendium Londini anno 1651 typis mandatum contexuit, conqueritur "caeremonias multas et innovationes in (haereticorum) templa fuisse inductas, doctrinam Romanam in multis amplecti, et reformatas omnes (haereticorum) Ecclesias contemnere caepisse, praesules et Ecclesiasticos Anglicanos (haereticos) in aula praesertim Papistas exultasse, et potentia Reginae, quae | plurimum apud virum poterat, Pontificis Romani Nuncios, Panzanum, Connaeum, et Rossettum, summo cum honore receptos fuisse." Sic ille.

(49) Straffordia ex Ibernia, ubi Parlamentum indixerat,

citoque voti compos dissolverat, jam in Angliam reduce, Parlamentum Anglicanum 3^a Aprilis 1640 convenit. In quo Rex bello Scotis rebellantibus inferendo intentus subsidium postulavit. Verum Angliae ordines ex parte longe maxima Regi quam Scotis minus facientes, et cum Scotis in ejus perniciem plurima molituri responderunt Reipublicae emendationes et pressurarum levationes praecipuum esse convocandis Parlamentis scopum, et semper debere pecuniarum contributioni antecedere, nec teneri populum Anglicanum ad quidpiam contribuendum in id bellum, quod non modo non cupiant, sed etiam maxime detestentur, tanquam suae Reipublicae non bono sed exitio futurum et designatum. Denique nihil tam justum esse quam ut belli adeo impii authores supplicio afficiantur. 357

(50) Hos pravos Parlamenti mores et humores odoratus Rex Comitia illa 5^o Maii eodem | anno 1640 dissolvit. Cumque hominum seditiosissimi, Puritani Anglicani, alii sectarii a Protestantismo Regis et pseudo-episcoporum secta alieni, Regem et pseudo-clerum, eorumque partem haeticam, ex maligno seditionis auctitandae animo, Papismi accusarent, ille velut huic tumultui obviaturus, authore pseudo-archiepiscopo Cantuariensi, pseudo-clero continuandarum suarum Congregationum potestatem fecit, et constitutionum ab ipsis conditarum libellum Anglicum tunc anno 1640 Londini mox editum suo placito 13 Junii dato, ibique assuto confirmavit, totum pene eo spectantem ut nova in Angliae Catholicos persecutio concitaretur, Socinianistarum, Anabaptistarum, Brounistarum, Separatistarum, Familistarum, aliarumque Hydrarum haeticarum in Anglia sine fine stagnantium sectis suppressis, sola *Protestantium* haeresis praefatae Liturgiae centonibus mangonizata dominaretur. Qua animadversione in Catholicos recrudescente offensus justus iudex, Deus, permisit ut et Regis et pseudo-praelatorum, ac praeter alios Cantuariensis, politia a tam impiis et saevis | constitutionibus 357
v in Catholicos conditis exordiens in ipsorum perniciem desiverit, praesertim cum Catholici de Rege optime et meriti et meritori essent, illeque (sicut eius ex sorore unica nepotem, Eduardum, Principem Palatinum, demum Catholicum, Maceriis in Gallia postea referentem audiui) in ea esset sententia ut sibi persuaderet Catholicos ob religionem persequi licere nemini.

(51) Pseudo-archiepiscopus Cantuariensis apud Regem etiam instituit ut non solum leges illas sanguinarias in Catholicos exequendas, sed etiam Comitem Rossettum regno ablegandum curaret, et nullum cum Sede Apostolica Summoque Pontifice

commercium non abrumperet, quo seditiosis Regem et aulam Catholicismi criminantibus omnem hac ex parte rebellandi et multitudinis sollicitandae fomite subtraheret. Rossettus autem ita huic furoris haeretici torrenti obviam ivit ut de Regis et regni conversione egerit cum Francisco Windebanko, Equite aurato, primario Regis Secretario, et in fidem Catholicam ac Catholicos optime affecto, cui (nam Rex Rossettum de suae legationis articulis agentem non nisi per Reginam vel alios sibi fidelissimos audiebat) sequentes rationes Italice scriptas tradit :

358 (52) “ Rempublicam nec faelicem nec securam esse posse | nisi sit concors, nec concordem esse posse nisi uniformis sit ejus Religio, cum hic locum habeat satis tritum illud politicorum dogma, nempe Principem unius tantum religionis subditos moderantem altero, cui aequalis quidem Principatus suppetat, sed ita ut in populum multis religionibus addictum dominetur semper esse potentior. Tot horum regnorum sectas omnibus regiminis politici normis adversantes tandem efficere debere ut sua Majestas de remedio statuatur. Praesentius autem ipsi non superesse quam ut se, unaque alios *Protestantes* ad Catholicae Romanaeque religionis gremium redigat, quod partibus Catholicis conjuncti coalescerent in unum corpus robustum cohibendae atque opprimendae Puritanorum factioni idoneum, quibus nisi occursum fuerit, citra dubium numero et viribus ita crescent ut Monarchiam Anglicanam in evidens excidii discrimen adducturi sint, cum quo certum est una fieri non posse ut subsistat. Unde nunquam caeptis desistent donec aliqua ratione introduxerit regimen populare. Et quoties Rex Jacobus, suae Majestatis Pater, se vidit septum periculis inferendae sibi a Puritanorum conspirationibus necis etiam intra viscera materna ante nativitatem. 358 Suam Majestatem modo praesentia, quibus jam | involvitur v pericula mature perpenderit, reperturam affligi suum regnum tot calamitosis discordiis, et tantopere esse enervatum, ut prudenter metuendum sit ne demum sua corona hostibus in praedam pateat. Tales semper fuisse et nunquam non esse debere Puritanos, protervo et rebeli sui Calvinismi genio, omni tempore autoritatis Regis juxta ac religionis *Protestanticae* intentos exterminio. Manifeste constare, illos temerario abusu, ipsam Regis clementiam conculcando, jam convertisse priores religionis praetextus in cogitationes imperandi suprema libertate et insana illa conscientiae phantasmata in apertam conjurationem, armorumque apparatus, quibus hodie eo animos intendunt ut suae Majestati refragentur, et per Monarchiae ruinam ad

suas metas ascendant. Sancta adeo deliberatione quantum
 gloriae et amplitudinis incrementum corona Anglicana sibi com-
 pararet, id assequendo ut nedum sui utriusque sexus Principes
 longe melius in matrimonium collocarentur, sed etiam se inter
 Galliae atque Hispaniae regna perpetue inter se de Principatu
 contententia arbitram constitueret, nemoque amplius auderet
 irritare potentiam tam | altis radicibus victam et cum Summo 359
 Pontifice conjunctam, qui in binas coronas jam dictas se semper
 aequum ostensurus, illamque neutralem superioritatem in orbis
 Christiani quietem ac tranquillitatem collineatam inter Principes
 Catholicos futurus, cum votis menteque Regis Angliae tanquam
 instrumenti prae omnibus aliis idonei libenter concurreret, cum
 eundem effectum nec ab imperatore nec a Rege Poloniae expectare
 posset, quod amborum alterum sanguinis necessitudo, alterum
 nimia longinquitas atque autoritas limitata excludendum
 suaderet, nec etiam eorum vires essent pares coronarum jam
 dictarum consiliis, si occasio postularet, cohibendis. Quare sua
 Majestas maximam apud ipsos Principes haereticos aestimationem
 assequeretur, continuando cum ipsis nonnullam confidentiae
 mutuae partem prae necessitate alendi cum illis stabilem
 societatem ac amicitiam, cum in Regem Angliae non quadrent
 illae rationes, quibus in alios Principes Catholicos ducuntur.
 Ejus subditorum proventus, ipseque fiscus in mercium vecti-
 galibus magnam partem consistens, aucta mercandi frequentatione
 et exterorum commercio, | supra modum auferentur, et mercato- 359
 res Anglici liberiores negotiandi usum nacti, in Hispania atque
 v
 Italia officinas liberius aperire possent, nec sua Episcopatum
 et beneficiorum Ecclesiasticorum in ejus dominiis conferendorum
 auctoritas Regi vel latum unguem decresceret, quod praesentandi
 jus diplomate Pontificio facile consequendum ei competeret. Nec
 gravissimorum infortuniorum, quae inde nasci possent, metus
 suam Majestatem a pio adeo consilio exequendo retardare debet,
 cum ipsi nequitiam metuendum sit ne praestet quod haud aegre
 successit Henrico octavo etiam majoribus difficultatibus implicito
 in incepto, quo nullum poterat esse magis impium et plus Deo
 contrarium, qualis erat eversio religionis Catholicae tam alte
 radicatae in populo Anglicano. Jam tempus exigere ut sua
 Majestas ad singularia eorum, quae secum statuerit capita
 descendat, et ambiguitati atque incertitudini, qua hactenus se
 involvit, nuntium remittat, ac demum in aliquam sententiam
 firmiter eat, cum nulla sit in rebus arduis deliberatio magis
 perniciosa, quam animi pendere, vel tarde perplexeque diffinire,

360 quoties | occasio postulat ut se quis determinet. Illa cunctatione
sterni viam ad collocandum in Puritanorum manu sceptrum
ad regnum in praeceptis deferendum, ad liberos seque exter-
minandum. Principi prudenti procurandam esse sui regni, non
solum dum ipse vivit, salutem, sed etiam ita ipsi ordinandum
ut post ipsius mortem id propagetur, et moderantibus ejus posteris
conservetur. Suam Majestatem in nullam ire posse sententiam,
nec justiore, nec magis necessariam, nec Deo plus gratam,
quam ut Angliae veram religionem et antiquam restituat pietatem.
Et sane cum tanta in Rege bonitatis justitiaeque vestigia reluceant,
ipse mihi semper persuasi eum a divina Providentia fuisse electum
in tanti boni authorem. Jam se armatum tenet, et exercitum
in castris ducit. Non possunt valida ipsi deesse auxilia ex
Ibernia populo devoto atque in Coronam fido plena, nec a
Sancta Sede militum rei que numariae subsidium. Seria med-
itatione considerandum esse quod ante alia ob oculos ponendum
fuit, nempe fieri non posse ut quis extra Ecclesiae Romanae
gremium animae salutem assequatur. Quod si diligenti scrutinio
indagarentur causae divortii et defectionis Henrici ab Ecclesia, |
360 haud aliae dubio procul reperirentur, quam effrenis et brutae
v concupiscentiae impetus, qui in consilium animarum saluti tanto-
pere exitiale eum praecipitem dederint. Unde convenit aperire
oculos ut erroribus sanae mentis hominibus adeo execrandis
pertinaciter non insistatur.” Hactenus Comes Rossettus, quae
mense Augusto 1640 porrecta fuisse tradit in suo Mercurio Sirius.

(53) His bene perpensis respondit Widebankus “ad tanti
momenti incaeptum aggrediendum requiri cor magnum et con-
stantem voluntatem, quam ipse tunc compertam non haberet
cum negotia adeo ardua nunquam tractavit, nullisque unquam
minus quam id genus rebus ipse applicatus fuerit a Concilio
regio, cui etiam in more positum esset nunc unam nunc alteram
ex diametro oppositam decernere rebus gerendis rationem im-
mutabili et perpetuo tenore inconstantiae. Se tamen omnia
Regi communicaturum.”

(54) Rex autem haud aliam fecit responsionem quam pro-
testationes generales, quibus suam in Catholicos optimam pro-
fessus est voluntatem.

361 (55) Rex alteram Rossetto, alteram Angliae proceribus et
nobilibus aurem praebebat. Quorum multi ei | libellum superbe
supplicem praesentarunt plus cogentes quam rogantes ut Parla-
mentum convocaret, quo ille accepto ita deliberavit ut posthabitis
prudentiorum consiliis Parlamentum in 3^m Novembris indiceretur,

quo ejus consilio 3^a Septembris die patefacto, proceres aliquot ab utroque Angliae et Scotiae regno delegati aliquot articulos concluderunt mense Octobri, quibus sub pacis contrahendae pallio et discordiarum componendarum larva, duorum regnorum seditiosi in unum conjurationis publicae corpus coaluerunt. Conditiones autem aliquot huc spectantes hic sequuntur: 1^o. Induciae per duos menses usque ad 16^m Decembris observabuntur. 2^o Durante armorum cessatione 850 librae *sterlingae* per diem viribus Scoticis numerabuntur. 3^o Praedicta summa non soluta, licebit Scotis in Angliam progressis extorquere comitatibus Northumbriae, Cumbriae, Westmorlandiae, et Episcopatu Dunelmensi. 4^o Comitatus illi erunt Scotis hybernacula. 5^o Novi apparatus bellici non fient. |

(56) His iniquis nexibus Angliae et Scotiae seditiosi rerum novandarum cupidissimi inter se colligati viam sibi straverunt ad manus Regi in Parlamento jam dicto exindeque ligandas, quas et re ipsa partim arte partim Marte ligarunt. Porro praefatas inducias Parlamentum postea in conjurationis scopum prorogavit. Omnes belli quod ipsis Rex intulisset sumptus eis retribuerentur, trecenta librarum sterlingarum millia ipsis penderentur, *ut pensatio* (sic Parlamentum) *pro damnis et necessitatibus fratrum nostrorum Scoticorum*. Statutum quoque ut libelli omnes edictaque in Scotos a Rege vel ab aliis promulgata revocarentur, aliaeque in eorum favorem sunt sancita, adeo ut Scotorum exercitus evaserit Angliae Parlamento stipendiarius in Regem qui Parlamentum illud convocaverat, ut belli in Scotiam rebellem prosequendi nervum ab Anglis exigeret, et ut Scotos in officio contineret.

361
v

(57) Seditiosi, ut conjurationem arctius stringerent, | in Parlamento a religionis causa exorsi, multos ministellos Angliae Puritanicos *Pseudo-Episcopatum* et *Protestantismum* exosos, proindeque ante in pseudo-episcopis vel beneficiis ejectos vel in carcerem coniectos liberarunt compensaruntque, et alium pseudo-clerum ipsis adversatum haud mediocriter depresserunt, Guillelmo Laudo, pseudo-archiepiscopo Cantuariensi, inter alios perduellionis accusato, atque in Turrim Londinensem die Decembris 16^a coniecto, in quam etiam custodiam Straffordiae Comes, Iberniae Prorox, eodem mense anno 1640 a Parlamento coniectus est.

362

(58) Anno 1641 ad exeuntem Januarium Straffordio in domo Communium accusato objicitur, quod in Ibernica plures annos Prorox et in borealibus Angliae partibus arbitriam potestatem

et legibus contrariam exercuerit, Regis proventus sine computatione receperit, fidem Catholicam in Iberniam per conniventiam promoverit, Angliam et Scotiam inter se committere, Parlamenta subvertere, et Regis animum illac impellere conatus fuerit. |

362

v

(59) Straffordium non solum Angliae conjurati reum agebant, sed etiam ex Iberniam aliquot proceres, nobilesque accesserunt, qui eum iniquissimi regiminis in eo regno exerciti magnis lateribus accusarunt jure meritissimo. Nam in Iberniam per plures annos anteriores confuso quodam temperamento ita multas boni Proregis partes egerat, ut de facto tamen plus Regem quam Proregem, et plus Tyrannum quam Regem gesserit, nec Scotis Agentes Londini tunc se tenentes in eo de injuriis, quas eum nationi suae intulisse affirmabant, postulando segnes fuere. Hujus enim belli Scotis a Rege indicendi author habebatur, et non solum vasta ab Iberniam in id subsidia exegerat, sed etiam lectissimorum peditum equitumque octo millia in Iberniam conscripserat pene omnes Catholicos, quos anno 1639 ad mensem Junium in Ultoniam, Iberniam provinciam brevi maris tractu Scotiae respondentem, descendere jusserat, ibi per annum circiter castramentatos, et Scotiam pro Regis nutu ita aggressuros ut | Iberni ad illius regni nec non Angliae Calvinistas viribus quadruplo majoribus in Regis favorem aggrediendos se accingerent, et plus fraeno quam stimulo indigerent. Quare Rex secundum Deum praecipuam in Iberniam Catholicis spem ponebat. Nec Straffordius, acutissimo ingenio vir et ad politica natus, unquam plus in suis cogitationibus evanuisse videtur quam cum ex Iberniam, ubi non solum a Scotiae atque Angliae rebellibus tutus, sed etiam illis suis aemulis terribilis fuisset, in Angliam trajecit, in hoc imprudentior vel suo morione, Jacobo, qui Dubliniam in Angliam transmissuro. "Thoma (inquit) quo vadis"? At Straffordius: "Angliam (ait) cogito." "Optime (respondit morio) cogitas. Sed de altero tibi capite in occasionem provide. Nam quod habes forsitan non erit tuum." Quibus aptis ineptiis monuit ne in Angliam navigaret, ibi capite truncandus.

363

363

v

(60) Straffordius mense Februario 1641, Rege | praesente, suam in procerum domo defensionem perlegit. Sequente autem mense Martio et Aprili in Aula Westmonasteriensi judicio sistebatur tabulatis et sedilibus in circuitu ornata eo extructis ut non solum totius Parlamenti Anglicani proceres communesque, sed etiam multi Iberniam magnates et nobiles non Parlamento Anglicano addicti, sed Straffordium merito rerum agentes, nec non Scotiae delegati assederent, Comite Arundelio in magnum Seneschallum

et Lyndescio Comite in Summum Constabularium electo, Regeque ipso clausa pergula tanquam privato totius iudicii spectatore atque auditore in dies sedente, omniaque scriptis mandante : a vigesimo secundo Martii paucis diebus intermissis usque ad decimum Aprilis, Strafordius perduellionis postulatus, se tamen reum pernegabat domo procerum ab ipso, sed Communium domo in ipsum stante. A quarum 2^a demum | 21 Aprilis perduellionis reus peractus est. Cujus sententiae justitiam Strafordio ad repagulum astante et Rege consueto loco praesente, Sollicitator Regius non pro Rege faciens 29 Aprilis in eadem Aula Westmonasteriensi asserere conatus est, quo proceres eidem subscriberent, quorum alii eam probarunt alii improbarunt. Rex autem se sententiam illam tuta conscientia ratam habere non posse affirmavit, qui interea operam dabat ut Strafordium liberaret, et Parlamenti insolentiam deprimeret. Horum conatuum pars fuit ut Strafordius e Turri Londinensi dilaberetur in Iberniam exinde Parlamentarios terribiliter aggressurus, et Anglorum exercitus, qui a Rege antea in Scotos instructus, in borealibus Angliae partibus se tenebat, Londinum advocaretur, Regi ibi in Parlamentum militaturus. Verum his Regis arcanis Parlamento proditis, alii eorum conscii ad ineuntem Maium 1641 in Galliam aufugerunt, alii in Turrim Londinensem a Parlamento contrusi sunt, et inter hos nescio quis ex O'Nellorum familia Ibernus Catholicus, Turri non ita diu post elapsus. | 364

(61) Proditis hunc in modum et dissipatis Regis consiliis non solum praeterita facinora a Strafordio patrata, sed etiam res ab eo praeclare gerendae in eum militarunt, Parlamento et Scotis ab ejus summo ingenio et exquisitissima juxta mundanam sapientiam prudentia politica sibi ruinam metuentibus, quare orta turbulentissima Londinensium seditione, multa tumultuantium millia Regis palatium obsederunt, instabantque ut sententiae in Strafordium latae subscriberet, aliisque Parlamenti votis acquiesceret. Quare Angliae Regina ejusque mater, Maria de Medicis, Regina Galliarum ante triennium in Angliam appulsa, se ad pie moriendum praepararunt, expiatis confessione sacramentali peccatis et sumpto augustissimo Eucharistiae sacramento, quod Parlamentarii in ipsas tanquam Catholicam religionem suam apud Regem fide et opera in Anglia propagantes, proindeque rerum a Rege in Parlamentum et Scotiam hactenus gestarum et imposterum gerendarum autores debaccharentur. Porro Rex hac violentia pressus sanctiori suo Concilio convocato, et iudicibus ad suas sententias coram se proferendis accersitis, 364 v

365 atque aliquot pseudo-episcopis, | qui eum Strafordii morti tuta
 conscientia subscripturum responderunt, consultis, mense Maio
 1641 sententiam in Strafordium latam invitus confirmavit, quo
 factum ut Strafordius 12 Maii 1641 securi percussus sit, suam
 haeresim etiam in mortis articulo palam professus, proindeque
 tanquam impius ac Laesae Majestatis divinae reus minus lugendus.
 Cujus ego eximiam in Regem fidem et singularem adversus Scotiae
 atque Angliae rebelles animi magnitudinem, aliasque multas et
 magnas ipsi ab authore naturae concessas dotes ita cum rerum
 harum scriptoribus laudo, ut summam ejus tyrannidem et aersu-
 cationem sordidissimam in Iberniae Catholicos ad annos super-
 iores, dum ibi Proregem ageret, sub justitiae larva exercitam
 horream et horrendam esse toti posteritati fidem faciam. Quare
 licet Parlamentarii et Scoti in Iernos minime gentium pro-
 penderent, oppressorum tamen protector, Deus, justissimo suo
 judicio effecit ut qui Iernos in Anglorum Scotorumque favorem
 et Catholicorum optimos in pessimorum haereticorum gratiam
 tantopere spoliaverat vexaveratque, eorundem haereticorum
 furore aliunde concitato perierit, Rege etiam incassum reluctante,
 365 cujus ille | autoritate abusus Iernos iniquissimo regimine
 v affixerat. *Non est similis tui in diis Domine et non est secundum*
 Ps. 85. *opera tua.*

(62) Nec hic silentio praetereundum est quid Parlamentum
 Anglicanum in Catholicorum perniciem interea statuerit. Id te
 docebit sequens actum eodem mense Maio 1641 conditum, et
 Londini tunc Anglice typis mandatum.

(63) "Die Mercurii 5. Maii."

"Statutum est hodie per domum Communium nunc in Parla-
 mento congregatorum ut praefatio una cum protestatione, quam
 hujus aula membra 3^o Maii ediderunt, citra moram typis man-
 detur, et exemplaria typis mandanda ad ejusdem domus scribam
 deferantur ejus calculo approbanda, quo parlamenti Equites,
 cives et municipes ea transmittant ad singulorum comitatum
 Vicecomites annuos et Irenarchas, nec non ad singularum
 civitatum, municipiorum et quinque portuum cives et municipes,
 quisque ad suos. Equites quoque, nec non cives et municipes,
 comitatibus, urbibus et municipiis et quinque portibus significant,
 366 | quante alacritate omnia hujus domus membra in hanc pro-
 testationem conspirarunt, et insuper intimare debent se non
 posse quin eam ab aliis concipiendam probent, quam ipsi jam
 amplexi suo exemplo justam et legitimam esse docuerunt.

(64) " Nos equites, cives, et municipes domus Communium in Parlamento congregati, ad gravem animi dolorem comperientes sacerdotum et Jesuitarum aliorumque Sedi Romanae adhaerentium consilia confidentius et crebrius fuisse nuper quam antea in praxim redacta in perniciem et periculum excidii vere *reformatae Protestanticae Religionis* in suae Majestatis Dominiis stabilitae, et insuper deprehendentes fuisse, et justam habentes ansam suspicandi semper esse, etiam durante hac Parlamenti sessione, molitiones ad leges fundamentales in Anglia et Ibernia subvertendas, et ad arbitrariae nec non tyrannicae Gubernationis exercitium perniciosissimis et sceleratissimis consiliis, machinationibus, moliminibus et | conjurationibus introducendum, exploratum etiam habentes longam Parliamentorum intermissionem et infaustam eorum violationem multis injustis taxationibus, quibus subditi se gravatos et obrutos senserunt, occasionem peperisse, haud paucas quoque innovationes et superstitiones in Ecclesiam introductas, complures ex suae Majestatis Dominiis alio expulsos, aemulationes Regem inter et suum populum natas ac nutritas, *Papisticum* exercitum in Ibernia conscriptum, binos exercitus non sine Regiae Majestatis periculo, nec sine fisci atque aerarii hujus Regni consumptione in ipsa Regni viscera fuisse intrusos, et denique adinvenientes haud levem ansam suspicandi adhibitos fuisse et modo adhiberi conatus ad discordiam inter militares Angliae copias et parlamentum disseminandam, quo dictus exercitus ad praefatas machinationes violenta manu exequendas impelleretur ; has ob causas aequum judicavimus societatem inter nos coire per declarationem collineantium in unum scopum nostrarum affectionum | et propositorum ac subnexam hic concipere protestationem.

366
v

367

(65) " Ego A. B. coram Deo omnipotente promitto, voveo et protestor me propugnaturum et defensurum quantum licite potero vita, viribus et facultatibus veram reformatam *Protestanticam* Religionem Ecclesiae Anglicanae doctrina expressam contra omnem papismum et papisticas innovationes intra hoc Regnum eidem doctrinae contrarias et (secundum obsequium a me debitum) Regiam suae Majestatis personam, honorem et amplitudinem sicut et Parlamenti authoritatem et privilegia, nec non subditorum et omnium, qui hanc protestationem susceperint, legitima jura et immunitates in quocunque negotio quod ad eandem legitime proseguendam gesserint, meque pro viribus et quantum licite penes me erit, restitutum et bonis quisque modis mediisque conaturum efficere ut condignae irrogentur paenae iis omnibus

367 qui vi, molitione, consiliis, machinationibus, conjurationibus,
 v aut secus quidpiam tentaverint illis, quae hac praesente | protestatione continentur, contrarium, meque omnibus aequis atque honorabilibus viis operam daturum ad fovendam inter tria Angliae, Scotiae et Iberniae regna pacem et concordiam, nec me spe, timore, aliove incitamento ab hac pollicitatione, voto, et protestatione praestanda declinaturum.'

(66) "Quandoquidem quaedam dubia proposita fuerunt a variis hujus domus personis circa horum verborum in protestatione ab hujus domus membris nuper condita contentorum sensum, videlicet *veram reformatam Protestanticam religionem Ecclesiae Anglicanae doctrina expressam contra omnem Papismum et Papisticas innovationes intra hoc regnum eidem doctrinae contrarias*. Haec domus declarat fuisse intellectam et intelligi his verbis tantummodo publicam doctrinam quam eadem Ecclesia profitetur, in quantum Papismo et Papisticis innovationibus adversatur, eademque verba non esse extendenda ad sustentandam ullam formam venerationis, disciplinae, aut gubernii ullorum rituum aut ceremoniarum dictae Ecclesiae Anglicanae: " Haec ibi.

368 (67) Haec praefatorum verborum explicatio addita est | ne Rex, pseudo-episcopi et alii haeretici ipsis adhaerentes hoc actum Liturgiae librum spuriis ceremoniis plenum suffulcirent. Porro hoc actum a sola quidem Communium domo missum, sed ab utraque Parlamenti domo latum fuit, Rege (sicut Parlamentum per alium actum postea 9. Februarii 1644 testatur) apud *Aulam-Albam* praesente nec contradicente. Ibidemque habetur hoc statutum anno 1641 conditum continere pene totum quod faedus Puritanicum inter haereticos et rebelles ad fidem Catholicam in Anglia, Scotia, atque Iberniam extirpandam et in ipsam Monarchiam anno 1643 initum continet. Quod observandum moneo ut ex ipsorum haeticorum confessione et actis publicis constet eos ante caeptum fidei causa in Iberniam bellum trium regnorum Catholicis et Regi ruinam intentasse, nec Iberniae Catholicos ad arma recurrisse, nisi ut illam ruinam declinarent et vim vi repellerent. Iberniam enim interea horum Scotiae atque Angliae barbarum spectatricem agebat. In qua (Strafordio, Prorege, in Angliam accito ibidemque securi percusso) duumviri Guillelmus Parsonus, vernacule *Parsons*, et Joannes Borlasus, | ambo Census equestris, haeretici Anglici, regni tunc justiciarii, ad Reipublicae clavum sedebant ut, rebus in Anglia Scotiaque in Regis perniciem turbatis, non Regi sed occultis machinationibus in Regem turbul-

368
v

entis Angliae Parlamentariis studerent, sicut inferius prolixiore narratione complectemur.

(68) Regina Angliae infortuniis sibi Regique marito per hunc furem popularem imminentibus tacta epistolam ad Cardinalem Barberinum in Urbem dedit, rogans ut ejus patruus Urbanus VIII. Pontifex Maximus, sibi Regique inter tot angustias magna pecuniae inopia laborantibus quinquaginta scutorum millia in subsidium daret, quo ita rebelliorum haereticorum insolentiam frangerent, ut etiam id in magnam Catholicorum quibus conscientiae libertas decernenda esset una redundaret. Verum Cardinalis Barberinus Comitis Rossetti, cui Cardinalem notis arcanis scripsisse conjecto, ore anno 1641 respondit magnas Regi, si fidem Catholicam amplecteretur, "suppetias ex Pontificis liberalitate et pietate suppeditandas, quod ubi de ope Regi Catholico ferenda | quaestio in eo casu moveretur, omnis pecunia necessaria ex Castello (Sancti Angeli) extrahi posset: viam mediam in negotio tam subtiliter implicato esse repertu valde difficile, cum vix subministrari possent aliae pecuniae quam illae quae obnoxiae erant certis conditionibus mox expediendis, modo Rex fidem Catholicam profiteretur. Si quis autem eum mox ac suam professionem declararet, Coronam perditurum objiceret, non premeret, cum Dux Bullioneus nostram religionem multis ante mensibus amplexus fuerit, quam ullum ejus rei vestigium innotuerit. Regem quoque faciliori negotio superaturum obstacula quam sedaturum Parlamenti crudelitatem aut repressurum ejus contumaciam. Si de copiis auxiliariis subministrandis quaestio esset, ob distantiam et alias rationes omnia tempore longissimo consumere oporteret. Quare copiae commodius scribendae forent in Agro Leodiensi, Francia, atque aliis provinciis ab Anglia non longe gentium distantibus tractatum, si cum Gallo inchoaretur, | prolixioribus cunctationibus protrahatur iri, quod is multis bellis implicaretur et Angliae procedendi modo parum contentus foret ob Palatini ausa et ob publicatam in Hispani partes (Angli) propensionem, ac demum quod Anglia Galliae refractariis asylum praeberet. Denique Sedem Apostolicam nunquam haereticis aut schismaticis auxilia subministrasse, et parvi habendam *conscientiae libertatem* in regno instabili atque a Parlamenti fanaticis deliberationibus dependente concedendam, proindeque pecuniae subministrationem in successum adeo incertum non videri causam adaequatam et sufficientem ad eam ex loco jam dicto extrahendam, ubi certis conditionibus tanquam vinculis obnoxia asservaretur.

369

369
v

In summa attendendum ad Henrici quarti, cognomento Magni, exemplum qui haeresim abjurando Galliae tunc vacillantis sceptrum in suis manibus stabilierit." Haec Comes Rossettus.

370 (69) "Promittebat autem Regina Regem, modo ipsi in his ejus angustiis Pontifex subsidium pecuniarum elargiretur, ubi rebelles | devicisset, permissurum liberum et publicum Catholicae religionis exercitium, patefactis ecclesiis et concessis omnibus aliis commodis, quae Catholicis ad obeundas eorum functiones spirituales essent necessaria." Sic Regina.

(70) Reginae autem ex parte Pontificis respondebatur: "Pontificem, ubi Rex se in Catholicum induisset, ei de bona pecuniae numeratae summa provisurum quod eo casu decreti Pontificis circa pecuniam sub certis conditionibus repositam conditi reservationes et cautelae cessarent. Interea in votis haberi ut resciretur quae offeretur securitas de pollicitationibus praestandis et de pecunia non in placando sed in deprimendo Parlamento collocanda, cum Regis conversio et conscientiae libertas multum inter se distarent. Unde in 1° casu magnae summae ex loco jam dicto extraherentur, sed in 2°, considerata Ecclesiae paupertate, subsidia minima exhiberentur, idque non nisi superando obstacula difficilia, nihil obstante Religionis profectu per modum accessori, quod res numaria in Principis haeretici | favorem esset consummanda." Sic Minister Apostolicus.

371 (71) Interea Parlamento et factiosorum viribus invalescente, ac tanta Regi dictis et edictis, verbis et factis vim inferente, et sua ipsius in ipsum autoritate abuterentur, nemoque mentis compos exinde quid refractariis in ejus perniciem decretum esset, non praesagiret, Regina, ut suppetias a Pontifice (nam belli aperti profestum agebatur) assequeretur, iterum institit. Quare mense Aprili 1641 Comiti Rossetto respondit "Regis conversionem ad fidem Catholicam censi deliberationem tanti ponderis ut impraesentiarum nulla ejus rei spes fieri posset. Se autem ex tunc fidejubere eum rebellium partibus vi et prospero rerum successu superatis, Catholicis *conscientiae libertatem* decreturum. Sed inter illam rerum fluctuationem, si Parlamentum viribus et autoritate praevaluisset, consilium illud successurum Regis securitati damnosum cum tot essent Parlamenti leges, quibus | ejusmodi concessio summo cum rigore prohiberetur, usqueadeo ut ille conatus Monarchiam cum religione discrimini exponeret, nec ad aliud conduceret. Suas ipsorum secretissimas cogitationes eo tendere ut copiarum Regiarum duces reddant sui studiosos et validum Catholicorum Ibernorum ac Protestantium corpus

instruant, cum quibus eorum exercitus ita roboraretur ut suae Majestatis autoritas cum nativis viribus fortior et potentior evaderet, et insuper Hollandiae, Galliae, ac Romae auxiliis ad eam Hydram Parlamentariam prosternendam uterentur. Spem deinde a se fieri, futurum ut conscientiae libertas Angliae concederetur, Rege semel triumphante et eo adepto statum in quo contumacibus leges praescribere valeret." Sic illa.

(72) Parvo deinde tempore interjecto coacta seditionis late serpentis impetu Regina addidit "*Regem conscientiae libertatem* in Ibernia concessurum, et eodem tempore permissurum ut Angliae Catholici omni gauderent quiete, et legatorum atque aliorum Ministrorum Principum Catholicorum capellas frequentarent. | Devictis quoque Puritanis consensurum ut in Anglia ecclesiae aperirentur, et in omnibus suis regnis liber religionis ac rituum Romanorum usus exerceretur, omnisque alia Religio praeterquam Protestantica extirparetur, idque ita ut a Pontifice subsidia non subministrarentur, nisi stabilito prius in Ibernia libero Catholicae Religionis exercitio." Hactenus Regina. Verum Roma semper sibi constans tantum abest ut sententiam mutavit, ut etiam Comes Rossettus fortiolem Regis conversioni manum admolitus sit hac scriptura Windebanko, Regis Secretario Principi, Italice porrecta.

371
v

(73) "Excellentissime Domine, "Regis, Coronae, et totius regni causa jam ad statum adeo periculosum redacta est ut illorum, qui suae Majestatis et domus Regiae bonum in votis habent, et haec tot mali inducia tanquam funestissima miseriarum multo majorum praeludia contemplantur, silentium sine culpatione ferri non possit, nisi ei animum addiderint, eumque ad salubrius consilium amplectendum exhortati fuerint. Quare non | moleste feras quod tibi libere locuturus linguam laxem. Sit tuae humanitatis exercitium me audire cum patientia, et acquiesce tuae prudentiae in ponderandis in solius Dei gloriam, in Regis tanti, in tam florentis nobilitatis et in regni potentissimi obsequium, ex quibus hoc et illi tam parvum distant a proprio excidio.

372

(74) "Nemo nescit illa esse durabilia quae corpus quod conflant nec perturbant nec corrumpunt, sed conservant ita consertum et dispositum ut non alteretur, vel certe si variatur, ei alteratio non damnum sed parit incolumitatem. Quod si ab alterationibus quas paritur conquassatum et corruptum fuerit, oportebit ut vitae ejus alendae causa ex integro componatur, id reducendo

ad sua principia, quae ei in primaeva constitutione sanitatem, et in prima forma naturali vigorem restituant. Hoc praesuppositum fundamentum semper verum sed his diebus haberi debet infallibile in hoc Angliae regno, cujus corpus, olim adeo pulchrum et tam recto ordine constitutum, nunc videmus tot confusionibus et fatalibus adeo convulsionibus | agitari, ut ne perire permit-

372
V

tamus, opus sit efficere ut renascatur, novamque virtutem imbibat introductione illius religionis, qua factum ut per tot saecula et inter tot Regum successiones prae aliis Europae regnis semper floruerit. Quod inceptum constat esse Regi necessarium, prae-nobile, magnanimum et gloriosum.

(75) "Ex quo enim Henricus octavus, desperatis atque exercrandis Annae Bolenae amoribus seductus, nedum cum Catherina, sed etiam infamem in modum cum Ecclesia Catholica, divortium facere statuerat, repleta sectis Anglia qualibus et quantis preturbationibus non fuit continuo jactata? Quare ab antiquis diebus compertum est et nunc dierum clare demonstratur principatus, in quibus varie observantur Religiones, nunquam non esse turbulentas, Principem saepe in ancipiti poni, subditos in eum amore nunquam ferri sincero, eorum obsequium esse adulationem, et ipsorum obedientiam non naturae inclinationem, sed violentum spirare necessitatis faetum. Unde fit ut omni tempore Princeps suspicionibus et animi inquietudine molestetur, quod sectarum aliqua vel multae simul conjuratae ei nectant | mala, ex quibus haud raro oritur Principatus ruina et ipsius principis exitium.

373

(76) "Viva et crebra regionum vicinarum exempla certissimam faciunt fidem quantopere res ad religionem spectantes invertendis multiplici atque intestina discordia belloque Principatibus et regni vel praetextum vel causam procrearint. Conscientiae enim repugnantia fuit ab aevo subditis et universalis et acer stimulus arripiendi arma in proprium Principem ea mente ut nefariam in eum rebellionem et perfidiam velarent, in quem omne ausum, sicut est perfidum et enorme, ita religionis larva a seditiosis honestari solet. In qua autem mundi plaga (ut veritati litemus) prodigiosi id genus effectus prodierunt, quales nunc huic agitatissimo regno impendent? Hic religionis discrepantia illam charitatem, quae in patriae commodum et bonum commune civibus secum invicem intercedere solet, cum odio et furore commutavit. Hic leges divinas et humanas violari, antiquam naturae sinceritatem corrumpi, et morum puritatem temporibus praeteritis in natione Anglicana tantopere commendatam

contaminari videmus. Sed qua arte et quo | negotio quae 373
 Majestati perniciem non machinantur, qua eum violentia palam
 non oppugnant? Idque animo redigendi Angliae reges in capita
 politica et civilia potius quam Monarchica (quales ante Eduardum
 tertium extiterant) sed mente magis detestabili delendi prorsus
 omnem regiam atque absolutam auctoritatem et potestatem;
 et Rex jam propriarum calamitatum perpetuus spectator id
 ferat socors? Fideles vassali, devoti suae Majestatis servi,
 nobiliores et generosiores animi, quibus innata incumbit obligatio
 facultates et vitam profundendi ad sustinendam reputationem
 regiam, eam hoc opprobrio et immanibus adeo periculis concul-
 catam contemplantur, nec de remedio cogitant? Quod autem
 praesentius excogitari potest antidotum quam Regem adducere
 ut se Deo reconciliet, seque in verae Ecclesiae gremium recipiat,
 illam profitendo fidem quam Imperatores, Reges, et potentissimi
 quique Europae Principes profitentur, illamque ipsissimam, quae
 a Josepho ab Arimathia in Angliam allata, a Petro Apostolo
 corroborata, et postea a Fulgentio, Melitoque de novo praedicata,
 mille prope annorum spatio in hac insula celeberrime floruerat. |

(77) "Haud ignoro non defuturos qui dogmatibus politicis 374
 insistentes dicant, si in aliquo principatu religio bona cum mala
 commutari incipiat, convenire ut tunc tantum occurratur, cum
 mala in partu est et in sui principis debilitate. Nam cum invaluit,
 et stabilita obstinataque possessione in populo propagata est,
 licet salutarum sit consilium ut religio in primaeum statum
 restituatur, applicatio tamen cujuscunque remedii succedit
 mortifera, et omnis mutatio inevitabiles secum trahere solet
 connexiones periculorum et ruinarum plenas, quod conscientia
 in hominibus sit res adeo pretiosa et tactu difficilis ut multo
 consultius sit eam non aggredi, vel certe in aggrediente requiratur
 auctoritas, animi magnitudo et potentia, ne in tanti ponderis
 re ad effectum perducenda succumbat. Verum ego etiam super
 ejusmodi propositione, qualiscunque demum illa sit, eam cuperem
 dicere sententiam et percunctari nunquid diu dicari posset minus
 Regi in continuanda sua praesenti conditione, quam in ea mutanda
 periculum imminere? Inter plures sectas perniciose propagatione
 hac insula invalescentes illa, quae Puritanorum est, superbe
 frontem extollit, et sicut ex | proprio instituto hostem regimini 374
 Monarchico infensissimam semper professus est, sic in illius Coronae
 splendoribus, quae continuo Majestatis plena suorum regum capita
 cingit, nunquam nisi oculo caliginoso intuetur. Quare ut eam
 omnibus alienae petulantiae ludibriis prostituat nullum non

machinatur pravum consilium, et se accingit ad horribilissimam quamque molitionem. Fallaci summae utilitatis ostentatione et speciosa libertatis ac religionis apparentia eorum, qui sorte sua contenti non sunt, animi seditione flagrarunt, et subversis cunctis regni angulis demum provocati fuere ad apertam rebellionem Scotiae Faederati, non considerato quod si ipsis succederet ut hanc Coronam opprimerent, mox ad opprimendum ipsum regnum se converterent et, rebus cunctis eorum avaritiae in praedam irreparabiliter patentibus, in illos ipsos a quibus invitati sunt irruerent prae inveterato odio atque antipathia, qua fit ut Angliae Scotiaeque populi sint inter se insociabiles. Puritani suae Majestati ut Parlamentum indiceret supplicarunt. Sed cur
 375 supplicasse dico cum id extorserint, | suamque Majestatem coegerint non solum ad id convocandum, sed etiam ad consentiendum ut ei interventuri eligerentur, qui mente pessima ducti ipsorum votis student.

(78) "Antehac Angliae rebus familiare fuit ut pro ipsorum arbitrio, exclusis et inclusis quos vellent, Parlamentum convocarent. In quo etiam adeo veneranda et formidabilis esse solebat Majestas regia, ut ex Parlamenti membris nemo eam sibi permetteret arrogantiam qua Regis animo se opponeret. Jam vero quis non videt quantopere suae Majestatis status majorum conditione deciderit, cum effrenis ipsorum suorum subditorum cupiditatis satellitem agere cogatur. Quod si quisque Rex generosus subditis cum limitatione imperare dedignatur, multique fuere, qui Monarchae decoro injurium existimarunt ut a legibus dependeret, quanto magis suae Majestati censendum est abjectum et indecens non agnosci circumscriptam populi judiciis et legibus sui sceptri auctoritatem, sed totius mundi regibus conspicientibus Majestatem regiam exautorari, eam subjiendo illorum phrenesi, quos Deus et natura ipsi subdiderat.
 375 In summa | eum ad deplorandam adeo conditionem redigerunt
 v ut nihil ei quod Regem sapiat fecerint reliquum praeterquam nomen, re ipsa obsequio et viribus destitutum.

(79) "Ex his colligi potest, Regi magis expediat fortunam experiri quo eam meliorem reddat, an vituperabili otio committere ut ipse in hoc suo miserabili statu inter hostium manus pereat. Et nonne nuper dictum fuit Regem in ea versari conditione ut ei vel se determinandi ad certam animi sententiam, vel certe pereundi necessitas incumbat? Sed politia temporalis pro praesenti seorsim relinquatur. Siquidem probe scio conscientias non admittere majoris interesse stimulum quam animae

salutem, omnibus mundi hujus rebus praeferendam, cum de paenae vel gloriae aeternitate agatur.

(80) "Proponitur ergo ut Rex suae religioni non bonae Nuntium remittat, illamque amplectatur quae Conciliorum, Sanctorum Patrum, Martyrum, Imperatorum, Regnorum, Populorum, legum, Academiarum, Historiarum, annalium et tantorum antiquitatis | monumentorum autoritate nititur, tanquam vera, infallibilis, et sine qua nemo salvari potest sed irremissibiliter damnatur. Sed ad agendum de religione et indubitata nostra veritatem, nec non ad omnium aliarum fallaciarum et perditionem demonstrandam, plus temporis et major opportunitas requireretur. Quamobrem repeto non esse Regi diutius differendum propriis infortuniis remedium, et tempus postulare ut in populo obedientiam et devotionem restituat, contumacium superbiam reprimat, primaevam suam recuperet reputationem et filiorum ac posterorum statum in tuto collocet, cum suae Majestati cavendum sit ne Puritanorum vires magnis passibus crescendo, ejus successores in ruinam, in quam impraesentiarum non possent, protrudant. Ad procuranda ergo haec bona non est medium nec efficacius nec salubrius quam reunire et colligare voluntates antiquo religionis Catholicae vinculo, quae una in regno populum concordia | et amore necteret, idque perageret ut in unum corpus robustum coalesceret et coagmentaretur pars regia, quae caeteris regni partibus melior esset et validior, usqueadeo ut magis robore procederet Catholicorum Ibernorum auxilio, qui magno semper sunt numero et sollicita tenentur anxietate demum recuperandi liberum suae religionis exercitium. Quare hae vires ad observantiam fidemque in rebellibus redintegrandam fovendamque sufficerent, debellando et frangendo fastum Puritanorum, qui in hoc casu multum deteriores essent potentia ad resistendum viribus regiis, et quotiescunque illi qui praetensam Germaniae, Galliae, atque Hollandiae religionem reformatam profitentur, aliis apud Angliam adversus vires regias opem ferrent, Regis copiae continuo evaderent potentiores eo magis quod alii Principes Catholici in ejusmodi occasione tenerentur semper auxiliari in suae Majestatis defensionem. |

(81) "Demonstrata ergo incepti necessitate descendamus ad discurrendum de ejus possibilitate, cui aperiunt ostium magnum praesentes circumstantiae, si non ad executionem certe ad sternendam viam rei exequendae, ubi per tempus et rerum conditionem liceret. Interea propositum adeo bonum suae Majestati negligendum non est. Nam ab exemplis ipsaque ratione dicamus

376

376
v

377

subditos nullo negotio sequi in nominis regii Majestate mores, et ipsam sui Regis religionem nobiles et primores si non alio incitamento certe (ut mentes humanae se proprio commodo trahi haud aegre sinunt) ea mente attraherentur ut Principis benevolentiam sibi conciliarent, velejus favore studioque non deciderent quo dignitates publicas sartas tectas haberent, munerumque administrationes atque aulae honores, emolumenta quoque et divitias, assequerentur. Vulgus autem illiceretur, cum semper ad id festinet quod in Regis et nobilitatis exemplo imitandum proponitur. Praeterea ubi sua Majestas favoribus, praemiis, et pollicitationibus, sed potentius Dei, qui | caepta bona invisibiliter secundat, auxilio animos sibi conciliaverit, ei non deerunt viae compellendi autoritate et vi eos qui restituerint. Homines sumus omnes, et quod semel habitum fuit justum et conveniens, licet re ipsa tale non fuerit, postea tamen evadit tale alia occasione plus honesta et sancta quam prima a recto exorbitavit. Cum autem tanti negotii executio ambiguitati atque obstaculis obnoxia sit, talem quidem non aggredieretur, nisi qui ad fortunam bonam aspirarent, adeoque ignavi et pusillanimes ejusmodi difficultatibus superarentur, sed animi generosi nulla arma hostilia, nullos fortunae obices vincere non possent. Credendum quoque est aliquid Dei brachio, qui si suae Majestatis animum et conscientiam bene affectam repererit, nodi quantumvis difficilis extricandi rationem subministrabit, et (sicut providentia aeterna bonum ex malo exprimere solet) fieri potest, quod Deus suis immutabilibus decretis praeordinaverit, ut ruinae et perturbationes Regi viam aperiant ad suam conversionem. Forsan etiam afflictiones sunt | animadversiones et admonitiones paterni brachii Dei ad dandum suae Majestati intellectum et lumen quo illa agnoscat debita, ad quae omnis perinde Rex atque infimus quisque mundi incola tenetur. Quicumque enim veram fidem, quae Catholica est, semel profitetur, aequae ipsi pudendum est ab ea desciscere ac militem autoratum dedecet non praestare fidem ei cui se cum juramento devinxit. Denique quisquis sic a fide deflexerit habendus erit infamis divinarum et ecclesiasticarum legum desertor et violator. Quare Rex consideraret hanc esse religionem, quam sui praedecessores tam religiose coluerant, et sanctis adeo virtutibus praedita Regina, ejus avia, professa fuit, cui potissimum horum regnorum successionem haereditarium debet. Illa ipsi reliquit exemplum non eam fidem contaminandi differente atque aliena religione ab ea quam Ecclesia Catholica praedicat, sed in ea constanter vivendi et flocci pendendi ejus causa horrorem diutur-

nissimae custodiae, ipsamque demum mortem. Sua autoritas, nominis Majestas, | rectae mentis, comitatis, mansuetudinis, et tot aliarum virtutum opinio ac ipsius causae justitia pro Rege militabunt. Inveniendis deinde mediis rei tantae exequendae paribus Rex atque intimi providentissimique consilarii pro ipsorum prudentia invigilabunt. Controversiae cum Scotis impraesentiarum componendae sunt modo quam componi possunt optimo, et si successerit ut id in Coronae praejudicium vergat, Puritanorum tamen atque eis adhaerentium animi postea dextere soporabuntur. Praecipui portus, melioresque civitates et propugnacula bene munita in eorum, qui fide incorrupta sunt, potestate collocabuntur. Exterae vires auxiliares ex natione quae Anglis minorem pariat suspicionem, quaeque ipsis magis accepta sit, in insulam introducentur. Possunt fieri terra marique debitae praeparationes et instrui naves tam onerariae quam bellicae cum re annonaria et apparatu militari quantitate pro viribus maxima disponderentur opportune ex omni parte copiae | militares unaque opera daretur aliis mediis, quae faelici hujus negotii successui magis accommodata haberentur, quod sua Majestas in bonorum omnium satisfactionem opere complere valeret.

378
v

(82) “ Ut autem hoc opus omni prava habitudine purgaretur, et sanum solidumque redderetur, conveniret non omnia simul tentare, sed cum remediis efficacibus pedetentim auspicari, deindeque prosequi caetera semper adhibenda cum dexteritate, judicio, viis suavis et summa affabilitate. Utque juvenus pravorum dogmatum fallaciam discerneret atque in melioribus profectum faceret, aperiendae essent Universitates Catholicae, parochiae a pastoribus Catholicis administrandae, providendum locis de bonis sacerdotibus, Catechismi frequentandi, edendi in omnibus regni angulis doctrinae sanae libri, praescribendum ut ludimagistri, librarii et typographi non alii forent, quam qui Catholicam religionem profiterentur, et denique peragendum ut de aliis id genus | mediis ad religionem in securo ponendam et stabiliendam necessariis prospiceretur. Hunc in modum eo procederetur ut istius inclytae Monarchiae status ordoque firmaretur, quod cives omnes unanimi cordis et operis concentu, sanctaeque Ecclesiae unionem stricte conjuncti nunquam discordarent, defendendo et conservando causam communem juxta mensuram qua omnium interesset.

379

379
v

(83) “ Hunc in modum illi Puritani et alii turbulenti ac factiosi rerum novandarum animo insurrecturi facile in officio continerentur et deprimerentur. Siquidem igne extincto scintillae sub

380 cineribus residuae haud operose perstinguntur. Sic etiam Rex, nedum suae, liberorum quoque et subditorum conscientiae securitatem afferret, sed etiam actionum omnium, quae hodie in orbis Catholici theatro repraesentari possunt, insignissima et generosissima adeoque fama immortalis suum nomen celebraret, Coronae splendores primaevos et regiae Majestati reverentiam restitueret, hostibus timorem incuteret, et | Principum omnium nunc in Christianos dominantium potentissimus evaderet et maxime tremendus. Licet enim olim quam nunc dierum Angliae regnum mage prosperum fuerit et plus floruerit, nihilominus colligatis fidei nexu pace et amore populi animis eo progredereetur potentiae, ut nulla forsitan alia potestate debellari posset. Anglia siquidem multis commodis ab ipso situ petitis gaudet, quod undequaque sit insula, proindeque partim ob regionis interioris ingenium, partim ob incolarum genium, cujuscunque nationi externa valde fovet operosum in ea penetrare, nec minus esset difficile diu in ea pedem figere. Cum enim hoc regnum undique oceano claudi muniri nemo non videat, et pauci in eo portus sint, quis non judicet in proclivi esse ut eorum aditu quicunque exercitus intercludatur.

380 v (84) "Itaque ad summam illam et securam potestatem, aestimationem et dignitatem, quam religionis mutatione Monarchia Anglicana perdiderat, ei redhibendam nihil ipsi deest, quam | ut respiscendo veram Dei legem in antiquo statu iterum collocet, et cultum divinum ad Sanctae Ecclesiae Catholicae normam revocet. Quo casu subditi suam Majestatem tanquam dominum observarent et velut Regem timerent. Tunc maximi quique orbis Christiani Principes de ejus amicitia parentelis atque aliis viis aucupanda inter se contenderent, ipsaque dominia et potentatus haeretici negotiandi utilitate ducti operam darent ut eum haberent in amicum, et sibi cum ipso bene conveniret, idque studiis tanto intensioribus quanto magis scirent ipsis futuras eum timendi causas rationi consentaneas. Quin etiam operis adeo sancti executio cunctorum Principum Catholicorum applausu exciperetur. Et sicut rationes politicae, quibus Gallia ducitur, magis forsitan ad aequilibrium redactae videntur, ejus Rex illam executionem in votis haberet non tam Reginae (Angliae) causa, nec tam quod illa sit sua soror (rationes enim politicae sanguinis vinculo praeponderare solent) quam prae illa bona indole, quae illi Regi *justi* cognomentum gloriose comparavit, et prae pio | 381 religionis zelo, quo in procuranda apud suum regnum haeresis extirpatione flagrans veterem *Christianissimi* titulum in se

bene quadrare demonstravit. Omnes etiam sinceri Galli ardentem anhelarent ad gloriose mandandum aeternae memoriae quod sub suae nationis Regina Christi fides in Anglia renascetur et refloresceret, sicut ibidem priscis retro saeculis sub alia Gallicana revixerat.

(85) "Sed ut majori cum fundamento discurremus. Ex antiquis et modernis exemplis liquet ita gentem illam a natura constitutam esse ut arma, quae cum exteris deposuerit, haud raro in se ipsam distingat. Unde (quod consecutaneum est) licet sperandum sit Deum non permissurum ut debellata in eo regno toties nascentis haereseos hydra viribus revallescat, divinae tamen Providentiae arcana tam nos latent, quam rerum mundanarum vicissitudines nobis patent, proindeque si futurum esset ut Calvinistae in Gallia aliquem vigorem resumerent, superiorum temporum experimentis constat quantum incitamenti atque auxilii ex Anglia mutuari possent ubi, nisi eadem esset religio et interesse, Gallia forsitan extaret libera ab omni suspitione. Nec obiciatur futurum ut Regi Angliae aperiretur aditus ad jus in illam Coronam magis praetendendum cum esset Catholicus, quod haec sit conditio necessaria atque essentialiter requisita quo quis Galliae sceptrum teneat. Respondetur enim non censendos tam parva pietate Gallos ut rei non applauderent ardentem desideratae ab omnibus qui Dei gloriam et obsequium, suae sanctae fidei conservationem et propagationem magno zelo exoptant. Quinimo probabilius est Angliam persistendo in praesenti religione futuram Gallis suspectam quam (profitendo fidem Catholicam) ab ipsis vocandam in suspitionem, quam etiam illi ob moderatam Regis Caroli modo regnantis indolem omnino a se amoliri deberent. Quod si aliquis Rex, animo et ardentiori et majori dotatus, atque in propriam amplitudinem nec non in augendam quovis modo monarchiae ambitionem intentus, hic succederet, et aliquam expeditionem vel invasionem in Galliam meditaretur, incepti difficultate a sententia demoveretur. Nam Normandia, Britannia, Aquitania et Vasconia, Galliae provinciae principales, omnia propugnacula, portus omnes, et ejusdem regni loca cujuscunque momenti omnia, quae praeteritorum Angliae Regum conditionem potius reddiderant, sunt in Gallorum potestate. Praeterea notum est quantopere ab externorum dominatu abhorrent, et legem Salicam venerantur, ne alteri Regi quam Gallo et linea regia oriundo subiaceant. Quod cujuscunque ad id aspiraturum omnem rei spem et mentem adimere deberet.

(86) "Ardenti autem voluntatis studio et cordis propensione

381
v

382

insigne adeo opus a Rege Hispaniae (ut credere par est) approbaretur et secundaretur ob augustissimum Catholici titulum quo ille conjuncto cum suo nomine gloriatur se frui, multoque plus se illi operibus respondere protegendo universalem sanctae Ecclesiae causam, cujus patrocinium profitetur. His piis considerationibus aliae rationes politicae adjunguntur, nempe Hispanis nihil succedere posse utilius quam ut ab illa Flandriae parte, quae huic insulae objacet, et invasioni tantopere exponitur, viciniae semper suspectae metu liberaretur. Regnante enim Elizabetha hinc rebellionum Belgiarum incitamenta et auxilia scaturierunt, et hinc Indiarum | molestiae atque illata classi (Hispanicae) tot damna prodierunt. Verisimile autem est omnes Angliae Reges, quamdiu in religione quam hodie observant perseveraverint, in eadem animi sententia perstituros etiam prae suspicione quam vires Hispanicae huic insulae gignunt. Sed hoc regno cum Ecclesia Catholica reunito, posset Hispania continuo sperare amicitiam, quae huic Coronae cum Batavorum Republica intercedit, dissuendam, et Angliae benevolentiam ac confaederationes parentelae vinculo sibi conciliandam, ac futurum ut hac ratione rerum, suarum conditionem redderet notabiliter potio-rem.

382
v
(87) " Sed omnibus aliis Principibus Catholicis, qui exequendo proposito tam sublimi praesto essent, praetermissis, Summus Pontifex, qui semper omnium saluti animum intendit invigilatque, nihil sibi magis gratum reperire posset quam cernere hoc nobilissimum regnum Sanctae Ecclesiae reconciliatum, et suo antiquo splendore ac Majestate coronatum, stabiliendo Regem qui ad fidem Catholicam conversus violatum Fidei Defensoris titulum resumeret. Quare sua | Sanctitas, quem posset omnem hominum, pecuniarum, et mediorum favorem atque opem impenderet, quo suae Majestatis cogitata et deliberationes protegeret et secundaret.

383
(88) " Tu ergo qui es *Minister Status* adeo principalis et tantae reputationis, quique raris adeo prudentiae, consilii, sagacitatis et scientiae praerogativis ornatus, quantam tibi gloriam comparares inducendo Regem omni cum efficacia ad amplectendum hoc propositum non minus necessarium, possibile, magnanimum, et (sicut demonstratum est) gloriosum quam sanctum et salutare, in quo concurrunt ratio, honestas, et utilitas animarum Regis, filiorum et subditorum, cum antidoto ruinae quae his tribus regnis imminet. Sua Majestas redacta est ad extremam necessitatem vel absolute imperandi vel obediendi cum indignitate suis subditis et efficiendi ut ab ipsis timeatur, vel certe vivendi cum maximo eorum timore et periculo, ita tamen ut suum excidium et

incolumitas aequa lancea a suae Majestatis arbitrio dependeant." Hactenus Minister Apostolicus.

(89) His monitionibus Rex Carolus aurem non prae-buit, |
justo Judice permittente ut in propriam ruinam inter lucem et 383
tenebras animo perplexo fluctuaret, sed Windebankus, Regis
Secretarius, cujus interventu Comes Rossettus cum Rege de Fide
Catholica amplectenda agebat, Deo specialiter providente eo
redactus est ut his Ministri Apostolici monitionibus salutaribus
acquieverit, de quo *Historiae Belli Civilis Angliae* author ad
annum 1640: "Franciscus (inquit) Windebankus, Miles, Princi-
palis regni Secretarius, arcta amicitia Laudo Archiepiscopo
junctus, per quem dignitatem illam adeptus creditur, in
judicium eodem tempore vocatus est. Praecipuum illi crimen
objectum fuit nimia erga sacerdotes Romanae Ecclesiae (contra
leges Angliae) indulgentia, e quibus alios (Regis aut Reginae jussu)
carcere liberasset; alios fidejussoribus datis illegaliter dimisisset.
Quibus criminibus disquirendis delegati sunt e numero Parla-
mentariorum aliqui. Windebankus vero, conscius sibi, et judicium
timens circa initium Decembris clam aufugit et in Galliam pro-
fectus est." Haec ille haereticus, qui Widebankum ad ineuntem
Decembrim anno 1640 aufugisse indicat, juxta quem temporis
calculus haec ultima Rossetti scriptura non ad annum 1641
(sicut Sirius, quem secutus sum, tradere | videtur) sed eodem 384
anno 1640 Widebanko porrecta fuit. Quicquid autem sit de
temporis circumstantia Rossettum cum Windebanko usque ad
ejus fugam egisse et ipsi scripturas a me in medium productas
tradidisse certo didici. Porro Franciscus Windebankus in Galliam
dilapsus ibi haeresi nuntium remisit, et post reliquos vitae
dies ibidem pie nedum Catholice transactos, demum
gloriosus Christi causa exul Parisiis obiit, apud S. Germani
Monasterium Abbatiale in sepulturam datus. Quibus addendum
est ejus uxorem una exulem in Gallia pariter decessisse Catholicam,
et filium, Thomam Windebankum, census pariter Equestris, uxor-
emque et liberos patria quoque exules in Francia fidem Catholicam
professos, demum, Rege Carolo secundo (sicut videbimus) ad
annum 1660 in integrum restituto, in Angliam remigrasse ubi
(sicut rescivi) in fide Catholica constanter perseverant, Thoma
gaudente quod, in fidei odium nec paternum, nec cujus spes ipsi
facta fuerat, aliud a Rege officium publicum obtinuerit. |

(90) Guillelmus Laudus praefati Thomae Windebanki, dum 384
litteris operam daret, paedagogus, ejus maxima deinde apud
v

Regem fide in pseudo-archiepiscopum Cantuariensem assumptus est. Qui licet mundana sapientia excaecatus et Parlamenti Anglicani furorem sedaturus effecerit ut Rex profligatissimas suas aliorumque pseudo-episcoporum constitutiones sanguine Catholico rubentes suo placito 13 Junii 1640 dato munierit, et quamvis eadem mente Regem presserit ut Ministrum Apostolicum Comitem Rossettum Anglia deturbaret, rebus tamen prudentius consideratis, ipse atque alii pseudo-episcopi judicarunt quam certa sibi ipsis a rebellibus praesertim a Puritanis praelatorum etiam haereticorum impatientissimis ruina immineret. Quo factum ut Deo ipsis *revolvente lapidem ab ostio monumenti* clarius potuerint introspicere et judicare Jesum non esse in ipsorum Ecclesiis
 Marc. 16
 Ibid. audireque illud Evangelicum: *Jesum quaeritis Nazarenum Crucifixum: Non est hic.* Quare pseudo-Cantuariensis clandestina internuncii, P. Aegidii, Franciscani Itali, legato Veneto
 385 Londini se tenenti a Sacello, opera, Comitem Rossettum, | quem prae suorum haereticorum metu convenire haud audiret, libenter audiebat. Eoque demum ventum ut pseudo-Cantuariensis obtulerit se Romam profecturum, ibique palam fidem Catholicam professurum, ea lege ut Pontifex sexdecim millia scutorum annua ipsi numeraret, quod suo archiepiscopatu Cantuariensi et ejus proventibus se abdicaturus esset, ut fidem et Ecclesiae causam in Anglia promoveret. Verum re Romam litteris annunciata Cardinalis Barberinus Pontificis nomine respondit mille quingentaque scuta Praelato non nepotaturo Romae suffectura, ut vitam et statum cum decore sustentaret. Interea justus judex permisit
 3 Reg. 18.
 ut, dum pseudo-Cantuariensis *in duas partes claudicaret*, universa pene seditiosorum factio eum in Parlamento perduellionis accusavit, qui etiam 18 Decembris anno 1640 ita in Turrim Londinensem coniectus est, ut amplius nullo modo, ne per internuncium quidem, cum Ministro Apostolico de conversione agere potuerit, et, Deo in peccatorum paenam permittente, obierit haereticus
 385 mense Januario anno 1645 (sicut videbimus) securi | percussus,
 v postquam quadriennio integro et quod excurrit in ea custodia miserrime squaluisset.

(91) Aliorum quorum salutem aeternam Minister Apostolicus curabat, haud ultimum fuisse invenio Jacobum Usserum, Iberniae pseudo-Primates, si non patre, certe matre Catholica, illius Sillographi et sycophantae, Richardi Stanihursti qui de rebus Iberniciis libellum famosum ediderat, sorore natum, sanguine Anglicano ita oriundum ut haec cognatio et morum sympathia, nec non ad gentis, ex qua originem traxerat, normam educatio et

par vivendi consuetudo, ac demum rei familiaris augendae cupiditas ipsi velatam et intritam tot escis haeresim propinavit. Quam ille infeliciter haustam infaelicius in Iberniam propagare conatus est. Nam cum ingenio valeret, atque in litteris graecis ac latinis profecisset, primum ad pseudo-episcopatum, deindeque ad pseudo-archiepiscopi Armachani munus adipiscendum sibi viam stravit ut diligentissimus antiquitatis scrutator pestilentibus aliquot opusculis in lucem editis fidei bellum indixerit, irritum tamen adeo conatu ut in | Iberniam pervertendis pene operam luserit. Quorum ille, stupendam inter tot persecutiones constantiam admiratus, et in via iniquitatis jam lassatus, demum cogitare vias suas et dogmatum haereticorum fallaciam suis ponderibus librare caepit, libenter Vadiponti, ubi in Iberniam plerumque residebat, usus consuetudine R. P. Barnabae Barnevalli, Capucini Ibernici, et suae Religionis in Iberniam per plures annos Commissarii generalis, viri docti, religiosissimi et illius viciniae nobilitate conspicui, proindeque Ussero, in eadem vicinitate nato, etiam hac ex parte grati, ut credendum sit eum Barnabae colloquiis et conversatione vere apostolica haud mediocriter fuisse adductum ut haeresi nuntium remittere statueret. Ille siquidem Capuccinorum ordinem tanti fecerat, ut eorum historiam de longinquo sibi comparaverit, quam Capucini Ibernici ad primos belli deinde anno 1641 inchoati motus in copiosissima illa bibliotheca libris undique et apud Iberniam conquisitis et in Iberniam aliunde apportatis ab ipso instructa reppererunt. Eum quoque ante illud bellum sub ore haeretico cor | Catholicum aluisse colligendum videtur ex ejus libro de Britannicarum Ecclesiarum primordiis ad annum 1639 ita edito ut diem 4^m Non. Augusti, quo mense Comes Rossettus Londinum pervenit, appositum videamus praefationi, qua lectorem praemonet. In quo ejus volumine haud pauca sunt quae animum jam Catholicum valde redolent, nihilque (quod sciam) ibi habetur haeresim aperte spirans praeter solum *Fidei Defensoris* titulum, quem Carolo 1^o Angliae Regi haeretico ad epistolae nuncupatoriae frontem sectariorum more ita attribuit, ut secus suam Catholicismi profitendi mentem haereticis prodidisset. Quicquid autem de ejus tunc animo sentiendum sit, Londini paulo post internuntio P. Aegidio Franciscano Italo jam dicto, cum Ministro Apostolico, Comite Rossetto, egit de obtinendis ab Urbano VIII. sedecim millibus scutorum annuis, ut ea lege archiepiscopatus Ardmachani proventus, unaque haeresi renunciaret, seque Romam | conferret palam urbe et orbe fidem Catholicam professurus.

386

386

v

387

Cumque exploratorum haereticorum metu possessus diu Comitem convenire non ausus esset, demum ut alter Nicodemus, eum in occulto bis visitavit. Verum Cardinalis Barberinus (sicut de pseudo-Cantuariensi diximus) mille quingentaque scuta Praelato Catholico ad suum statum Romae cum decoro frugaliter sustinendum suffectura Pontificis nomine respondit. Et sic Usserus avaritia detentus ita suam conversionem procrastinavit, ut paulo post homo miserabilis mense Maio 1641 Strafordiae Comiti, Iberniae Proregi, tunc Londini securi percusso astiterit haeresim in mortis articulo profitenti, eumque prae omnibus aliis in spirituales animae partem eligenti tanquam religionis Protestanticae Apostolum et petram angularem. Quo documento nobis constat quam perniciosus et subdolos fuerit (instar plurimorum aliorum haereticorum) simulandi dissimulandique artifex Usserus cum suo pseudo-Cantuariensi illorum simillimus, de quibus | Evangelista: "Verumtamen (inquit) et ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter Phariseos non confitebantur ut e Synagoga non ejicerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei."

387
v

Jo. 12.

(92) Hanc Usseri cordis duritiam Deus post pauculos deinde menses vindicavit, ortis mense Octobri (ut videbimus) an. 1641 motibus Iberniciis, quibus factum ut ille reliquos vitae dies omnibus suis in Ibernia archiepiscopatus Ardmachani proventibus excussus fuerit. Qua esca frustratus et retinaculo liberatus ita in haereseos palam abjurandae sententia perstitit ut ejus uxor postea Parisiis patria exul Joanni Kertono, Doctori Medico, natione Anglo, (ut ipse mihi non semel retulit) confidenter aperuerit et constanter asseveraverit illum propediem et palam fidem Catholicam amplexurum. Quod tamen de facto successisse mihi non constat, licet audiverim vix dubitandum, quin Catholice decesserit et clam paenitentiam egerit. Quicquid sit aliquot annos, quibus inter hoc bellum superstes fuit, in Anglia pedem fixit, ubi pensione annua, qua (credo) | inescatus conversionem distulit, a rebellibus donatus, demum ad hujus belli finem Londini diem obiit, funebri pompa ab haereticis tanquam suae sectae pugil in sepulturam datus, nulla post se relicta prole nisi filia unica haeretica apud Angliam elocata.

388

(93) Ad Comitem Rossettum redeo. Cujus conatus ad Regem et regnum convertendum in Anglia adhibiti, et pericula, quibus se fidei causa exposuerat, aliaque ab eo praeclare gesta tolerataque, ubi Urbano VIII. in Urbe innotuissent, Cardinalis Barberinus suae Sanctitatis nomine has ad eum litteras Italice dedit.

(94) "Illustrissime Domine.

"Superfluum est ut ipsi dicam animi oblectationem et satisfactionem quam suae Sanctitati obsequium ab ipsa praestitum peperit et parit, meam quoque gratulationem, et quantopere rebus ab ipsa in aula ista gentis fama applaudit, quantique suae virtutes habentur. Aegre fero tam breve mihi superesse tempus ut per id mihi non liceat sensa explicare meisque votis respondere, ipsam consolando inter molestias quas patitur et angustias quibus | implicatur. Deus Optimus Maximus, in cujus obsequium ante omnia incumbit, ipsi assistat, et ego ex toto corde me ipsi offero ad obsequium et confirmo.

388
v

Dominationis Vestrae studiosissimus
Cardinalis Barberinus."

Romae 13 Aprilis.
1641.

(95) Re ipsa nemo inficias iverit Comitem Rossettum in Anglia praeclaros ad suam legationem in Anglia rite obeundam conatus adhibuisse, et interea saevissima in Catholicos omnes, praesertim in clerum, et prae aliis in ipsum quia Ministrum Apostolicum concitata a Parlamentariis persecutione, eum creberrimam subiisse capitis aleam ut instar miraculi sit quod evaserit, nec absurde sibi applicare potuerit illa verba Davidis ad Jonatham: *Vivit Dominus et vivit anima tua quia uno tantum* (ut ita dicam) *gradu ego morsque dividimus.* Eo enim ipso tempore quo seditio ardens serpebat, nempe mense Augusto 1639, Londinum pervenerat, ibique reliqua illius anni parte et toto anno 1640, nec non aliquot anni 1641 mensibus perstitit. Quo temporis spatio Scotiae atque Angliae rebelles nefaria | in Deum ac Regem societate demum conjuncti quanto furore in Regem, binas Reginas, regios omnes et prae omnibus in Catholicos tumultuati sint tam est notum et notorium quam quod maxime. Porro praecipua tumultuantium querela in Regem et regios etiam in pseudo-praelatos fuit quasi ipsis cum Papa clam convenerit et Papismum (sic illi Catholicismum vocitant) partim jam introduxerint partim introducturi essent, allegabantque eo fine ab Urbano ad Regem recenti memoria, unum post alterum tres Nuncios Apostolicos, Panzanum, Conaenum et Rossettum, missos, quorum hic etiam tunc illo officio in aula palam fungeretur, et omnium vel pene omnium (ut aiebant) innovationum quarum illi Regem, regios, et Catholicos criminabantur esset instigator, author et architectus, per clandestinas Romae quidem cusas sed Londini ab ipso

1 Reg.
20

389

suggestas, molitiones. Quod si tanta illos nebulonum coryphaeos
 egit rabies ut interea in alios plurimos, nedum Catholicos sed
 389 etiam haereticos, tanquam malorum ab | ipsis Regi objectorum
 v facies tunc saevierint, quanto magis fidem habet eos in Ministrum
 Apostolicum supra modum excanduisse. Hinc Puritani quadam
 dierum in ejus domum irruerunt turbulento adeo impetu ut haud
 aliud ei ad confessionem sacramentalem faciendam superfuerit
 tempus quam dum cum Capellano in quodam cubiculo vestes
 mutabat, ut sub aliena specie tutius evaderet. Quo temporis
 brevi intervallo non genuflectens nec sedens nec continuo stans,
 sed augendae simulationis causa deambulans, sua apud Sacellum
 peccata deponebat, qua vice nisi eo stratagemate in Reginae
 matris, Mariae Medicis, Palatium se subduxisset, (jam erecta
 tabularum contignatione et aliis praeparatis ut citra moram
 capite plecteretur) mox e medio tollendus fuisset, sed nec apud
 Reginam Matrem ita asylum reperit quin barbari carnifices nulla
 Reginae rationem ducentes nunc noctu nunc interdiu in ejus
 domo ipsum septies conquisierint ut morti adjudicandum ad
 390 Parlamentum raptaretur, quibus tamen omnibus periculis
 genere spretis, Londino non | discessit quamdiu ulla ipsi
 affulgebat spes fore ut Regem ad fidem Catholicam amplectendam
 adducere valeret. Sed hujus demum expectationis irritus, Rege
 atque ambabus Reginis, nec non Reipublicae Venetae ibi legato,
 Joanne Justiniano, aspirantibus, Puritanorum insidias et furorem
 faeliciter eluctatus in Belgium navigavit, quo etiam Maria de
 Medicis, Regina Christianissima, trajecit, populo Anglicano ejus
 discessum laete ferente quod, dum in Anglia permanserat, Rex
 illi centum libras diurnas easque Anglicanas seu (ut loqui amant)
sterlingas exhibuisset. Caeterum Comiti Rossetto in Continentem
 advecto Cardinalis Barberinus scripsit Italice duas epistolas quas
 hic unam post alteram habe.

(96) " Illustrissime Domine.

" Si ultimae angustiae alias quas Dominatio vestra dum in Anglia
 se teneret passa erat in rigore superarunt, non minus etiam
 demonstrata est sua constantia et zelus in sustinenda perinde
 propria reputatione ac sui Principis dignitate. Istum etiam
 390 omnimodum periculorum contemptum et nullum in se timori |
 v locum esse ostendit, ut ventum est ad tempus quo illius regni
 conditio ipsi intulit necessitatem accingendi se ad discessionem
 tamdiu a Dominatione vestra dilatam, licet ipsi concessa fuerit
 citius abscedendi licentia. Si ergo Dominatio vestra contenta

modo quo intraverat permanserat et egressa est illud Regnum, cujus statum et tranquillitatis ac gloriae naufragium cum Dominatione vestra deploro, Deumque precor ut omnia bene vertant. Spero me brevi et facile proxima septimana ipsi scripturum quid agere debeat? Interea certiore reddo de satisfactione quam obsequia domino nostro attulerint, et quod omni cum promptitudine in occasionibus semper ero.

Dominationis vestrae studiosissimus
Cardinalis Barberinus."

Romae, 29 Junii
1641.

(97) Altera epistola hic sequitur :

"Illustrissime Domine.

"Dominationis vestrae ex Anglia discessio haud honore caruit cum quo in illo regno moram contraxit, ubi et virtute et bono modo et strenuis | conatibus in religionis Catholicae et suae Sanctitatis obsequium adhibitis omnes suas partes peregit. Spero praeter consolationem exinde inter tumultus ad Catholicos derivatam demum futurum ut uberius sui laboris fructus metatur. Horridius anni tempus est, quod terram reddit pinguem et semina ad plantas producendas disponit talem Ecclesiae incrementis opem attulit persecutionum desiderium. Interea Dominatio vestra sit ea animi tranquillitate quam fidelitas, labor, mediorum applicatio, et obsequiis fideliter exhibiti memoria ipsi pariant. Interim Dominationi vestrae me ad obsequendum singulariter offero

391

Dominationis Vestrae studiosissimus
Cardinalis Barberinus."

Romae, 27 Julii
1641.

(98) Rossettus, dum in Belgio commoraretur Archiepiscopus Tarsensis salutatus, inde Pontificis jussu Coloniam Agrippinam se recepit, ab Illustrissimo Domino Nuncio ordinario Apostolico, nunc Christi in terris Vicario Alexandro VII, praesbyter ordinatus, ibidemque ab Urbano VIII. in Nuncium extraordinarium cooptatus, quo paci universali inter Principes Christianos contrahendae | interesset quod Coloniam Maria de Medicis Reginae matris Christianissimae morienti astitit et Ecclesiae sacramenta administravit, ibidem in Episcopum Faventinum, deindeque

391
v

anno aetatis 29 in Cardinalem ascitus, et de illa sui promotione monitus a Cardinale Barberino per litteras Romae 13 Julii 1643 datas, quae Cardinalitiam dignitatem magnis ejus meritis debitam fuisse testantur. Porro paucis septimanis interjectis eodem anno a Pontifice assumptus fuit in Legatum a Latere, qui Monasterii in Germania praedictae paci universali ineundae interesset, monitus tamen ut Sedis Apostolicae et suo honori consulturus Monasterium non pergeret nisi prius illo profectis praecipuis Principum Catholicorum *Plenipotentariis*. Quibus de facto tunc eo non profectis sed aliis magnis quidem, atqui inferioris ordinis eorum ministris illo destinatis, Cardinalis Rossettus anno 1644 Romam revocatus est, non eam modo ob causam sed et ob aliam, quod scilicet Urbanus VIII. extremo morbo laboraret, et Cardinales Romam | advocandi forent successoris electionem. Ad quam ille tunc inaugurato Innocentio X. deindeque ad aliam Alexandri VII. anno 1655 celebratam concurrat, et dum haec scribo Faventiae residet post multos annos in ea sua diaecesi vomere evangelico excolenda perutiliter collocatos.

(99) Ad Angliae Regem redeo. Qui cum in Angliae Parlamentariis a furore revocandis operam lusisset, 10 Augusti 1641 Londino discessit in Scotiam profecturus ut praesens Scotorum animos seditionis aestu flagrantem mitigaret, eorumque viribus a Puritanorum Anglicorum conjuratione revocandis in Angliae seditiosos uteretur.

(100) Inter haec Guillelmus Parsonus et Joannes Borlasus, duumviri, Iberniae (post truncatum capite Strafordium) Justiciarii, licet magnam in Regem fidem simularent, Angliae tamen Parlamentariis in ejus praejudicium clandestinis machinationibus studebant. Hinc factum ut exercitus ille, quem in Iberniam Strafordio, Prorege, antea, ut Regi in Scotos aliosque haereticos rebelles bellaret, conscriptum | fuisse vidimus, Parlamento Anglicano praemente, facile exautoratus sit, licet eodem parlamento 28 Aprilis 1641 apud Regem instante ut illi exautorationi acquiesceret, Rex nullo modo se consensurum responderit, quod maximam in Iberniae Catholicis spem collocasset.

(101) Exercitus ille Strafordio in Angliam profecto a Jacobo Butlero, Ormoniae Comite, ex equitatus antea praefecto generali in copiarum omnium tunc imperatorem induto, ducebatur, in quo etiam exercitu Guillelmus a Sto. Leodigario, census Equestris, Momoniae Praeses, Instructorem Generalem, Henricus Ticburnus pariter Eques, machinarum bellicarum praefectum generalem et chiliarchum agebat, alique inferiora militiae officia ita obibant

ut solito sub Anglis Iberniae infortunio praefati atque alii aliquot primarii duces fuerint haeretici, licet exercitus pene totus esset Ibernicus adeoque Catholicus. Nec aliud peccavit, ob quod Parlamento Anglicano Regem cogente duumviri jam dicti exautorandum duxerunt, ne partes regias in Angliae Scotiaeque rebelles propugnaret novis facile viribus | in Iberniam ad Regis nutum quadruplo auctitandus. Porro cum exautoratio illa in procinctu esset Rex Catholicus, Philippus quartus per duos legatos, Marchionem de Velada et Maluesium, institit, ut virium illarum pars sibi in Gallum tunc bellanti suppeditaretur: qua etiam mente haud mediocrem pecuniae vim subministravit. Eoque ventum est ut Anglo Hispani votis acquiescente Geraldus Barraeus et Joannes Barreus, ambo Tribuni natione Iberni, ab Hispano in Iberniam missi sint, quo copias Ibernicas in ejus obsequium transportandas curarent. Praeter quos alii tres in eundem finem nominati fuere chiliarchi, Dermitius O'Brien, Joannes Butlerus, Vicecomitis Montgaretensis frater et, nescio quis, Porterus. Verum Angliae Parlamentum membris Gallo clam studentibus tunc non carens Regis placito intercessit, statuitque ut hae copiae ad Hispanum non transmitterentur, sed domi exautorarentur, Portero tamen ante hoc mandatum jam transvecto. Milites Iberni a lancea ad ligonem et | a gladio ad aratrum aegre redibant. Quare per universam Iberniam jam dispersi bellum et ipsi anhelebant, et ad disciplinam militarem per plures menses jam imbuti eadem Martis placito aliis patriotis praedicabant. Quod ad motus in Iberniam conciendos haud parum conduxit.

(102) Praeterea dum Parlamentum in Anglia celebraretur, aliud quoque Dubliniae in Iberniam tenebatur. In quo Iberniae Catholici hoc anno 1641 intolerabilia gravamina exposuerunt qui remedium obtinerent. Verum duumvirorum jam dictorum, Iberniae justitiariorum, atque aliorum ministrorum haereticorum solo prope nomine regiorum in eadem insula se tenentium fraudibus atque occultis machinationibus, per quos ipsis et Parlamento Anglicano inter se conveniebat, factum, ut Rex, quo in ipsius ruinam Parlamentum utebatur, haud eam commissariis Ibernis aurem praebuerit, quam praebuisset, licet aliquam praebuerit. Verum duumvirorum et Parlamenti Anglicani technis et violentia successit ut regiae concessionibus incassum | ceciderint. Duumvirorum enim atque aliorum haereticorum partim Anglicorum et Scottorum, partim ex Anglia et Scotia recens oriundorum, atque apud Iberniam in potestate constitutorum,

magni intererat ut ipsorum constuprata iudicia inexplebilis avaritia atque ambitio nataeque his impuris fontibus infinitae violentissimi regiminis corruptelae ad trutinam non revocarentur, sed in illis licentiose foverentur, et ex altera parte Parlamentum Anglicanum his aeruscatioribus infamibus velut suae nequitiae instrumentis, quibus in Iberniam partes regias opprimerent, indigebant. Quare per fas et nefas haereticorum Anglica et Scotica colluvies apud tria regna in Regis et Catholicorum praejudicium mutuam sibi operam praestabant. “Huc (sunt Gratiani Lucii verba) accedit quod ad fidem Catholicam Iberniam exterminandam et incolas avitis possessionibus in dicta causa exeundos iidem Parlamentarii conjurarint, ut Iberni in rebellionis scopulum impigisse censendi non sint, si pro Religione, Rege et Patria tuenda, contra conditione sibi similes, et nullam in se potestatem habentes coacti se armis munierint. Iberni ante Parlamentariorum consilia odorati sunt, quam tumultum ullum concitarunt. Sicut enim candentes prunae cineribus obductae scintillas emittunt; sic ex aliquibus Parlamentarii arcanorum consiliis mox erupturi furoris indicia proruperunt. Illis enim amicitia cum nonnullis Ibernīs intercessit, quos impendentis periculi monitos voluerunt, ut Parlamentariorum Religionem et partes amplexi exitio se tempestive subducerent. Suscepti flagitii fama hoc primum ad plurimos serpsit; deinde litteris interceptis non obscure cognita. Demum nec jam occulte, nec per dissimulationem, sed aperta professione Parlamentarii praesetulerunt Catholicae Religionis et Ibernicae nationis profligandae consilium a se agitari. Anno enim integro turbas in Iberniam emergentes antegresso, Eduardus Loftus, Cancellarii filius, domino *Chivers*, Wexfordiae comitatus eo anno Vicecomiti, centum libras sterlingas, seu mille Turonicas, ea lege contulit ut duplo tantundem ab eo referret, nisi vel religione, vel Patria, vertente anno, Iberni exuerentur. Bellum suscipere nemini adhuc in mentem venit, cum religionis aut gentis nostrae deletionē in Comitibus Angliae sancita, turmae aliquot equitum in Iberniam ex Anglia trajecerunt opportunitatem et secuturi exercitus molem operientes. Nimirum tria millia Puritanorum Iberniam incolentium litteris chirographos apposuerunt, quibus enixius a comitiis efflagitarunt ut vel fidem Catholicam in Iberniam vel gentem ipsam Iberniam e medio tollerent. Verborum libri, qui historia Independentium inscribitur, hic sensus est. In initio Comitiorum anni 1640, Independentēs, id est schismatici, palam contenderunt, ut papistae radicitus ex Iberniam evellerentur, et

Cambr.
Evers.
pag. 255.

394
v

395

pars 2.
pag. 200.

eorum possessiones aggressoribus conferrentur ; ita ut decretum ea de re latum necessitatem Papistis Ibernis imposuerit mactandi Protestantes Anglos. Quod a dictis Independentibus data opera ideo factum est, ut Papistae et Protestantes mutuis ibi se caedibus contererent, quo facilius ipsi Protestantismum in Anglia subverterent." Haec ille, rerum in Ibernia tunc gestarum testis magnam partem oculatus.

(103) Itaque Iberniae Catholici velut ad desperationem acti, perpensis illis Scotiae atque Angliae | protestationibus et faederibus publicis in fidei orthodoxae perniciem jam palam juratis, haud dubitarunt quin illorum sicariorum gladius non modo Regis sed etiam ipsorum jugulis intenderetur. Quare bellum, velut unicum status depositi remedium, inchoarunt ad 23^m Octobris 1641, Rege ex Anglia in Scotiam jam profecto, quidam Ultoniae proceres, nobilesque, praesertim Cornelius Maguirius, Iniskillinae Baro, Phelimius vel (ut communiter alii latine reddunt) Felix O'Nellus, Eques auratus, O'Rellii, Mac-Donaldi, O'Cahani, Connus Magnesius, Census Equestris, Mac-Cartanus, superioris et inferioris Clanniboeiae O'Nelli, Mac-Rorii et aboriginum Ultoniensium alii plurimi. Quorum nonnullis ante inter se convenerat ut Maguirius jam dictus arcem Dubliniensem, praecipuum totius Regni armamentarium, et alii quaedam Ultoniae loca interciperent. Verum ubi Maguirius et Mac Mahonius cum | aliis aliquot ea mente Dubliniam se recepissent, Mac Mahonius, nocte pridiana quam Castrum intercipiendum esset, Eugenio O'Conally, Ibero quidem et Ultoniensi, sed nunc Joannis Clothwortii, equitis Anglici et ter Puritanici famulo, mentem aperuit, ratus eum sibi adfuturum quod sibi, vel aliis ex antiqua Ultoniae nobilitate, nexu aliquo clientelari studeret. Eugenius autem, quem Angli Owenum vocant, ex taberna (nam inter pocula consilium inibant) se proripuit et nocte jam concubia rem totam duumviris, supremis Iberniae Justitiariis, detulit, quorum mandato Maguirius quidem et Mac Mahonius capti et in custodiam dati sunt. Sed Ultoniensium caeteri, qui cum ipsis castrum Dubliniense intercepturi in urbem advenerant, eadem nocte clam aufugerunt. Porro Eugenius a Justitiariis in Angliam missus primas super ea re litteras Londinum transportavit. Cui Parlamentum Anglicanum quingentarum librarum sterlingarum donum et annum ducentarum librarum redditum | in mercedem decrevit, Maguirio deinde in Angliam abducto et ad annum sequentem vita multato.

(104) Ad eundem diem Octobris 23 Felix O'Nellus, alique ex nobilitate Ultoniensi, plus fustibus, perticis, contis et lapidibus

395
v

396

396
v

quam armis instructi in illius Provinciae convenas haereticos, partim Anglos partim Scotos et hisce convenis diuturnae retro pacis tempore natos insurrexerunt, aliquot oppidis nempe Neurio, Carlomonte, Dundalkia, aliisque interceptis et haereticis male multatis, quorum alios magna laniena contrucidarunt, alios in carceres conjecerunt, alios velut sibi ante minus infensos dimiserunt, et pene omnes bonis plerumque male partis ac nationi antea vi vel dolo extortis spoliarunt.

397 (105) His universo regno mox cognitis diversi diversa sentire caeperunt. Insulam enim ex parte longe maxima Catholici sed haereticis convenis subinde intermistis incolebant : haereticorum, praeterquam paucorum, alii Angli vel ex Anglis, alii Scoti vel ex Scotis recenti memoria oriundi. Haeretici | Scotici magnis gregibus in Ultonia et pene sola habitabant. Anglici vero per Ultoniam et caeteras regni provincias dispergebantur. Scotici suae Scotiae et Scotorum Albaniensium sortem studiaque sequebantur. Anglici partem Regi partim Parlamento Anglicano studebant. Omnesque tam Anglici quam Scotici Iberniae haeretici, licet pro variis Angliae Scotiaeque Scotorum Albaniensium Regis et Parlamenti Anglicani studiis ac multiplici haeresum diversitate inter se discreparent, plerique tamen et pene omnes unanimi consensu in Catholicorum et Catholicae religionis excidium conspirabant.

397 v (106) Catholicis autem non eadem in haereticorum perniciem sententia erat. Nam pene omnes aborigines, seu Iberni veteres, atque Ibernorum ex Anglia per quadringentos retro annos et quod excurrit oriundorum pars magna ad gravaminum intolerabilem levamen bello, cum secus non possent, obtinendum et ad destinatam patriae ac patriotis a Scotiae atque Angliae Puritanis et aliis in Regem rebellibus sectariis jam faedere | connexis ruinam gladio declinandam propensi erant. Alii, nempe Anglo-Ibernorum non pauci, praesertim coloniae Anglicanae in Lagenia positae, quam Anglice *The English Pale* nuncupant, indigenae et urbium atque oppidorum Catholicorum municipes, in quorum cordibus suae originis Anglicanismus altissimas semper radices egerat, metuentes ne non alio bellum aliud tenderet quam ut coronae et nationis Anglicanae jugo prorsus excusso aborigines pristina libertate recuperata rerum potirentur, et timentes ne ipsis agris magnam partem Ecclesiasticis haereticorum Angliae Principum tyrannide obtentis aliisque possessionibus ejus Coronae potentia et pravo regimine in Ibernia male partis exuerentur, more majorum omnem sub Anglis quamlibet haereticis servitutem

servire ipsisque inter bellum illud adhaerere malebant, rati suam in temporalibus sortem hac ratione futuram non faelicem quidem sed minus infaelicem.

(107) Dum hunc in modum Iberniae Catholici | dictatis et 398
animi propensionibus ac partium studiis, ipsisque emolumentis varie affecti sentiis different, alii pro mensura superius tacta nobilitatem Ultoniensem invitati in Momonia, Conacia, et Lagenia in haereticos irruerunt, alii, praesertim Anglo-Ibernorum jam dictorum, qui se actis tunc et deinde in lucem editis antiquos Iberniae Anglos vocitabant, multi ad duumviros, Iberniae Justitiarios, recursum habuerunt, quibus suam ad Ultonienses atque alios eorum imitatores reprimendos opem et operam more majorum obtulerunt modo illi arma et vires subministrarent. Verum repulsam passi atque ab Anglis male tractati, ubi vires Ultonienses non solum Religioni et patriae sed etiam Regi in Puritanos militare didicissent, ipsis in Puritanos magna ex parte coaluerunt, ex quibus Coloniae Anglicanae, quae aliquot Lageniae comitatus complectitur, nobilitas se Regi de armis a se sumptis purgarunt acto Anglico quod hic latine verito in multarum circumstantiarum huc spectantium evidentiam.

(108) "*Ad Excellentissimam Regis Majestatem* Supplex pro-
cerum, Equitum, nobilium, et aliorum | incolarum Coloniae 398
Anglicanae apud Iberniam positae Apologia, qua se de bello v
suscepto purgant.

"Nos proceres, equites, nobiles et incolae jam dicti nostrum esse ducimus manifestare supremae Majestati tuae causas et rationes ob quas jam ad bellum recurrimus. Itaque clementissima Majestas tua gratiose dignetur animadvertere nos, cum praesens hujus Regni tumultuatio in tua hic Ultoniae Provincia caepisset, humiliter supplicasse Majestatis tuae in hoc Regno Justitiariis ut non nihil nobis armorum suppeditarent ex Majestatis tuae armamentario Dubliniensi, ubi esset apparatus bellicus ad armanda amplius vicena militum millia idoneus, quo si competentem in modum instrueremur, suscepimus ibidem onus sedandi praesentes tumultus exiguo tuae Majestatis impendio. Quod postulatum nedum rejectum fuit a tuis Justitiariis suspectam utique habentibus fidem nostram etsi confirmatam multis majorum gradibus eorumque cruore anterioribus saeculis abunde fuso in Coronae Anglicanae defensionem, | sed et quibus neces- 399
sariae domorum nostrique ipsorum tuitioni invigilaremus arma pariter denegarunt, exponentes nos tunc de facto bellantium

Ultoniensium misericordiae. Paucula tantummodo nonnullis coloniae Anglicanae comitatibus a tuis in hoc Regno Justitiariis suppeditata tum fuerunt arma, quae cum esset tantula nec illis comitatibus tuendis paria, id potius efficere poterant ut illi in praedam paterent copiis Ultoniensibus, quam ut exinde sibi viam ad incolumitatem sternerent. Quare dictorum comitatum indigenae iisque non pauci sua praefatis dominis Justitiariis arma, ne secus a militia Ibernica tunc longe fortiori occuparentur, redhibuerunt, quo omnem a se ipsis, in quam alias a tuis hic gubernarchis vocandi essent, perfidiae suspicionem amolirentur. Eodem tamen quo repulsum passi sumus tempore harum partium *Protestantes* ad unum omnes in sui tuitionem arma obtinuerunt, eorumque non paucos ex | mediocri licet sorte et conditione in duces copiarum militarium hic a Regni moderatoribus quo praesentes Ultoniae bellorum strepitus compescerentur, contractarum cooptatos vidimus, licet coloniae Anglicanae indigenae atque *antiqui Angli* nec meritis nec ordine obscuro, Coronae Angliae prorsus devoti, qui Catholicam fidem profitentur, eorumque nonnulli etiam *Protestantes*, nec similem favorem nec talem in exercitu Provinciam militarem impetrarint quantalibet instantia expostularint, productis in obsides filiis natu maximis, aliisque quibuscunque intemeratae fidei tesseris et pignoribus, quae Reipublicae hic gubernatores aequis conditionibus exegissent. Porro inter haec dictos coloniae Anglicanae Catholicos fugiebat iustitia causae Ibernorum Ultoniensium, quod scilicet publicam tuae Majestatis Coronaeque et totius hujus Regni tui defensionem atque utilitatem studerent, sic postea communi gravaminum declaratione in lucem edita manifestarunt. |

400 (109) “ 2^o Complures ex colonia Anglicana jam dicta apud praefatos tuos justitiarios institerunt ut aliquot Majestatis tuae copias militares in praenominatae coloniae oppidis et praesidiis disponerent, et quo partium illarum defensioni melius consulerent, suas utrinque vires conjungerent, quas omnino illi postulationem contemptim repudiaverunt. Quo factum ut antedictam coloniam populabundus percurreret exercitus Ultoniensis qui in hos tractatus reluctantibus dictae coloniae incolis involavit. Militia ergo Ultoniensis ex multis armatorum millibus compacta sibi aditum vi, viamque faciens, coloniae comitatus pervasit et ad oppidum usque Vadipontanum penetravit, quod obsidione incinxit et armata manu vicinos comitatus eo adegit ut annonam, aliumque commeatum subministrarint, bellique faedus percusserint. In quam nos praecipitari perniciem quo perderemur tui hic Justi-

tiarii, alique Regni lora tenentes ex compacto permiserant, ea spe lactati ut exinde vel agrorum publicatione, si viribus Ultoniensibus coaluissemus, multaremur, vel certe | si restitissemus vitarum una et unde viveremus substantiae jacturam faceremus ab armis utique ad hostes repulsandos imparati. 400
v

(110) " 3^o Majestas etiam tua considerare dignetur tuos Justitios, Judices, aliosque laesae majestatis nec illo solo crimine ab utra Parlamenti (Iberniae) domo postulatos nihil quo litem sibi in Comitibus ob flagitia intentam interpellarent et declinarent, intentatum reliquisse, mirisque usos fuisse artibus ut celebrando Parlamento obicem crearent, omnem denique turbis quibus modo hoc regnum distrahitur, fovendis operam navasse, quod eas opportune non praefocarint et Majestatis tuae in hoc Regno subditis quaeque ad se tutandos media necessaria abstulerint. Hinc enim omnem suam transvehendam curarunt rem pecuniariam aliasque divitias, liberos quoque et familias, permiseruntque plurimis aliis tuis iudiciis, rei militaris ducibus, diversis officialibus et multitudini Anglorum hujus Regni se in hoc imitari Regnumque deserere, ut haereditamenta et possessiones omni propugnatione destitutas reliquerint in magnam | hujus Regni tui debilitationem et reliquorum qui ex eadem natione hic pedem adhuc figunt terrorem atque animi dejectionem, quae eorum fuga ex legibus rusticanis et rudiori populo opportunitatem peperit atque occasionem diripiendi hic et spoliandi multos *Protestantes* eosque obruendi pluribus aliis atrocitatibus et injuriis, nobis insciis, qui cum ex superiori simus ordine, minimam quidem ipsis offensam aut detrimentum intulimus, nec illa eorum direptione aut jactura nostram vel hilo meliorem effecimus conditionem. 401

(111) " 4^o Majestatis tuae veteranorum hic militum et actumerentium copiae ad agenda in hujus Regni munitionibus, tuisque hic propugnaculis ac castris praesidia stativa designatae, quibus Majestas tua quotannis larga numerat stipendia, hactenus non re sed solo nomine exercitum conflarunt adeo ut nullae pene vires in dictis urbibus et munimentis comparerent prae tuorum hic gubernarcharum Regni moderatorum negligencia et corruptela. Ideoque praefatus exercitus Ultoniensis illius provinciae propugnacula et castra magna ex parte citra offendiculum occupavit, | et convenarum Britannicorum plerosque indidem exturbavit. 401
v

(112) " 5^o Complures ex fidelibus Majestatis tuae subditis secus Dubliniam alibique hic nuper in eorum stratis gladio ceciderunt, aliosque non paucos culpae immunes ex Marascalli

lege recens laqueo suspendit et in singulos dies patibulo suffigit Carolus Cootus, Eques, alique haud alia subnitentes auctoritate quam quibusdā chartis non obsignatis, quae a dictis tuis Justitiariis emanant fundamentalibus hujus Regni legibus ex diametro oppositae, praesertim cum illi qui paenam istam luere, non alii fuerint quam pauperes, nudi et innocentes viri, nec armis impliciti, nec Majestatis tuae jura, pacisque consulta ullatenus transgressi, caetera plerique Reipublicae benefice famulantes quod aut agriculturam aut mercaturam exercerent.

402 (113) “6^o Sicut nos bonis evidentiis compertum habemus decretam erat tuis justitiariis, aliisque in hoc Regno Ministris status, totam hic patriam nemine excepto praesertim ad Dubliniam depopulari, idque consilium ut effectu | prosequerentur eorum jussu diversa militum agmina et catervae varios hac in plaga tuos subditos ab omni sive in legem sive in Coronam scelere puros, viros, mulieres, infantesque necarunt, et nec sexui nec aetati parcentes totam patriam cremarunt, diripuerunt, vastarunt, prae reliquis autem possessiones bonaque quorundam ex fidelioribus tuis vassallis nec in coronam tuam nec in jura delinquentibus. Quin etiam edito publicato declararunt rem frumentariam ad decimum a Dublinia lapidem in circuitu hic flammis absumendam, nisi eam indigenae in decimum diem Dubliniam transvexissent ad Majestatis tuae copias ibi loci sustentandas. Quod sane mandatum fieri non poterat ut tam brevi temporis spatio usquequaque exhauriretur. Plures tamen huic edicto obsecuti frumenta Dubliniam transportarunt, ubi juxta edicti a tuis Justitiariis antedictis promulgati promissa, plenum eorum pretium ad currentis tunc fori rerum vaenaliū leges recepissent, sed tantum abest ut fidem illi liberarint suam, ut etiam pauperibus accolis rem frumentariam abstulerint nullumque omnino pretium in vicem rependerint. |

402 (114) “7^o Non paucos, qui forum commodis mercibus celebra-
v turi recens Dubliniam perrexerant, pecunia omni atque aliis bonis inter regrediendum excusserunt ad ipsam Dubliniae portam milites stationarii, qui ibi ad januam excubias agebant. Idque adeo ut lite ibidem ad Reipublicae moderatores devoluta nullum fuerit adhibitum remedium. Iidem quoque tui in hoc Regno Gubernarchae variis bonis subditis Dubliniae habitantibus celata vasa, aes, aliae bona multis librarum millibus stantia per vim nullo juris colore extorserunt et universum succenderunt, ac devastarunt regionem Dubliniae continentem, olim (quantum ad fruges et pecuniaria spectat) hujus patriae granarium et penarium Princeps, nunc vero desertum et deformem solitudinem.

(115) "8^o Saeva haec atque a legibus exorbitans vivendi methodus magnam subditorum tuorum, quorum in te integritatem nemo exploratam non habuerat, partem ad arma defensionis ergo capessenda protrusit. Quo viso tui Justitiiarii eorum colloquio uti desiderarunt expiscaturi quorsum offenderentur vel in bellum eruperint. Interposita ergo Majestatis tuae fide publica vitam ipsis interea fore integram bonaque sarta tecta promiserunt edicto in eam rem publicato. Post quod tamen promulgatum currente adhuc salvi conductus tempore depraedati sunt et excusserunt cujusdam ex dictis nobilibus praecipuum pagum, domos, lembos piscatorios, praetorium, officiorum habitacula, frumenta, aliaque bona, quae quinis amplius librarum millibus penderentur. Haec porro promissi et fidei datae violatio in Majestatis tuae justitiariis et Reipublicae apud hoc Regnum administratoribus justam praebens causam diffidendi et habendi suspectam eorum sinceritatem ac mentem in praefatos viros nobiles, hos suspendit ne ulterius conditionibus illius edicti promulgati observandis insisterent, sed armis continuo accincti pro sua salute excubarent. Quare Carolus Cootus, Eques, cui nullam pepererant succensendi et adoriendi occasionem, sed se intra legum tuarum limites continebant, magna equitatus et peditatus manu instructus, diversis eos vicibus intercipere atque opprimere tentavit in quibus congressibus multi utrinque ceciderunt.

(116) "9^o Hic in parlamento nuper cusa et promulgata fuit odiosa protestatio in procedendi modum atque actiones copiarum Ibernicarum Ultoniae idque ex industria quo et illi in nos ex-candescerent et nos vicissim perenni in ipsos bello involveremur. Huic protestationi nisi qui Parlamento intererant subscripsissent statuerunt apud se tui hic Gubernatores (sicut solidis documentis didicimus) nos Catholicos, quotquot ibi tunc temporis suffragandi causa aderamus, si non acquievissemus, vel immaniter contrucidari; vel certe sistere atque in perpetuum carcerem compingere. Idque suum consilium ne remissius exequerentur collocarunt ducentos milites cum sclopiis oneratis et accensis fomitibus circa Comitium, inque ejus aditu balistis intensis atque in nos defixis dum domum Parlamentariam egrederemur.

(117) "10^o Majestatis tuae hic Justitiiarii et Ministri status rationem omnem et viam efficacem ab hoc Regno ad restringendos tunc Ultoniae motus suppeditandam oscitanter omiserunt, tametsi in hujus Regni magnatibus et nobilibus non pauci serio institerint ut haberetur militum delectus adversus exercitum Ultoniensem iisdemque cum viribus modo conscriberentur, in

se susceperint onus praesentes Reipublicae procellas dissipandi. Verum illi pro consilio et subsidiis a solius Parlamenti Anglicani nutu et renutu pendebant.

(118) “ 11^o Praefati Majestatis tuae Justitiiarii, ubi prima fama tulisset exercitum in Ultonia insurrexisse, praetermiserunt consilii et opis impetrandae causa in re tanti momenti recursum habere ad hujus Regni Parlamentum, quod citra sanguinis effusionem et impendium maximopere erat idoneum ad praesentissima illis simultatibus adhibenda remedia, cum Ultonienses se causamque Iberniae Parlamento funditus judicandam submiserint. Atqui justitiiarii tui nedum hujus Regni Parlamentum contemptui habentes, sed et suum in Majestatem tuam obsequium negligentes, ritu summopere probroso prius inferiorem Parlamenti Anglicani domum rerum suarum notitia imbuerant, eique ut virium supplementum et pecuniam | concederet, ante supplicaverant quam Majestati tuae rem significarint aut tuum super eo negotio mandatum receperint. Quod nemo interpretari queat culpam esse leviores supra ab officio defectione.

(119) “ 12^o Quin etiam Majestatis tuae Justitiiarii et qui tuas in hoc Regno vices obeunt, ab ipso, quibus haec nunc Regio vexatur, perturbationum initio numquam destiterunt in cunctis negotiis a praesenti hujus Regni gubernio non alienis se ad solam jam dictam Parlamenti Anglicani domum inferiorem applicare pro consilio et opitulatione, non autem ad tuam Celsitudinem, idque rato fixoque proposito peragendi ut hoc Regnum a Parlamenti Anglicani jurisdictione penitus dependeret omnisque praestrueretur aditus atque accessus ad tuam majestatem pro subditorum tuorum concessionibus in hoc Regno sublevandis.

(120) “ 13^o Inferior istic Parlamenti domus procurantibus tuis praefectis hic se tenentibus intercipit quotidie nuntios et litteras hinc omnes ad tuam Majestatem istuc directas, et nuperime D. Dillono, Costolochensi Vicecomiti, | allegato a nostro Parlamento ad praesentandas tuae Majestatis hujus Regniaerumnas praesertim recentis memoriae crebras tuorum hic justitiiariorum et ministrorum status inter gubernandum corruptelas in *antiquos Anglos* atque alios ex tuis subditis hujus Regni exercitas ex quo praesentes patriae motus ebullierunt. Illustrissimam suam Dominationem jubente Parlamenti (Anglicani) domo inferiori stiterunt istic in itinere Londinum versus, et scripturis omnibus atque instrumentis spoliaverunt, ne subditi tui suas tuae Majestati angustias et jugum grave exponerent et tua Celsitudo Regiminis ac verum ad hoc Regnum pertinentium cognitione notitiaque

instrueretur, unaque subditos levamine et consolatione impertiretur quam illi secus a tua Celsitudine expectarent et sperarent modo, quas devorant, afflictiones, cruces, et miseriae clementissimam Majestatem tuam non laterent.

(121) " 14^o Praefati Celsitudinis tuae Justitiarum, et qui hujus Regni fraena tenent, extremam nostram Catholicorum Iberniae ruinam | velut metam sibi designantes, eaque via possessionum 405
nostrarum et fortunarum plane omnium publicationem sitientes, in Archani consilii consensu Dubliniae palam professi sint se Iberniam altera vice penitus debellaturos, eamque ob causam optarunt ut pro singulis inter nos nunc bellantibus tot centeni in acie starent. Ex quibus loquendi formulis liquet ipsos ad nos in rebellionem violenter provolvendos anhelasse. Verumtamen nec propterea horum inventa, nec Ultoniae vires etsi nostris robore et armis longe superiores, a fide et cordis propensione in Majestatem tuam demonstranda nos dimovere poterant, cum maluerimus opes, omniaque patrimonia, imo et vitas tuae potius Coronae et monarchiae vindicandae consecrare quam cum ipsis Ultoniensibus faedus pangere et contra ac fides nostra et officium postularet gladium distringere et Majestatem tuam, tremendum et unice Supremum dominum nostrum. Sed hae copiae impraesentiarum hic bellantes de suae nos causae justitia 406
omnino securos reddiderunt, nupera mentis suae | declaratione omnium nomine in lucem edita, quam conjunctim cum caeteris hic subditorum tuorum Catholicorum hujus Regni tui Celsitudini tuae porrigendam praepararunt, ea notum facientes universo mundo se bellum suscepisse non minus pro tua Regia corona, justis praerogativis et juribus asserendis atque ampliandis, quam pro tutandis et vindicandis libertatibus, Religione, agris et personis nostris omnium tuorum fidelissimorum subditorum et vassallorum Catholicorum.

(122) " 15^o Haec erant (cum tuae summo opere Regiae Majestatis beneplacito) praecipuae nostrae belligerandi causae et incitamenta principalia. Obtestamur autem humilitate quam possumus maxima Excellentissimam Majestatem tuam ne propterea indignetur, quin potius dignetur ab immanibus et contra leges exercitis tuorum hic justitiarum et praefectorum inventionibus gratiose favore nos liberare et justam nobis pacis restituendae causam praebere, applicando nostris querimoniis aequitati consonis matura et valentia remedia. Porro speramus futuram ut Majestas tua eo magis in haec humilia | consentiat postulata 406
nostra quo violentius contra cordis inclinationem solo defensionis v

studio ad arma arripienda protrusi eramus, minusque ullo unquam tempore vel minimam foverimus cogitationem prodicionis in tuam Majestatem aut coronam. Sed nec aeternum opere complebimus, imo nec assentiemur cuipiam facinori aut rei, quae nostrae in Coronam tuam fidelitati atque integritati maculam inurat, nec expectamus nec decretum habemus rem nostram his Reipublicae tempestatibus augere, nec ullum patrimonio et possessionibus juste acquisitis possessorem deturbare, sed solum ad libertatem et immunitatem nobis ex lege debitam aspiramus, qui quantopere simus ex tuis optimis subditis, gestimus tot mundo palam facere quibuslibet evidentibus et alacrioris animi documentis, quae ab intemeratae atque inconcussae integritatis subditis principi exhiberi queat vel ipse Princeps exigere valeat." Haec illi.

407 (123) Ejusdem Coloniae Anglicanae nobilitas alique indigenae in quoddam edictum iniquam | a justitiariis atque aliis Ministris haereticis concilium Dubliniense conficientibus 8^o Februarii 1642 conditum insurrexerunt hac protestatione ab ipsis Anglice scripta.

Humilis Catholicorum Coloniae Anglicanae in Ibernia Protestatio adversus edictum 8 Februarii 1642 latum.

407 v (124) "Nos dictae Coloniae Catholici notitiam hausimus nuperi edicti a Dominis justitiariis et hujus Regni Concilio (Regio) ad 8^o Februarii ultimo elapsi diem inscia sua Majestate citraque ejus auctoritatem promulgati, quo nos inter alios (sicut intelligimus) taxamur quasi conspiraverimus tanquam rebelles ad praefatos Dominos Justitiarios, Concilium, et omnes hujus Regni Protestantes occidione delendos, intercipiendum suae Majestatis Castrum Dubliniense, caeteraque ejus in hoc regno munimenta, et quod nos jam dicti coloniae Anglicanae Catholici, licet ex Anglis descenderimus, et majores nostri semper ex quo Ibernia primitus expugnata fuerat, ab iisdem suffulti, eorumque benevolentia cumulati sint, eo tamen innatae processerimus ingratitude | et prodicionis (sicut eodem edicto intimatur) ut in prosequendis sanguinariis molitionibus nostris cum reliquis nunc hic bellantibus in unum hostiliter convenerimus, intercipientes diversa Majestatis suae castra et praesidia multa ex suae Majestatis subditis Britannicis et Protestantibus millia bonis exuerimus, eorumque non paucos ad internecionem deleverimus, multas denique alias barbaras crudelitates in Protestantium Britannicorum personas et substantias patraverimus, qualitatem,

aetatem et sexum susquedeque habentes. Quin etiam eodem edicto ulterius urgetur nos ut nostris sceleribus in his saevis facinoribus aliquod honestatis velum obtenderemus et mundo fucum faceremus, propriae adhuc iniquitati addere impietatis incrementum exterius simulantes quicquid gerimus eo vergere ut Regis praerogativae conserventur et dilatentur, cum tamen (sicut in edicto asseveratur) manifeste constet arma nostra et consilia interius defixa esse ad extorquendam ipsi (si penes nos foret) Regiam Coronam, sceptrum et supremum Dominium | in hoc Regnum Nationemque, et ad ipsum ac legitimos ejus Ministros omni hic autoritate et potestate privandos, nec non ad Reipublicae clavum in eos in quos libuerit transferendum, nosque eidem conjurationi in suam Majestatem, Coronam et Monarchiam texendae fuisse jamtum intentos, dum gratiam actu et clementiam nobis demonstraret concedens satis superque (quantum salvo honore et justitia posset) quicquid nobismetipsis in votis esset, nullaque nos justa causa concessionis publicae a sua Majestate vel ministris illatae ne in minimo quidem gradu fuisse lacessitos ad desperatum adeo flagitium aggrediendum, nullumque nos posse alium assignare belli indicendi titulum quam odium inhumanum in *Protestantes* Britannicos, quos (sicut in edicto affirmatur) e medio nostro extirpare cupiamus, idque neminem celemus. Diversi insuper et praefata colonia et ex iis qui cum 408
v
ipsis faedere conjuncti sunt, nec non ex opituloribus et adhaerentibus, ibidem propriis nominibus proditores et rebelles pronunciati sunt. Id autem edictum | eo in legem peccat quod illi nullius prodicionis aut rebellionis juxta juris dicendi formulas convincantur. Praeterea cum nobis significatum sit ipsam suam Majestatem suo consulto recens promulgato imperasse omnibus, qui quodpiam ex suis castris munitionibus et armamentariis intra hujus Regni septa occupaverant, ut id in suae Celsitudinis potestatem iterato permittant, parique passu ut omnes qui et ipsi cum omnibus complicitibus et adhaerentibus, ibidem rebellione et perduellione notantur in diem 25^m Martii 1642 arma deponant, alias ferro flammaque insectandi tanquam laesae Majestatis rei nisi eadem propugnacula et castra restituerint, et in dictum diem Martii 25^m bello nuntium remiserint.

(125) "Nos antedicti ejusdem Coloniae Catholici eas praefati edicti clausulas, quae nobis fideique nostrae maculam et injuriam aspergunt, suis ponderibus librantes in nostri defensionem et ut famam, integritatem, fidemque in supremam suam Majestatem et in | Coronam ab injuria vindicemus, protestamur coram Deo 409

et mundo nos nec sordida illa crimina, proditioes aut delicta, quorum in praefato edicto insimulamur, commisisse, nec interceptisse, nec impraesentiarum possidere ullum ex suae Majestatis praesidiis, munitionibus aut armamentariis, nec homicidarum ritu cujuspian ex Britannicis *Protestantibus* cruore manus nostras conscelerasse, nec ullum ex nobis honesto loco oriundum eos diripuisse, spoliasse, vel agris aut domiciliis ejecisse, nec in his vel similibus agendis alios adjuvisse aut protexisse, nec in dictos *Protestantes* malevolentiam fovere, sed potius eorum nos observantia et bona opinione possideri, qui utique ex eadem sint natione ex qua et nos et majores nostri genus traximus, nec ea mente ducimur ut bello, quod nunc gerimus, conditionem nostram reddamus meliorem, aut pinguiorem fortunam aucupemur, vel suam Majestatem corona, sceptro, ullaque census, domini, praerogativa, aut potestatis parte dejiciamus, sed consilii nostri in armis arripiendis meta et terminus fuit et est | necessaria defensio et praeservatio tam suae Majestatis Coronae, praerogativarum, et legitimorum Jurium (in quae Puritanorum Angliae factio involaverat) quam Religionis, vitarum, immunitatum et possessionum nostrarum et spectantium ad nos Catholicos, ad quos utique pariter radicitus extirpandos et destruendos eadem partes *Puritanicae* conjurarunt, sicut graviminum nostrorum declaratione ad suam Majestatem destinata liquidius demonstratur.

(126) “Ad illam insuper edicti sexto Idus Februarius publicati partem ulterius respondemus nos neque consocios neque complices esse ullarum ejusmodi conspiracyum, et defensionis studio ad bellum inchoandum eo fuisse coactos quod multi ex eadem colonia boni subditi, qui nec in suam Majestatem, nec in ejus leges peccaverant, fuerint alii turpiter contrucidati, alii quamlibet insontes ex Marascalli lege laqueo suspensi, pluresque direpti et bonis excussi a Carolo Cooto, Equite, et copiis Anglicis publico ritu jussuque ante caeptum ex parte nostra bellum. Deindeque post arma a nobis arrepta, dum soli tuitioni incumbere, complura | ab exercitu Anglicano eisdem mandatis nix in nos patrata vidimus horrenda virorum, mulierum et infantium homicidia, agros omnino depopulatos, flamma consumptos et devastatos, idque totum ante diem Martii 25^m, tempus scilicet nobis a sua Majestate praefixum ad bellum abjurandum. Affirmamus etiam trucidationes, direptiones, aliasque quascunque in *Protestantes* Britannicos nuper commissas atrocitates ab inferioris populi grege fuisse perpetratas, Ibernorum nunc bellantium ducibus aliisque primoribus nec annuentibus nec consociis,

Imo vero contrarium expresse proscribentibus et decernentibus, qui propterea varios horum facinorum authores pro meritis morte plexerunt, licet malefactores illi prioribus sui oppressionibus fuerint provocati ad eas crudelitates, quibus utique occasionem praeberat Anglicum et Britannicum exemplum Caroli Cooti, Equitis, et exercitus *Protestantium*, qui facile truculentiorum exercuerant lanienam, caedesque longe magis execrabiles in complures hic ex suae Majestatis bonis subditis nec legem nec imperatam a sua Majestate pacem | transgressis. Quin etiam nuper ad horum motuum initium ubi serio egissemus cum DD. Justitiariis eorumque his in Regimine collegis ut nobis coloniae Anglicanae indigenis in nostri defensionem adversus Ultoniae vires arma ministrarent, ea nobis fuerunt denegata, exceptis tantum pauculis ad reprimendas copias Ultonienses minime gentium sufficientibus. Quare multi ex Coloniae comitatibus quae receperant arma ne interciperentur, Gubernarchis restituerunt, et interim Ultoniensium vires in brachio extento et manu forti nos, comitatum Vadiponto, quod illae tunc obsidebant, contiguorum incolas ad annonam militarem sibi suppeditandam et ad belli faedus secum ipsis paciscendum coegerunt.

410
v

(127) "Praeterea orbi terrarum palam facimus motos nos fuisse et irritatos justis publicarum oppressionum fundamentis ad arma capessenda, non solum ut Majestatis suae praerogativas et jura nostramque ipsorum Religionem, vitas, libertates et possessiones in tuto collocaremus, sed etiam ut intolerabilium concussionum et justarum querimoniarum medelam reportaremus in Parlamento, quod tamen data opera prorogatum fuit, partim ut ejus beneficio et diversis favoribus, quos | sua Majestas nobis ibidem communicandos destinaverat, frustraremur, partim ne commotiones et tumultuationes tunc in Ultonia succrescentes componerentur, quas, sicut et caetera sua gravamina illius Provinciae copiae quotquot tunc militiam exercerent, illi sublimi Curiae judicanda et paenitus diffinienda submiserant. Sed totum frustravit dicta prorogatio,.

411

(128) "Denique serenissimam Majestatem suam humillime obtestamur ut nullis de nostra in se Coronamque suam fide sinistris relationibus aut falsis rumoribus aurem accommodet, et admittamur ad profitendum suae Celsitudini per oratores cordium nostrorum innocentiam, integritatem, obsequium et fidelitatem, una cum declaratione gravium pressurarum et intolerabilium vexationum, quibus contra leges et prolixam suae Majestatis mentem hoc Regnum opprimitur, et denique

ut ante omnia de vitis, possessionibus, immunitatibus et Religione tuti securique reddamur et, donec Majestas sua luctuosum in quo versamur statum et conditionem sciverit, gratiose dignetur nobis non succensere quod bellum interea continuandum ducamus." Haec illi.

411
v (129) Ex hac Protestatione, nec non ex praefata ejusdem | Coloniae Anglicanae Apologia aliisque declarationibus omnium Iberniae Catholicorum nomine circa caeptum hoc bellum ad Regem directis, et paulo inferius in medium producendis, haud pauca ad hanc motuum Ibernicorum originem spectantia colligeremus, quae propterea deprecandae prolixitatis studio nec citius nec secus refero ne eodem repetam.

(130) Jam de obsidione Vadipontana aliisque copiarum Ultoniensium progressibus agendum restat, quae obsidio cum anno 1641 caeperit, deindeque anno 1642 aliquot menses continuata sit, eam hoc ipso temporis ordine citra narrationis intermissionem delineabimus.

412 Itaque Ultoniensibus omnia late populantibus cum oppidum Vadipontanum sibi ab ipsis obsidionem metueret, Carolus Morus, Vicecomes Vadipontanus, ipseque haereticus, sua Millifontis domo cum turma equestri 26 Octobris 1641 Vadipontum se recepit, illoque totam familiam transtulit. Ubi inter diuturnam pacem antea diu neglecta tormenta bellica ex cloacis et sentinis extrahenda, purganda, instruenda, et ad muros libranda, aliaque | quatuor ex nescio cujus mercatoris navi, quae forte fortuna ad portus Vadipontani fauces anchoris firmabatur, eodem advehenda curavit. Instantiis apud nautas iteratis adeo profecit ut ab ipsis competentem pulveris nitrati portionem obtinuerit. Muros lustravit et ubi debiliores essent resarcivit. Januam Aquilonarem Ultoniae vicinae respondentem plus vallavit; duas cohortes antea autoritate publica etiam pacis tempore ibi praesidarios recensivit. Vadipontanos ursit ut alios suorum ducentos armarent. Nullam denique intermisit diligentiam quo oppidum adversus Catholicos bellum inchoantes muniret. Ipseque deinde noctu Dubliniam vigesimo ad austrum lapide dissitam progressus a duumviris, Iberniae Justitiariis, nescio quanta arma atque apparatus bellicum assecutus est cum quibus postridie Vadipontum remeavit, ab iisdem obtento ut Seafoulus Gibsonus Vadiponti praeficeretur novae militum centuriae, quam civium haeretici intra duas horas ab ejus regressu libentes conflarunt. Quo tempore vires Catholicae | in vicinia Louthiensi Dundalcum, oppidum maritimum sexto decimo lapide a Vadiponto, et Drom-

412
v

iskiniam ceperunt, Anglosque haereticos ad quintum a Vadiponto lapidem diripiebant. Quo viso Vadiponti Gubernator, *Fidelis Scutofortis*, Eques, cum a duumviris regni justitiariis suppetias saepius litteris promissas non recepisset, citatis equis Dubliniam concessit et ulterioribus Justitiariorum cunctationibus exanimatus ea se praefectura abdicavit, scriptis Vadipontum litteris quibus significavit se in oppidi defensionem vitam fuisse sacrificaturum, sed ne famae naufragium temere faceret, caeptis destitisse.

(131) Vadipontani, ex magna quidem haeretici sed ex parte longe maxima Catholici et optimi, pro Religionis diversitate studiis discrepabant ita ut Nicolaus Bernardus, pseudo-ministellus haeticus, qui inter illam obsidionem Vadiponti se tenebat, suo libello Anglicano de rebus interea gestis impie atque haeretice scripto, inferiori Parlamenti Anglicani domo per ipsum dedicato, missoque, et anno 1642 ad ejusdem domus inferioris jussum Londini typis mandato, qui prae | manibus est, subinde tradat
413
civium Catholicos (quod facile crediderim) percupisse ut Vadipontum ab obsidentibus caperetur, milites Catholicos inter eruptiones a praesidiariis identidem captos et Vadipontum tractos ab iisdem civibus Catholicis eximia (quod haeticus ille eis vitio vertere videtur) fuisse charitate cumulos, eosdemque Vadipontanos hanc suam cordis propensionem tot aliis experimentis prodidisse, ut haeretici tam cives quam praesidiarii ab ipsis occultam cum obsidentibus conspiracy metuerint.

(132) Emporium etiam illud nobile et frequens sacerdotibus saecularibus et diversorum ordinum domibus Religiosis (sicut et omnes pene Iberniae civitates et oppida) scatebat quod haeticis ante conniventibus persecutio per aliquot retro annos multum deferbisset. In eodem etiam oppido Joannes Netervillus, Eques auratus, Catholicus, cohortis ibi ante caeptum bellum praesidiariae dux, sua vice excubias agebat. Qui quadam nocte in excubiarum receptaculo Morum, Vadiponti Vicecomitem, Catholicis in Ibernia bellantibus velut rebellibus eloquentem pati non | valens eorum innocentiam sustinuit. Rebelles esse per-
413
negavit. Eorumque causam pressius propugnans Moro suas maculas exprobravit, paratus forsitan eum nedum verbis sed etiam verberibus excipere, nisi Morus ejus verba patienter devorasset. Quod praefatus Bernardus, venalis et vernilis Mori parasitus et in Netervillum omnesque Catholicos iniquus, Mori non ignaviae sed prudentiae ascribit, ne scilicet tempore adeo intempestivo tumultuandi occasionem praeberet. Multa porro alia Ministellus ille argumenta profert, quibus demonstrare conatur Netervillum (nam aliunde eum didici esse Anonymum de quo ibi loquitur) stud-
v
pag.
6.

uisse ansam qua Vadipontum viribus Catholicis in potestatem permitteret. Sive autem id a vero aberret sive secus, haud nobis deest cur dubitemus ne ille ministellus pestilentissimae sectae suae Anglicos rerum Ibernicarum scriptores in hoc imitetur, quibus familiare est ut victorias in Ibernica Catholicorum atque indigenarum Coronae Anglicanae in alios patriotas | adhaerentium (nam hunc in modum Angli inter bella Iberniae superiora triumpharunt) viribus sed paucioribus Anglis vel haereticis intermistis reportatas suis sectariis ascribant, Catholicos vero illos vel omnino sileant, vel confuso quodam modo memorent, vel calamo traducant ut sui totam nedum a posteris victoriarum laudem, sed etiam a corona Anglicana mercedem assequantur, et eosdem Catholicos de eadem corona optime meritos ejus odio recentique persecutioni obnoxios reddant.

(133) Inter haec bini Iberniae Justitiae Henricum Tichburnum, ordinis Equestris tribunum haereticum, cum mille peditibus et centum equitibus Vadipontum destinarunt, quem etiam in oppidi Gubernatorem cooptarunt. Cum quo praeter alios minoris notae accesserunt tres centuriones, Joannes Borlasus, census Equestris, Byronus et Wenmondus, quorum duo ultimi antea chiliarchorum legatos egerant. Porro cum hac legione Tichburnus 4^o Novembris 1641 Vadipontum appulit, | tribus praeterea aliis cohortibus 10 Novembris eodem secutis sub totidem centurionibus ita ut praesidiarii tunc ad mille quingentos pedites et centum sexaginta equites excreverint, praeter oppidanos pro rerum exigentia ad Gubernatoris nutum armandos. Ante quod tempus haeretici Catholicorum insurrectionem haud palam rebellionem sed quorundam nobilium sorte sua male contentorum factum nominare audebant. Tunc autem suis viribus confidentes rebellionem et rebelles vocitabant, et paribus peioribusve stigmatibus ipsi vicissim ante et post notabantur a Catholicis.

(134) Morum tamen per litteras et internuncios fide publica missos rogarunt Catholici ut domum suam rediret ibique donis, sicut ejus pater in Tironium bene affectus toto ejusdem Tironii bello domi tutus se continuerat, frueretur, imo Louthiae (inquit praefatus Bernardus) et Midiae praefecturam generalem in castris Catholicis obiret, modo resipisceret. In | quibus conditionibus audiendis Morus, egregius simulandi et dissimulandi artifex, ita se gessit in virum Catholicorum animos aliqua resipiscentiae spe inescatos non exacerbarit sed aliquandiu suspenderit, tempus protracturus quo oppidum interea magis in tuto collocaretur, et suae domui ac praediis rusticanis parceretur.

414

414
v

415

pag.
10.

Verum eodem mense Novembri Dubliniam regressus, cum ibi quaestio esset quo pacto in armatos Catholicos procederetur, nec deforent qui eos rebellium loco habendos negarent, vel saltem eos excusarent, his se palam opposuit, rogavitque duumviros, Iberniae Justitios, ut donec ex Anglia subsidium transmitteretur sibi facerent potestatem sexcentos milites recentiores in Vadiponti defensionem propriis impensis scribendi, vestiendi et sustentandi, ea lege ut his, nec non aliis quatuor cohortibus praeter Tichburni legionem Vadiponti jam praesidiariis, ipse in chiliarchum praeficeretur, quo nedum Vadipontum sed etiam contiguus Vadiponto ab aquilone totus comitatus | Louthiensis ejusque praesidia a Catholicorum viribus vindicarentur. Quibus conditionibus a Moro oblatis ita Justitiosi non quam ille vellet aurem praebuerant ut Ultonienses, homine demum intus et in cute cognito, domum ejus adoriendam decreverint, quae qualis fuerit paucis accipe.

415
v

(135) Mellifonte, ad 3^m a Vadiponto lapidem, in agro Louthiensi anno circiter 1142 ante Anglorum invasionem Donatus O'Carollus Urielis seu Ergalliae Princeps, S. Malachiae coetanei suasu nobilissimum Monasterium aedificavit dotavitque, quod D. Bernardus, qui de hac re in S. Malachiae vita plura tradit, tunc superstes, e suo caenobio Clarevallensi monachis implevit, Abbate illis praeposito, Christiano O'Conarchio, postea in Ibernia Episcopo Lismorensi et Legato Apostolico longe celeberrimo. Quod nominatissimum atque opulentum Monasterium cum possessionibus haeretici Angliae Principes Mori familiae transcripserunt, ipsumque caenobium habitatio facta est Geraldii Mori, quem ex milite ordinario Baronis Mellifontis et Vicecomitis | Vadipontani titulo Jacobus, Angliae Rex, donavit, ejusdemque Geraldii filius, Carolus Morus, de quo in hoc bello loquimur, eodem titulo domus Monasticae profanatione, ac bonorum Monasticorum detentione patrisavit.

416

(136) Itaque Monasterium illud, venerandum olim pietatis atque antiquitatis monumentum, sed tunc et a multis retro annis, luxus, crapulae, blasphemiae, haereseos et perditissimorum quorumque morum barathrum ac superbum Mori augustale, cum Ultonienses 25 Novembris 1641 invasuri essent, nescio quis ex Mac-Mahoniis misit, qui praesidiarios moneret vitam ipsis futuram sartam tectamque, modo incruentam facerent deditionem qua illi lege repudiata mox plures Vadipontum nuncios destinarunt cum epistolis vesti, quo tutius transportarentur insutis quibus auxilium postularunt. Verum viis undique praeclusis pervenit

omnium nemo. Vadiponti tamen de illa virium Catholicarum mente rumor quadriduo antea, nempe 21^o Novembris percubuerat. Quare | Tichburnus Vadiponti Gubernator mox iussit ut peditum ducenti turmaque equestris Mellifontem quantocyus pergerent. Sed tympanis ad movendum pulsatis, virium Catholicarum cuneus per montem Tallihascotensem secundo a Vadiponto lapide ad septentrionem descendebat, bombardis inter progrediendum crepitantibus. Quo factum ut Tichburnus praefatam suorum militum manu abitu supersedere jusserit metuens ne Catholicis decretum esset Vadipontum potius intercipere. Verum eventus docuit illud Catholicorum stratagema in eum scopum collineasse ut Tichburnus suppetias non veniret praesidiariis Mellifontanis, numero viginti quatuor sclopetariis et quindecim equitibus praeter domesticos.

(137) Catholici 25 Novembris 1641 hos aggressuri equitatum et hastatos in montis cacumine ad Mellifontem disposuerunt, aliique e peditatu praetorium illud mox expugnarunt nonnullis utrinque caesis. Porro ille equitum | praesidiariorum manipulus Ibernis ad portas confluentibus januam subito prae timore aperuerunt et suae saluti per fugam consuluerunt. Caeterum ministellus, Bernardus, quem etiam hic in Iberos iniquum esse crediderim, tradit Catholicorum non nisi tredecim in hoc conflictu occubuisse, et hos a nescio quo religioso prae charitate in proximo templo fuisse in sepulturam datos, et alterum quadraginta saltem vulneribus confossum, ab eodem transportatum esse vehiculo Vadipontum ipsorum pseudo-clero vitam tanti faciente et more solito charitatis, quae in haereticis nunquam nisi fucata reperitur, causa eam periculo exponere non auderent. Verum Religiosus ille haereticis eum in modum parentando nec templum prophanare caepisset, nec haereticorum sepulturis antea forsan prophanatum magis prophanasset. Porro subdit Bernardus ille, cuius testimonium omnibus Catholicis, praesertim Ibernis in rebus eorum famam spectantibus | detrectandum est, victores ibi virum quendam nobilem octogenario majorem, cum jam cellam vinariam aperuisset et rerum potitis vinum ministraret, seque per omnia obsequiosum praestaret, transfodisse. Alium miserandum senem, eumque caecum ibi janitorem, qui nullatenus esset resistendo, percussisse. Alterius juxta senio confecti jugulum incidisse; pecuniae conquerendae studio multis in cubiculis tabulata atque asseres dissolvisse. Pulvinos, quo culcitrās auferrent, dissuisse. Peristromata aliaque ornamenta, quae transportari possent, abstulisse; omnia cathedrarum et scamnorum tegmina plerumque

416

v

417

pag.
13.

417

v

pretiosissima dilacerasse ; vitrorum armarium et dulciolorum cubullos, vanorumque inter se commistorum liquaminum abditoria fustibus contrivisse ; copiosum penum avexisse ; pecuniaria et equarias abegisse ; magni valoris horreum in suos ipsorum usus triturasse ; ipsas mulieres vestibus spoliasse ; haereticorum templum in | compotationum locum mutasse ; ejus pulpitem 418 *Cathedram pestilentiae*, et sedilia confregisse ; haereticum illius templi bibulum, quod Calvinistae charo emissent, in molendini fluentum projecisse ; ipsam campanam comminuisse ; quicquid auferre nequirent persunderisse in Mori damnum ad duo minimum librarum Anglicarum millia. Idque ita ut inter direptionem victos vocitare solerent Anglicos canes, meretrices, stigmaticos, Threiciis notis compunctos. Post horum discessum accessisse rudiorum rusticorum etiam inquilinorum et vicinorum gregem qui ferramenta, aeramenta, ipsosque otiorum et fenestrarum pessulos et scruta omnia abstulerint, adeo ut praetorium illud antea splendidissimum ornatissimumque uno die conversum fuerit in locum quem *Dominus anathematizaverit*. Denique nonnullos ex victoribus ibi incidisse in exquisitorum florum, praesertim *Tulliporum* ad fenestras crescentium, calathum, atque alia ejusmodi radicum loculamenta, quas tam bene dispositas delicatiora aliqua edulia esse | non dubitarint, proindeque cum 418 butyro manducarint, quibus ea esset praesens operatio, ut illi per hebdomadam sequentem se toxicatos existimarint, adeoque haereticos devoverint, parum dubitantes quin suae ipsorum vitae insidiati escam illam venenatam ibi ex industria reliquerint,

(138) Inter haec O'Rellius ex comitatu Cavanensi cum suis viribus accedebat, captisque aliquot praesidiis, quae Angli *Kels*, *Ardbracan*, et *Navan* vocant, Vadipontanis etiam ab austro metum incutiebat. Quare Tichburnus plus solito duumviros urgebat ut Vadipontum majores vires et arma destinarent illique ejus voto responderunt destinato ad 22^m Novembris 1641 ex urbe Dublinensi Christophero Ropero, Legionis Instructore, seu (ut loquuntur) *Majore*, cum sexcentis peditibus atque equitibus quinquaginta. In quos jam loci, quem Angli *Gillingstone* vocant, pontem praetergressos Catholici pene inermes irruerunt, plerisque eorum occisis, | aliis captis et reliquis praecipiti fuga Vadipontum 419 dilapsis, nempe praefato Christophero et duobus centurionibus, Guillelmo Cadougano et Carolo Sounsleio cum suarum cohortium parte plerumque armis, quae velocius evasuri projecerunt, destituta et quinquaginta equitibus Ormonii turma, quam Patricius Weymus, census Equestris, ducebat. Iberni quoque

hac victoria haud parum pulveris nitrati, fomitis, armorum, rei pecuniariae, et aliarum manubiarum adepti sunt. Nec ante illam pugnam Coloniae Anglicanae in ea vicinia Vadipontana late propagatae proceres Ultoniensibus coaluerunt. Porro pauculis diebus interjectis eadem vires Catholicae in navem Anglicam, quae pulvere nitrato, armis, atque aliis commodis in haereticorum usus onerata vicinis aestuariis applicaverat, involarunt. Quo factum ut rebus prope omnibus ad bellandum idoneis Iberni ante has victorias destituti tunc evaserint audentiores.

419
v

pag.
22.

(139) Ad ineuntem Decembrim 1641 vires Catholicae | Vadipontum, emporium frequentissimum muris et portu vallatum, nec non flumine interfluente divisum, obsederunt. Ante vero quam ad insultus ventum est, Vadipontum fide publica destinarent ex Darciorum vel Darcaeorum (nam varie scribi video) familia Dominicanum, quem P. Oliverum Darcium fuisse conjecto. Is centurione Ibero, suo contribuli, et tympanista comitantibus, in oppidum admissus productis litteris credentialibus Tichburno et aliis praesidiariis dixit se ab exercitu Catholico missum ut eos rogaret, quatenus incruentam deditionem facerent, et Vadipontum in Regis obsequium obsidentibus permitterent. Exhibuit etiam susceptum a Confaederatis Catholicis iuramentum, quod idem Bernardus Anglice in medium producit et hic latine vertitur.

420

(140) "Ego A. B. coram Deo omnipotenti et omnibus caeli Angelis ac Sanctis promitto, voveo, juro et protestor me quantum potero vita, viribus et facultatibus propugnaturum | et defensurum verae et Romano-Catholicae Religionis liberum exercitium in quoscunque se eidem opposituros.

(141) "Ulterius juro me fidem et verum obsequium supremo Domino nostro Regi Carolo, haeredibus et successoribus praestitutum, meque ipsum et ipsos quantum potero, vita, viribus et facultatibus defensurum contra quoscunque in Regias eorum personas, honores, dominia vel dignitates quidpiam molituros, et directe vel indirecte Regias eorum praerogativas suppressere conaturos ut in Monarchiam quidpiam effecturos, meque propugnaturum Parlamenti (Iberniae non spurii sed libere celebrandi) auctoritatem et privilegia, legitima subditi jura et immunitates et omnes idem votum, iuramentum et protestationem suscepturos, idque in omnibus ab ipsis agendis in legitimam ejusdem juramenti persecutionem. Meque totis viribus quantum potero restitutum et omnibus viis ac mediis conaturum ut condignae irrogentur paenae etiam in vitae, libertatis ac possessionum jacturam, cunctis

illis qui vi, machinatione, consiliis, molitionibus, | conspiracyonibus
vel secus, quidpiam tentaverint contrarium ulli articulo, clausulae,
vel rei contentae in hoc voto, juramento et protestatione. Ita
me Deus adjuvet." 420
v

(142) Hoc Catholicorum obsidentium juramento lecto et P.
Dominicano audito, Gubernator et alii praesidarii se oppidum
pro virili in Regis obsequium defensuros responderunt, et alterum
eo spectans conceptis verbis praeformarunt juramentum ab
omnibus, tam civibus quam praesidiariis, suscipiendum. Cum
autem in eo sacramento ministrando ad Vadiponti Praetorem
et senatores Catholicos ventum esset, ejus apographum et deliber-
andi tempus postularunt, demumque post consultationem
rogarunt Gubernatorem ut se excusatos haberet, allegantes se
suscepto semel illo jurejurando exponendos periculo non obtinendi
a viribus Catholicis bonas conditiones urbe capta, secus facili
negotio Catholicis a Catholicis et Ibernis ab Ibernis concedendas.

(143) 20 Decembris Tichburnus per exploratores | tempore 421
pomeridiano rescivit obsidentes decrevisse certa noctis posterae
hora et nescio quo edicto signo Vadipontum omni ex parte
adhibitis scalis adoriri. Suspicioni quoque et rumusculo inter
haereticos relato credulus timuit ne civium Catholici eadem
hora et ad illud signum in haereticos intus insilirent et Vadiponti
januas viribus Catholicis reserarent. Quare iis, qui inter vires
ab ipso scriptas Catholici essent, exarmatis, et perlustratis civium
Catholicorum domibus, atque eorum armis omnibus in unum
repositorium coacervatis, jussit sub paena capitis ut ipsi etiam
inermes se domi quisque suae continerent.

(144) Praesidarii omnes tam equestres quam pedestres mille
et octingenti tota illa nocte armati excubarunt, additis octoginta
volonibus ex haereticis oppidanis, quibus praepositi fuere centurio
aliique officiales et inter hos septem pseudo-ministelli haeretici.
Tichburnus etiam civium Catholicis et obsidentibus inter se conve-
nisse suspicans horologii cursum duabus | horis aequo tardiozem 421
reddendum curavit, ut Catholici intus et foris circa horam forsan
aggressionem praestitutam deviant. Obsidentes autem ad horam
primam post mediam noctem balista exonerata, nec ita diu post
altero signo edito, ad muros accesserunt atque in oppidi circuitu
conclamarunt, tanto barritu ut obsessos ultra modum stupe-
fecerint opinatos celeusma illud eo spectasse, ut ipsi hebetarentur,
vel ut Vadipontanorum Catholici moniti una intus in praesid-
iarios insilirent et suas partes viriliter agerent. Verum hac
v

tumultuaria vociferatione tres vel quatuor horas continuata, diescere caepit, praeter obsidentium expectationem, qui re infecta recesserunt succensentes (si Bernardo ministello fides habenda) oppidanis Catholicis tanquam promisso non stantibus, cum tamen re ipsa (quod demum obsidentibus constitit) nihil praestare valerent.

(145) Idem ministellus in Catholicos iniquissimus tradit aliqua noctium paulo post secularum ad Vadipontum intercipiendum destinata civium Catholicorum fores, quatenus, capto Vadiponto, | 422 | ipsis pro haereticis parceretur, fuisse crucibus cretaceis notatas; praesidiarios vero hoc observato cruces illas clanculum expunxisse et delineatis eorum loco patibulis haereticorum januas crucibus albis indicasse ut oppido forsitan expugnato victores non haereticorum sed Catholicorum stragem ederent, idemque addit paulo post iis ex oppidi viribus qui Catholici essent armatis quendam centurionem Catholicum suos milites ad occupanda haereticorum, dum sparsim dormirent vel excubias agerent, arma, et ad ipsos una contrucidandos sollicitasse, sed conspirationem ad nihilum recidisse, eam revelante quodam ex ipsis Catholicis, addente se a nescio quo religioso jussum ut iuramentum susciperet a praefato centurione ministrandum. Denique idem habet Bonnio, fluvio, qui Vadipontum intersecat, glacie adeo constricto ut equi nedum homines tuti super glacie transirent, ultimo Decembris 1641 puerum, qui summo mane ab obsidentibus Vadipontum redibat a praesidiariis captum et suspendii metu perculsum aperuisse se a quaternis senatorum Catholicorum uxoribus ad obsidentes | 422 | ut glacie tuti ea nocte insilerent missum fuisse, easque sibi mercedem pecuniariam dedisse et majorem promississe, obsidentes vero dubitasse ne id forte in sui perniciem esset Gubernatoris artificium, et rogasse ut a mulieribus de re certiores redderentur. Verum illae ad iudicium raptatae haec omnia falsa et sibi afficta esse asseverarunt.

COMMENTARIUS RINUCCINIANUS

VOLUMEN I.

PARS IV.

An. 1642

(1) Ineunte anno 1642 Vadipontum magna caepit annonae charitate laborare. Illi ipsi, quibus prae aliis res cibaria suppeteret, semel in die reficiebantur. Militumque plebs solis halecibus et aqua citra panem victitabant. Quare omnium domibus acri scrutinio lustrantis tota penus in unum promptuarium *commune dividendum*, coacervata est. Autumni superioris messem patriae more in strigas per agros sparsas digestam copiae Catholicae jam igni incenderant vel in suam annonam militarem flagellaverant, exceptis paucioribus Vadiponto vicinioribus, quas tunc fame arctius premente, obsessi triturarunt, sed plerisque molendinorum extra oppidum | collocatis atque adeo deficientibus, parum rei frumentariae nisi pistrillis moli poterat magno tot obsessorum incommodo. Boves, vaccae, ipsaeque hordae et fordae occisae fuerant, vixque prius distributae quam devoratae. Carbones adeo defecerant ut divulsis sepimentorum omnium palis et pomariorum arboribus, etiam fructiferis, tam intra quam extra muros caesis, nec non suburbiis ab obsidionis initio combustis, oppidum valde de-honestatum fuerit. Equi avenae et faeni, in quod necdum ex agris domum advectum obsidentes ab initio involaverant, inopia maciati et toti strigosi equitibus ad exiliendum evaserant inutiles et in dies contabescebant. Aegritudo et mortalitas late grassabantur multis fame enectis et aliis dieta insolita ita languentibus ut inedia in morbos degenerante decesserint.

idem.
pag.
36.

423

(2) In his rerum angustiis Tichburnus, Vadiponti Gubernator, opis a duumviris obtinendae studio decrevit Dubliniam destinare naviculam et celocem, quarum prima aliquot minoribus tormentis bellicis instructa et quadraginta sclopetariis munita | ita procederet ut, dum obsidentium impetum sustineret et in se intentum redderet, secunda eluctaretur, velificaret, et Dubliniam navigaret. Sed omnibus aliis ad discessum praeparatis navarchae deerant. Morus autem, Vadiponti Vicecomes, comminatus est sex ex Senatoribus Catholicis in illas naves nisi de naucleris providerent imponendos, ibique ita collocandos ut omnium primi obsidentium jaculis exponerentur, reque ipsa illorum tres prehendendos curavit. Quo factum ut hi se ab ea crudelitate et vexatione redempturi quatuor vel quinque navarchas et praecipuos produxerint, sed adhuc nautae deerant, qui ut se offerrent ab

423
v

haereticis edicto publico declaratum fuit eos nisi in horam certam se exhiberent ex legum instar proscribendos, uxoresque et liberos Vadiponto destrudendos. Quae violentia peregit ut nautae in promptu essent. Verum nec in nautis nec in navarchis, quia Catholicis haeretici spem magnam ponebant, valdeque metuebant
 424 ne suae binae naves ab | obsidentibus caperentur, qui ad portus fauces praestolabantur, ornatis nedum terra viribus sed etiam aqua tribus navigiis milite munitis ut eas erupturas adoriantur. Porro Dei, qui saepe malorum prosperitate in bonorum tolerantiam et exercitium utitur, justo licet occulto iudicio factum ut illae haereticorum naves obicibus jam dictis retardata fuerint, alias (ut credere par est) ab obsidentibus in magnum (nam
 * Confaederatis Catholicis tunc perpaucae naves suppeditabant) eorum commodum expugnandae et praeterea certaminis aliam incassum subiturae. Quippe militum et rei pecuniariae subsidii ex Anglia a Parlamento in Iberniam ad suos haereticos recens transmissis et Dubliniam advectis Dublinia illis Vadiponti obsessis suppetias veniebant quatuor naves et duae cymbae cum militibus, pane bis cocto, farina, pulvere tormentario atque alio apparatu bellico, ex quibus navigiis paro, inter accedendum, duodecimo a Vadiponto lapide applicuit et Catholicorum ibi incolentium aedibus | igni barbare et crudeliter succensis reque
 424 frumentaria combusta manubias asportavit.
 v

(3) Vires Catholicae his atque aliis omnibus subsidiis mari subministrandis, obsessos interclusurae transversam Boinnio, flumine, quo solo navibus in oppidum aditus patebat, naviculum merserunt. Sed haec paulo ante magno fluenti et Zephyri impetu in mare protrusa viam accedentibus non obstruxit. Alio quoque obstaculo aditum praestruere conati fuerant, Catholici duobus navigiis ad utramque Boinnii fluminis ripam firmatis sibi invicem e regione respondentibus, quarum nec non aliarum cymbarum supportantium praesidio catenam ferream, rudentemque transversum tetenderant. Magno etiam ipsis commodo erat loci sinusque maritimi et fluviatilis ingenium tale ut naves vix nisi maris fluxu et per interquietem iterato Vadipontum ascendere possent, Oceano tunc valde parum fluente. Quibus tamen omnibus non obstantibus
 425 hostium naves plena die II Januarii 1642 secundis flatibus | usae uno maris aestu, catena illa rudenteque (quod qua ratione successerit me latet) ne tactis quidem, Vadipontum penetrarunt Catholicis viribus incassum ab utraque fluminis ripa creberrimo minorum bombardarum (nam tormentis bellicis non

abundabant) imbre obviare conantibus et obsessorum machinis majoribus ex muro in ipsos vicissim tonantibus.

(4) Obsessi hac ope sublevati jubilarunt vespere ardentibus vicatim pyris, machinis bellicis subinde fulminantibus, campanis sonantibus, (et quod caput est) militibus egregie compotantibus. Quo factum ut, praesidiariis maxima ex parte inebriatis, ipsorum etiam excubitorum duae partes temulentae fuerint, civium Catholicis cervisiam gratis et liberaliter subministrantibus. Quam liberalitatem ministellus, Bernardus, solita Catholicos calumniandi libidine ipsis perfidiae et fraudi vertit, quasi animum in eum scopum intendissent ut copiae Catholicae Vadipontum vigilibus et defensoribus nisi ebrietate et somno sepultis destitutum occuparent. Additque ipsos | Religiosos ab excubiarum stationibus in suas aedes traxisse murorum custodes ut intemperantius potarent, nec obsidentes nisi Catholicorum se Vadiponti tenentium ope atque intimatione murum ea nocte suffodisse. Verum ejus libellus adeo impiam et haereticam effuciendi, ineptiendi, mentiendi, et Catholicos ubique insectandi licentiam spirat, ut hic etiam ipsum eodem livoris pruritu calamum tractasse credamus. Utut sit vires Catholicae congruam hanc invadendi occasionem odoratae circa horam quartam post mediam noctem, praesidiariis ad mensuram jam dictam ebrietate et somno tumulatis, furente proindeque favente turbine, murum in pomario inter S. Jacobi portam et fluentum loco suapte natura obscuro suffoderunt, illaque maenium ruina ingressi selectissimorum militum atque ducum circiter quingenti sparsim obvios aliquot excubitores aliosque pauculos trucidarunt, habentes in synthema *clan Phadruig*, quae duo verba Ibernica *S. Patricii filios* significant. Demum per horam integram haud detecti atque usque ad cymbarum stationem intra progressi, ibi acclamarunt, | in victoriae signum, an ut cives Catholicos in auxilium accirent, mihi non constat. Hoc barritu nec aliter sui officii monitus Tichburnus, Vadiponti Gubernator, solis sclopolis armatus accurrit et omnium primus tympanum pulsandum curavit. Qui excubitorum paucitatem animadvertens, alios, praesertim suam cohortem, accivit, ipsisque suum vexilliferum praefecit, et jussit ut dum ipse alios postea secuturos cogeret, ad pontem usque (nam medium Vadipontum fluvius intersecat) praecederet. Ubi signifer cum suis occurrit Catholicis cohortibus in alteram Vadiponti partem ingressuris. Itaque pugnatum est, sed Catholicis, quod eorum hastae haereticorum lanceis longe breviores forent, repulsis, nec ita quin obviam ibi machinam

425
v

426

426 bellicam everterint. Interea Gubernator, coacta sclopetariorum
 manu, suo vexillifero opem laturus incidit in cohortem, quam
 inter tenebras cum suam esse existimaret stetit. In quem unus
 v Catholicorum, qui eum antea sibi familiarem voce decreverat,
 glandem plombeam | explosit, sed ita a scopo aberrans ut ei
 qui Tichburnum proxime staret galeri marginem tetigerit. Itaque
 ad manus ventum est, sed Moro cum equitatu superveniente
 et suis Anglis auxiliante, haereticis jam expergefactis et poculentis
 quibus maduerant digestis, Ibernici numero et armis longe in-
 feriores receptui cecinerunt eadem muri ruina qua intraverant
 praesidiarii non nisi fugientium vestigia premendo demum
 nota, secus ab haereticis longe prius praestruenda. Utrumque
 non pauci ceciderunt et ea invaserat Anglos animorum consternatio
 ac mentium habetudo ut non nunquam eorum duces inter
 pugnandum Catholicos, quos suos esse putarent, ad se praeclare
 gerendos exhortarentur, ducerentque et parum abfuerit quin
 aliquando suos pro Catholicis habitos machinis bellicis confecerint.
 427 Ubi illuxit, intra oppidum multa obsidentium millia, quibus
 rerum eventus | nec dum innotuit in armis expectabant fore ut
 janua ab ingressis Catholicis panderetur, quo totus exercitus
 Ibernicus in oppidum irrumperet. Quam eorum mentem ac
 successus ignorantiam conjectura augurati haeretici effecerunt ut
 fistulator Ibernicus inter alios captos suam tibiam utricularem
 sufflarit ibique alacriter canturierit, etiam saltabundus, eo plane
 modo quo fecisset si sui ingressi triumphassent. Ad alias etiam
 oppidi portas similia triumphi tanquam a Catholicis Vadipontum
 ingressis jam confecti signa edenda curarunt eo artificio, quo
 copias Ibernicas accessuras atque illaqueandas judicarent. Nec
 paucos militum Catholicorum occurrisse atque in oppidum velut
 jam captum praecipites introisse, proindeque in custodiam datos
 fuisse, sed demum alios detecta fraude resiliisse testis non locuples
 427 est Bernardus, ministellus, qui etiam (quod per se fidem habet)
 v fatetur | haereticos suis lectis jugulandos et Vadipontum facillimo
 negotio a Catholicis tunc fuisse occupandum si jam ingressos
 alii per eandem muri ruinam animose secuti essent, vel si ipsi
 ingressi portae, quae illi rimae propior erat, vigilias majore ex
 parte dormitantes confecissent, et continuo suis millenis foris
 expectantibus eam januam reserassent, vel si *Molendini Monticulum*,
 ubi quatuor vel quinque machinae bellicae ex suggestu
 tormentario in universum Vadipontum dominabantur, et ubi
 nullus tunc tormentarius erat, occupassent, vel ad pontem silentio
 perrexissent, duobusque tormentis bellicis ibi collocatis usi in

alteram Vadiponti partem praecipuam irrupissent atque excubias
 Principes peremissent. Idemque pro more in clerum iniquus
 habet quendam militem, qui ante praesidio deserto ad partes
 Catholicas transfugerat, tunc captum, atque in desertionis paenam
 | laqueo sublatum, in ipso patibulo palam fecisse nescio quem 428
 Religiosum illius invasionis authorem fuisse et ex eodem caetu
 alios eam secundasse. Subjungit etiam eo circiter tempore quo
 Catholici oppidum ingressi barritum illum edebant, non defuisse
 qui notarint balistas aliquoties ex domo Religiosa fuisse exon-
 eratas in praesidiarios e regione transeuntes, addens propterea
 praesidiarios viribus Catholicis repulsatis non nullas Vadiponti
 Religiosorum domos lustrasse, ibique repertum fuisse fomitem,
 arma, et pulverem tormentarium. Verum vix dubitemus quin
 praesidiarii commenta illa suae expilandi licentiae praetenderint,
 cum ipse fateatur Catholicos tunc Vadiponti direptos fuisse a
 praesidiariis sub praetextu rimandi omnium domos, quo milites
 Catholicos velut post hesternam invasionem in angulis delites-
 centes scrutarentur, testeturque Gubernatorem hac direptione
 cognita, | quicquid bonorum expilatorum reperiri posset, edicto 428
 restituisse, et sub paena capitis ulteriorem expilandi licentiam
 v
 prohibuisse. Quod sane gubernatoris edictum Catholicorum
 innocentiam et militum nequitiam arguit.

(5) Obsessis nuperum illud invasionis periculum, quo defunctos
 fuisse diximus, tantopere profuit ut postea suas partes diligentius
 egerint, biduoque circiter interjecto navigia illa, quae Dublinia
 Vadipontum accesserant, velum fecerunt, eorum tormentis
 bellicis inter descendendum in vires Catholicos utramque fluminis
 ripam insidentes tonantibus et Catholicis pari fulminatione vicem
 rependentibus, nec non naviculam uni navium insistentem
 tangentibus, ut a profundiore fluenti calle deflexerit et littori
 illisa haeserit, eamque Iberni refluxente mox oceano in sicco
 relictam ceperint, inque ea pulveris nitrati libras circiter triginta,
 duo minora tormenta bellica, catapultam unam, et viros quatuor-
 decim, | quos cum totidem suorum postridie commutarunt. 429
 Navium quoque praecipuam in littus impactam cum emergere
 nequiret, Iberni densis balistarum explosionibus eo obruebant
 ut nautae navis eximendae causa industriam viresque non
 exererent, proindeque aqua paulatim recedens illam pariter in
 littore siccam desereret. Quod et brevi ad votum successit.
 Quare Catholici milites circiter centum vehiculis fasciculorum
 ligneorum plenis objectis ab hostium explosione utcunque tuti
 accesserunt, quorum pauculis inter accedendum interfectis, alii

navem ad imum clavum ferramentis suffodere ac dissuere egregie conati sunt tunc extra machinarum bellicarum scloporum atque hastarum hostilium aleam positi. In quos Hutfieldus, centurio, qui navi opem laturus bis periculo se objecerat, granata seu pilas ferreas pulvere nitrato et sphaerulis plombeis gravidas igneque incensas jaculatus est, quarum illi sex, unam post alteram, in nonnullorum necem immobiles spreverunt. Sed
 429 ad septimam re infecta se in tutum receperunt, hostium | sclopis
 v et machinis bellicis perinde in recessu atque in accessu petiti, nonnullis etiam in navi inter conflictum vulneratis et nescio quo sub centurione plombea balistae glande caput trajecto, peremptoque. Porro navis saburrae parte exonerata ad maris aestum nocte sequenti fluitavit et vento aspirante eluctata Dubliniam rediit, quo aliae naviculae, quibus comitantibus Vadiponti solverat, et a quibus insigni ignavia a tergo relictas fuerat, praecesserunt. Ei autem agonizanti celox, quam obsessi destinaverant, quatuor machinis bellicis instructa et militibus vallata opem tulit eamque ita in liberiolem oceanum conduxit, ut ipsa dum Vadipontum remearet, ad alteram ripam in littus pariter impacta haeserit. In quam Catholici constructo inter tenebras ex terra congestitia vallo jacula per duas illas machinas in navicula ante capta repertas tota nocte exploserunt. Sed minores quam
 430 ut navi quassandae pares | essent, illa vicissim suis tormentis in ipsos reboante atque ambarum partium militibus minorum bombardarum glandes in se invicem jaculantibus pugna utrinque parum cruenta. Observatumque eos ex haeticorum parte, qui nec supra navis foros apparere, nec dimicare auderent, levidensibus tabulatis tenebratis fuisse vulneratos, intactis, qui se periculis objecerunt. Denique et illa demum emersit et domum sarta tecta rediit.

(6) Ibernis se non solum fidei et patriae, sed etiam Regi in Anglos Scotosque rebelles militare jam protestatis, orationem a Rege ex Scotia in Angliam reverso ad Parlamentum Anglicanum habitam atque in Iberniam receptam, qua Ibernorum insurrectionem a Rege improbatam crediderim, Morus Vadiponto in castra Catholica ad Felicem O'Nellum, insurrectionis jam dictae principem, et copiarum Ultoniensium praefectum | generalem direxit.
 430 Cui Felix per litteras Anglicanas 14 Januarii 1642 ex castris
 v Catholicis respondens inter alia : " quod (inquit) ad exemplar a te missum attinet. Teneo a nemine habendum esse pro authentico, vel pro acto a sua Majestate derivato. Simile enim excogitari et perinde in Iberniam atque in Angliam typis mandari

posset. Typis mandatum fuerit ubi volueris, ego ejusmodi commentis praefero mentem suae Majestatis et meam atque aliorum hic procerum coloniae Anglicanae et comitatus Louthensis, quorum majores semper ab initio in Coronam Anglicanam fidelissimi fuere, idemque obsequium ipsimet inviolabile atque integerrimum summo zelo observare student." Sic ille. Postridie etiam ejusdem diei Richardus Plunkettus, Chiliarchus Ibernus, ex castris Catholicis ad Morum et Tichburnum dedit Anglice hanc epistolam :

(7) "Domine Vicecomes More et Henrice Tichburne, Eques, vestri typanistae | majoris fide quatuordecim milites captos heri dimisi, cum quibus hodierno mane ad horam decimam totidem ex nostris commutandos expectavimus. Haec spherula plombea cujusdam ex parte nostra viri nobilis corpori extracta fuit et vita illis militibus vestris quos ceperamus, et dimisimus, ex pacto militari concessa, multas id genus alios ipsis superfuisse invenimus. Prima vice connivendum ipsorumque vitae ex favore parcendum duxi, donec vos de militum vestrorum procedendi modo monitos haberem, sperans exinde futurum ut eorum caepta imposterum vestra debita sollicitudine corrigantur. Quod ad dignissimos quosque ex parte nostra spectat, nihil magis in votis habemus quam ut juxta normam militarem et modum honorificum agatur. Si ex vestris responsis contrarium vobis decretum esse intellexerimus, mundo universo quamprimum tunc palam faciam totas meas vires eo contendendas ut vitam | precariam nec concedamus nec petamus. Hae litterae meae Angli manu exaratae remaneant in generosae viae a nobis initae testimonium. Militum nostrorum, quos cum illis heri missis commutandos cupimus, nomina in notula hic inclusa continentur. Festinans finem facio.

Beauliae 15 Januarii 1642.

Vester amicus

RICHARDUS PLUNKETTUS "

(8) Re cibaria, quam obsessis missam fuisse diximus, Vadiponti a tot famelicis consumpta, ad exeuntem Januariam fames, lienteria Anglis apud Iberniam praesertim recens appulsis juxta familiaris atque exitialis, alique morbi annonae inopia, frigore, vigiliis, nuditate, caeterisque incommodis nati recruderunt, mortalitate indies ingravescunt campanae quotidie ad pereuntium fata tristem edebant sonum. Tympana vicatim in horas pulsabantur et milites militibus parentantes centuriatim incedebant, nec in

432 castris sed in | caemiteriis sclopos exonerabant. Haeretici Anglici
 vel Anglicis in Ibernia nati ante ab Ibernis direpti Vadiponto (quo
 velut in asylum ex vicina late patente pene nudi confluxerant
 et ibidem aliquandiu refocillati respiraverant) inedia jam saeviente
 diffuebant. Ipsique civium Vadipontanorum heterodoxi iisdem
 angustiis urgentibus magno numero in alias partes dilabebantur.
 Milites autem acri scrutinio quaerentes quid devorarent omnes
 aedium angulos et tabulata lustrabant, ipsaque cellaria defixis
 in imam terram verubus ferreis explorabant, et prae aliis in
 domos Religiosas irruebant. Inter quam venationem non nihil
 subsidii repertum est reliquo Religiosorum et optimorum Catholicorum
 penu, nec non arcis, quas caelatis vasis, pecunia numerata,
 aliisque rebus pretiosis plenas Catholici innocentes apud Religiosos
 432 velut in sanctuario custodiendas | deposuerant, ita expilatis ut
 v praedae haud prius latrocinio publico extortae quam distributae,
 et vix in milites prius distributae quam absumptae fuerint,
 peneque illorum vulturum ingluviem justo Dei iudicio plus
 auxerint quam satiarint. Hac violentia et deposito rerum statu
 factum ut civium nedum Orthodoxorum sed etiam heterodoxorum
 nonnulli ad Catholicorum partes transfugerint. Quin etiam in
 maiorem obsessorum desperationem Felix O'Nellus caeptis non
 destitutus ex castris Catholicis in Ultoniam redierat ut recentiore
 militum delectum haberet, et nonnulla tormenta bellica inde
 ad suum exercitum in obsidione persistentem apportanda curaret,
 extrema quaeque expenturus, potius quam Vadipontum ad
 deditionem non cogeret.

433 (9) Hoc cognito, obsessi celocem ornarunt, qua | Commissarii
 ab ipsis Dubliniam destinandi et ibi subsidium procuraturi
 transveherentur. Illa saepius velum fecerat, sed ventis incon-
 stantibus nunc progressa nunc regressa, demum 7^o Februarii 1642
 prosperis flatibus usa Dubliniam perrexit, duobus tormentis
 bellicis semel ab exercitu Catholico inter eluctandum petita sed
 intacta, licet suggestus tormentarius adeo alveo continens esset
 ut mirum qui a scopo aberrarint. Porro dum haec legatio
 Dubliniae obiretur, adeo extrema fames Vadiponti grassata est
 ut obsessi equinam, caninam, et felium carnem in deliciis haberent,
 iique ipsi inter praesidiarios, qui antea omnia discrimina in oppido
 defensando a se subeunda ostentare soliti erant, pene tunc
 animum desponderint, palam et ingenue professi se Vadipontum
 in obsidentium potestatem permissuros, nisi in diem certum,
 433 eumque ineuntem, rem subsidiariam | obtinerent, cui etiam
 v suppeditandae obviabat quod Dublinia solo mari expectaretur,

et praeter alia novercantes venti obsessos in majorem desperationem agerent. Quare Morus, cui Felix O'Nellus se ob ejus obstinationem suae vitae non parciturum significaverat, effecit ut P. Antonius Nugentius, Capucinus, praesto esset, cujus habitum Franciscanum Morus capto Vadiponto induturus foret ut deductionis die sub illa larva dilaberetur. Obsessos inter has angustias ad tempus relinquamus, ad eos mox redituri ubi rationem, qua ipsis atque aliis in Ibernica haereticis subventum est, perstrinxerimus.

(10) Antea diximus Regem decimo mensis sextilis anni 1641 Londino discessisse in Scotiam profecturum. Ubi dum seditiones late gliscentes sedare incassum conaretur bellum hoc in Ibernica pullulavit. Qui deinde | Londinum ad mensem Decembrem 1641 ita rediit ut Parlamentum Angliae sibi ab Ibernica valde metuens dum major summa colligeretur, viginti millia librarum *sterlingarum* in Iberniam ad bellum in Catholicos prosequendum miserit, Simone Harcourto, census Equestris chiliarcho, cum sua legione optime instructa eodem ex Anglia destinato atque ad Kalendas Januarias an. 1642 Dubliniam appulso. 434

(11) Interea Regem urgebat Parlamentum Anglicanum ut se de Catholicorum Ibernicae insurrectione suis subditis haereticis purgaturus eosdem Catholicos edicto proscriberet et in ipsos severe animadvertendum statueret. Purgationis illius ratio saltem apparens (nam de facto Parlamentum eo animum scelerrimum intendebat ut inter Regem et Iberos discordias disseminaret, ne Rex eorum viribus suas augeret) haec erat. Iberni se Regi militare protestati fuerant, | et eorum nonnulli (ut fama ferebat) agenda factionis studio occupati se Regis jussu in haereticos insurrexisse falso jactitarunt, seque (ut fertur) Reginae, quia Catholicae, milites vocitabant. Itaque Rex a Parlamento Anglicano jam in ipsum contumacissimo prope coactus ad Kalendas Januarias anno 1642 Iberos esse rebelles declaravit edicto, cujus jussit quadraginta tantum exemplaria typis excudi, nullumque eorum emittendum nisi ipso ulterius mandante. In quo negotio Parlamentum rebus suis in Regis ruinam summa fraude et nequitia consuluit, totisque industriae viribus id contendit ut bellum in Ibernica non sedaretur sed foveretur, Regique et Ibernicae Catholicis inter se male conveniret, ne illi aequis conditionibus a Rege obtentis cum lectissimo fidelissimoque exercitu in ejus obsequium ex Ibernica trajicerent. Itaque Parlamentarii Anglici id assecuti ut | Ibernicae Catholici edicto proscriberentur jam ab Ibernica domi distracta minus sibi metuentes laxato 435

seditionis et malignitatis fraeno in omnes Regis praerogativas paulatim et solito audacius invaserunt multifariam multisque modis. Natis autem inter Regem et Parlamentum super ea re infinitis discordiis, futuri Angliae belli intestini seminibus, consultum interea fuit de copiis in Iberniam adversus Catholicos, praecipue vero et primo ex Scotia, quod brevissimus illinc trajectus esset, transmittendis. Cumque statutum circa hoc bellum maturandum in Parlamentaria procerum domo praeformaretur, Rex hoc ausum clam edoctus et eorum rebellem mentem in suum excidium occulte tendentem odoratus, illis succensuit ostendens non ipsorum sed suum esse jus authorandi milites praesertim in Iberniam minime gentium ab Angliae Parlamento sed a se dependentem transmittendos, addens tamen | statutum illud pro hac vice a se roborandum, salvo tamen jure et Regi et populo. Qua Regis oratione conjuratis displicente Parlamentum declarat fundamentalia sua privilegia a Rege violata fuisse, quod illa de militibus authorandis disceptationem in procerum domo Parlamentaria taxasset. Quare et reparationem petunt et ut Rex indicet cujus consilio id fecerit. Quae tamen procella non effecit quin redditum sit ad consultandum de Scotticorum Calvinistarum exercitu in Iberniam destinando. Verum Scotiae delegati tunc Londini agentes negabant minorem militum suorum numerum quam decem millia in Iberniam transmittendi factam esse sibi a Parlamento Scotico potestamet. In quem numerum Parlamenti Anglicani domus communium Parlamenti consensit, sed procerum domo Parlamentaria dissentiente, nisi ea lege ut communes dena quoque Anglorum millia quam citissime | in Iberniam transmittenda caverent. Ea autem cautio praestitu impossibilis videbatur. Porro dissentionis cardo erat ne Anglorum genti probrosum foret, si Iberniam non nisi a Scotis ad arma deponenda cogeretur aut Scoti nimium ex ea expeditione lucrum caperent.

435
v

436

(12) Re tamen iterum in deliberationem tracta duo millia quingentique Scottorum militum parati erant in Ultoniam, Iberniae provinciam Scotiae respondentem transportari. De militiae conditionibus Scottorum delegati Parlamento Anglicano octo propositiones obtulerunt. Quas omnes utraque Parlamenti domus ratas habendas censebat. Rex vero circa earum septimam fluctuabat. Nempe ut Scoti Rupis-Fergusianae oppidum, quod in Ultonia est, arcemque cum potestate illic manendi et sedes suas ad libitum dilatandi tenerent, et aliae copiae si in eadem Provincia illis adjungerentur sub Scottorum ducis imperio mil-

itarent. De hac propositione ne Angliae damnosa foret, Rex se ambigere | aiebat eamque Parlamento Anglicano ponderandam obtulit, affirmans si ita vellent se cum Scotiae commissariis illis Londini permanentibus de ea deliberaturum. In qua ad trutinam revocanda multum temporis absumptum fuit, ut demum Rex assensum praeberit.

(13) Propositiones quoque ad Iberniam subigendam Parlamenti consensu factae sunt ut quotquot vel civium Londinensium vel aliorum in bellum Ibernicum pecunias deponere vel pro certis summis subscribere vellent Catholicorum Iberniae possessionibus velut pretio pecuniario comparatis compensarentur. Sed nec illa Catholicorum patrimonia licebant, nec pecunias oblaturi ea licitabantur, nec eorum auctio fiebat, sed Parlamentum ea vili indicabat, ne secus deessent, qui suas pecunias offerrent cum belli eventus esset incertissimus. Illas tamen propositiones Rex ratas habuit, quamvis primo deriserit, auditus dicere perinde esse ac si quis ursi necdum venatu capti | pellem venditioni exponeret. Tot tamen tantisque Catholicorum Iberniae omnium bellantium patrimoniis jam velut in rebellionis paenam fisco addictis et pretio vilissimo per statuta publica indicatis, haud defuere mercatores Anglici magno numero qui datis Parlamento in bellum Ibernicum summis stupendis illam emptionis adeo dubiae aleam subierint, propterea (sicut saepius videbimus) *periculatores* vocitati, quod suam pecuniam evidenti adeo jacturae periculo anticiparint, incerti qua fortuna bellum Ibernicum finiendum esset. Decimo quoque Martii 1642 ad domum communium relatum fuit mercatores Batavos paratos ad ducenta librarum *sterlingarum* millia numeranda iisdem conditionibus, sed re aliquandiu agitata illa Parlamenti Anglici domus inferior non nisi mediam summae partem tunc admittendam statuit, totam et longe majores summas suo tempore admissura, si belli conditio atque exigentia postularet, sicut re ipsa postea postulasse videbimus. Anglici quoque in illud bellum | non modo vectigal publicum penderunt, sed etiam magnae summae inter eosdem haereticos et ab iisdem collectae fuere sponte et gratis falsae et religionis et charitatis *zelo amaro* suppeditatae, velut in afflictorum fratrum haereticorum consolationem et in suae haereseos propagationem apud Iberniam, ubi illorum nebulonum per multos retro annos ex Anglia et Scotia transvectorum aeruscationibus et latrociniis publicis iniquissimarum legum pallio et iniquiorum magistratuum violentia suffultis exacerbati, demum nostrates Catholici in illam Anglorum Scotorumque

colluviem tanto *furore legis* orto hoc bello irruerunt, ut plurimis eorum millibus contrucidatis, alii tanquam innocentiores vita misericorditer donati confluxerint manipulatim ex variis Iberniae plagis Corcagiam, Kinsaliam, Yeocheliam, Dubliniam, Vadi-pontum et in reliqua illa Iberniae oppida maritima a suis sectariis occupata, ex quibus in varias Angliae et Scotiae oras maritimas gregatim et subinde navigabant | spoliati, nudi, fame et frigore macerati, et tanto pavore consternati ut per Angliam et Scotiam dispersi suorum in Iberniam excidium ululantes retulerint, intermixtis ingenti coacervatione mendaciunculis, quibus utriusque Regni sectarios ad compassionem commoverint. Verum nebulonum omnium a mundo condito coryphaei, Parlamentarii, ubi tot tantasque summas jam tactas aeruscassent, easque tam malis artibus corrasissent, pene omnes in sua rebellione adversus Regem prosequenda collocarunt, in id animum intendentes ut monarchia Protestantium haeresi, et pseudo-episcopatu deleta, anarchiam et Independentium vel *Puritanorum* sectas substituerent, vel novam aliquam ex tot haeresibus ibi sine fine stagnantibus Religionem consarcinarent. Nec nisi justo Dei iudicio factum ut pseudo-episcopatismus, cujus tyrannide atque hypocrisi sub Henrico octavo Hierarchia Catholica extincta, deindeque sub Regina Elizabetha restincta fuerat, nunc sub Carolo primo pessundatus sit a suis male | sanis gregibus haereticis, quorum viribus altiores in fidei Catholicae perniciem radices sibi egisse videbatur, quam ut illis vel aliis quibuscunque succumberet. Verum duodecim pseudo-episcopis mense Januario 1641 a Parlamento perduellionis accusatis, captis, et in Turrim Londinensem contrusis, et pseudo-episcopis omnibus suffragandi in Parlamento jure ad mensem Februarium ipso Rege statutum eo spectans confirmante dejectis, demum ipsos eorumque ordinem tanquam Reipublicae perniciosum in tribus Regnis ipsi haeretici tollendum decreverunt, reque ipsa funditus abdicarunt. "Magna sunt iudicia tua Domine et inenarrabilia verba tua." Nam Sap. 17. "pro cogitationibus insensatis iniquitatis illorum, quod errantes colebant mutos serpentes et bestias supervacuas, immisisti illis multitudinem mutorum animalium in vindictam, ut scirent quia per quae peccat quis per haec et torquetur."

(14) Illa possessionum ad Iberniam Catholicos pertinentium confiscatio et plurimarum ex iisdem venditio eosdem prope ad desperationem redegit, haud alia ipsis reliqua facta se suaque in tuto ponendi via quam bello et triumpho, non solum de Parlamentariis sed etiam de ipso Rege, | nisi perire mallent, reportando, cum Rex crudele et barbarum illud Parlamenti

statutum ratum habuerit, Quae veniae desperatio Iberniae Catholicis plurimum profuisset, nisi eorum pars magna ab haereticis (ut videbimus) postea fascinata aniliter desipuisset in aliorum Confaederatorum Iberniae Catholicorum ruinam, quorum vastissima patrimonia de facto illis *periculatoribus* ex praefato statuto demum distributa fuisse suo loco videbimus.

(15) Statutum praeterea fuit Parlamenti autoritate, consentiente etiam, vel saltem ad consentiendum coacto et subscribente, Rege, bellum in Iberniae Catholicos processurum, donec a Parlamento declaratum esset Iberniam omnino subactam esse. Nec ullam prorsus vel pacem vel armorum cessationem cum Ibernis pangendam, nisi utraque Parlamenti Anglicani domo consentiente. Qua fraude Parlamentum Regi hic imprudenti manus ligavit, ne Iberni aequis conditionibus ab eo obtentis in Angliam cum exercitu trajicerent in Regis obsequium. Rex quoque declaravit se paratum ad trajicendum in Iberniam, quo praesens facili negotio | motus Ibernicos sedaret. Sed Parla-
mentum perversissima mente jam dicta occupatum, longeque
magis cupiens ut Regi atque Ibernis male inter se conveniret,
bellumque in Iberniam perennaretur, illi Regis trajectioni inter-
cessit, qui in sui suorumque ruinam summa cum imprudentia
illorum rebellium votis in hoc atque aliis plurimis acquievit.

(16) Jam tempus exigit ut ad praesidiarios Vadipontanos, quos equina caninaque vescentes reliquimus, pedem referamus. Itaque Anglia et Scotia his belli civilis inter Regem et Parlamentum nascentis symptomatibus aestuante Deus Opt. Max. Iberniae Catholicis ita prospexit ut illum haereticorum furorem in eos intentum compescuerit, ne simul omnes et conjunctis viribus in Ibernos debaccharentur. Porro praesidarii illi ad praefatam inediae desperationem acti et ipsam mortem pene in votis habentes haud semel eruperant et nonnullas praedas abegerant, quarum praesidio nonnihil respirarunt. Interea
commissar | quos, opis obtinendae | causa ab obsessis Dubliniam
mari destinatos fuisse vidimus, ita eorum ibi causam apud
Duumviros egerunt, ut hi praeter cymbam undecim naviculas
re cibaria et subsidiaria oneratas ad ipsos direxerint. Quae
inter navigandum obviam quorundam innocentium Catholicorum
cymbam piscatoriam halecibus plenam ceperant, et vento
adversante applicuerunt duodecimo a Vadiponto lapide, ubi
facta in terram exscensione, aliquot Catholicorum villas igni
succenderunt suspensis eorum quatuor in cujusdam Angli
vindictam, quem illi die pridiana ad furcas strangulaverant.

(17) Copiae Catholicae Vadipontum obsidentes haud segnem

navarunt operam, ut has naviculas aditu ad oppidum Vadi-
pontanum intercluderent; quo animo multos malos aliaque
ligna per transversae lineae modum in Boinnio, flumine, quo solo
navibus illis ad obsessos penetrandum esset, inter se fortiter
catenarunt ingenti rudenti ligata, nec non septem vel octo magnis
cymbis medio in alveo per congruam distantiam firmatis sup-
portata, ad quae vel saltem | ad eorum ligamina interscindenda
haeretici in suae classis fronte cymbam cum ferramentis ornarunt.
Verum catena illa paulo ante eorum appulsum magno turbine
et procellae impetu disrupta, viam liberam invenientes 20
Februarii 1642 uno maris fluxu (quod ibi infrequens est) introierunt,
et obsessis praeter alia annonam in tres vel quatuor menses
sufficientem apportarunt cum quatuor militum catervis sub
Richardo Borrouso, Edwardo Trevorro, et Guillelmo Hamiltono
centurionibus, quae cohortes aliis extra Tichburni legionem Vadi-
ponti antea Praesidiarii additae secundam, cui Morus in Tri-
bunum praefectus fuit, adeo conflarunt, ut tunc Vadiponti mille
sexcenti pedites et centum quinquaginta equites superfuerint.
Porro dum naves illae fluvio Vadipontum peterent, ambae partes
balistarum explosionibus dimicabant, Anglorum nescio quot
vulneratis et uno tantum occiso.

(18) Eodem die 20 Februarii Felix O'Nellus, copiarum obsid-
entium praefectus generalis, | scalas ad murum, praesertim in
humili angulo juxta S. Laurentii portam, hora 4^a quam post
mediam noctem fuisse conjecto, applicandos attulit, quarum
duabus mox fixis milites ascendebant, excubias ibi perempturi
et liberam aliis magno numero secuturis viam ad insiliendum
straturi. Verum scandentes excubitor senserat sed sclopo ex-
plodere conantem deseruit igniarium. Quare sclopo velut conto
ad eos repulsandos usus interea alias excubias accivit a quibus
vibrata glandium plombeorum grandine Iberni recesserunt,
salarum circiter tredecim a tergo relictis, ad alias quoque
Vadiponti januas Catholici pari ratione scalis adhibitis irrumpere
conati sunt, sed re integra ita detecti ut vires praesidiariae
pedestres equestres una omnes statim accurrerint, quo factum
ut Iberni prudenter receptui cecinerint.

(19) Eodem die 20 Februarii 1642 Vadiponti tempore pomeri-
diano promulgatum fuit, buccino et tympano sonante, edictum
illis navibus Dublinia allatum, quo Duumviri | Felicis O'Nelli
caput mille libris *sterlingis*, Philippi O'Rellii caput octingentis
libris, et aliorum inferioris ordinis Catholicorum ducum capita
singulis libris quadringentis licitati, non ad aliud quam ad Catholic-

orum animos magis exacerbandos profecerunt. Eodemque tempore aliud crudelissimum ab haeretico magistratu receptum fuit mandatum ut nedum Religiosi sed etiam cives Catholici in suspicionem vocati Vadiponto deturbarentur. Quod praesertim feria 4^a Cinerum ita factum ut lugubrem in modum cives bonis spoliati fuerint, relictis in oppido non aliis Catholicis quam iis qui haeticis studerent, et in fide Catholica minus sibi constarent. Quos ministellus, Bernardus, inter illas tentationes haeresim amplexos tradit aliorumque ejectorum haud paucos eadem lege in oppido permanere cupiisse, sed se quod simularent noluisse refert. Verum fidem habet impium tenebrionem eo hic mentitum ut optimorum Catholicorum Vadiponto extrusorum gloriam et constantiam obscuraret.

pag.
62.

(20) Kalendis Martiis aliquot obsessorum vires pedestres equestresque in obsidentes eruperunt, et | reportata ob Catholicorum incuriam haud magni momenti victoria, inter alios Artum Mac-Mahonium cognomento *rufum*, virum nobilem, effosso oculorum altero, vulnerarunt. Qui cum nullam fuga evadendi spem haberet, se dextere vestibibus exuerat et mortuum ementiens inter alios peremptos nudus jacuit. Quibus deinde Byronus, subchiliarchus haeticus, revisis, ubi eum S. Francisci chorda, quam prae devotione non projecerat, cinctum vidisset, jussit ut ipsi caput amputaretur, ratus esse virum spectabilem, qualis re ipsa erat et ex illis quorum capita duumviros magni licitatos fuisse diximus. Artus autem, ut se nisi loqueretur, capite truncandum viderat, se prodidit, vitam ea lege pactus ut Mori, Vicecomitis Vadipontani, soror D. Blanio apud Ultoniam ante bellum nupta, liberique, ab insurrectionis initio in provincia praefata a Catholicis capti, atque in ipso Arti territorio in custodiam dati libertate donarentur. Nec hic silentio praetereunda est horrenda Bernardi saepius nominati impietas, qui S. Francisci chordam ridens affirmat | tantum abesse ut ipsi profuerit ut etiam obfuerit, tanquam alias citra lytrum aut permutationem evasuro, cum sola chorda factum sit ut Byronus nobili loco oriundum crediderit. Verum haec haeticorum consuetudo est ut pietatis documenta praepostere interpretentur. Reque ipsa ministelli interpretatio maligna claudicat, cum non solum nobiles et praeclarissimi quique viri, sed etiam numero longe majori ignobiles S. Francisci chordam gestent, proindeque illam non nobilitatis sed pietatis indicem esse constet. Caeterum his pie credendum est Artum illo vulnere quo monocus evaserat nil alio ictu omnino perimendum, vel deinde militum hostilium et

442

442
v

talium rabie, quae saepe ea est ut etiam quos occisos esse credunt, iterum, ne forsitan occisi non sint, confodiant, caedendum vel ferratis calcitrorum unguibus fuisse exdorsuandum nisi S. Francisci chordam gestasset.

- (21) Sed tempus est ut in hujus belli arenam prodeat Jacobus Butlerus, Ormoniae Comes, qui cum in eandem scenam saepissime | producendus sit, operae pretium esse duco ad tragediae exordium hic hominem adumbrare. Hoc enim ad factionum et partium deinde in Iberniam natarum studia melius dignoscenda haud mediocriter conducet. Itaque Henricus secundus, Angliae Rex, qui ad annum 1171 Iberniam evaserat, S. Thomae Cantuariensis necem paenitentia expiaturus, amplas in Iberniam possessiones dedit ejusdem Martyris non (credo) ex fratre sed ex sorore nepoti, Theobaldo Waltero, quem etiam in pincernam ascivit, cumque pincerna Anglice *Butler* significet, hinc factum ut Theobaldi in Iberniam posterius eadem dignitate usi *Butlerorum* ibi familiam ex eodem officio sic nominatam propagarint, cujus Principes fuere in recta descendentium linea masculina post Theobaldum primum jam dictum alii quatuor Theobaldi, horumque ultimo suus frater Edmundus, Carrigiae Comes et Iberniae prorox, successit, cujus filius, Jacobus, ducta in uxorem Eduardi primi, | Angliae Regis, per filiam nepte, Ormoniae Comes et comitatus Tiperariensis Palatinus creatus eandem dignitatem transmisit ad posteros, Jacobum secundum, tertium, quartum, quintum, hujusque ultimi duos fratres unum post alterum, Joannem et Thomam, quorum postremo sine filiis defuncto, primum Ormoniae, deindeque Ossoriae Comes salutatus est Petrus Butlerus, proximus haeres masculus Jacobo tertio jam dicto per Richardum filium secundogenitum recta linea masculina prognatus, cui in eadem dignitate successit Jacobus filius et Thomas cognomento *niger* ex Jacobo filio nepos, cui citra filium sibi superstitem vita functo successit ab intestato ejus ex Joanne fratre nepos, Walterus, Ormoniae Comes longe piissimus, et huic ex filio Thoma vix minus pio et ter Catholico nepos, Jacobus, sub Carolo 1^o Angliae Rege ad belli, de quo | agimus initium Ormoniae Comes, qui a teneris unguiculis ad aliquot annos Catholice educatus, sed patre mortuo avoque paterno in custodiam ab haereticis conjecto, impubes Catholicae devotissimaeque matris curae ereptus ac Georgio Abbotio, pseudo-archiepiscopo Cantuariensi, in disciplinam pestilentem datus, a fide Catholica ad haeresim descivit, cum tamen matrem, fratres, sororesque haberet Catholicissimas a pietate conspicuas, totaque vel pene tota ejus familia fidem

Catholicam constanter profiteretur fundatissima, numerosissima-
que, ut praeterea quatuor ramis secundariis, nempe Montgaretti
et Iberniae Vicecomitibus, nec non Dunboinniae et Cahiriae
Baronibus, celebrique inferioris ordinis nobilitate coruscaret,
plurimasque Regni Tribus Principes, easque Catholicas, cog-
nationis vel affinitatis necessitudine attingeret. |

(22) Ormoniae Comitis domum delineavi, jam personam tango. 444
Ad hujus belli initium juvenis erat indole sagacissima et ad
captandam hominum benevolentiam nata. Qui si partes Catholicas
aperte secutus fuisset vel si illis clanculum studuisset, credere
par est haeresim Anglicanam et Scoticam facili negotio Iberniam
fuisse deturbandam. Verum ex Anglia oriundus et majoribus,
qui coronae Anglicanae potentia freti aboriginum Iberniae
possessionibus rem auxerant, prognatus, nec non tres Ormoniae
Comites, suos decessores, Petrum, hujusque filium, Jacobum,
et Jacobi filium, Thomam cognomento nigrum, quorum duo
primi sub Henrico octavo et tertius sub Regina Elizabetha de
Ecclesia Ibernica pessime meriti erant, imitatus, ac deinde
metuens ne Catholicismo in Iberniam restituto vastissimas pos-
sessiones Ecclesiasticas, quas iisdem haeretici principes | ejus 445
decessoribus jam dictis iniquissime transcripserant, restituere
cogeretur, et (si animi sententiam ab eventis libremus) suum
patrimonium multis Catholicis, locatariis ac creditoribus hypo-
thecariis, graviter obnoxium a Rege Catholicorum bona con-
fiscaturo liquidum in obsequii praemium obtenturus, et aliisque
Catholicorum possessionibus fisco addicendis rem (si mentem
ejus ab eventu ponderemus) aucturus, orto hoc bello centum
equitibus optime armatis stipatus Dubliniam se recepit et suis
haereticis adhaesit. Cui Rex tunc in Scotia se tenens per
decretum mense Novembri 1641 transmissum virium suarum in
Iberniam praefecturam generalem statuit tanquam instrumento
ad Catholicorum conatus dissipandos maxime idoneo, praesertim
ob tot tantasque necessitudines ei cum ipsis intercedentes.

(23) Ormonius hac autoritate munitus sua apud Iberos fide
haereticorum causam haud mediocriter secundavit, et Vadiponti
obsidionem soluturus Dubliniam | movit. Cumque Catholicorum 445
vires Vadipontum obsidentes ex vicina praesertim Midia et
Comitatu Louthiensi annonam mutuarentur, et exercitus Iber-
nicus non modo ex Ultoniensibus sed etiam ex aliis vicinia
Catholicis praesertim ex Midensibus et Comitatus Louthiensis
indigenis conflaretur, ille 1^o tribus circiter peditum millibus
et quingentis equitibus vallatus Midiam inhumaniter expilavit

ac faedo incendio dehonestavit. Quare atque alias ob rationes
 copiae Catholicae ab obsidione recedendum duxerunt quod
 flumine Vadipontum intersecante ita in obsidione sejungerentur,
 ut ex utraque parte mutuam sibi opem haud facile ferre valerent,
 adeoque Ormonius et Vadiponti praesidium, civesque haeretici
 primo obsidentium partem, quae australem fluminis ripam
 insideret, intercipere, deindeque in eos, qui a septentrione
 obsiderent irruere possent, annonaeque jam vicinia, nominatim
 446 Midia, succensa Catholicis deficeret, eaque et omni apparatu
 bellico Dublinia navibus (ut vidimus) recens | advecto obsessi
 abundarent, et ulteriora subsidia indidem atque ex Anglia navigiis,
 quibus Catholici classe carentes occurrere non valebant, indies
 suppetitanda forent. Praeterea obsidentes, quicquid pulveris
 tormentarii ab initio inter manubias ceperant, vel charo emerant,
 in illa obsidione atque aliis velitationibus pene jam totum
 collocarunt. Cumque operam dedissent ut Dunganonae in
 Ultonia pulvis bellicus conficeretur, multis ejus doliis jam ab-
 solutis adhibita flamma non ardebat. Tormentis quoque bellicis
 indigebant, exceptis pauculis, quorum nonnulla hostes suarum
 machinarum explosionibus inutilia reddiderant. Armorum etiam
 et instrumentorum pene omnium ad bellandum necessariorum
 materiae quoque, ex qua conficerentur, et artificum, a quibus
 fabricarentur, inopiae laborabant, quae hostibus ex Anglia,
 Scotiaque et instructissimo armentario Dubliniensi aliisque eorum
 446 in Ibernia praesidiis suppetebant. Deinde nec naves | ad portum
 v obstruendum aut ad suppetias ex partibus transmarinis pro-
 curandas atque advehendas habebant, nec pecunia et mercibus
 quibus media necessaria compararent, affluebant, tot haeticorum
 aerscationibus et malis artibus inter longinquam antea pacem
 depressi ex industria politica ut vim vi repellere nequirent.
 Scotiae quoque Calvinistae juxta Regis et utriusque Parlamenti
 Anglicani et Scotici praescripta Ultoniensium obsidentium liberis,
 uxoribus, aliisque necessariis in Ultonia a tergo relictis, omne
 malum intentabant cum coloniis Scotticis et Anglicis in eadem
 provincia per multos retro annos praesertim inter pacem super-
 iorem a Rege Jacobo, ejusque filio, Rege Carolo 1^o, late plantatis.
 Milites quoque jam menses pene quinque in illa atque aliis
 expeditionibus fatigati et hyemis rigore ac vigiliis sub dio macerati
 requiem aliquam, ne tot incommodis perirent, anhelabant.
 Quare prudentia suadebat ut Ultonienses potius in | Ultoniam
 447 recederent, oppidaque et castella ibi antea intercepta servarent,
 et ibi aggressores praesertim Scotos reprimerent, quam obsidionem

Vadipontanam inter tot detrimenta continuarent, aliis Iberniae Catholicis partim necdum in haereticos insurgentibus partim apud suas Provincias cum hoste per totum regnum disperso pariter confligentibus, et ita impeditis ut Vadipontum obsidentibus opem ferre nequirent, nisi suas expeditiones desererent. Ob has aliasque rationes his similes Catholici obsidionem Vadipontanam ad ineuntem Martium dissolverunt, ut mirum plane sit qui milites subitarii atque inexperti et rebus pene omnibus ad aggrediendum necessariis nudi, hyeme regente eam inchoarint, magisque stupeamus eos in oppido multis civitatibus celebriori premendo tribus mensibus et quod excurrit, usque adeo perstitisse ut praesidiarios, civesque haereticos satis numerosos ad feles, canes equosque devorandos compulerint, parumque abfuerit quin expugnarent. |

(24) Catholicorum vires in hac obsidione quantae fuerint haud constare video, nisi hostibus fides habeatur, quorum alii plus minus sedecim millia alii vicena fuisse tradunt. Sed dubitandum ne maiorem vero numerum Catholicis ascribant, quo ignaviae maculam a se longius amoliantur. Porro licet obsidionem vocitaverim, re tamen ipsa Catholici Vadipontum haud genuina obsidione incinxerunt, sed castris longius plerumque distantibus municipium omni comitatu re cibaria alioque subsidio intercludere, fameque ad deditionem cogere conati sunt. Nam neque exercitum suum vallo castrensi nec sepe militari circumdedit, nec obsidionales accessus struxisse, nec muros tormentis bellicis quassasse, nec cuniculos subterraneos, quibus maenia dejicerentur, adhibuisse invenio, usque adeo ut praesidiarii identidem per aliquot milliaria in circuitu, pabulandi frumentandique causa spatii sint et pecuaria nonnunquam abegerint populabundi.

(25) Obsidione jam dissoluta, Ormonius, qui eam | soluturus Dublinia moverat multis tribunis et centurionibus cohonestantibus 11 Martii 1642 Vadipontum pervenit, ibi apud Morum, Vicecomitem Vadipontanum, pransus. Nec silentio praetereundum qua mala fide suae industriae nervos intenderit Bernardus, ministellus, ut non Ormonio sed Moro, Tichburno, ac aliis praesidiariis Anglicis natio Anglicana acceptum referret quod obsidio ad nihilum reciderit, usque adeo ut Ormonio nullas rei gestae partes praeter nudam mentem, qua ad Vadipontum sublevandum moverit, ascribat, licet pro certo tenendum sit obsessos ipsa fame demum fuisse necandos, nisi duo illi exercitus, Ormonicus in Lagenia et Scoticus in Ultonia, obsidentibus timorem incussissent. Quae dixi non ut ulla hic Ormonio, quem utrique sicarius

447
v

448

haereticis turpissime militasse duco, gloria constet, sed ut obsidentes non nisi generose et prudenter receptui cecinisse liqueat, quo non obsessorum sed binorum illorum exercituum furori obviarent. Illius etiam ministelli malignitatem tetigi ut nostrates illi, qui | instar Ormonii haereticis Anglicis in patriae ruinam
 448 bellare solent, advertant quantopere scriptores juxta Anglici
 v atque haeretici justo Dei judicio ipsis rerum in Ibernia gestarum laudes invident, ut iis suos nebulones Anglicanos, vel ex Anglia recentius oriundos, et familiis magis haereticis prognatos onerent. Hos enim omnes gradus et alios similes illi diligenter perpendunt, ubi sua falsa praeconia distribuunt.

(26) Ormonius concilio bellico Vadiponti convocato de viribus Catholicis in comitatum Louthensem sequendis et persequendis deliberavit. Vicecomes Morus, cum Tichburno, Thoma Luca, Simone Harcourto, Roberto Ferraldo, Equitibus, aliisque in eandem ejus sententiam iverunt, rati optimam esse et pene solam superesse rationem Catholicos ante profligandi, quam novo militum delectu copias augerent et vires resumerent. Verum Ormonius ad duumviros sibi (credo) ac Dubliniae a Catholico
 449 Lageniae milite metuentibus in mandatis habuit ne | copias Boinnium, flumen, ultra quod major Vadiponti pars sita est, trajiceret. Quare illi cum ipso Duumviris Justitiariis scripserunt instantes ut Ormonio cum ejus exercitu in Louthiae comitatum progrediendi facerent potestatem. Illi vero sibi constantes strictius jusserunt ut Ormonius cum exercitu Dubliniam remearet. Quod et factum.

(27) Midiae deinde et comitatus Louthiensis Catholicos Tichburnus et Morus cum praesidio Vadipontano crudelissime divexarunt. Beauliae et Stanimiae castella ad utramque fluminis ripam a viribus Catholicis deserta aliquot militum manipulis munierunt. Tria Slaniae, Barnevalli Rahasketiae domini, qui in exercitu Ibernico Tribunum egerat, nec non Darcii Platiniensis, cujus duo filii in copiis Catholicis centuriones essent, castella parum distantia expugnarunt, et si non primum, certe duo ultima praesidiariis vallarunt, jam dicto Barnevallo, chiliarcho, cum duobus cappellanis et septem aut octo Religiosis in unum Vadiponti |
 449 carcerem contrusis, deindeque Barnevallo in Castrum Dubliniense
 v translato, qui eo reus actus quod insigni zelo causam Catholicam defensasset. Denique viciniae villis et pagis magno numero crematis, barbaro atque inhumano ritu indigenas Catholicos diripuerunt, atque innocentissimos quosque inaniter saevierunt. Ormonio quoque Dubliniam regresso et quatuor cohortibus pedest-

ribus cum binis turmis equestribus duobusque tormentis bellicis ad ipsos missis 21^o Martii 1642 cum mille peditibus et equitibus ducentis Vadiponto moverunt, ut quaedam comitatus Louthiensis praesidia Catholicis eriperent. In illa excursionem militari in Iberos, etiam belli nec inchoandi nec prosequendi auctores, inhumanissime et (ut totum melius exprimam) Anglice grassati sunt, insontium villis et pagis eorum tyrannide ita deflagrantibus ut viduarum, orphanorum, atque aliarum miserabilium personarum gemitus, lachrymae et planctus in immanes latrones | *clamaverint ad Deum de terra.* 23 Martii Atherdiae praesidiolum octo circiter millibus passuum Vadiponto a septentrione distans aggrediuntur, sed ad pontis introitum Ibernici sclopetarii ibi in turri collocati ipsis praeclare resistunt. Quo viso Ticburnus amnem vado trajicit, illique hoc observato turrem et praesidiolum male tutum deferunt. Ubi haeretici illa nocte cibis praeparatis et repertis vescentes tentoria figunt, posteroque mane totam per duo millia passuum in circuitu regionem solita barbarie igni succendunt. Quo facto Dundalkam, Vadiponto sexdecim milliariibus dissitam, expugnaturi processerunt.

Gen. 4

450

(28) Catholici 26 Martii, ubi se Dundalkae aggrediendos considerassent, quosdam haereticos Anglicos, quibus antea Dundalkae oppidum in custodiam permissum erat, illo mane in arctiorem carcerem dederunt, ne quid in aggredientium favorem machinarentur. Porro Morus et Tichburnus ad horam nonam matutinam suas machinas bellicas super colliculum juxta suburbiorum portam librandas | curarunt, quam Catholicorum quingenti defensabant. Illius portae domum praesidio Ibernico munitam sclopetarii Anglicani invadentes aliquandiu cum defensoribus crebra utrinque glandium plumbearum et scloporum grandine dimicant. Quae pugna interea ex utraque parte ita calet ut haeretici diu oleum et operam perdant. Aggressorum tamen impetu fortius iterato infima defensorum plebs militaris recedit. Verum a suis ducibus repulsi et eandem defensionem resumere coacti Anglos iterum egregie repulsant. Demum Wainmanus, subchiliarchus, suis Anglis cum trecentis circiter militibus opem tulit. Quorum pars parietem ferramentis dissuebant, dum reliqui obsessis jaculorum imbre respondebant, demissis interea a milite Catholico ex contiguo castello et lithologemate, ibi ex industria in similem occasionem coacervato, multis petris, sed militi haeretico parum nocentibus. Itaque levidensi pariete dissipato, obsessi illam suburbiorum portam deserunt. Quos Angli praesertim equites usque ad ipsam pene

450

v

45I Dundalkae portam per suburbia persecuti, ubi | illam oppidi
 januam duobus vel tribus tormentis bellicis apposite libratis et
 praesidio munitam animadvertissent, receptui cecinerunt, egregie
 decepti quod suburbia sibi omnino relictas crediderant, cum tamen
 Ibernorum soli portae jam dictae defensores pedem et forsitan
 ex stratagemate, retulerint, relictis a tergo aliis patriotis, castelli
 suburbiorum portae vicini custodibus, qui, dum Angli praefatos
 suburbiorum portae desertores in oppidum refugientes insequer-
 entur, altissimum sclopiis, ne in suos intermistos praeter mentem
 jacularentur, silentium imposuerunt, ut Anglos jam per suburbia
 non tuto sed secure regredientes densis et crebris bombardarum
 jaculis petierint. Quo illi inter medium jubilum viso mox pedibus
 fidendum duxerunt, sed non fuga adeo pernici quin quatuordecim,
 et inter hos quidam *Scutofortis*, vexillifer, cum quodam centuriae
 Instructore alioque, qui alterius loco vexillum explicabat, nec
 non quodam equite, et non ejusdem sed alterius equo occubuerint.

45I (29) Morus et Tichburnus hoc jactura in rabiem acti castellum
 v praefatum expugnaturi | in domos illi continentes flammam
 injiciendam curant, militesque eorum jussu ex conservatis fabae
 scapis stipulisque aridis fasces stupa et pulvere tormentario
 fartos colligant, et capitibus ne dimittendis subinde petris colli-
 dantur, superpositos, inter tantam fumi vento in defensores
 acti nubem, ad castelli januam transportant. Quibus ibi in
 struem rite applicatis, injectaque flamma et janua atque aliis
 tabulis deflagrantibus castelli defensores, cum fumo suffocarentur
 nec essent resistendo, fenestra desilierunt, deindeque quidam
 catervae Anglice Instructor, seu (ut loqui amant) Major, alique
 quinque in castellum ea lege, ut soli ejus manubias assequerentur,
 introierunt et militibus vacuum reperientes, strictis atque osten-
 tatis in ejus cacumine gladiis, se ibi rerum potitos judicarunt.

452 (30) Illud suburbii castellum jam expugnatum et sclopetariis
 Anglicis vallatum ita in oppidum dominabatur ut nemo in
 Dundalkae vicis se ostenderet, quin Anglorum e castello colline-
 antium jaculis confoderetur. | Qui advectis machinis obsidi-
 onalibus constructoque suggestu tormentario et aggere, quo
 sclopetarii a Catholicorum tormentis bellicis tuti forent, ex quo
 etiam sclopos in Iberos securi exonerarent, ex decem magnis
 lanae sarcinis apud castellum opportune repertis constructo, se
 ad ipsius Dundalkae portam adoriendam accinxerunt, parteque
 militum ibi disposita, Tichburnus cum aliis aliunde insulturus
 per pomerium exterius ad septentrionalem oppidi portam se
 conferre decrevit. Verum dum illac moveret, Catholici rebus

ad defensionem requisitis destituti, et praesertim ad obsidionem diu sustinendam imparati, oppidum, inque eo tres machinas bellicas deseruerunt, Felice O'Nello, illati belli authore, nihil sibi ab Anglis praeter quam extremam lanienam expectante, proindeque cum aliis per fluvium prudenter dilapso. Quo facto Tichburnus cum suis quodam Dundalkae postico intravit et misit, qui Morum deserti oppidi moneret. Itaque Angli omnes ad horum septimam pomeridianam, nemine renitente, introierunt, nocteque et maris fluxu factum ut Felicem O'Nellum forsitan alias in precipiti futurum insequi nequiverint. Ille jam in tutum receptus secundo a Dundalka lapide egregio Ballinaskomliniae castello ad Morum pertinenti flammam iniecit, Porro Angli, quos Dundalkae ab Ibernis in custodiam datos fuisse diximus, hac occasione libertatem adepti tripudiarunt, et victores non spernendas manubias ibi reppererunt praesertim rem penariam, quam se per plures dies saginarunt, Dundalka deinde in magnum causae Catholicae praejudicium praesidio Anglicano, rebusque ad defendendum atque offendendum necessariis munita, et Tichburno a Duumviris in Loci Gubernarcham cooptato, qui eorundem mandato Vadipontum Moro gubernandum reliquit.

452
v

(31) Ministellus haereticus, Nicolaus Bernardus, in sua utriusque et Vadipontanae et Dundalkensis obsidionis relatione antea subinde citata, tradit Catholicos inter multas praesidiariorum Vadipontanorum eruptiones, nec non in aliis tunc deindeque usque ad captam Dundalkam relationibus fuisse ab haereticis imminutos parvis quidem sed crebris numeris, quos eo non semper inserui quod impio atque haeretico tenebrioni et perpetuo Mori nec non Tichburni assentatori nullam vel pene nullam in hoc fidem habeam, praesertim cum Catholici ipso authore tradiderint in illorum congressuum plerisque haereticos accubuisse et succubuisse, hosque ille caecos non tangat nisi lectori contrarium persuasurus, licet vel gregario inter Catholicos militi, nedum tot tantisque testibus locupletissimis, quam ejusmodi *inimico crucis Christi* nemo non longe magis credat, praesertim cum ejus libellus non ab aliis quam a Moro, Vadiponti Vicecomite, et sex ex illis centurionibus haereticis propriae laudis pruritu flagrantibus fuerit hoc anno 1642 mense Junio in Iberniam approbatus, nec aliis ab ipso dedicatus, quam inferiori Parlamento Anglicani domui Catholici Ibernici et Regii nominis hostibus infensissimis, quorum jussu eodem anno 14^o Julii mandatum ut Londini in rebellionis et persecutionis facem excuderetur, a quibus

453

pag. 64.
77. etc.453
v

etiam omnibus parasitus ille suae impietatis et vernilium blanditiarum mercedem perinde expectarit ac (ut credere par est) receperit. Denique quis ejus detestabilem hypocrysim, arrogantiam, superbiam, praesumptionem, philautiam, haeresim et blasphemias, quibus libellus ille faetet, non horreat? In quo utique res identidem fucatis illis coloribus pingit, quibus fiat ut lector ipsius meritis et precibus plusquam haereticis militibus eas velut tot miracula ascribat, ipseque velut a Catholicis capto Vadiponto suspendendus, martyr habeatur. Quam sui, etiam superstitis, et infamis haeretici memoriam martyrialem magis confirmaturus, “ simile (inquit) illi digno et docto Theologo, Marlorato, in obsidione civitatis, cujus pastor esset mox atque capta fuerat, papistae non solum intentarunt sed etiam praestiterunt. Vide | praestantium aliquot Theologorum, qui Romanum Anti-Christum praecipue oppugnarunt, effigies et elogia per Jacobum Verheiden Hagae 1602 in vita Augustini Marlorati.” Haec Bernardus, qui mox ex praefato (credo) Jacobo ejusdem farinae haeretico haec subdit verba : “ Anno (inquit) quo Rothomagum obsessum occupatumque fuit ab Anti-Christianis noster Marloratus, Ecclesiae Rothomagensis pastor, fuit comprehensus, cujus vitam laqueo abrupere illi qui Romano obstricti pontifici egregios se satellites illo facto declararunt : Martyr igitur verus, quem causa non paena facit. Anno 1562 cum annos 56 vixisset.” Haec ille. Itaque Bernardus Marloratum, Calvinistam, a suis sectariis in martyrem coli videns, se, etiam vivum, in martyrem adorari cupiit. En tibi quales moderna haeresis parit martyres et martyrologiorum scriptores, utriusque Reipublicae et Ecclesiasticae et civilis incendiarios, Calvini discipulos, patibulo et fune prae furibus et ex legibus dignissimos.

454 (32) Dixi Simonem Harcourtum, Censur Equestris | chiliarchum cum instructissima legione Anglicana ex Anglia Dubliniam trajecisse. Qui Kalendis Januariis 1642 urbem illam ingressus hujus milites duumviris Justitiariis conniventibus, quid tyrannidis in Dubliniae cives magna si non majore ex parte Catholicos exercuerint, ex P. Nicolao Archiboldo, Capucino Ibero, Missionario Apostolico, ibi tunc praesente discas. Qui rem postea apud Capucinorum nostratium conventus Carolopolitani tabulas in Gallia sic deposuit : “ Sacella (inquit) parochialia Religiosorum violenter ingressi sursum versum confundunt. Sacras imagines diffingunt. Altaria evertunt. Capellas ipsas in stationes militum, aliosque prophanos usus vertunt, furorem suum primo omnium evomentes in Sacella D. Francisci, ejusque Religiosos.

Ipsam statuam S. Francisci insanientes milites coeno conspurcatam per plateas raptabant, multa blasphemantes in Papam et S. Franciscum, tandemque igni et alias divorum effigies sub ollis, in quibus cibum sibi coquebant, in cineres comburunt. Luerunt primarii authores | vehementibus correpti morbis, et ad mortem usque erratum suum conscientia mordente fassi vel inviti, inde licet nihilo meliores effecti. Sed et alii qui praedaturi irrumpebant in aedes nostras accelerata divinitus vindicta puniti sunt." Haec ille, tunc in Capucinatorum hospitio Dubliniensi missionarius. 455

(33) Ad hujus procellae exordium P. Barnabus Barnevallus, Capucinatorum Ibernorum Commissarius generalis et illius Missionis Apostolicae Praefectus, reliquique Capucinatorum hospitii Dubliniensis, praefato P. Nicolao et P. Felice Conaciensi binis concionatoribus, et Fr. Simone, Laico, exceptis, persecutionem prudenter declinaturi, et Catholicos Dubliniae ab haereticis male multatos, proindeque solitas eleemosynas continuare non valentes oneris parte levaturi, ita se rus contulerant, ut praefatos tres in eorundem Catholicorum Dubliniensium consolationem et ministerium spirituale Dubliniae reliquerint. Ex illis autem tribus dictus Felix captus ab haereticis et accusatus quod sacrum in illa urbe celebrare et sacramenta administrare soleret, semel atque iterum carceri mancipatur, bisque Caroli Cooti, | Equitis aurati ac Dubliniae tunc Gubernatoris, haeretici pestilentissimi, favore ob olim fretus liberatur. Ad extremum calicis argentei, pallii, vestiumque aliquot jacturam a militibus haereticis passus, Dubliniam sub cataphractarii haeterodoxi specie clanculum valere jubet et in suam Conaciam se recipit. 455
v

(34) Paucis diebus interjectis cujusdam apostatae non Capucini fraudibus Nicolaus efferae satellitum manui proditur. At volonum abdomini et proditoris avaritiae aliquantum satisfaciendo dimittitur. Verum interjecto paucorum dierum spatio, domum apud quam Nicolaus cum Fr. Simone diversaretur, ad mediam noctem truculentissima haereticorum turba adoritur quibus pessulatae fores a bono patrefamilias, ne secus divulsis cardinalibus irrumperent, lubente aperiuntur. Intran praedones et primum in Fr. Simonis cubiculum involant. Quem Capucini habitu vestitum inopinato intercipiunt, multisque ludibriis affectum spoliunt, et nisi hospite viro gravi patrocinate et sistendum satis dante, diutius vivere non permetterent. Interea temporis P. Nicolaus, tumultu audito, ex | musaei fenestra, adeoque ex editione domus parte desilit, et, non quo, sed unde 456

fugeret, considerans, densissimas inter tenebras in altum posticum se deorsum praecipitat, nec propterea, licet marmore quadrato pavementum sterneretur, ad mortem contritus, sed impingens ad mensam ibi forte positam, quam suo pondere frangit, sola tibiatarum altera sublaesus. Quod miraculi loco haberi debet: Ps. 36. Nempe verum dixit psalmographus: *cum ceciderit non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.*

(35) Et haec quidem tempestatis pars sic detumuit. Verum paulo post centenarius quidam haereticus, Hypsleus nomine, mali corvi pejus ovum, pseudo-ministelli filius, stipante cataphractorum manipulo regressus, Capucinatorum ibi bibliothecam, lucubrationes MS. fructus utique Missionarios apud hospitii Dubliniensis archiva depositos, omnia denique ad fratrum usus destinata furibundus depeculatur. Quin etiam P. Nicolao circa animarum salutem Dubliniae tunc extra domum illam occupato, Fr. Simonem | in ergastulum abripit. Ex quo sciscitatur nunquis praeterea Capucinatorum in civitate permaneat? Simon vero malens mori quam mentiri, ingenue fatetur permanere Nicolaum. Interrogatus etiam domum in qua tunc erat, totum aperit. Mittitur ergo puerulus, qui Nicolaum advocat. Qui licet subterfugere posset, imperterritus tamen se sistit, seque Fr. Simoni in custodia socium adjungit. Qua amborum sinceritate et animi magnitudine, civium Catholici cum antea nonnullos e clero, qui capti erant, animo dejectos observassent, multum in fide confirmati sunt. Sed et Hypsleus iisdem pietatis atque innocentiae argumentis permotus, demum saeviendi aestum mitigat et utrumque jubet habere urbem pro custodia, ea conditione ut si quando citati fuerint compareant.

(36) Complures etiam aliorum ordinum tam Religiosae quam Religiosi simili modo ejusdem calicis tunc amaritudinem ibi 457 gustarunt. Inter quam haereticorum rabiem Deus | civium Catholicorum constantiam ac devotionem mirabiliter adaugebat ut si unquam alias eo maxime tempore sacramenta clanculum frequentarentur, " militibus (sunt P. Nicolai verba) armatis instar milvorum et vulturum prorumpentibus in domos civium ubicunque Missam celebrari suspicabantur."

(37) In his belli primordiis haeretici, penes quos esset urbis Dubliniensis propugnaculum ac totum proinde civitatis imperium, Orthodoxos Dubliniae indigenas exarmarunt et urbem tantum non deturbarunt, ut in sitibundas conversi hiruines, pene omnem eorum sanguinem, succum et substantiam per continuas mulctas, nedum vectigalia publica, exurgerent. Quod haud Dubliniae

modo sed etiam Corcagiae, Kinsaliae, Yeogheliae, et in caeteris Iberniae praesidiis sub haeretici militis jugo positis fiebat.

(38) Itaque Nicolaus Dubliniae civitate in carcerem obtenta, mirum quantum in illo statu per mensem noctu atque interdiu civium | devotioni satisfecerit. Demum ipse et Fr. Simon ab Hypsleo jam laudato in Lamberti, novi Dubliniae Gubernatoris, potestatem permissi, carceri mancipantur. In quo, plus solito se totos pietatis exercitiis addixerunt martyrii coronam in singulos dies expectantes. Nec interea deerat Nicolao occasio et facultas cooperandi Deo in salutem animarum. Quin imo majorem in ergastulo faciebat messem, quam facere solitus erat ante incarcerationem adeo frequenter ac devote ad paenitentiae et Eucharistiae sacramenta ejus ministerio participanda Catholici tanquam eum ex charitate visitaturi in carcerem confluebant. Quorum devotioni Nicolaus ne deesset id egerat ut omnia sacerdotalia ad sacrum clanculo peragendum necessaria in ipso ergastulo haberet, inter quas caelestes animarum nundinas devote ac reverenter asservabat hostias consecratas ut non solum illi, qui rei sacrae interessent, sed etiam tardius accessuri se spiritualiter reficerent. Porro sacrum in ipso carcere diebus festis et Dominicis bis, | profestis semel celebrabat, quo inter tantam sacerdotum tunc in ea urbe paucitatem et persecutionem populi pietati responderet. Omnium enim orthodoxorum perennis est consuetudo ut in persecutionibus magis quam rebus pacatis se totos Deo consecrent et sacerdotis Christi in vinculis constituti, longe magis quam libertatem possidentis ministerio utantur. Quare tunc nec Nicolao animarum messis nec messi defuit Nicolaus.

(39) Transacta in his ultimis vinculis hebdomade, ambo Capucini, mutata mortis sententia in exilium, cum diversi status duodeviginti aliis Ecclesiasticis, quorum nomina et res praeclare gestae me latent, ad festum Pentecostes 1642 Dublinia in Galliam navigare coguntur. Ubi ad Rhaensem Insulam juxta Rupellam septena exinde die terra potiuntur. Indeque P. Nicolaus et Fr. Simon salute plurima iisdem duodeviginti aliis Christi exulibus dicta, celebrem in Gallia | Capucinatorum Ibernorum conventum Carolopolitanum petierunt. Ex quo postea Nicolaus ad haereticorum praelium in Iberniam remeavit. Et hunc quidem habuit exitum illud Capucinatorum hospitium Dubliniense, quod anno 1624 a P. Francisco Nugentio celebri Capucino Ibero, Missionis fundatore, stabilitum, exinde septemdecim annos et quod excurrit, Regulari intus observantia, et foris animarum lucro usque ad illud exterminium praeclare floruerat.

(40) Pari haereticorum furore duo alia Capucinatorum hospitia, nempe Vadipontanum et Molingearrense, in eadem vicinia Dubliniensi extincta fuere. Quorum primum haeretici praesidarii suppresserunt, secundum cum capella haereticus Ormonii exercitus incendio delevit. Alii quoque Regni Religiosi, praesertim Dominicani, strictioris Observantiae Franciscani, Augustiniani, Carmelitae et Jesuitae, atque alii Ecclesiastici similem Dubliniae et alibi passi sunt | jacturam et persecutionem, quam non nisi per transennam tango, quod monumenta me deficiant. Specialem autem merentur mentionem P. Petrus Higinus et P. Henricus Vitus, quorum martyria ex Bellingi Annotationibus in P. Poncium eo libentius insero, quod ille et alia simul recenseat a nostro scopo non aberrantia. “Anno (inquit) 1642 cum Marchio Ormoniae militibus tantum praeesset et rerum summa potirentur duumviri, Guillelmus Parsonius et Joannes Burlacus, exercitus partem ad firmanda adversus finitimos Iberos, qui in armis erant, longinquiora a Dublinio praesidia eduxit. Cumque Naseam in comitatu Kildariensi duodecimo a Dublinio lapide sitam, terrore advenientium copiarum pene desertam intrasset, vidit hominem turbae medium rudi militum insolentia coactum exclamare. Huc citat equum, ibique patrem *Higgins* hunc esse comperit. Qui viso Marchione, se, ait, si is animus fuisset, cum aliis | efugere potuisset. Sed cum nequaquam in leges pecasset et afflictos saepe Anglos insanientis populi furori eripuisset, ereptos victu et vestitu fovisset, sperabat se tuto vivere posse cum Marchio oppidum cepisset. At nunc se nihil aliud implorare quam ut incolumis Dublinium adducatur, crimini, si quod obijci possit, more subditi *foro debito* responsurus. Annuit Ormonius et sedato milite, patrem *Higgins* Thomae Armstrong ex ordine Equestri, qui in exercitu equitibus praeerat custodiendum tradit, eique imperat ut omnem militis violentiam cohibeat. Erat in oppido forte Carolus Coote, cui accepta a duumviris autoritate, Ecclesiasticos et minoris census Iberos, indicta causa, morte afficere permissum fuerat. Is, si mortalium quisquam vir sanguinarius, captivum, quem sui fori esse contendebat, ab equitum praefecto repetere voluit. Sed Thomas Armstrong militaris officii memor hominem ab imperatore suae fidei commissum retinuit. Paulo post ex peditibus plurimi, autore (ut credebatur) Carolo Coote, tumultuario, minis etiam additis, *Papisticum illum praesbyterum* | reposcere caeperunt, eoque ventum est ut hinc peditum turma illinc equitum cohors in praelium descenderet. Nec prius recesserunt quam equites impetu facto

459

pag.
159.459
verat
maxime
indebitum.

460

pedites explosis tormentis jam prope inermes dissipaverant. Post quam vero Dublinium rediisset Ormonius duumviris Regio-
 que Concilio viginti adminus Anglorum supplicationes porrexit,
 quibus patrem Higin, qui tanta charitate vitae etiam suae
 discrimine eos texerat, libertate donari enixe implorabant.
 Horum plerosque Marchionem Ormoniae ad haec justitiae et
 gratitudinis officia invitasse satis notum est, nec dubitavit
 captivum omni culpa liberatum brevi remittendum fore. Cum
 Eduardus Butler ex famulis Marchionis, qui forum primo mane
 praeteribat, suspensum patibulo vidit patrem *Higin*, reversusque
 rem hero indicavit, percussus inopinata innocentis caede Ormonius
 ignorabat utrum tam iniquo facinore duumviri magis in justitiam
 quam in prudentiam peccaverint. Quippe consultius videbatur,
 quando Angli afflicti et dispersi per omnem | provinciam errabant, 460
 eorum protectorem praemiis etiam cumulatam dimittere, ut v
 plures eidem officio incumberent. Eodem die cum in senatum
 venisset Regisque Consiliarii frequentes adessent a duumviris
 petiit si eorum mandato quidam *Higin*, quem captivum ipse
 adduxerat, quique afflictos Anglos tot beneficiis devinxerat,
 cuique si quam culpam commiserat juridice discutiendam fore
 promiserat, morte multatus fuerat. Illi ac si res nova esset
 admirantium vultus induunt. Responderunt tamen eam esse
 Caroli Coote auctoritatem ut inconsultis duumviris talia peragere
 possit. Instabat Ormonius ut Carolus Coote in jus vocaretur.
 Eum in leges peccasse qui subditum bene meritum *legitimo* et
 civili iudicio sistendum rapuerit. Minime id se a duumviris
 expectasse, eum cujus causae quod justa esset favebat, morte
 tam subita tamque infami afficiendum dixit. Utrunque acriter
 res disceptata est, adeo ut se exercitus imperio abrogaturum
 minitaretur, sed cum duumviri, qui procul dubio illius sceleris
 et conscii et participes erant, partes Caroli Coote vehementer
 agerent, solemniter coram omnibus Ormonius protestatus est, |
 cum aliud nihil posset, illum nunquam Carolum Coote in eundem 461
 secum exercitum admissurum cujus eum voti semper memorem
 extitisse satis constat.

(41) " Eodem anno 1642, educto iterum exercitu, ut praesidio
 duorum millium peditum, qui tunc ex Anglia venerant, Athloniam
 firmaret, Cloniniam, Comitibus Westmediae castrum, in itinere
 divertit, ubi paulisper requievit. Westmediae Comitissa illum
 adit obsecratque, ut sacerdotem ibi commorantem protegere
 vellet. Respondit Ormonius superfluum omnino fuisse hoc eam
 illi indicasse. Cum enim omnia in castro salva fore edixisset,

duces et milites sua nequaquam mandata spreturos, praesertim eo in loco ubi et ipse praesens aderat. Suo ergo in cubiculo se contineret sacerdos. Primo mane signo dato progrediuntur copiae versus pontem *Ballenacurry*, quem et milite et objecto vallo muniverant Iberni. Ormonius ad castrum ultimus haesit ne suorum insolentia quid detrimenti pateretur. Cum ad exercitum venisset, aciem instrui, hostemque statione depellere suis imperat. Acriter | diuque pugnatum est. Victoriam haud incruentam tamen Angli adepti sunt. Postquam enim equites quos de nocte emiserat Ormonius longe flexu circumducti a tergo apparuerunt, pontis operumque defensores in fugam se convertunt. Ex his plurimi capti, inter quos Peter Vitus equo invecus, sclopetisque ad sellam appensis. Ille enim vel metu conterritus, aut diffusus Ormonium eum posse protegere, vel spe adductus Iberos pontem defensuros, vel advocatus ad suae functionis munera perimplenda, nocte anteacta clam castro exierat, jamque militibus in praedam cessit commilitonum clade irritatis et viro Ecclesiastico longe infensissimis. Ab his ad eum tractus, qui Caroli Coote vices egit, cuique pro arbitrio Religiosos et minoris census Iberos morte afficiendi munus incubuit, laqueo vitam finivit, nec miserando et venerabili profuit seni quod Ormonius clam et per homines sibi fidos eum nece liberare contenderet. Nec publico imperio sacerdoti in armis inter hostes deprehenso patrocinari tutum sibi videbatur, ne duumviros satis ante aversos ultro | incenderet, neve in castris tumultus oriretur. Haec rei series certissima. Hinc judicandum an Ormonius sacerdotum sanguine maculatus fuerit. Cum nullo enim alio ex Catholicis Ecclesiastico, Laonensi Antistite (de quo plura) excepto, Marchioni quidquam intervenisse unquam audivimus ex quo (proh dolor) Protestantium religioni puer nomen dedit, nisi quod Archiepiscopo Casseliae, Waterfordiae Antistiti, Carrigiae Parocho, et Patri Wale, societatis Jesu sacerdoti, dum ipse redditus habuit, annuos redditus ex avi sui Gualteri, Comitis Ormoniae, testamento rite solvi curavit." Hactenus Bellingus qui hic ingenium torquet ut Ormonium suum de horum duorum Ecclesiasticorum caede posteritati purget contra R. P. Poncium, imo etiam contra Episcopum Fernensem. Quorum primus Ormonium horum duorum sacerdotum sanguine maculatum Pag. 39. Num. 34. tradit suo libello ad annum 1653 Parisiis in Bellingi *Vindicias* ibidem ad annum 1652 excusas edito, quem Bellingus suis | 462 *Annotationibus* anno 1654 Lutetiae Parisiorum pariter editis v. refutare conatus est. Fernensis autem non solum suo libello ad

annum 1651 Parisiis edito Ormonium et Insequinnium *violentos* Pag 23
sectarios sacerdotum sanguine maculatos dicit sed etiam *in sua*
admonitione Confaederatis e zelo et bono affectu data inferius suo
 loco in medium producenda sic loquitur. "Pater (inquit) Higgins
 ordinis Praedicatorum, pater Owgan ordinis Minorum et p.
 Dionisius Conor, sacerdos, ipso (Ormonio) rem militarem guber-
 nante, Dublinii suspensi sunt et postea in plateas proiecti et
 (quod dictu mirabile est) modo mortui, tracti sunt inhumano
 modo per vicos et compita, et verberibus percussi. Insuper dum
 idem Ormonius aciem duceret Dublinio Atlon per comitatum
 Westmidiae, captus est vir venerabilis, p. Henricus Vitus, fere
 octogenarius, vir mihi notus, confessiones excipiens et propterea
 rebellis habitus et | suspensus, neque potuit Marchio ullis pre-
 cibus aut litteris Comitibus Westmidiae moveri ut tremuli et candidi
 senis vitae parceret. Globulo trajectus est Pater Blacknie,
 sacerdos. Insuper commissionem dedit (Ormonius) ad Catholicos
 Confaederatos comburendos, occidendos, suspendendos, ut con-
 stantissime fertur." Haec Fernensis. Caeterum P. Daniel O'Daly
 in sua *relatione Geraldinorum* tradit *proregem haereticum* (qua Pag. 335
 loquendi formula vel Ormonium, non tunc sed paulo post Pro-
 regem, vel certe duumvirorum tunc Proregis loco sedentium
 alterum intelligendum credo) praefato P. Petro Higino, ipsa
 perlati Martyrii die, vitam, libertatem et munera magna obtulisse
 ea lege ut abdicata Religione Catholica sectam Anglicanam
 amplecti vellet, et martyre prudenter procurante ut sponsonis
 autographum mitteret, de facto id misisse, sed a martyre in
 ipso patibulo assistantibus omnibus ostensum, spretum, et ad
 quendam ex amicis projectum in suae innocentiae et triumphi
 demonstrationem, | Catholicorum aedificationem et haereticorum
 confusionem. 463

v

(42) Inter has haereticorum in Lagenia populationes Catholici
 etsi pene fustibus, perticis, et lapidibus potius quam armis
 instructi et in disciplina militari tunc tyrones saepius triumpharunt,
 caeso inter alios praefato Simone Harcourto, census Equestris
 chiliarcho, cujus ex Anglia recens advecti mors Parlamento Angli-
 cano adeo molesta fuit, ut ejus haeredibus magnam agrorum
 ad Catholicos in Iberniam pertinentium, sed fisco addicendorum
 portionem decreverint de facto demum concessam ut suo loco
 videbimus. In iisdem etiam velitationibus occubuit Carolus
 Cootus, pariter Eques auratus, pestilentissimus haereticus,
 omnibus crudelitatis maculis in Catholicis praesertim Eccles-
 iasticis perfide et barbaramente trucidandis notatissimus, proindeque

464 justissimo Dei judicio in quadam adversus Lageniae Catholicos suscepta ab ipso expeditione | adeo invisibili pene supremi numinis manu peremptus ut a quo alio caesus fuerit, resciri nequiverit.

(43) In Momoniam transeo. Illa provincia portubus, civitatibus, oppidis, propugnaculis, fluminibus, piscationibus maritimis, mutuis exterorum usibus et commerciis, agrorum fertilitate, aliisque innumeris commodis, nec non ipsa populositate et acutis indigenarum ingeniis longe florentissima ad hujus belli initium, somnum dormiebat placidissimum. Verum duumviris, Iberniae Justitiariis, quorum esset pacem potius studere, jubentibus Guillelmus a S. Leodegario, vel (ut vulgo corrumpitur) *Salingerus*, Anglo-Ibernus, Eques auratus, Momoniae Praeses, homo haereticus, illius Provinciae plenam pacem spirantis viros, faeminas, infantes, nulla prope qualitatis, conditionis, aetatis, aut sexus habita ratione in diversis tractibus flamma absumpsit, depeculatus est, morteque affecit excogitatis culparum coloribus, perinde ac si Justitarii, ipseque, in votis haberent | ut Momonienses ad desperationem aucti bellarent, proindeque rebellionis titulo vastissimae atque amoenissimae eorum possessiones fisco adjudicandaeParlamenti Anglicani tyrannide et barbarie sibi aliisque sectariis Anglicanis transcriberentur. Quo tempore inhumanus Praeses nobiles, imo et ipsos procures, nedum inferioris gradus provinciales in suspicionem vocatos armis exclusit, cum ea in haereticos Anglicos eandem Provinciam magnis gregibus incolentes ad bellum reprimendum liberaliter distribueret, vel certe ea sibi ipsis pretio comparandi libens lubensque faceret potestatem. Hinc bello jam in Ultonia caepto, Momoniensium haud pauci viri nobilissimi iniquissimum haereticorum Anglicorum jugum aegerrime ferentes anno 1641 ibi in eosdem sectarios insurrexerunt, aliisque paulatim ac demum omnibus prope Momoniae Ibernis illos imitantibus, tota illa provincia domestico belli Catholici incendio flagravat. |

465 (44) Specialem autem a me exigunt sui mentionem quidam Provinciae Machabaei, ex quibus Daniel Mac-Cartius, illius Mac-Cartii Magni, Desmoniae Principis, quem Regina Elizabetha Clancartiae Comitissae honore insigniverat, ex filio naturali, Daniele, aliquandiu in Mac-Cartium Magnum a suis salutato, hujusque filio legitimo atque haerede, Daniele altero, pronepos, matre Helena Geraldina, Desmoniae Comitissae ex Joanne, filio, in bellis adversus dictam Elizabetham gestis nominatissimo, nepote, natus, tunc juvenis animosus, pius, politus ac probus fortissimum

castrum in Mangio, comitatus Kierriensis flumine, situm, et ponti solidissimo, ejusque fornicibus atque arcubus stupenda hominum industria superstructum ante omnia occupavit praesidioque fidissimo vallavit, qui plurima deinde in haereticos toto hoc bello prospere fideliter et generose gessit.

(45) In eodem etiam comitatu silentio haud praetereundus, vir nobilissimus, ejusdem contribulis, Florentius Mac-Cartius, Mac-Finini, Vallis Duachensis | Dynastae germanus frater, 465
juvenis animi plenissimus et ipsa pietate inter juventutis illecebras v
et tantam animi magnitudinem conspicuus. Qui maximo causae Catholicae zelo cum avita clientela bene armata in haereticos irruit atque ad viciniam late patentem ea animarum peste, quae pene solam convenarum Anglicorum colluvionem in aliquot illius comitatus castellis et emporiis plantatam inficiebat, purgandam haud mediocriter profecit.

(46) Richardus Butlerus, Montgarretti Vicecomes, in superioribus Tironii, cujus ille filiam in uxorem duxerat, bellis sub Regina Elizabetha aliquandiu nominatus, hoc etiam bello ad ejus initium se fecit nominatiorem. Nam belli in Momonia concitandi tantopere author fuit ut millenos, quibus se ducem praebuerat, ad arma ibi in haereticos Anglicos arripienda extimularit, solusque ad facem accendendam suffecisset. Unde factum ut plurimi deinde stupuerint, quo pacto zelus ille annis | posterioribus (sicut 466
videbimus) deferbuerit, sed quid vetat hic quorundam conjecturam perstringere? Nempe eum forsam in hujus belli initium sperasse futurum ut Ultoniensium affinium et omnium pene partium Catholicarum auxilio in Ormoniae Comitem et suae Butlerorum familiae Principem indueretur, praesertim Ormonio nedum haereticum profitente, sed etiam profligatissimis duumviris, Iberniae Justitiariis, aliisque similibus aerscatoribus, tot tantorumque Regni malorum authoribus, Dubliniae in Catholicos adhaerente, imo palam in Catholicos militiae haereticae imperatorem gerente, nec forsam mortuo in Montgarretti memoria et mente illo titulo, quo inter Tironii bellum ad eandem domus Ormonicae haereditatem aspirabat. De qua spe forsam, ad posteriores hujus belli annos, decidit ubi fortissimam Iberniae Catholicorum praesertim Anglo-Ibernorum factionem Ormonio tenacissime studere observasset. Quicquid sit, eum sibi in progressu non constitisse docebimus. |

(47) Celebris est Momoniae civitas, Corcagia, in qua ad annum 466
1637 Philosophiae perfunctione operam dedi, quam deinde frequenter v
et ex qua, paulo ante ortum hoc bellum, anno 1640 ulter-

iorem bonis litteris operam daturus, die S. Patricio Iberniae Apostolo gloriosissimo, sacra, velum feci, in Galliam trajecturus. Vidi ergo testis oculatus ibi invitis haereticorum Anglicorum tantis et tam diuturnis retro conatibus ad haeresim intrudendam et fidem extirpandam adhibitis, frequentissimum illud municipium adeo in avita Religione Catholica perstitisse ut post centum circiter et triginta annorum persecutionem vix paucissimae familiae, eaeque et obscuriores et Anglicae vel certe Anglicis recenti memoria prognatae intra civitatis muros haeresim tunc profiterentur et municipii jura essent penes Catholicos, praetores, Vicecomites Urbanos, senatores, aliosque urbis primores, quibus vertente semper anno suos magistratus eligendi praerogativa compete-
 467 bat. Urbis etiam probis sacerdotibus et S. Theologiae Doctoribus sub Episcopo, Guillelmo Tirraeo, ibidem residente animarum curam habentibus, nec non variis Religiosorum, nominatim Dominicanorum, strictioris observantiae Franciscanorum, Augustinianorum, Jesuitarum et Capuccinorum domibus ornabatur, totaque illa Christi area persecutionum, praesertim praecedentium, ventilabro erat mundata purgataque ut tot pene essent martyres vivi, quot Corcagienses. Id verum est in suburbiis Corcagiae frequentibus habitasse, nedum Catholicos sed etiam complures haereticos, sed ex Anglia nuperis annis anterioribus advectos vel certe Anglis recens prognatos, qui variis artibus operam subinde ut dabant in urbem irreperent, rerumque in ea potirentur, sed civium Catholicorum zelo nunquam satis laudando oleum et operam semper perdiderunt cum eorum pseudo-episcopo et ministellis haereticis ibidem residentibus.

(48) Guillelmus a S. Leodegario jam dictus Momoniae Praeses haereticus, ubi in Ultonia tumultuatum fuisse audiisset, hanc civitatem maritimam non solum portu sed etiam flumine bidentis
 467 instar muros | alluente proindeque duobus pontibus ad duas
 v portas vallatam occupaturus, collecta atque armata haereticorum manu praesetulit desiderium transeundi Corcagia in ultiores Momoniae partes, quo provinciam a belli nascentis incendio tueretur. Cui Mauritius Rochaeus cognomento caecus, quia monoculus, tunc Corcagiae praetor vel (ut cum vulgo loquar) *Maior*, portas aperuit contra aliorum sententiam arbitrantium eum Religioni Catholicae, patriae, et ipsis Corcagiensibus in hoc defuturum, longeque melius eum omnibus consulturum, si Regis autoritate ipse atque alii Magistratus civici urbem in tuto collocarent, neutri partium adhaesuri donec constaret de bellantium scopo et aliarum regni, praesertim ipsius Momoniae

civitatum atque oppidorum Catholicorum deliberatione, sed ille ab hoc sententia insipienter defecit. Porro Praeses cum suis introductus Corcagiam praesidiariis munivit, et exinde haeretici ibi rerum potiti eam postea toti Momoniae jacturam | intulerint, quae universae Iberniae (sicut in progressu videre erit) excidium acceleravit. Si enim Praetor juxta atque dixi, se gessisset, propugnaculum flumine ponteque et aliquot centenis passibus a civitate disjunctum Momonienses postea facili negotio expugnassent, proindeque ejusdem Provinciae alia minoris momenti praesidia ad deditionem haud operose coegissent. Nam expugnatu perinde difficilis ac defensu facilis Corcagia aliorum praesidiorum in eodem comitatu ab haereticis occupatorum fuit robur et firmamentum.

468

(49) Eodem tempore et pari sagacitate haeretici pene omnes Anglici vel Anglis prognati in Momonia degentes facto velut agmine non modo Bandipontum antea convenis ex Anglia advectus, adeoque haereticis refertum, quia recens exstructum, elegans nitidumque ac mediterraneum ejusdem provinciae oppidum, munierunt, sed etiam Kinsaliam et Yeoghelliam, insignia ejusdem | Momoniae municipia optimis forsitan totius Europae portubus nobilitata et civibus ex parte longe maxima Catholicis referta interceperunt, adeoque vallarunt ut haec quatuor maximi momenti praesidia praeter alias munitiones bonas quidem sed non tanti faciendas in uno comitatu Corcagiensi occuparint gravissimo totius regni praejudicio.

468

v

(50) Verum praeses haud ita diu post vivere desiit assignato haereticis in militiae ducem et antesignanum atque ab ipsis electione militari in eadem praefectura confirmato Murachao, seu (ut quidam levigant) Morgano O'Brien, Insequinniae Barone, Praesidis genero, qui antiquissimis ambarum Momoniarum Regibus plurimis, quorum multi, et totius Iberniae Monarchas et nonnulli omnium insulae Monarcharum celeberrimos egerant, per lineam masculinam prognatus et parentibus more majorum ter Catholicis natus, avitam Religionem Catholicam | a teneris unguiculis cum nutricis lacte hauserat, in ea etiam per aliquot annos pie educatus. Verum ex nefanda et tyrannica lege Anglicana in Iberniam intrusa, qua Catholicorum procerum ac nobilium vita functorum haeredes tam impuberes, quam minores curiae pupillari ex haereticis rabulis compactae instituendi tradebantur, patre mortuo puerulus Dubliniam ductus et obtorto collo ad haeticorum templum ita raptatus erat ut ea die ex illius *synagoga* *Satanae* horrore caelum clamoribus repleverit

469

ostendens Deo atque hominibus quantopere haeresim detestaretur. Atqui perversorum postea consortio sensim sine sensu haereseos toxicus potatus et pauculis annis ante ortum hoc bellum sui juris factus, suapte sponte in ea profitenda perstiterat suae materterae Onorae Geraldinae eadem peste obstinatissime infectae, nec nisi hoc bello finito a P. Mauritio O'Conaldo, Jesuita, ad fidem
 469 conversae, | ejusque mariti Patricii Mac-Mauritii, Lixnae
 v Baronis non minus haeretici documentis et consuetudine, demumque suae uxoris pariter haereticae consortio, quo factum ut in pestilente soceri pariter heterodoxi aula altiores illa animarum lues in ejus corde radices egerit et socero jam exacto a Catholicorum agnatorum, cognatorum, affinium, ac sequacium familiaritate sejunctus atque ab illa colluvie Anglica in militiae praefectum et praesidiorum gubernatorem cooptatus, nec non ingentibus fortunae auctitandae illecebris illaqueatus nullam pene suae resipiscentiae spem fecerit reliquam.

(51) Aliae Momoniae civitates frequentissimae Limericum et Waterfordia, portus maritimi, nec non aliquot haud obscuri nominis emporia mediterranea, praesertim Cassilia, Clonmellia, Killochia, et Fiardia vel Fethardia, in quibus omnibus Catholici
 470 ita dominarentur ut non nisi paucis haeticis | iisque pene Anglicis vel ex Anglia recens oriundis sorderent, orto bello haeticorum copiis januas ambobus pessulis occluserunt haud ea mente ut in Regem rebellarent, sed ut in Regis obsequium suis, Ecclesiae, et Patriae rebus prudentius consulerent.

(52) Momonia demum tota his motibus ardente Catholici in multis illius Provinciae plagis haeticos malis artibus ex Anglia intrusos ac amplissimis fertilissimisque indigenarum patrimoniis nullo nisi iniquissimae confiscationis titulo antea donatos magnis gregibus deturbarunt et resistentes pugnis, velitationibus ac minorum locorum obsidionibus contriverunt, tametsi disciplinae militares rudes et armis atque omni apparatu bellico nudi ut pulveris nitrati libra in illo tumultuandi initio libram sterlingam valeret, quod Anglicorum magistratuum fraudibus, violentia
 470 et legibus iniquissimis inter | anteriorem pacem factum sit ut
 v armorum usus atque exercitatio non modo apud Momonienses sed etiam apud Iberos pene omnes domi abierit in desuetudinem, nec nationi suppeterent artifices, qui arma atque alia instrumenta bellica fabricarent, idque ne vis vi repelleretur. "Et ut gens industria quondam et manu strenua (cum Justino loquor) effaeminate mollitiae luxuriaque virtutem pristinam perderet."

(53) Haud hic a me oblivioni tradenda est Trallia, Comitatus

Kierriensis emporium, cui annexum territorium longe fertilissimum in fidei odium Catholicis praesertim Desmoniae Comiti extortum Regina Elizabetha in Anglos distribuerat, cum quibus novis possessoribus aliorum multorum suae gentis colonia illo transvecta suam sibi sobolem et in sobole haeresim propagarunt. Horum ad belli initium antesignani erant Eduardus Dennius, Eques auratus, et Thomas | Harisonus, ordinis pariter equestris, 471
Eduardi vitricus, in duabus Tralliae Castellis olim ad Desmonium pertinentibus habitantes, quorum alterum Eduardus adeo restituerat atque ornaverat ut Augustale principe dignum effecerit.

(54) Ibernici Daniele Mac-Cartio, quem superius nominavi, duce anno 1642 hoc emporium ita aggressi sunt ut Angli, aedibus desertis, se suaque in bina illa castella receperint, illaque melius vallaverint. Quae a Catholicis obsessa atque ab haereticis perfracte defensa demum vita pacta deditionem fecerunt. Quo circiter tempore Eduardus Dennius, aliique ex ea colonia cum recentibus viribus et subsidiis in Baroniae Ivrahaensis, quae ejusdem comitatus Kierriensis pars est, portus navigio appulit. Verum indigenarum ad defensionem se accingentium metu perculsi haud ausi sunt in terram excindere ut Tralliam redirent. Porro dum in portu Ballinaskelegensi anchoris firmarentur, Eugenius O'Sullivanus, | vir nobilis, ad illud aestuarium degens, id effecit 471
ut ipsi per quosdam ex industria submissos persuasum fuerit facile futurum ut pecuaria ibi ex stratagemate secus littus pascentia abigerent caederentque ex lintribus in naves transveherent. Qua spe inescati haeretici in terram excenderant et ad armenta abigenda se accinxerunt. Verum milites Catholici ex insidiis erumpentes in praedabundos insilierunt. Quorum deinde qui ad naves evaserant periculum experti reliquos adduxerunt ut mari potius quam terrae Ibernicae praesertim in illis partibus, se crederent. Diaecesis tamen illius Ardfertensis episcopus, Richardus O'Conaldus, Eduardum misso internuncio monuerat ut fidei Catholicae nomen daret et aliis Iberniae Confaederatis adhaereret, sponditque se ea lege effecturum ut Tralliae securus et tutus degeret cum omnibus ex eadem colonia Anglicana, qui eadem conditione accessuri essent, sed Catholicorum olim illis possessionibus | spoliatorum haeredibus sua patrimonia apud 472
aequos judices vendicandi jure semper salvo. Qua conditione Eduardus aliique repudiata navigarunt sperantes se viribus Anglicanis postliminio restituendos. Reque ipsa spes illa dabatur. Nam Patricius Mac-Mauritius ex Redmondo *de la Grosse* Anglo ad primam Anglorum invasionem in Iberniam advecto originem

trahens, Lixnaae Baro, suae perantiquae et nobilissimae familiae in eodem comitatu Kierriensi propagatae coryphaeus, a Thomae, patris, domi militiaeque celeberrimi, virtute, praesertim ab ejus fidei Catholicae constantia et integerrimo patriae a servitute Anglicana et libertatem vindicandae zelo ter degener, nec non multos annos ante ortum hoc bellum hereseos lues contaminatissimus, ubi bellandum esse et se a fratribus ac caeteris tribulibus Catholicis deserendum judicasset, in Angliam praeceps trajecit, ibique acuto judicio vir ita suam et haereseos causam | in Patriae ac Fidei Catholicae praejudicium egit ut in Anglia haereticis decretum fuerit quinque armatorum millia deligere, qui sub ipso nec non sub Fideli *Scuto-forti*, Census Equestris, aliisque in eam Iberniae plagam occidentalem transportarentur, ibique extirpatis indigenis et cum ipsis Catholicismo deletis, haeresim et haereticam Anglorum gentem plantarent. Verum Mercurius Ibernicus Bristoliae in Anglia anno 1644 typis mandatus habet Parliamentum Anglicanum solitis fraudibus effecisse ut hae vires in eum scopum jam scriptae non Iberniam petierint, sed sibi in ipsa Anglia sub Essexii imperio in Regem militantes rebellarint. Et sic Mac-Mauritius Kierriensis, Lixnaae Baro, illius suae turpis ac sordidae spei, quam etiam ad posteriores annos fovit, irritus evasit, ejusque annui apud Iberniam reditus in bellum Catholicum impendebantur, dum ipse in Anglia ad incitas redactus et semper *Puritanorum* greges in Iberniam invitans se | evangelii Calvinistici zelo bonorum jacturam aequo animo ferre gloriaretur, ubi demum inter hoc bellum justo Dei judicio ab omnibus prope desertus expiravit fratribus interea et contribulibus majorum virtuti in causa Catholica apud Iberniam promovenda respondentibus.

(55) Invenio anno 1642 P. Michaellem O'Cuilleanum Capucinum Ibernum, eumque Carbriensem, Hospitii Corcagiensis tunc ab haereticis suppressi moderatorem, a Muscriae Vicecomite, et Florentio Mac-Cartio, nec non O'Sullevano magno aliisque proceribus Momoniensibus, virium Catholicarum ibi ducibus, subsidiorum procurandorum causa in Galliam fuisse destinatum. Qui mari in Hispaniam, exindeque itinere terrestri in Galliam digressus, anno integro et quod excurrit, in legatione posito, a Rege Christianissimo atque ejus Ministris bello Hispanico, Belgico, Italico et Germanico implicitis haud multum obtinuit praeter | armorum, pulveris nitrati, omnisque apparatus bellici in Gallia mercandi, indeque in Iberniam ad Catholicos transportandi licentiam saltem occultam, favorem tunc specialem,

quod Anglus et Parlamentum Anglicanum licet inter se ipsis male convenirent, in Ibernorum tamen ruinam conspirarent, adeoque apud Gallum instarent, nequid subsidii Ibernis supeditaret, sed potius pacem cum Anglo et Anglia jam dudum pactam religiose observaret, alias a se ipsis habendus Ibernicae (sic illi prophane loquebantur) rebellionis et rebellium fautor et instigator. Quales etiam instantias apud Regem Catholicum in Hispania, ejusque Ministros in Belgio ingeminabant. Verum ambo principes in piam Ibernorum mentem et causam optime affecti surdas Angli atque Anglorum querelis aures praebebant, Ibernicae, fidei Bellonae libentissime et potentissime subventuri nisi, alter alterum, bello vexassent.

(56) Ad belli initium Ibernici, comitatus Kierriensis et Corcagiensis indigenae, cum in Anglos | progressum fecerunt ut ad 474 Corcagiam tentoria fixerint. Quo viso Guillelmus Salengerus, Momoniae Praeses, (necdum enim obierat) cum suis haereticis bene armatis et omni apparatu bellico munitis in Catholicos movit. Qui male armatis et bello necdum exercitati receptui prudenter cecinerunt excepto Florentio Mac-Cartio, Mac-Finini, Gleanoruachtiae vel *Vallis Ruachtensis* dynastae, germano, juvene animi plenissimo et valentissimo causae Catholicae promovendae instrumento, qui fugam sibi probro ducens cum suorum clientium cohorte sclopis atque ensibus instructa in pervetusti ibi sepimenti male tuti rudera se recepit, cumque Angli aliis fugatis rogassent ut deditionem incruentam faceret, nunquam ad consentiendum adduci potuit. Ad manus autem ut ventum est quicquid una peditum generosissimorum caterva in equitatus ac peditatus exercitum integrum praestare posset, id totum ille cum suis eximia animi magnitudine praestitit. Verum tanta barbarorum | multitudo in Vallum sola pene defensorum 474 praestantia tanquam muro munitum undique irrumpente, cum v jam plures inter pugnandum vel occidisset vel vulnerasset, gloriose succubuit, genuinus Machabaeus non modo bellicosus, sed etiam pius, et praesertim Deo sub Deiparae, cujus Coronam in solitudine recitare solitus erat, patrocinio singulariter devotus, atque a caepto hoc bello saepius protestari auditus se nunquam in conflictibus Anglos fugiturum. Hujus athletae vere Catholici mortem universa Momonia planxit. Cujus etiam patrum, Felmidium Mac-Cartium, virum pariter magnanimum Angli inter aliam velitationem occiderunt.

(57) Inter haec Conacia quoque pari bello clandestino haereticis Anglicis per aliquot provinciae tractus castellatim sparsis

475 ab Ibernis illato flagrabat. Nec illis Catholicis parum profuit |
 numerose nobilissimaque O'Ferallorum familia in vicinia comitatu
 Longfordiensis late dominans, quae anno 1641 et anno 1642
 magnis contribulium clientelaeque numeris in Anglos insurrexit,
 et illo territorio haereticis jam dictis purgato totius viciniae
 conatus in eadem causa Catholica promovenda haud mediocriter
 secundavit, captis Longfordiae, Ratclinae, Bellalegae et Castri-
 Forbesii praesidiis.

(58) Obsidione Vadipontana (ut vidimus) soluta, Hugo
 O'Rellius, Archiepiscopus Ardmachanus et Iberniae primas,
 alique ex Provinciae Ardmachanae clero in unum congregati
 circa hoc bellum deliberarunt et quaedam decreverunt his verbis.

475 " In Nomine Domini Amen. Incipiunt proposita, acta, et
 v decisa in Concilio | Provinciali congregato Kellis per Illustris-
 simum D. Hugonem, Archiepiscopum Ardmachanum, totius
 Iberniae Primatem in eodem Concilio praesidentem, Missa prius
 celebrata, Reverendissimis Episcopis, reliquisque Provinciae
 Praelatis et aliis, quorum interesse Concilio videbatur, vocatis
 et per se vel suos procuratores comparentibus et concione habita.

(59) " In primis de bellorum turbine, populi jacturis, nobilitatis
 periculis ac Reipublicae damnis, tam in spiritualibus quam in
 temporalibus, multa ventilata sunt, et quidem specialiter quid
 Praelatis et Pastoribus, quibus hujusmodi populi commissi sunt,
 qui pro ovibus sibi commissis justisque de causis periclitantibus,
 debent animas suas ponere, faciendum sit in tantis tumultibus,
 fuit consultatum et conclusum ante omnia ad Deum Optimum,
 Maximum, omnium Consolatorem recurrendum jejunio, oratione,
 476 eleemosynis, peccatorum paenitentia | et satisfactione, et deinde
 factae sunt sequentes propositiones :

Propositio 1^a.

(60) " Indictum est jejunium per universam Provinciam
 supradictam trium dierum feriae quartae, sextae et sabbathi
 unius septimanae eligendae prima opportunitate per singulos
 ordinarios, cujus prima die seu dominica declarabunt singuli
 parochi inter missarum solemnias illis tribus diebus jejunandum,
 et ulterius feria 4^a uno anno integro initiando a die declarationis
 praedictae, et Dominica immediate sequente jejunium illorum
 trium dierum, praemissa confessione, communicent omnes vel
 diebus sequentibus, si illa non valebunt. Sacerdotes vero inter
 Missarum solemnias legant singulis diebus festivis ad unum annum
 litanias Sanctorum cum annexis precibus, et laici Rosarium.

2^a Propositio.

(61) "Homicidae, mutilatores, graves percussores, fures, injusti spoliatores, raptores, et | extortores bonorum quorumcunque eorumque fautores, receptores, et quoquo modo assistentes excommunicati sint et excommunicatos esse declaramus, aequè ac si nominatim singuli denunciarentur. Circa satisfactionem vero similium criminum hactenus commissorum imponendam (si non sint per canones vel statuta Provincialia censurati ipso facto) discretioni ordinariorum et confessariorum relinquimus.

476
v3^a Propositio.

(62) "Notum est in variis Provinciae comitatibus terras invadi tam Ecclesiasticas quam Saeculares et intrusione injustissima expoliari, expulsis, prohibitis, et contemptis possessoribus aliis Ibernis, per impios multos praetextu alicujus antiqui tituli contra jus et Regium et Pontificium, imo et contra communem conscientiam et aequitatem cum singulari damno multorum legitimorum possessorum et periculo tam Religionis extinguendae, | quam reipublicae evertendae in toto Regno. Nos vero, in quantum in nobis est, volentes ire obviam hujusmodi impiis et iniquis et conscientiae et Religionis omnis oblitis, statuimus et decrevimus omnes et singulos ejusmodi invasores, usurpatores, et intrusores, qui ab initio belli praesentis ullius Ibernici, sive Catholici sive *Protestantis*, possessionem invaserunt et detinent, aut imposterum invadent, excommunicandos esse, prout praesentis decreti tenore excommunicamus, imo et omnes et singulos, qui terras et possessiones ullas detinere ausi fuerint contra publicam auctoritatem, sicut et eorum fautores atque assistentes, et specialiter hac censura innodatos declaramus omnes et singulos, qui directe vel indirecte prohibent dari census seu redditus possessoribus iis, qui possederant ad inchoationem usque praedicti belli et qui, sine facultate possessorum talium, | colligunt et extorquent redditus et equivalentia sub praetextu dandi militibus aut alias a *Tenantibus* subditis eorum possessorum.

477

477
vi. iniqui-
linis.4^a Propositio.

(63) "Nobilitas Ibernicae mota iniquitate et praesumptione Ministrorum et officialium Anglorum et praecipue Puritanorum tam Angliae quam Ibernicae (jam semper et specialiter hisce postremis annis studentes ruinae Catholicorum, servituti Iber-

478 norum, et serenissimi nostri Regis praerogativarum abolitioni,
varias inierunt conventiculis, petitionibus contra Catholicos
exhibitis, decretis Parlamentariis in praejudicium Catholicorum
procuratis, insultando suae Majestati in Parlamentis, contraeundo
ejus mandatis, immunes reddendo contra ejus voluntatem et
condemnando quos velint) bellum nuper indictum continuat
non minus pie quam periculose. Interim nonnulli etiam |
Catholici et natione Ibernici repugnant, et assistunt contra tam
Deum et patriam, quam conscientiam et suae Majestatis honorem
et commodum impiis tyrannis, deceptoribus, et Reipublicae
perversoribus, Puritanis, ignari fore ut ejusmodi sua gesta
redundent in sua capita. Siquidem si vincant Puritani nullo
in loco aut honore ipsos sustinebunt, ut clare intelligi potest
ex more eorum procedendi cum omnibus Ibernis, qui ipsis inservierunt hactenus aut inserviunt, ac ex dictis, factis, et odio
quasi innato quo afficiuntur erga quoscunque Iberos vel natos
in Ibernia. Nos vero momentis, impietate ac miseria nostratium,
qui Puritanis assistunt, moti et adducti sentimus omnes et
singulos qui Puritanis assistunt, eorumque impiis et tyrannicis
conatibus pro patria, pro Religione, pro Deo et Rege non resistunt
excommunicandos esse et pro excommunicatis habendos, atque
478 communionem Sanctorum, Ecclesiastica sepultura, | et fidelium
v orationum fructu privatos declarandos, sacerdotes quoscunque,
qui coram ejusmodi nostratibus celebrent, excommunicandos,
irregulares declarandos et omni dignitate obtenta privandos et
obtinendae spe cecidisse, secundum canones denunciandos. Et
quidem nos subditos nostros taliter Puritanis consilio, ope,
opera et administrando arma, frumenta et victualia, vel quovis
alio modo assistentes vel adhaerentes, imo et suum auxilium a
nostris contra Puritanos bellum gerentibus subtrahentes ex-
communicatos esse definimus et declaramus aequae atque illi,
qui in Bulla Caenae Domini. Sacerdotes nostros, qui coram
illis celebrare solent admonemus primo, secundo et tertio ut
neque coram ejusmodi personis, Puritanorum vel haereticorum
coadjutoribus vel fautoribus celebrent, aut cum ipsis ullo modo
communicare audeant sub paena excommunicationis latae
sententiae. Pro robore unionis Catholicorum, praesentis belli et
479 Religionis sustentatione debita, desertores | seu redeuntes ad
haereticos et eorum favorem aucupantes simili censura ex-
communicationis innodatos censemus, et ex iis qui nostrorum
territoriorum sunt incolae innodamus et innodatos esse ipso
facto volumus et declaramus.

5^a Propositio.

(64) "Vulgo scitur et nimium certum est omnia bona dilapidari subditorum incolarum totius patriae tam Ecclesiasticorum quam saecularium sine respectu personarum, desolari viduas, depauperari divites, violari pauperes, proscribi colonos, cessare et impediri penitus aratra, pluribus in locis plus nunc quam unquam, despici clerum, in nullis (quod scimus) territoriis observari debitam ordinationem vel subordinationem, quemlibet militem se exhibere ad decoquendum et extorquendum, paucos ad inserviendum, tot legiones, tot cohortes esse et duces, quot aut chimaericum dictamen, aut ambitio, aut levitas cujusque persuadet, cohortes domi manere, genio indulgere, patriam exhaurire, prout volunt, secundum | utilitatem animi ducum. 479
Denique infinitis et horrendis aliis incommodis patriam affligi v
et consumi defectu animadversionis et correctionis ac malorum fonte, dilatione erectionis *Concilii*. Adagium est: *Parvi sunt foris arma nisi sit consilium domi*. Deus immortalis! Nunc aut nunquam sapiendum est, Dei et naturae offensis tendentibus ad destructionem Religionis et gentis universae. Obviam eatur severis remediis aut omnia peribunt. Erigatur statim Concilium ex personis simul Ecclesiasticis et saecularibus sufficientibus. Juret nobilitas saecularis et clerus se observaturos debitam correspondentiam. Conjuret in correctionem severam offensarum, exhibendo obedientiam Concilio et legibus et statutis factis et faciendis.

6^a Propositio.

(65) "Si unquam opus fuit Regno aut genti concordantia membrorum et consensu atque assistentia unanimi, jam Regno et genti nostrae opus est. Interim nonnulli nostratium | nimium 480
sapientes discordant, et specialiter talis habetur Thomas, Midensis Episcopus, imo verius, non obscure se talem exhibet. Consilio siquidem et autoritate sua praecipuos quosdam nobiles suae diaecesis a liga Catholicorum Regni detinuisse incusatur, quorum exemplo nonnulli alii vicini aut terrentur aut segniores redduntur. Palam (ut fertur) dicit hoc bellum sine fundamento esse et injustum. Efiannum idem Episcopus ab hoc nostro conventu sufficienter citatus sese absentavit contumaciter, nullum aut nuntium aut procuratorem mittendo, nulla excusatione missa, nullos in dignitate constitutos suae diaecesis admonuit ut debuit, qui in Concilio comparerent. Hisce et ad hoc pertinentibus moti admonemus praefatum D. Thomam, Midensem Episcopum, primo, secundo, tertio atque peremptorie, et inquirimus ut desistat et revocet clare et plene quicquid contra praesens bellum

- 480 | et pios nobilium ejus conatus dedit consilii, protulit verbum,
 v aut alias praestitit. Et id nobis constare faciat subscribendo
 actis praesentis Concilii et submittendo se ob absentiam suam,
 de qua supra, ante tres septimanas a data praesentium, sub
 paena incurrendi suspicionem haeresis et sui apud Sedem Apos-
 tolicam delationis, prout suspecti haberi debent, secundum
 canones, haereticorum fautores et ejusmodi Episcopi deferri et
 excommunicati haberi. Et ad haec omnia inculcanda D. Thomae,
 Midensi Episcopo, destinamus et constituimus ut fidelem nostrum
 nuntium Redmundum Simon, ordinis S. Bernardi monachum,
 aut alium quempiam. Ulterius vero etiam nisi (uti praemissum
 est) satisfecerit et obedierit praefatus D. Thomas, Midensis
 Episcopus, volumus, definimus et declaramus eundem D. Thomam
 Midensem Episcopum, elapsis tribus supradictis septimanis, ab
 481 officio suspensum | fore et pro tunc esse donec respiscat.

7^a Propositio.

(66) "Nullus impediat aut perturbet Catholicos (qui pro-
 movent praesens bellum) in possessionibus Ecclesiasticis, quas
impropriationes vocant, sive decimae sint sive praedia, aut
 aliud.

8^a Propositio.

- (67) "Ut abusus tollantur, debita inter Ecclesiasticos et
 nobiles correspondentia teneatur, occasiones dissensionum
 auferantur tam in praesenti quam in futuro, et provideatur
 melius commodo Reipublicae et militum, volumus et statuimus
 ut singuli ordinarii locorum locent terras, domos, praedia, decimas
 et alia bona Ecclesiastica cum assistentia Colonnelli aut praecipui
 nobilis Comitatus aut Baroniae per ipsum ordinarium assumendi,
 et assignetur parochis sufficiens sustentatio et pariter ordinariis
 481 locorum, | reliquum autem pro sustentatione militum, donec
 v aliter fuerit decretum.

9^a Propositio.

(68) "Volumus ut singuli ordinarii locorum et Parochi ac
 abbates et Priores conferant et contribuant singuli subsidium
 pro cujusque facultate in sustentationem militum ante sex
 septimanas a data praesentium, et ordinarius loci, aut eo negli-
 gente aut impedito, secundus post ipsum dignitarius convocet
 Ecclesiasticos singulorum districtuum determinandorum per
 ipsum, et efficiat ut singuli contribuant debite.

10^a Propositio.

(69) "In Ecclesiis seu templis, in quibus non fuit solita
 hactenus celebrari Missa, celebrent sine scrupulo parochi cum

altari portatili modo quo hactenus in collibus, sylvis, et aedibus privatis, donec Respublica serenioribus fruatur temporibus et pace. |

11^a Propositio.

482

(70) "Quia non possumus quin ad loca dissita discedamus, adeo committimus auctoritatem nostram interpretandi supra dicta statuta et procedendi specialiter contra D. Thomam, Midensem Episcopum, et absolvendi ipsum (prout in Domino visum fuerit consentaneum juxta emendationem aut satisfactionem per ipsum Episcopum Midensem dandam) Illustrissimo D. Ardmachano. Absolutionem eorum qui excommunicantur in 3^a propositione supra committimus solis ordinariis et deputatis eorum.

12^a Propositio.

(71) "Statuimus et ordinamus ut in singulis legionibus sint ad minimum duo Cappellani, qui militibus sacramenta administrent, ipsos instruant, et ab extortionibus aliisque vitiis inhibeant, ac insuper quaelibet legio habeat determinatum concionatorem, qui debeat apud milites saepius praedicare.

13^a Propositio.

(72) "Volumus et praecipimus ut eadem fides adhibeatur | singulis copiis horum actorum etiam translatorum, subsignatis manu secretarii nostri, Jacobi Govan, aut alterius in dignitate constituti, quae haberetur ipsi originali si praesens exhiberetur, et ut eadem copiae obligent aequae atque ipsa originalia. Atque haec omnia in praesenti declaramus nos et declarata volumus in tantum ut obligent auditores omnes et singulos. Et ulterius declarari volumus per singulos ordinarios et parochos verbatim prima opportunitate, et pariter observari sub paena suspensionis latae sententiae et ulterioribus animadversionibus quae juris fuerint.

482
v

Datum Kelliae, 22 Martii, 1642.

"Hugo Ardmachanus.

Eugenius Kilmorensis qui et fuit Procurator Rapotensis.

Emerus Dunensis et Connerensis.

Patritius Hanrachtenus, Dromorensis Vicarius Apostolicus.

Terentius Killy, Derensis Vicarius Apostolicus.

Cornelius Gafney, Ardachadensis Vicarius Generalis.

Guillelmus | Cochlan, Cluanmacnosensis Vicarius Generalis.

483

Georgius Plunket, Archidiaconus Midensis.

Fr. Edmundus Fitz Simon, dictus Abbas de Beatitudine."

(73) Cum haec acta non alias Regni provincias sed solam Ardmachanam obligarent, postea mense Maio magna cleri totius Regni pars Kilkenniae, quae mediterranea Lageniae urbs a causa Catholica stabat, congregata condidit decretum, quod hic sequitur iisdem verbis et modo, quo ad meas manus pervenit.

“ In nomine Sanctissimae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

483 v (74) “ Acta, conventa, ordinata et conclusa in congregatione generali habita Kilkenniae diebus decimo, undecimo et 13^o mensis Maii 1642 ab his praelatis, quorum nomina sunt subscripta, intervenientibus absentium | praelatorum procuratoribus, nec non Regularium Ordinum superioribus, cum multis aliis dignitariis doctisque viris tum in sacra Theologia, tum in Canonico Jure versatis, et pastoribus, aliisque de clero Catholico ex universa Ibernia, quorum nomina etiam ad calcem recensentur.

484 (75) “ Cum bellum, quod nunc in Ibernia contra sectarios, maxime Puritanos, geritur pro defensione Catholicae Religionis, pro conservatione praerogativarum ac Jurium Regionum serenissimi N. Caroli, pro serenissimae N. Reginae indignissime a Puritanis habitae ac Regiae prolis incolumitate, honore, salute, pro injuriis quae illi inferuntur avertendis et impediendis, pro justis et legitimis Iberniae libertatibus et Juribus conservandis pro defensione vitae, fortunarum, bonorum, terrarum, possessionum suarum sit a Catholicis susceptum contra injustos invasores, oppressores, et hostes suos, maxime | Puritanos, idque nobis constet ex variis et veris provinciarum, comitatum et Procerum manifestationibus et unanimi totius pene Regni in hoc bellum consensu et faedere, declaramus illud bellum a parte Catholicorum licitum et justum esse. Quo in bello si ex Catholicis deprehenderentur aliqui procedere ex injusto titulo, avaritia, crudelitate, vindicta, odio vel ulla simili mala intentione aut fine, judicamus illos graviter peccare, proinde censuris Ecclesiasticis, nisi moniti resipiscant, puniendos et coercendos.

484 v (76) “ Quandoquidem ab adversariis rumores sparguntur, litterae scribuntur, et proclamationes imprimuntur, etiam nomine Regis, quae Regis non sunt, unde machinamenta varia et pericula provenire et imminere possent nostrae genti, ideo occludentes viam falsitati et commentis adversariorum, volumus et praecipimus ut nulli ejusmodi rumores, litterae, aut | proclamationes locum aut fidem habeant, donec cognoscatur in Concilio nationali an vere a Rege provenerint posito seu relicto in sua libertate,

et donec *Agentibus* Regni destinandis decreto Concilii nationalis liber sit accessus ad suam Majestatem et reditus talis ut natio certior fiat de sua Majestatis intentione et voluntate.

(77) "Cum nulla familia, civitas, Respublica, nedum Regnum stare possit sine unione et concordia, sine qua Regnum hoc impraesentiarum maxime periclitatur, necessarium putamus ut omnes Iberniae proceres, nobiles, generosi, magistratus, civitates et provinciae sibi invicem sacramento ligentur et conceptum unionis et concordiae juramentum pie et Christiane suscipiant et sancte observent. Ad hanc porro unionem conservandam et exercendam statuenda duximus sequentia.

(78) "1^o Mandamus severe omnibus nostris subditis, tam Ecclesiasticis quam saecularibus, ut nullam prorsus faciant distinctionem veteris et recentioris Ibernii. Ut nullam | alienationem aut simultatem aut discordiam faveant inter provincias, civitates, oppida, vel familias. Deinde ut nullas aemulationes vel comparationes ingerant aut instituant, institutasque promoveant.

485

(79) "2^o Ut in singulis Iberniae provinciis unum sit Concilium ex clero pariter et nobilitate conflatum, quo in Concilio sint ad minimum tot personae, quot sunt in provincia comitatus provinciatim, ex singulis vero civitatibus et oppidis celebrioribus personae duae.

(80) "3^o Statuatur unum generale Concilium totius Regni ex clero, nobilitate, civitatibus, oppidis celebrioribus ubi civitates non sunt, cui Concilia Provincialia subordinentur et ab ipsis ad illud appellatio fieri valeat, donec Concilium hoc nationale cogi opportune possit. Si res ulla magni momenti occurrat aut concipiatur in una provincia, cum legatione expressa mittatur et deferatur ad Concilia aliarum provinciarum, nisi subitaneum et urgens sit negotium et ad alias provincias minime spectet. |

(81) "4^o Legatio ex una provincia ad exterarum nationes facta censeatur facta pro reliquis provinciis, et quicquid inde fructus vel emolumenti provenierit distribuatur inter civitates, provincias et partes indigentes, maxime si ejusmodi fructus aut auxilia devenerint ex liberalitate exterarum Principum, statuum, praelatorum, aliorumve quorumcunque adhibita cautione hac ut sumptus et damna cum proportionem compensentur.

485
v

(82) "5^o Si ex provinciis aliqua minus commode aut nullo modo ad exterarum nationes a se aliquem legare possit, curet hoc intimari et significari alteri provinciae, quae illud praestare possit et debeat ratione unionis et faederis juxta instructiones

ab altera provincia missas quoad loca et Principes et quos legari vellet.

486 (83) " 6^o In singulis provinciis conserventur fideliter commentarii et notae incendiorum, | homicidiorum et eorum omnium, quae crudeliter, perfide, inhumaniter et impie a puritanis hostibus committuntur et perpetrantur, notato die, causa, loco, modo, personis, caeterisque circumstantiis, autoritate publica addita.

(84) " 7^o Sit in singulis Baroniis Tabellarius pedester fidelis et iuratus per quem ejusmodi crudeliter gesta et alia committenda vicinioribus locis scripto significantur. Similiter de una provincia in aliam de illis commode scribatur ad consolationem, directionem et cautelam populi.

(85) " 8^o Personae magnae in una provincia captae nec prece, nec pretio, nec cambio liberae mittendae sunt, nisi de consensu magnatum et Praelatorum aliarum provinciarum unitarum. Et pariter captivorum ex unaquaque provincia libertati seu redemptioni prospiciatur et invigiletur omnibus provinciis quoad fieri potest. |

486 v (86) " 9^o Si qui deprehenderentur contumaces aut periculosi in una provincia, comitatu, vel oppido, mittantur ad aliam provinciam vel comitatum in quo possint tutius custodiri et sine aliorum periculo aut damno versari.

(87) " 10^o Quicumque in una provincia vel comitatu declaratus fuerit Causae vel patriae proditor censeatur et puniatur pro tali in reliquis comitatibus et provinciis ubi fuerit deprehensus, et fautores et receptores ipsius notorii ex certa scientia iisdem paenis mulcentur, quibus ipse proditor et adversarius multari debeat et plecti.

487 (88) " 11^o Mandamus et decernimus ut nulla provincia, (hoc maxime pertinet ad unionem) nullus comitatus, civitas, oppidum, et ut nulla persona qualiscunque quaerat pacem aut submittat se hostibus sine consensu Concilii generalis totius Regni sub paena excommunicationis ipso facto incurrendae, et pro ulteriori robore | hujus statuti observandi volumus ut in singulis provinciis juretur sancte a proceribus, nobilibus, *Corporationibus* et ordinibus provinciarum et desuper instrumentum conficiatur authenticum et singulae provinciae mittant singula instrumenta firma chyrographis juratorum aliis provinciis in testimonium Juramenti, et qui hoc mandatum verbo tenus observare detrectaverit, pro adversario causae communis et patriae habeatur, et ut talis puniatur modo supra descripto

(89) " 12^o Perfectam pacem et charitatem juxta debitum

unionis observari inter provincias, comitatus, civitates et familias curent praecipue locorum ordinarii, concionatores, parochi, confessarii et alii Ecclesiastici.

(90) " 13^o Bona mobilia et immobilia Catholicorum recuperata ab hostibus causae praesentis belli devolvantur ad | proprios et priores possessores et Dominos deductis necessariis et rationalibus expensis taxandis vel determinandis a Concilio generali vel provinciali proximo vel a commissariis comitatus, in quo habitant.

487
v

(91) " 14^o Cum multi variis modis erga hanc causam se gerant, quidam opere et auxiliis assistunt adversariis, quidam victualibus et armis, quidam consilio et authoritate et quasi adversam partem sustentando, quidam denique neutraliter se habent, alii demum Juramento neglecto causam deserunt et unionem Catholicam. Nos igitur decernimus et judicamus omnes et singulos hujusmodi unionis desertores pro hostibus nostris pugnantes, ad bellum euntes, defendentes aut alio quocunque modo assistentes, et arma et commeatum administrando, aut auxilium aut favorem praebendo, excommunicandos esse et excommunicatos volumus, emissa declaratione praesentis decreti in | singulis respective diaecesibus et una pro trina admonitione praemissa, cujus admonitionis locum suppleturam declaramus ipsam declarationem factam in loco ex quo intelligere possent ii ad quos spectat. Judicium vero et paena neutralium sit penes ordinarios respective locorum, modo ipsi ordinarii non sint contrarii iudicio hujus Congregationis, quo casu potestatem relinquimus Metropolitanis procedendi contra hujusmodi ordinarios juxta juris dispositionem et causae exigentiam adhibita singulari sollicitudine et festinatione.

488

(92) " 15^o Statuimus et decernimus omnes et singulos invasores, usurpatores et intrusores, qui ab initio praesentis belli sive Angli sive Ibernii ullius Catholici qui non adversatur huic causae bonorum mobilium aut immobilium possessiones temporales aut spirituales invaserunt aut detinent, excommunicandos esse, prout praesentis decreti tenore | excommunicamus, nisi moniti resipiscant, et pari censura innodamus eos omnes qui imposterum talia bona aut possessiones invadent aut detinebunt contra publicam authoritatem, sicut et eorum fautores et assistentes. Et specialiter hac censura innodatos declaramus omnes et singulos, qui directe vel indirecte prohibent dari census seu redditus praefatis possessoribus, iis qui possiderunt ad inchoationem usque praedicti belli, et qui sine facultate possessorum

488
v

colligunt aut extorquent redditus aut equivalentia sub praetextu dandi militibus seu subditis eorundem possessorum.

(93) " 16^o Mandamus omnibus et singulis tam Ecclesiasticis quam saecularibus ac etiam Regularibus ne supradictorum excommunicatorum confessiones audiant, aut ipsis sacramenta administrent sub paena excommunicationis latae sententiae.

489 (94) " 17^o Homicidae, mutilatores, graves | percussores, fures, injusti spoliatores, raptores bonorum quorumcunque, eorumque fautores, receptores et quomodolibet assistentes excommunicati sint et excommunicatos esse volumus et fore, ac si nominatim singuli denunciarentur. Circa satisfactionem similium criminum hactenus commissorum imponendam, si non sint per canones vel statuta provincialia vel diaecesana censurati, discretioni ordinariorum et etiam confessariorum eorum absolutionem relinquimus.

(95) " 18^o Artifices armorum et pulveris tormentarii invitati vel invitandi ad nostram patriam exempti sint ab impositionibus et vectigalibus, sicut et mercatores qualescunque transferentes conducentia ad nostram causam Catholicam, ut arma et pulverem tormentarium, libere mercari, absque vectigalibus pro transferendis ad nos aut transportandis ad alias regiones a nobis commoditatibus in commutationem illarum commoditatum, 489 v
valent durante hoc bello, | et hoc in singulis Provinciis, civitatibus et oppidis declaretur.

(96) " 19^o Censemus expedire ut in proxima nationali Congregatione futura ex clero et nobilibus deputentur ut nuntii nomine totius Regni ad Regem Christianissimum, Caesaream Majestatem, et suam Sanctitatem, unus praelatus, unus ex Magnatibus et unus ex jurisperitis.

(97) " 20^o Volumus et statuimus ut singuli ordinarii, dignitarii alique proprietarii respective locorum locent terras, domos, praedia, decimas et alia bona Ecclesiastica suorum titulorum ac dignitatum cum assistentia Colonelli aut alterius primatis comitatus, Baroniae aut Parochiae per ipsum ordinarium et dictos proprietarios assumendi, et assignentur ipsis ordinariis, dignitariis, aliisque proprietariis necessaria et congrua sustentatio, reliquum autem pro sustentatione militum, donec aliter fuerit decretum.

490 (98) " 21^o Collectores et receptores reddituum Ecclesiasticorum assignentur ab ordinariis locorum | cum consensu proprietariorum et praesentia primarii nobilis cujus respective comitatus, Baroniae aut Parochiae ordinarii et alii proprietarii

Ecclesiastici valeant assumere aedes, praedia et alia bona suorum respective titulorum cum obligatione dandi subsidia belli (ut supra), aut habendi ea in partem solutionis congruae sustentationis, modo non assumant ea ex manu Catholicorum qui ejusmodi aedes, praedia, aut alia bona conducta habent, aut alia obligatione adstricta.

(99) " 22^o Ingressus in ecclesias et celebrationem Missarum in illis relinquimus discretioni ordinariorum.

(100) " 23^o Praecipimus omnibus et singulis Generalibus, Colonnellis, capitaneis, caeterisque militiae nostrae Catholicae praefectis et aliis nobilibus, quibus incumbit corrigere, ut severe animadvertant in delinquentes contra mandatum supra positum de homicidiis, mutilatoribus, percussoribus, furibus, spoliatoribus etc. Si secus fecerint, injungimus | parochis et curatis seu capellanis ipsorum respective ut denuncient et declarent ipsos interdictos et excommunicatos esse, nisi Reipublicae et parti laesae satisfecerint aut satisfieri curaverint. Quod parochi et curati et capellani praedicti sub paena suspensionis latae sententiae observent.

490
v

(101) " 24^o Quo haec acta omnia et proposita faelicem consequantur effectum, recurrendum duximus ad Deum Opt. Max. oratione, jejunio et eleemosynis. Volumus ergo, rogamus, obsecramus, et quantum in nobis est mandamus ut singuli sacerdotes tam saeculares quam Regulares semel missam celebrent in hebdomada, omnes autem et singuli etiam laici jejunium observent feria quarta, sexta et sabbatho unius hebdomadae, et denique semel in hebdomada feria quarta vel sabbatho jejunent durante beneplacito ordinariorum et preces ad Deum fundant pro faelici successu hujus nostri belli Catholici, consecuturi Indulgentias 50 dierum, prout singuli Praelati | in suis respective diaecesibus manifestabunt post jejunium illorum trium dierum per hebdomadam, praemissis sacramentali confessione et communione et eleemosyna aliqua in hunc finem facta.

491

(102) " 25^o Curetur ut in qualibet legione seu *Regimento* militum sint saltem duo confessarii et unus praedicator nominandi ab ordinariis et Regularium superioribus et eorum competentem sustentationem commendamus et in Domino praecipimus Tribunis militiae.

(103) " 26^o Caeterum ut haec omnia ordinata, acta, et statuta executioni mandentur, volumus et decernimus ut omnes Archiepiscopi, Episcopi, vicarii Apostolici seu generales, et Regularium quorumcunque ordinum superiores tam hic praesentes quam

ab entes serio et instanter advigilent sub paena indignationis et ulterioris animadversionis super quo eorum conscientias quantum possumus oneramus.

491 (104) "27° Expositionem difficultatum forte oriundarum in
v praemissis penes Metropolitanos | respective provinciarum et
ordinarios locorum, qui in nullo adversantur causae, relinquimus.
Nullus autem alius ejusmodi difficultates exponere praesumat.
Haec autem omnia acta, dicta, et conventa subjecta sint iudicio,
sententiae, et censuris Sedis Apostolicae," Hactenus congregatio
Ecclesiastica.

492 (105) Huic decreto subscripsisse reperio Hugonem, Archiepis-
copum Ardmachanum. Thomam, Archiepiscopum Cassil-
iensem. Malachiam, Archiepiscopum Tuamensem. Rochum,
Episcopum Kildariensem. Davidem, Episcopum Ossoriensem.
Joannem, Episcopum Clonfertensem. Emerum, Episcopum
Dunensem. Fr. Patritium, Episcopum Waterfordiensem.
Boetium, Episcopum Elphinensem. Archiepiscopi Dubliniensis
et Episcoporum aliquot, nempe Killaloensis seu (ut verborum
dolatores usurpant) Laonensis, Limericensis, Corcagiensis et
Imolacensis Procuratores. Duos Vicarios generales nempe
Fernensem et Kilkenniensem. Quatuor Abbates ordinis Cister-
tiensis. Tres Dominicanorum, strictioris Observantiae Fran-
ciscanorum, et Augustinianorum Provinciales. Jesuitarum
in Ibernia non | provincialem sed (nam non provinciam Regularem
sed Missionem Apostolicam habebant) *Superiorem*, (quem vulgo
provincialem inter hoc bellum vocitari video). Quatuor Fran-
ciscanorum strictioris observantiae Guardianos. Fr. Thomam
Strange *Theologum*. Et multos alios Theologos ac Jurisperitos.
Quibus addo aliquem subscripsisse tanquam Episcopi Lismor-
ensis Procuratorem, cum tamen actis ad annos posteriores
conditis Patritius Comerfordus jam dictus tanquam Episcopus
Waterfordiensis et Lismorensis subscripserit. Quare praefatum
Procuratorem Episcopi non *Lismorensis* sed *Kilmorensis* fuisse,
et ob terminorum affinitatem commentarii mihi traditi scriptorem
calamo lapsus crediderim. Quod et alibi in simili re successisse
reperio. Porro faederis Catholici Juramentum tunc conceptis
verbis Iberniae Confaederatis ministratum Philopater in medium
Vindic. Lib. 1
pag. 6 producit hunc in modum.

492 (106) "Ego N. N. coram omnipotente Deo, Angelisque et
v Sanctis ejus juro me Fidei Catholicae, Apostolicae | ac Romanae
libertatem, serenissimi Regis nostri Caroli personam, haeredes,

ac jura, nec non legitimas hujus nationis immunitates ac libertates contra quoslibet usurpatores aut invasores cum fortunarum omnium ac ipsius etiam vitae discrimine defensurum."

(107) Eodem tempore Catholici in Conacia propugnaculum praesidiariis Anglicis et haereticis munitum Galviae vicinum, ex quo Angli in Galviam, frequentissimum totius illius Provinciae emporium, plurimis civitatibus celebrius, idque maritimum et pene totum Catholicum, atque in ipsum portum Galviensem fere dominarentur, obsidebant. Verum Ullicus Boorkus vel de Burgo, Clanricardiae in Iberniam et S. Albani in Anglia Comes, et nobilissimae numerosissimaeque suae in eadem Conacia familiae Princeps, licet more majorum Religionem Catholicam a teneris unguiculis profiteretur, mense Maio 1642 obsessis haereticis opem tulit et obsidionem dissipavit. Quam ejus | a faedere Catholico alienationem alia ex parte Bellingus Catholicis profuisse affirmans: "Quando (inquit) Baro Forbesius Angliae classis, quae maritimas Iberniae oras infestatum missa fuerat, praefectus Galviae bellicas naves admovit et militem excendere fecit, qui urbem terra cinxit, haud dubie eam cepisset imparatam, immunitam, inermem, nisi Marchio Clanricardiae, ejus ut et totius adjacentis comitatus praefectus, urbem sibi commissam Regis nomine et autoritate ab obsidione liberasset." Haec Bellingus, prius examinanda quam credenda. Tum quod Clanricardius haereticis Anglicis et eorum fautoribus ab initio atque in progressu belli iniquissime et turpissime studuerit in gravissimum causae Catholicae praejudicium, tum quod Bellingus, ejus atque Ormonii parasitus, nullam pene meretur fidem in iis, quae inter causae Catholicae fautores et adversarios controversiam patiuntur. Caeterum Clanricardius, non solum haereticis illius | propugnaculi Galviensis praesidiariis, sed etiam aliis sectariis Atloniam, Buillium, nonnullaque praeterea ejusdem provinciae et vicinae castra in Catholicos pro virili defendentibus, et nihil in eorum perniciem non molientibus opem totis viribus tulit, eisque commeatum, pulverem tormentarium, arma, pecunias, quicquid denique poterat, subministravit, in hoc imitatus patrem, qui se Reginae Elizabethae in pessundandis Iberniae Catholicis inter bella diebus suis gesta valentissimum praebuerat et iniquissimum instrumentum. Caeterum mihi vir fide dignus, Joannes O'Moloni-
us, nunc doctor Parisiensis et sacerdos Ibernus, isque Tomoni-
ensis, retulit praefatum Forbesium Tomoniae viciniam sua classe
et militia haeretica ad tempus infestasse, sed mulierculas Tom-

493

Annot.
in P.
Poncium
pag. 81.

493

v

494 onenses, ubi praedonem illum cum collectitia latronum manu in Inniscathiae Insulam, S. Senani olim Sedem | Episcopalem exscendisse, indeque in vicinos grassari solitum vidissent, S. Senani jam dicti opem implorasse tanta cordis simplicitate et pietatis fiducia ut non defuerint quae protestatae sint se S. Senano renunciaturas, nisi in illa occasione ipsis in haereticos Anglicos, suae olim sedis Episcopalis prophanatores, adesset, indeque successisse ut copiae illae velut invisibili Dei et S. Senani manu percussae, pleraeque manipulatim emarcuerint perierintque, et reliquae tanquam miraculo consternatae, pavore percussae atque omnem in Catholicos praevalendi animum despondentes, post tot tantae classis et militiae sumptus laboresque re infecta domum redierint, idque Tomonienses, quibus illa Insula adjacet, genuini miraculi loco habuisse et soli Deo ac S. Senano acceptum ita retulisse ut exinde S. Senanum plus solito in patronum co-

494
v

(108) Ad hujus belli initium Ranaldus Mac-Donaldus, Antrimiae in Ultonia Comes, more majorum ter Catholicus, cum sua consorte thori, Bakingamiae Ducissa, illius Bakingamii, qui ab Anglo in Calvinistarum Gallicorum Ludovici 13, Regis Christianissimi, jugum excutere gestientium subsidium cum magnis viribus missus fuerat, olim uxore pariter Catholica Dubliniae degebat. Suae autem viciniae in Ultonia indigenae sibi a Scotis Ultoniam incolentibus ruinam metuentes circiter quadringenti pedites in unum cuneum coaluerunt, deindeque prima quadagesimae die veneris anno 1642 perperam armati cum hostibus haereticis, 1340 peditibus et 160 equitibus, quibus omnia ad bellandum suppeterent, dimicarunt, prospero adeo successu ut suorum duobus tantum desideratis victoriam reportarint, 495 hostium, quos per quinque | circiter millia passuum palantes persecuti sunt, ducentis circiter fuga dilapsis, quo Colrainiam Ultoniae oppidum a suis possessum se receperunt. Quod victores aliis plus minus quingentis aucti et hostium armis, vestibus, aliisque manubiis ea die a tergo relictis animati mox obsidione cinxerunt. Qua ad tres menses ita protracta ut obsessi ad magnam annonae caritatem redigerentur, Antrimius a suis domum accitus et Dublinia appulsus praeter suorum expectationem obsessis opem tulit et oppidum obsidione liberavit, sperans futurum ut hostes sibi ipsi Colrainiam Regi servandam permitterent velut illo experimento certi eum non Catholicis sed Regi et ipsis tanquam Regis in Catholicos militaturum. Verum sua Antrimium spes fefellit. Nam illi jam

angustiis exempti oppidum Regi a se ipsis custodiendum responderunt, licet non Regi nisi solo nomine sed suae Scotiae cum Parlamento Anglicano belli societate conjunctae | in Regem obsequerentur, et rebellionem nudum sui in Majestatem obsequii pallium praetenderent, ut haereticorum seditio in Anglia, Scotia, atque Ibernia latissime gliscens sub hac larva magis magisque serperet.

495
v

(109) Vidimus mense Martio eodem anno 1642 exercitum Ultoniensem Vadiponto obsidionem deseruisse, deindeque eodem mense Dundalkam Vadiponti praesidiariis atque aliis cohortibus auxiliariis eodem progressis in potestatem permisisse. Ad eosdem etiam primos belli nascentis menses Ultonienses varia inferioris momenti praesidia haereticis in ea Provincia propagatis per obsidiones eripere conati successu caruerunt, quod pene inermes in armatos et aliis rebus ad bellandum instructos insurrexerint. Scotis quoque atque Anglis in Ultonia habitantibus suppetias venit hoc vere anni 1642 ex vicina Scotia Calvinistarum | Scoticorum supplementum, aliquot armatorum millia, quae aliis suis in Ultonia fratribus addita justum conflarunt exercitum ulteriorum virium ex eadem Scotia et Anglia transfundendarum spe magis animatum, quem Conwayus vel (ut alii tradunt) Robertus Monrous ducens, Neuriam, Ultoniae oppidum a belli initio a Catholicis interceptum, octavo ad septentrionem a Dundalka lapide obsidet, et Catholici rebus pene omnibus ad se defendendos necessariis destituti ea lege dedunt ut vitam sartam tectamque habeant. Nec forsitan hanc conditionem obtinuissent, nisi Scoti metuerent ne obsessi secus in Eduardum Trevorsum, census Equestris haereticum, Regi ante in Ibernia a Consiliis ibi ab ipsis incarcerationum animadversuri essent, vel certe machinarum bellicarum explosionibus, non minus ipse quam Iberni praesidiarii, in castro periturus esset. Nec silentio praetereundum | insigne miraculum, quod hic Catholico ab haereticis capto successisse ipse Nicolaus Bernardus, ministellus haereticus, in sua obsidionis Vadipontanae aliarumque aliquot appendicum Relatione Anglicana tradit, licet ille spiritu plane haeretico occupatus id incantamentis accenseat: "Certum (inquit) est capta Neuria decretum fuisse ut quidam rebellium (sic ille Catholicos nuncupat) sclopi jaculo ad pontem trajiceretur, sed glandam plombeam in eum non penetrasse, nec aliud ipsi malum quam parvam ubicem ab ictu impressam intulisse, tametsi sclopetarius non nisi duas ulnas dissitus in medium ejus plane nudi tergum balistam exoneravit. Cujus rei plures hominum centuriae erant testes

496

496
vpag.
84.

- oculati, quorum unus fide dignus mihi retulit. Fuique certior factus de multis id genus aliis, qui sibi diabolicis ejusmodi incantamentis *providerant*." Haec impius Calvinista: qui etiam
- 497 ibidem tradit alios Catholicorum alibi | in Ibernia repertos, quorum nudata pectora gladii cuspidē ab haereticis nec confodi nec vel ad minimam sanguinis guttulam emittendam cogi potuerint, seque in habenda ejusmodi fabulis fide semper lentum, demum non potuisse quin crederet copiarum haereticarum ducibus, qui rem experientia compertam ipsi toties asseverarint. Subdit autem blasphemus, suoque libello inserit quasdam chartas
- pag. apud Catholicos repertas, unam vulneris lateris Salvatoris men-
85. sura impressam, alteram Beatissimae Virginis pedis dimensione notatam cum aliquot lineis, quae ambabus insertae lectorem vel latorem adducerent ad eas devote deosculandas vel aliquot preces apud Deum pie fundendas, nec non ad sperandum fore ut Christus Dominus ac Deipara his peractis patrocinaretur. Tertiam quoque chartam indulgentias a Summis Pontificibus concessas continentem proinit. Quibus atque aliis id genus pietatis vere Catholicae exercitationibus tanquam diabolicis |
- pag. incantationibus ascribit quod milites Catholici jam dicto vel
87. simili modo in variis occasionibus praeservati fuerint, in his blasphemiis imitatus occaecatos a diabolo omnium saeculorum Paganos, Iudaeos, et haereticos, quibus perenni in more positum ut genuina miracula magicis artibus vel diaboli potestati imputent juxta illud Judaeorum de Christo: *In principe daemoniorum ejicit daemonia*. Nos vero pie credimus milites nostrates causae justitiae ac pietate, nec non firma in Deum fide assecutos ut Deus praeter, supra, et contra naturae cursum eos ad haereticorum rabie illaesos servavit, cujus specialis et plusquam paternae ejus providentiae specimen hoc circiter tempore Joannes O'Culenanus, Episcopus Rapotensis in eadem Ultoniae provincia, ab haereticis captus et miserabiliter exagitatus sensit simili miraculo tutus sicut inferius ad annum 1647 legas. |
- 498 (110) Neuria Scotis dedita, vires Catholicae Ardmacham, sexdecim circiter millibus passuum Neuria distantem, totamque viciniam late patentem, ipsaque granaria atque horrea, ne hostibus in praedam et belli inferendi adminiculum paterent, igni incenderant et Dunganonam in comitatu Tironensi sitam se receperunt. Quibus molestum erat id agere ut venerandae antiquitatis atque avitae pietatis monumentum, Ecclesia Cathedralis Ardmachana, in qua jam purgata per aliquot menses sacro ritu Catholico celebraverant, deflagraret. Verum ubi Anglos in

superioribus bellis Catholicis adversus Reginam Elizabetham gestis Ecclesiam illam in gravissimum causae Catholicae damnum haeretico praesidio muniisse perpendissent, eam ipso Felice O'Nello praesente flammis absumpsere, haud dubitantes quin secus ab hostibus in speluncam latronum, et |munitionem
 haeticam indueretur. Porro Ultonienses operam dederunt
 ut Scoti antiqua cognatione (Scoti enim ex Iberniam in Britanniam
 olim transmigraverant) conjuncti secum in Anglos belli societatem
 coirent. Verum Scoti, ne vastis Ultoniensium patrimoniis sub
 Rege Jacobo confiscatis sibi ab eo concessis Catholicorum
 imperio excuterentur, ne causam Catholicam in sui Calvinismi
 perniciem secundarent, ne faedus a Scotia cum Angliae parla-
 mento contra Regem et Catholicos percussum temerarent, et
 denique ne finium suorum in Ultonia dilatandorum spem
 abjicerent, Ultoniensibus coalescere detrectarunt.

498
v

(111) Bello itaque utrinque protracto, hostes demum in
 Ultonia Felicis O'Nelli exercitum ad Lisnagarviam profligarunt.
 Quo infortunio atque aliis infaustis belli successibus exanimata
 prope nobilitas Ultoniensis in Tinaniae ecclesia, quae in diaecesi
 Ardmachana est, deliberarunt quid agendum? Ubi quid succes-
 serit ex quadam D. Nicolai | O'Birni tunc praesentis, deindeque
 per plures annos copiarum Ultoniensium vicarii generalis, Anglica
 rerum Ibernicarum Relatione MS., quam Romae postea
 anno 1654 scripsit, subdam.

499

(112) "Felicis (inquit Anglice) O'Neill, Equitis, copiis ad
 Lisnagarviam profligatis tantillo pulvere nitrato, qui ipsis fuerat
 penitus absumpto, omnibus promptorum auxiliorum defectu ex-
 animatis et nulla (ut putabant) subsidiorum spe superstiti,
 universa Ultoniae nobilitas in Tinaniae Ecclesia, quae in comitatu
 Ardmachano sita est, coivit deliberavitque quid agendum? Post
 multas disceptationes ad desperationem redacti concluderunt
 Regno exulandum, ut unusquisque, quo posset modo, sibi pro-
 videret. Illis comitiis Connus O'Nellus, Tribunus, praefecti
 generalis, Eugenii O'Nelli, nepos intererat. Qui paulo ante ex
 Flandria in Iberniam advectus, in illam | aliorum sententiam
 non ivit quosdam ex eo consensu suspectos habens, quibus valde
 displiceret quod Eugenius O'Nellus patriae subventurus accederet
 ne sibi ipsis posthabendis proficeretur. Quae invidia in magnum
 suum atque amicorum praejudicium eorum corda usque ad
 mortem occupavit. Idem chiliarchus Connus O'Nellus me ipsum
 tanquam fidum amicum et servum seorsim accitum con-
 sultuit circa illam regno exulandi sententiam diffinitivam

499
v

sibi valde displicentem, haud utique ignoranti suum patrum, praefectum generalem, Eugenium O'Nellum, mox atque rerum status ei significaretur, Iberniae subventurum, seque modo ipsi in viaticum vel decem librae *sterlingae* suppeditarentur, in Flandriam trajicere paratum, quo dictum praefectum generalem invitaret." Haec ille, qui ibidem tradit se Conni votum velut
 500 motu proprio comitiis proposuisse, et mox Mac-Cartanum, suae nobilis | familiae coryphaeum tantundem in Conni impensas obtulisse, sed aliorum neminem ejus votum secundasse, imo nonnullos Mac-Cartano obstrepuisse et palam respondisse ne denarium quidem a se contribuendum. Eo responso dato omnes ecclesia exiisse, seque ad Connum regressum ei legationis exitum retulisse, qui respondit se non meliorem de eorum deliberatione concepissee opinionem. Dum autem ambo sub domo sedentes, atque ab aliis in conspectu sparsim ac spatiatim colloquentibus sejuncti nationis praesertim Ultoniensium aerumnas plangerent, apparuit nuncius pedestris citato cursu accedens, qui demum appulsus Conno litteras a patruo jam dicto, Eugenio O'Nello, directas tradidit. Quibus eum Eugenius se in Castellum Doense in Ultoniae Comitatu Dungallensi positum ex Flandria
 500 cum armis, pulvere | nitrato, magno denique apparatu bellico v et veteranorum Ibernorum in bello praesertim Belgico exercitorum manu appulisse, aliaque subsidia Wexfordiam, frequentissimum Lageniae oppidum maritimum, a Catholicis stans direxisse monebatur, per easdem rogatus ut majores a provincia vires ad Eugenium subito destinandas curaret, quo subsidiae invitae hostibus in Ultonia numerosis ad tuta Catholicorum loca transportarentur. Hac epistola a Conno lecta et comitiis Ultoniensibus denuo in unum convocatis communicata, adeo omnes jubilarunt ut in laetitiae signum galeros in aerem jaculati sint, iique quibus paulo ante haud cordi fuerat ut Eugenius appelleret, tunc laetitiae signa saltem externa ediderunt. Itaque coactis quae superessent copiis citra moram ad Eugenium, quem hoc anno 1642 mense Julio in portum Keallabegensem appulisse alibi reperio, perrexerunt, eumque et alios nostrates una advectos
 501 nec rem subsidiariam, in interiora ac tuta | Ultoniae loca praesertim Carolomontem, praesidium optimum, quod Felix O'Nellus ad belli initium interceperat, conduxerunt. Porro cum Eugenius O'Nellus in bello deinde Ibernico nominatissimus fuerit ad hoc adumbrandum duxi.

(113) Hugoni O'Nelli, Tironiae Comiti, qui Reginam Elizabetham ultimis vitae ejus annis difficillimo in Ibernia bello

vexaverat, quique demum sub Rege Jacobo ita patria exulaverat, ut Romae 20 Julii anno 66° expirarit, filius, Joannes O'Nellus, non in haereditatem fisco utique addictam et haereticis antea transcriptam, sed in recuperandae jus ac spem, nec non in Tironiae Comititis titulum successit. Qui multis annis instructissimae legionis Ibernicae chiliarchus Regi Catholico in Belgio et Hispania praeclare militavit. Nec solum disciplina militari sed etiam judicii | maturitate, gravitate, modestia, prudentia atque aliis magnis multisque virtutibus regiam majorum pro-
sapiam spirantibus claruit. Quare tradunt Cardinalem Richellium status Gallici sub Ludovico 13° Ministrum, per clandestinos internuncios paulo ante ortum in Ibernica bellum operam dedisse ut hunc Principem magnis propositis praemiis in Galli partes ab Hispanicis abstraheret, eoque velut instrumento valentissimo ad res apud Iberniam in Carolum 1^m Angliae Regem novandas uteretur, oblatis maximis belli subsidiis quod Carolo velut Hispani adversus Gallum studioso Rex Christianissimus, adeoque Richellius, ita succenserent, ut ei domi negotium facessere cuperent, quo nec sibi ipsis nocere, nec Regi Catholico in Galliae praejudicium adesse valeret. Ferunt autem Tironium quibusdam conditionibus in Hispani damnum a Richelio | interpositis
acquiescere noluisse, eamque eas Hispano prae summa in illum fide atque obsequio mox aperuisse, ideoque factum ut ex Flandria, ne a vicino Richelio ad defectionem facilius sollicitaretur, cum sua legione in Hispaniam transmigrare jussus sit. Ubi Philippo quarto in Catholonia ad obsequium cogenda militans, dum hostibus ad muros usque repressis praesidium hostile observare atque adoriri vellet, glande plumbea ex oppido ad horam undecimam matutinam trajectus, confessione sacramentali peccatis deinde expiatis, aliisque Ecclesiae sacramentis pie munitus, ad oppidum *San Flue* hora circiter decima noctis diei 27 mensis Januarii anno Christi 1641, aetatis vero suae 42, animam Deo reddidit, corpore postea Madritum transportato, ibique apud Franciscanos honorificentissime condito. Cujus filium | naturalem (nam legitima prole caruit) Hugonem Rex Catholicus legitimavit eique paternam legionem caeteraque apud Hispaniam jura haereditaria decrevit. Verum 20 Maii anno 1642 cum Romae supplicatum esset ut eadem legitimatio Pontificis placito rata haberetur, *Sacra Congregatio hujusmodi legitimati-
onis negotium ob successiones ab intestato arduum esse con-
siderans censuit illud differendum.*

501
v

502

502
v

Una cum Tironiae Comite hujus legitimati avo paterno

- jam dicto ad ineuntem Septembrim 1607 praeter alios complures ex nobilitate Ultoniensi Rodericus O'Donnellus, Tirconalliae Comes, et suae regiae familiae apud Ultoniam fundatissimae princeps, solum vertit cum filiolo unico vix anniculo, qui patre paulo post in exilio fati functo Tirconalliae Comes et ipse lectissimae legionis Ibernicae | deinde chiliarchus domui Austriacae, praesertim in Belgio et Hispania multos annos fideliter et genere bellavit, eumque perinde ac Tironium Cardinalis Richellii sollicitationibus circa concitandos in Ibernia motus aurem haud aegre praebuisse ferunt. Verum ambo Regis Catholici jussu ex Belgio in Hispaniam, quo ibi potius bellarent, translati sunt, terra ibidem potiti 12 Aprilis 1638. Ubi etiam Tirconallius ad hujus belli Ibernici initium inter pugnam navalem cum Gallis commissam, flamma aliquot classis Hispanicae navibus a Gallis injecta, incendio luctuosum in modum periit, aulicus politissimus in disciplina militari versatissimus, animi plenissimus, sed minus prudens quam Tironius homo consultissimus. Horum duorum principum mors Ultoniensibus haud mediocriter praejudicavit, iisque sublati adeo | in utraque familia de certis haeredibus non constabat vel certe contribulium alii quibus succedendi jus non competeret ita consilio, disciplina militari, animi magnitudine, proindeque majori apud agnatos, clientelas atque amicos auctoritate praevalebant ut hae quoque aemulationes Ultoniae Catholicis plurimum effecerint, eoque ventum sit ut e Tirconallii agnatis haeredem et familiae principem egerit plane nemo licet in hoc bello Tirconalliensis nobilem exercitus Ultoniensis partem conflaverint, et equestres ac pedestres se praeclare gesserint.
- (114) Ad O'Nellorum seu Tironiae Comitum familiam quod attinet. Ille puerulus, Tironii filius naturalis, a patre morti vicino et convalescentiam desperante, haeres (inquiunt) institutus et propterea a Philippo 4^o Rege Catholico legitimatus, praeter puerilem tunc aetatem et nativitatis maculam | ab Hispano non in Ibernia, in qua non dominaretur, deletam, ea erat indole ad nihil arduum nata ut perinde ac si patrimonii in Ibernia assequendi spem, adeoque repetendi voluntatem abjecisset, inter totum hoc bellum in Hispania nec domi nec militiae clarus squaluerit, citra dubium ab aliis contribulibus, juris haereditarii competitoribus, in Ibernia excludendus si eo se recepisset. Ex O'Nellis enim et in ipsa Ibernia permanentibus et orto bello domum regressis haud defuere qui familiae principatum affectare, et sibi invicem praeripere velle atque invidere censebantur, quorum alii succedendi jure alii meritis praestarent. Nam

Connus O'Nellus cognomento *claudus*, quem jam natu Principem ac suae regiae familiae coryphaeum Henricus octavus Tironiae Comitem creaverat, duos habuit filios, unum legitimum, | Joannem cognomento *superbum*, naturalem alterum, Ibernis Feardorchum, Anglis Matthaeum, quorum Feardorchum tanti fecerat ut ei Baronis Dunganoniae dignitatem et sibi succedendi jus Henrici octavi diplomate decernendum curaverit. Joannes autem Feardorcho sublato, ejusque filio Hugone haereditate excluso Comitisque titulo, tanquam qui Anglicanismum ipsi detestabilem redoleret, spreto, *O'Nellavit*, haeredem scilicet ac familiae principem egit, quo deinde ab Ibero-Scotis perempto Regina Elizabetha, in quam Joannes bellaverat exclusis ejus filiis, Hugonem Feardorchi filium, familiae haeredem et Tironiae Comitem declaravit, a quo tamen bello deinde divexata fuit, illeque demum Romae exul (sicut praelibavi) decessit, filioque Joanne Tironiae Comite in Catalonia | ad annum 1641 ineuntem defuncto, tota ejus posteritas masculina in Joannis filium illum naturalem ab Hispano legitimum desiit.

504
v

505

(115) Itaque vel ad Joannis cognomento superbi, vel ad alios Feardorchi, vel certe ad aliorum ramorum posteros divolvenda erat haereditas. Quod autem ad Joannem spectat, ejus haeredes masculi et legitimi (sicut audivi) ipso prognati supererant, sed quibus autoritas et praesentia praejudicaret aliorum contribulium et forsán competitorum, nempe Eugenii O'Nelli Feardorcho prognati, quem ex Belgio advenisse vidimus, et Felicis O'Nelli, Equitis aurati, altero Eugenio O'Nello, qui Conno Claudio jam dicto avus paternus fuerat, prognati, a quo praesertim hoc bellum in Ultonia caeptum fuisse diximus. Porro Feardorchi posterio judicio, sagacitate, disciplina militari in exteris domus Austriacae castris per multos annos comparata, rerum | praeclare gestarum gloria, atque experientia praecelebant, sed quibus praejudicaret quod quotquot tunc per lineam masculinam eo prognati superessent, ab eo per Artum filium naturalem (excepto illo ultimi Tironiae Comitís filio illegitimo in Hispania legitímato) descendissent. Caeterum Eugenius O'Nellus omnium Feardorcho prognatorum tunc viventium celeberrimus Arto, patre, natus aliis ejusdem Arti filiis, quorum liberi tunc vivebant, natu minor fuit. Quod ei praeter illa impedimenta ab Arto, patre, et Feardorcho, avo, per illicitam copulam natis petita omnium Arto et Feardorcho natorum ac prognatorum secum communia specialiter praejudicabat, cum tamen judicio esset perspicacissimo, ingenio ad res praeclare gerendas et ad ardua quaeque molienda

505
v

nato, indole pauciloqua, cauta, moderata, sobria, temperata, simulandi dissimulandique artificio egregie praedita, quam ille diuturna | rerum exterarum experientia perinde in aulis atque
 506 in castris comparata et bellandi peritia aliisque animi ornamentis heroe dignis expoliaverat per multos annos in Regis Catholici exercitu ac praesidiis ab inferioribus ad altiora Martis officia gradatim assumptus, ac demum in legionis Ibernicae Tribunum et Castramentorem, nec non civitatis Attrebatensis in Belgio Gubernatorem dum illa a Gallo obsideretur, indutus tanta sui nominis gloria ut licet virium Gallicarum more ac multitudine coactus Attrebatum anno 1640 demum dederit, ob res tamen inter obsidionem illam regiam magna cum laude gestas, eum fama toto orbe christiano extulerit vel ab ipsis hostibus magnopere celebrata. Quae cum recens ante ortum in Ibernica bellum sparsa fuerit, haud defuisse video inter ipsos ejus contribules (quorum
 506 Felicem O'Nellum haud ultimum fuisse | reperio) qui domi se tenentes parum cupierint ut in Iberniam remigraret, ne potiore meritorum splendore sibi ipsis in patria Insula primas praeriperet.

V

Doctor
Enos
Just.
cap.
32.

Num, 8.

idem,
ibid.

507

(116) Urbanus VIII., cum Eugenium ex Belgio in Iberniam remigrasse audiisset, Breve Apostolicum 18 Octobris 1642 Romae datum ad eum misit, quo Pontifex constantem ejus adversus haereticos verae fidei tuendae animum non parum laudat, divinam clementiam indesinenter orans ut adversariorum conatus ad nihilum redigat. Spirat Altissimum suae causae praesto futurum. Eidem Eugenio, caeterisque rem Catholicam in Ibernica curaturis, suam impertitur benedictionem, universisque et singulis, si vere paenitentes confessi fuerint et sacra communione si fieri possit devote refecti, plenariam suorum peccatorum veniam ac remissionem atque in articulo mortis plenariam elargitur indulgentiam. In altero etiam Brevi 15 Augusti Romae dato ejus in Ibernica appulsui | congratulatus: "Perge (inquit) dilecte fili eximiam pietatem tuam novis indies documentis testatam facere, simulque tibi persuadeas Altissimum potentem in praelio suae causae minime defuturum. Nos sane illum oramus ut Catholicorum armis divino suo brachio praesto sit ac pios eorum conatus optata faelicitate consoletur. Sibi vero patrocinium nostrum pollicentes Apostolicam benedictionem ex animo impertimur." Haec Pontifex. Quod secundum Breve ad annum 1643 pertinere crediderim.

(117) Eugenio ad mensem Julium anno 1642 in Ultoniam ex Flandria transvecto et re subsidiaria qua secum attulerat in tuto posita, mox Ultoniae procures ac nobilitas semel Kinardiae

et iterum Clunessiae comitia sua provincialia celebrarunt. In quibus, cum de aliquo in virium Ultoniensium imperatorem cooptando ageretur, omnes in Eugenium consenserunt unanimi adeo voto ut Felix O'Nellus, cujus animum Eugenius ab impulsu obsequiis et submissionibus | sibi conciliaverat, illam electionem omnium primus promovendam presserit, ipseque Eugenius vehementer dissuaserit, cum ambo parum dubitarent, quin provinciales boni publici studio eam vel duobus praefecturae competitoribus invitis ratam fixamque haberent, quod Felix nec iudicio naturali, nec experientia, nec disciplina militari Eugenio comparandus, bellum eatenus in Ultonia et Lageniae parte omine adeo infausto tractaverit ut infelici rerum successu Ultonienses se sub ejus imperio ad statum pene depositum redactos planxerint. Itaque rejectis ab Ultoniensium caetu et ab ipso Felice Eugenio dissuasionibus jam dictis Felix se praefectura abdicavit. Quam Eugenius sibi decretam ita deinde obiit ut Ultoniam ex parte longe maxima vel dirutam vel ab hoste Scotico atque Anglico possessam, adeoque aliis regni provinciis tunc multo debiliorem sua prudentia et moderatione reddiderit hoc bello nominatissimam, dicique | possit sicut maximam Samsonis fortitudinem in crinibus, ita Ultoniensium vires secundum Deum exinde fuisse in Eugenio, quo superstite (sicut videbimus) steterunt, et quo mortuo defecerunt. Caeterum Eugenio reliquis vitae diebus negotium facessivit illa aliorum agnatorum aemulatio et suus legitimi tituli defectus, quo factum ut nec ipse splendidissimae familiae principem et Tironiae Comitem egerit, nec alii competitorum ejus autoritate detenti jus illud repetierint, et haeredem in Iberniam gesserit omnium nemo.

(118) Nicolao O'Birno, quem superius citavi, authore, Eugenius recens terra in Iberniam potitus ad suum nepotem, Connum O'Nellum, scripsit, se non solum Ultoniae suppetias venisse, sed etiam eodem tempore Wexfordiam, maritimum et Catholicum Lageniae oppidum, subsidia pariter ex Belgio apportata misisse. Alibi autem lego eodem mense Julio | 1642, quo Eugenium in Iberniam trajecisse dixi, Thomam Prestonum cum subsidiis et Ibernorum militum in bellis exercitatorum manu ex Continente in suam Iberniam remigrasse, atque oris Wexfordiensibus applicuisse. Haec autem subsidia fuerint eadem, quae Eugenius se Wexfordiam misisse scripsit, an alia mihi non liquet. Quod ad ipsum Thomam Prestonum in hoc bello Ibernico annis inferioribus pariter nominatissimum attinet, is Vicecomitis Gormanopolitani, suae nobilissimae et antiquae Prestonorum familiae

507
v508
Jud. 16.508
v

Principis, frater in Belgio annis antegressis sub Rege Catholico Legionem Ibernicam Tribunus duxerat, suis partibus generose ac fideliter functus, praesertim in Lovanio ab hostibus obsidentibus gloriose defendendo, et deinde anno 1641 in sustinenda adversus Principem Aurasicanum ejusque exercitum haereticum obsidione Gineppensi, cum ipse illius propugnaculi in Flandria atque annexae | civitatis esset sub Rege Catholico Gubernator. Praesidium Prestonus in maximam Batavorum stragem et dispendium diu strenueque defensaverat. Sed ab hostium multitudine et praepotentibus viribus coactus atque auxiliis diu expectatis frustratus, ad exeuntem mensem quintilem an. 1641 deditionem fecit *cum summa gloria ipsorum hostium applausibus celebrata*, sicut tradit Abbas Sirius in suo Mercurio Italice edito.

lib. 2.
pag. 434

(119) Dum Prestonus in castris Belgicis sub Rege Catholico se volutaret, uxorem Flandricam pernobilem duxit, ex qua liberos animi magnitudine patrizantes suscepit. Verum orto in sua Ibernica bello a suae Coloniae Anglicanae in Lagenia sitae nobilitate domum accitus, omnem in Belgio fortunam et majoris ibi comparandae spem sprexit, ut periclitanti patriae ac praesertim illis suis patriotis eum in suae militiae ducem eligentibus subveniret. Reque ipsa in haereticis Anglicis | et Scoticis apud Iberniam ad primos belli annos profligandis magnam sui nominis gloriam propagavit, licet postea (sicut videbimus) ab eo zelo et constantia turpiter defecerit.

509
v

(120) Eadem aestate anno 1642 Catholici in Momonia propugnaculum, ex quo haeretici praesidarii in celeberrimam illius Provinciae civitatem Limericensem prope dominarentur, obsidione incinxerunt ac demum expugnarunt soloque aequarunt. Quo factum ut urbs illa pene tota Catholica liberum exinde et publicum fidei exercitium securius introduxerit. Nec ita diu post inter Momonienses et haereticos Anglicanos ab Insequinniae Barone ductos in eadem Momoniae provincia ad Liscarulliam commisso praelio, subitariae, atque armis minus instructae et disciplinae militaris rudes Catholicorum vires in fugam se receperunt paucis ex utraque parte desideratis, quorum fere praecipui fuere duo, inter Catholicos quidem Oliverus Stephensonus, vir nobilis et magnanimus, sed inter haereticos Comititis Corcagiensis filius tertio-genitus. |

510

(121) In Angliam redeo : rerum enim ibi gestarum notitia saltem compendiosa ad Ibernicas memoriae prodendas est necessaria. Itaque continuato inter Scotiae Calvinistas et Parlamentum Anglicanum seditiosissimo faedere Parlamentum Regi

insultabat violentissimis legationibus et libellis supplicibus imperiose praemens ut ipsorum votis in manifestam ac plenam ejus ruinam tendentibus subscriberet. Illeque omnem bello civili fomitem subducturus tot eorum petitionibus sibi et posteritati suae exitiabilibus acquievit. Cum autem Parlamenti insolentiam nullis dignationibus mitigandam, sed velut oleo in ignem injecto magis magisque inflammari et in inflammandam animadvertisset, et crebras civium Londinensium, quibus familiare tunc dierum esset ut per tot millenos in unum corpus coalitos ei in Parlamenti favorem supplicando nullum malum non | intentarent, insurrectiones metueret, Londino Haptincurtum secessit. Ubi dum moraretur plurima in suarum praerogativarum perniciem Parlamento concessit belli internecini incendium in ipso ortu praefocaturus sed incassum Parlamento eo plura semper et majora in Monarchiae excidium postulante, et Regem per acta typis mandata nedum per rumores ore sparsos apud populum criminante, quasi in id animum intenderet ut Parlamentum et populum ad servilem conditionem redigeret.

510
v

(122) Reginae interea et ejus confessarii in Turrim Londinensem conjecti, nec non Capucinatorum Gallicorum, qui Reginae erant a Capella, aliorumque ex ejus famulatu libertate et praerogativis Parlamenti furore multum prophanatis, illa cum Rege mense Februario 1642 Cantuariam progressa est, exindeque ambobus paulo post Dorobernium profectis, illa Mariam, filiam primogenitam, | principi Arausicano nuper nuptam conductura eodem mense Februario 1642 in Hollandiam navigavit, deindeque Rex Carolo filio primogenito, Walliae Principe, et Jacobo, Duce Eboracensi, secundogenito, secum adductis in suam Regiam Theobaldaeam divertit. Ubi Kalendis Martiis petitio ei jam maturrimam rebellionem spirans a Parlamento oblata est. Per quam superbissima humilitate eum rogarunt ut militiam ipsis concederet propeque Londinum moraretur et Principem filium non abduceret, quibus postulatis ille merito spretis ad suum Palatium Newmarketense perrexit. Ibi autem Pembrochia et Hollandiae Comites cum aliis a Parlamento ad eum allegatis ipsi obtulerunt utriusque domus Parlamentariae declarationem, qua enumerabantur aliquot gravamina, quibus illi populum Anglicanum sub ejus | imperio afflictum fuisse affirmabant, eique objiciebant bellum Scotis injuste (ut asseverabant) illatum ejusque consiliarios probabiliter Iberos ad arma instigasse, aliasque excogitatas criminationes eo occultis technis spectantes ut nedum Scoti sed etiam Angli secum in eum insurgerent. Ad quas

511

511
v

calumnias Rex justa indignatione pro praesenti respondit, easque postea altera declaratione, excusa ita diluit ut omnium malorum originem in Parlamenti insolentiam et rebellionem refuderit. Nec propterea Parlamentum resipuit sed 15 et 16 Martii 1642 edicta condidit eo tendentia ut circa malitiam atque alia nullum Regi nisi juxta Parlamenti placita obsequium exhiberetur, sed exercitus ac populus Parlamento obtemperaret. Eodemque tempore Parlamentum sub defensionis larva, de facto autem ut regni auctoritatem sibi arrogaret, rationem defendendi ineundam decrevit, aliaque edixit, quibus | universam Angliam et Scotiam, nec non utriusque regni haereticos per Iberniam sparsos, fortiori truculentissimae rebellionis vinculo colligaret, atque in Catholicos, praesertim Iberos, et Regem velut eorum fautorem concitaret. Rex autem 8^o Aprilis 1642 Eboraco, quo se receperat, nuntios ad Parlamentum misit significans sibi decretum in Iberniam trajicere, quo ante omnia bellum Ibernicum sopiret, addiditque se militum, qui suam personam in Iberniam stiparent, satellitium, duo peditum millia et ducentos equites delecturum, et armis instructurum ex suo Hullae armamentario. Quibus ejus votis tantum abest ut illi acquieverint, ut etiam illud armamentarium in suam ipsorum depressionem ab eo occupandum forsitan suspicantes, et id in ipsum potius occupaturi, Joanni Hothamo, census Equestris, suae conjurationi addictissimo, | Hullae praefecturam decreverint. Qui tempori appulsus Novi-Castelli Comitem a Rege in praefectum tardius destinatum ingressu exclusit. Eodemque tempore Parlamentum Regem videns ei supplicavit ut arma illa in Turrim Londinensem a se ipsis occupatam transportari sineret. Ipsis siquidem (ut semel dicam) familiare erat ut una manu Regi supplicarent et altera imo utraque vim inferrent.

(123) Rex se aperto Marte a Parlamento petendum tunc plus solito certus vehementer excanduit, et 23^o Aprilis ad Hullae maenia accedens introitum postulavit. Sed occlusis portis eum Hothamus aditu audacissime interclusit. Quem Rex edicto rebellem declaravit et litteras de tanto suae Majestatis contemptu expostulatorias ad Parlamentum direxit. Sed illi Hothami facinus probant, eumque contra Angliae | leges ac subditorum immunitatem a Rege proscriptum fuisse sustinent, ipsique ad Hullam defendendam milites cogendi faciunt potestatem, Rege frustra prohibente, ne nisi sua auctoritate milites armarentur. Quin etiam Parlamentum ad classem regiam occupandam et ad regni militiam per comitatus disponendam se accinxit, et Rex sibi a Parlamento haud injuria metuens aliquot cohortes

in suum satellitium scribendas curavit. Interea utraque partium cum altera edictis et declarationibus digladiante, plurimi proceres aliique inferioris ordinis ex utraque domo Parlamentaria sui in Regem obsequii memores exeunte Aprili et toto mense Maio Westmonasterio Eboracum profecti, ei ibi in furibundum illum rebellium caetum adhaeserunt. Quos atque omnes qui partes regias sequerentur, vel secuturi essent, Parlamentum gravissimis paenis et mulctis plectendos statuit. | Illi enim qui Westmonasterii praestiterunt, se Parlamentum nuncupantes auctoritatem sibi plus quam Parlamentariam arrogabant. Quorum utraque domus Comitem Warvicensem in Angliae Thalassiararcham cooptavit tanta alacritate suis mox partibus functum ut eo duce tota classis regia ad Parlamentum defecerit, qui etiam Comes magnam navem, qua arma et pulvis tormentarius ad Regem ex Hollandia advehebatur, cepit.

513
v

(124) His gradibus eo ventum ut decimo Junii 1642 Parlamentum decreverit ut sub defensionis publicae praetextu arma a suis sumerentur et populus belli nervum suppeditaret. Praeter quae vectigalia publica animo prompto a vulgo per solitam libertatis comparandae escam illecto pensa, plurimi pecunias et vasa argentea conflanda atque in militum stipendium cudenda mutuo dabant, Parlamento | creditoribus promittente repensionem. Unaque immensas summas ante in bellum Ibernicum ad Catholicos ibi domandos ab haereticis Anglicis numeratas et ingentem aeris vim, qua Anglos ac Batavos Catholicorum in Iberniam bellantium possessiones fisco addicendas magna ex parte mercatos fuisse vidimus, Parlamentum in illud bellum cum Rege gerendum convertit, cum copiis ante conscriptis, specie quidem ut in Iberniam ad Catholicos subigendos transmitterentur, re autem ipsa ut essent in promptu vires, quibus Regis conatus dissiparentur. Quo funesto rerum eventu didicit Rex quanto suo damno decretis parlamentariis subscripserit latis de bello in Iberos proseguendo et de eorum patrimoniis venditioni publicae exponendis.

514

(125) Eodem etiam tempore Rex ex Hollandia oppigneratis ibi a Regina suis cimeliis, pecunias et arma accepit. Quibus nec non subsidiis a populi parte sibi morem | gerente exactis et procerum ac nobilium toreumatibus conflatis atque in rem numariam indutis instructus majores vires conscribi jussit. Itaque tribus peditum millibus et equitibus mille contractis Hullam obsedit. Verum Hothami a Parlamento Gubernatoris instituti et Joannis Meldrani, Equitis aurati, nec non oppidan-

514
v

orum et praesidiariorum a Parlamento missorum emptionibus factum ut Rex obsidionem solvendam duxerit, aliis suorum desideratis et aliis captis, nec non novo ejus armamentario a rebellibus occupato.

(126) Hac magis sanguinolenti exinde secuti belli prolusione praecedente, Parlamentum 12 Julii 1642 de cogendo exercitu audacius deliberavit eique Essexiae Comitem, nostri Clanricardii fratrem uterinum, in imperatorem praefecit authoritati etiam inferiores belli duces in regni comitatus destinati sunt, qui vires legerent. Parique modo Rex processit, adeo ut totum Angliae regnum | partium studiis dilaniaretur et in iisdem locis Regis et Parlamenti diplomata militaria promulgarentur, eorumque duces militares de primatu ibi assequendo inter se contenderent, cum plerumque cives, oppidani, et rura incolentes studia pariter in contraria scinderentur. Quorum contentiones non diremit nisi vis major, aliis demum a Regis aliis et alibi in Parlamenti favorem praevalentibus. Nec interea tela cartacea silebant. Quibus Rex omnes a Parlamento stantes, praesertim Essexium proscripsit, Parlamento pariter actis publicis Regem et regios denigrante atque infinita ipsis populi mala et gravamina imputante, et praeter alia illos in crimen vocante, quod vestes, commeatus, arma, et quaecunque a Parlamento haereticis in Iberniam adversus Catholicos militantibus missa essent intervertissent, licet ipsi aeruscatores Parlamentarii longe plura et majora subsidia ad debellandos Iberniam Catholicos tot malis artibus | corrasa in sua rebellionem adversus Regem prosequenda collocarint.

(127) Mense Augusto 1642 Rex ad Nottinghamiam vexillum regium erexit. Ad quod tamen haud tantus hominum concursus factus est, deinde eodem mense nonnullae legationes ultro citroque incassum obitae sunt, ut partes ad concordiam redirent. Mense Septembri ineunte Regis ex sorore unica nepotes bini, Rupertus vel (ut alii scribunt) Robertus, et Mauritius, Principes Palatini, in Angliam ex Continente appulerunt ut Regi avunculo in rebelles militarent. Quos ambos Rex mox militiae praefecit. Quorum Robertus, vir magnanimus, citra moram obvios quosque Parlamento studentes vexavit praedabundus, propterea a rebellibus Parlamento hostis et rebellionis reus pronunciatus.

(128) Essexius 9^o Septembris 1642 Londino digressus ad suum rebellium exercitum equitatus et peditatus circiter quatuordecim millibus constantem, qui | Northamptoniam confluxerat, perrexerit, et Rex paulo post aliquot equitum turmis stipatus Salopiam

profectus, dum paucis diebus ibi moraretur, exercitum auxit et exinde sena peditum nec non quatuor equitum millia sub vexillis habens in Essexium moverit. Commisso itaque praelio Princeps Robertus, qui in dextero regiorum cornu equitatum ducebat in sinistrum rebellium cornu ex magna Essexiani equitatus parte conflatum, tanta animi magnitudine vim fecit ut primo equitatum deindeque peditatum ruperit, ceciderit, fugarit, sed in altero cornu haud tanta prosperitate regii pugnarunt, caesis ibi captisque multis regiis, ac inter alios imperatore regio, Comite Lindseio, qui vulneribus dilaniatus post paucas horas expiravit. Verum mox praelium diremit et plenam regis victoriam invidit. Quo factum ut utraque partium se de altera triumphasse ostenderit. | Essexius deinde 7^o Novembris Westmonasterium exercitu in vicinis pagis disposito, pervenit, a Parlamento in rebellionis praemium quinque librarum sterlingarum millibus donatus. Post haec 13 Novembris ad Branifordiam levior, utrinque tamen cruenta pugna commissa est, sed nocte, sicut ante, superveniente et litem dirimente.

516
v

(129) Iberni hunc Parlamenti Anglicani, cujus plurima decreta ante condita sanguine Catholico madebant, furorem et nequissimam rebellionem mature considerantes Kilkenniam ex variis regni plagis confluerunt, in qua mediterranea Lageniae urbe Catholica quod regimen statuendum duxerint hic ex acto Anglico latine verto.

“ Norma Regiminis.

(130) “ Ordinationes factae et stabilitae a Dominis Spiritualibus et saecularibus nec non caeteris ex Generalibus Regni Iberniae Comitibus Kilkenniae inchoatis 24 Octobris An. 1642 et Caroli Regis regni decimo octavo, typis mandatae.

(131) “ In primis ut Ecclesia Catholica Romana | habeat et gaudeat suis privilegiis et immunitatibus juxta *Magnam Chartam* conditam et promulgatam in Regno Angliae, anno 9^o Henrici tertii, Regis Angliae et Domini Iberniae. Et ut communis Angliae lex omniaque in hoc Regno vigentia statuta, quae nec Religioni Catholicae Romanae nec indigenarum aliorumque hujus Regni subditorum libertati adversantur, per universon Regnum observentur omnesque in civilibus et criminalibus causis controversiae forenses secundum easdem leges diffiniantur.

517

(132) “ 2^o. Ut omnis et quaelibet persona et personae in hoc regno praestent fidem et obsequium supremo Domino Nostro Regi, Carolo, haeredibus, et legitimis successoribus, ejusque et

eorum jura ac justas praerogativas totis industriae viriumque nervis adversus omnes et quoscunque tueantur.

517 (133) " 3^o. Ut communis Angliae et Iberniae lex praefatumque
v statutum, quod *Magna Charta* nuncupatur, omnisque ejusdem
atque aliarum sanctionum idem confirmantium, exponentium
aut declarantium clausula, ramus et articulus, hic (sicut prae-
sentis belli | conditio tulerit) ad amussim observetur juxta ac
bello confecto sine ulla limitatione vel restrictione quacunque.

(134) " 4^c Quandoquidem civitas Dubliniensis, solita et prin-
cipalis in hoc Regno Juris dicundi sedes, (ubi Parlamenta et
ordinaria fora judiciaria cogeantur) aliaque quaedam loca, in
quibus praecipui consessus publici non nunquam habebantur,
adhuc a *malignantium*, qui Deo, Regi, et omnibus bonis subditis
adversantur, partibus possidentur, praesentia comitia hoc bello
pendente in quibusdam *formalitatibus* et circumstantiis a modo
per dictas leges et statuta praescripto ita deviare compelluntur,
ut ejusdem tamen normae substantiam et essentiam retineant,
quantum ipsis licet per infinitam malitiam et crudelitatem
hostium, praefatae scilicet factionis *malignantium*, qui dicta loca
et alios omnes aditus, justitiae quoque et misericordiae a sua
Majestate implorandae vias, bene affectis Regis in hoc regno
subditis praecluserunt. Itaque quo Sancta Ecclesia Romana
518 exaltetur, | et suum Regi constet obsequium ac genuinorum suae
Majestatis subditorum in hoc regno vitae, possessiones et liber-
tates asserantur ab injustitia, homicidiis, assassinis, rapinis,
depraedationibus, direptionibus, incendiis, crebris fidei publicae
et pactorum militarium violationibus et destructionibus in
praefatos suae Majestatis subditos factitatis, quotidie perpetratis,
excogitatis, inventis atque executioni mandatis a praedictis mali-
gnantium partibus, quorum nonnulli in supremum suae Majestatis
detrimentum Dubliniae et in quibusdam aliis hujus Regni locis
ad Regiminis clavum sedent et negotia publica tractant, con-
spirantes cum suis faederatis malignantium in Anglia atque
alibi factione, qui (sicut universo mundo perspicuum est) unanimi
voto extremum Regis, Reginae, liberorum et Monarchiae dedecus
atque excidium machinantur et moliuntur, ut metuendum sit
ne id exitum Monarchis omnibus et orbi Christiano funestum
518 sortiatur, | eadem Comitia Concilium *sub Supremi Concilii*
v *Confaederatorum Catholicorum Iberniae* nomine ordinant, et
erigunt conflandum ex 24 suffragatoribus per haec Comitia
confestim eligendis, quorum saltem duodecim mox deligendi in
hac urbe, vel ubicunque in hoc Regno expedire judicaverint,

residebunt, et ejusdem Concilii membra aequalia habeant suffragia, quorum duae partes ex tribus vel plures si consenserint, concludant, nec pauciores in Concilio sedeant quam novem, ex quibus minimum septem in eandem sententiam concurrant, et ex viginti quatuor nominetur a comitiis Praeses, qui dictorum duodecim *Residentium* sit unus quo forte vita functo absente vel aegrotante reliqui *Residentium* quemlibet ex viginti quatuor in vice praefectum asciscant. Porro haec Comitiae citra dilationem dicto Concilio a secretis et scribam designent, quorum a secretis praefactorum viginti quatuor albo accenseatur et ipsum deindeque Concilium | praerogativis et facultatibus hic sequentibus polleat.

519

(135) "1^o. Ut exercituum praefecti generales ducumque reliqui et civiles provinciarum magistratus ejus jussis et decretis morem gerant, nihilque ejus mandatis contrarium praestent, et promptam ei rerum a se gestarum actionumque suarum notitiam et rationem reddant festinatione quam queant maxima.

(136) "2.^o Idem Concilium potestate valeat ea statuendi et dirimendi negotia ab his comitiis in medio relinquenda atque committenda ejusque super his acta vim obtineant usque ad proxima comitia, deindeque semper donec rescissa fuerint.

(137) "3.^o. Idem Concilium diem dicere queat et condignas irrogare paenas cunctis copiarum militarium ducibus a praefectorum generalium imperio exemptis ipsisque praefectis generalibus et quibusvis gubernatoribus, magistratibus, aliisque cujuscunque gradus vel conditionis personis, sed et | cuivis ex suo ipsorum collegio ubi de delicto constituerit.

519
v

(138) "4.^o. Eidem Concilio acta omne genus et res ad causae Catholicae profectum et ad id Regni commodum conducentes, atque ad hoc bellum pertinentes faciendi imperium et in effectum perducendi sit perinde autoritas, ac si eae ab ipsis comitiis fuissent expeditae. Utatur etiam jurisdictione audiendi et judicandi causas omnes capitales, criminales et civiles, exceptis controversiis super jure et titulo in latifundia. Archistrategi quoque et ducum militarium caeteri Gubernatores et civiles magistratus omnesque aliae personae praedicti Concilii praescriptis et consultis ad praesens bellum spectantibus obtemperant, eidemque Concilio in excubitores praesidiarios assistant pedites quingenti et equites ducenti ex quatuor provinciarum militia aequa lance extrahendi.

(139) "5.^o Ulterius statuitur ac decernitur | ut in singulis hujus Regni provinciis sit *Concilium Provinciale* et in singulis comitatibus *Concilium Comitatus*, ita ut Concilium Provinciale

520

binis ex comitatibus deligendis constet, quorum aliquem in praesidem cooptet.

(140) "6° Ut Concilium Provinciale quotannis quaternis vicibus et, dum occasio requirat, saepius cogatur, habeatque copiam et facultatem examinandi et refigendi judicia et decreta conciliorum, quae in comitatibus erunt actoribus securitatem praestantibus de adjudicatis solvendis, et usque ad belli exitum nitatur potestate sedendi pro tribunali ac decernendi de disceptationibus ad Coronam pertinentibus, eo plane modo, quo iudices maleficiorum, latruncultores et quaestores parricidii vel litium solebant, ita tamen ut Ecclesiasticorum nemo ferendis sanguinis sententiis intersit. Idem etiam Concilium auctoritatem
520 exerceat judicandi et decidendi omnes causas civiles, | et stabili-
v endi recentes possessiones ea lege ut controversis agrorum titulis non aliis se immisceat quam in causa dotis vel hypothecae, quae uxori in dotis vicem a marito assignata sit, cui etiam Concilio nisi mos geratur vicecomites annui provinciarum, Praefecti generales et cuncti exercituum imperatores in suo quisque districtu ejus statuta et mandata exequi jubentur. Porro inter debita vel rationes exigendas, creditorum calamitas, cui bellum ansam pepererit, consideretur.

(141) "7° In quolibet comitatu conflabitur Comitatus Concilium constabitque uno vel duobus ex Baroniarum singulis ad ipsius comitatus electionem. Ubi vero Baroniae non extant illius comitatus Concilium ex duodecim suffragatoribus componatur, praefatumque Comitatus Concilium per omnia instar Irenarcharum polleat facultate et jurisdictione judicandi et definiendi omnes controversias ad Irenarcharum officium |
521 attinentes juxta ac Coronae causas in quolibet ejusmodi comitatu emersuros. Delinquens quoque si fuerit *libere-tenens* disceptationem, dum ipse velit, ad Concilium Provinciale agitandam devolvat. Idemque Comitatus Concilium discutiat et derimat debitorum, delictorumque controversias et actiones in personas competentes, omniaque obeat munia, sicut Irenarchae in more positum habuerunt. Possessiones quoque ab incepto hoc bello vi vel fraude usurpatas restituant et stabiliant. Specialem denique curam adhibeant ut inquilinis et agrorum conductoribus sua jura in villis conductitiis (ubi ab omni hactenus violentia et oppressione praeservari soliti) sarta tecta maneant, et artes, artifices, opificia, atque agricultura floreant, rerumque venalium fora quotidie frequentur. |

(142) "8° In omni comitatu erunt quaestores parricidiorum,
521 Archivicecomites annui, constabularii, subconstabularii, et ergas-
v

tularii, qui more solito muneribus quisque suo satisfaciunt. Praecipuus quoque Vicecomes annuus a Supremo Concilio ex tribus per Comitatus Concilium praesentandis confirmetur et nominetur, exequendum suscepturus quicquid Provinciae et Comitatus Concilium praeceperint.

(143) " 9^o Ut in civitatibus et oppidis *corporatis* justitia pro more administretur et lex in praxim redigatur.

(144) " 10^o Ut in omni Comitatu Archivicecomes annuus Praepositum Marascalum agat, eique jus competat tollendi suspendio non alios quam quibus quinque librarum *sterlingarum* valor non suppetat, laicos convictos homicidii, assassini, latrocinii, rapinae, aliove crimine capitali, adeo ut reo morte multando viginti quatuor horarum spatium ad animam expiandam | concedatur. Supremum etiam vel Provinciale Concilium plures consimili autoritate instruendos Praepositos Marascallos designabit et nominare poterit, sicut expedire judicaverit.

522

(145) " 11^o Statuitur ut nullum civile gubernium aut jurisdictio intra hoc regnum aut quampiam ejus provinciam vel comitatum aliter quam modo superius expresso assumatur, observetur, aut exerceatur, excepta jurisditione et gubernatione ab hisce generalibus comitiis et Concilio Supremo approbata et instituta, vel approbata et instituenda.

(146) " 12^o Ut quicumque a Kalendis Octobris 1641 involavit, aut imposterum durante bello involaverit, in terras, *tenementa* aut *haereditamenta* cujusvis, qui ad vel immediate ante dictas Kalendas Octobrias in eorum possessione per se vel per inquilinos aut per redituum fructuum vel emolumentorum receptionem collocatus fuerat, dictam possessionem mox atque | repetita fuerit parti sic deturbatae restituat cum ea damnorum reparatione, quam comitatus Provinciae vel totius Regni Concilium aequitati consentaneam et idoneam duxerit. Si autem is praefatam possessionem ad spoliati postulationem restituere detrectet continuo in illius contumaciae paenam exinde omni jure, titulo, emolumento, et vendicatione, qua alias omnes vel ullas ejusmodi terras repetere posset, dejiciatur, et aeternum excludatur. Quod si post ejusmodi recusationem et obsequii defectum ipse vel haeredes dictarum terrarum praefato modo comparatarum possessionem parti sic laesae non reddant, ipsi tunc, et si qui in praemissis facinoribus ab eis steterint, hostes pronuntientur, et hostium instar multentur. Cavetur tamen et est nobis sententia, ut si dictorum sic extirpatorum quis a Supremo vel Provinciali Concilio sive neutralis sive causae communis adversarius declaratus fuerit eo casu is, qui in possessione | irruperit

522
v

523

eam sub antedicta paena et mulcta illis, aliquos dictum comitatus, Provinciae vel Regni Concilium delegaverit, permittat in causae communis sumptus impendendam. Quod autem eorundem agrorum *tenementorum etc.*, redditus et principalia emolumenta, nec non cujuscunque generis census, bona, aut pecuaria cujuscunque Catholicorum praefato modo surrepta vel denegata concernit, partibus quibus ea ab horum motuum initio fuere vel posthac fuerint oblata vel denegata providendum erit de indemnitate sicut Provinciae vel comitatus Concilium respective decreverit.

523
v (147) " 13° Quo omnes domesticae dissensiones et inimicitiae procul arceantur et cuncti cogitationes atque actiones suas causae communi intendant, ulterius decernitur et statuitur ut omnis fundorum atque haereditamentorum possessio penes eos qui jam huic faederi nomen dederunt, permaneat, sicut triennio ante caeptos hos motus proxime | elapso permanserat, et nullus terrarum titulus ad proxima usque comitia in disceptationem vocetur, exceptis causis hypothecarum, locationum, et particularium possessionum de facto jam determinatarum vel determinandarum per temporis pacti effluxum vel alia eodem spectantem conditionem.

524 (148) " 14° Ad declinandam inter subditos suae Majestatis dominia incolentes distinctionem nationalem, quam haec comitia prorsus detestantur et horrent, quaeque in Republica bene instituta tolerari non debet, sub paenarum ab his comitiis infligendarum gravissima statuitur ut omnis Catholicus Romanus, tam Anglus quam Wallus et Scotus, qui ante bellum exortum eam Religionem professus sit, si venerit et in hoc Regno pedem fixerit seque praesenti faederi ascripserit, praeservetur et foveatur in vita, bonis, et possessione per brachium et auctoritatem viresque, si necessariae fuerint, omnium Catholicorum Iberniae, aequae plene et | libenter ac quivis indigena in hoc Regno natus, leveturque et exoneretur triente publicorum sumptuum imponendorum et exigendorum ad hoc bellum sanctum proseguendum.

(149) " 15° Decernitur et statuitur ut inter antiquos Iberos et veteres novosve Anglos, vel inter tribus et familias, vel inter cives et oppidanos ac ruricolos, in hoc faedus coalescentes, nullum sit discrimen nullaque comparatio sub paenarum a Conciliorum jam dictorum ullo inferendarum gravissima juxta qualitatem excessus et discordiam suapte natura exinde oritura.

(150) " 16° Ut omnes ab haeresi recens conversi in quovis ex suae Majestatis dominiis vel ubivis gentium nati, qui nobiscum in hac causa societatem coierint, censeantur velut Catholici

nativi quoad omnem intentionem et propositum, nisi manifestam ipsi neophyti suppeditarint occasionem in contrarium.

(151) " 17^o Ut omnes artifices, opifices, nautae, et rei marinae dediti in civitatem hic non | ascripti, qui in hoc regno commorari voluerint, ubi semel ipsi atque eorum familiae in hac insula domicilium selegerint pendente eorum hic incolatu gaudeant per omnia plenis natorum immunitatibus et praerogativis.

524
v

(152) " 18^o Ut quandoquidem ob praesentem Angliae statum et conditionem nulli Ibero, praesertim Catholico, Juris Anglicani scholam ibi frequentare integrum est, unum erigatur legis Anglicanae gymnasium in eo hujus Regni loco, quem Supremum Concilium judicaverit idoneum instruendae Regni juventuti harum legum notitia, ne laudabilia illa Angliae et Iberniae jura temporum injuria et calamitate abeant in desuetudinem.

(153) " 19^o Ut doctrinae propagandae studio liberae in singulis hujus Regni Provinciis scholae aperiantur et sustententur eo numero, loco, modo et forma, quae metropolitaneis et suffraganeis in suis Provinciis congruere videbuntur. |

(154) " 20^o Ut nulli Dynastae nobiles aliaeve personae ullam militum manum aut equitum turmas conscribant ducantque, praeterquam ii, quibus Regni Provinciae vel Comitatus Concilium aut in civitatibus *corporatis* magistratus eam fecerint potestatem. Statutum quoque contra arbitrariam militum distributionem, et violentiam stipendii, victus, atque hospitii pro militibus exactionem olim latum in praxim revocetur, nullique militum turbae, quaecunque demum illa fuerit, stipendia numerentur, aut unde subsistat, a comitatu subministretur, praeter quam illis quorum nomina suo Marasciallus catalogo inseruerit. Nemo denique militum nisi a constabulariis tesseram hospitalem recipiat.

525

Cesse
Coyne
and
Liverys

(155) " 21^o Ut possessiones Ecclesiasticae et decimae possessoribus Catholicis ante has commotiones appropriatae ipsis modo huic faederi subscripserint cuique suae, donec res in Parlamento dirempta fuerit, permittantur, illis interea pro reddituum rata (ut fit) ad belli impensas contribuentibus. |

(156) " 22^o Ut Regis census venalibus impositi, redditus, vectigalia, tributorum reliquationes, et caetera ipsi debita, sicut et agrorum, patrimoniorum et bonorum ad hostes vel neutrales a Principali vel Supremo Concilio vel a Comitibus Generalibus declaratos aut declarandos spectantium redditus, proventus, et emolumenta recipiantur et in suae Majestatis usum atque obsequium impendantur.

525
v

(157) " 23^o Ut in quolibet Comitatu sint exactores et collect-

ores cujusque Comitatus Concilio delegandi, qui dicto Comitatus Concilio, sicut et Comitatus Concilium ad sextum quemque mensem Concilio Provinciali et hoc rursus quotannis Concilio Supremo rationem reddant ne aerarium intervertatur aut dilapidetur.

526 (158) “ 24° Statuitur et decernitur ut ubi Archiepiscopi, Episcopi, aut quacunque dignitate Ecclesiastica insigniti, vel alii quicunque habent aut possident ulla terras, tenementa, haereditamenta, decimas vel | praedia Ecclesiastica in uno comitatu vel provincia, et resident aut residebunt in alio comitatu vel Provincia, in omnibus ejusmodi casibus proventus ex hujusmodi terris Reipublicae numerandi impendantur in dicto comitatu aut Provincia in qua praefatae terrae jacent, sicut comitatus Concilio aequum videbitur.

(159) “ 25° Ut omnis faemina Catholica Romana cujus *Protestanti* vel Catholico domicilium, possessiones, et uxorem derelinquenti, atque ad hostes deficienti nupta in hypothecae sibi dotis loco a marito assignatae, si qua assignata fuerit, possessionem mittatur vel mariti, perinde ac si re ipsa ille decessisset, possessionum trientem recuperet, et quaelibet id genus uxor, non secus ac si maritus legitimo iudicio proscriptus fuisset, in jus vocare et vocari queat, nisi Provinciale vel Supremum Concilium in casibus specialibus contrarium statuatur. |

526 v (160) “ 26° Ut *Protestantium* archiepiscoporum, episcoporum, decanorum, dignitariorum et ministrorum possessiones jure suarum respective ecclesiarum antehac ab ipsis occupatae, eorumque in horum motuum initio inquilini, censeantur, habeantur, et existimentur Catholicorum archiepiscoporum, episcoporum, decanorum, dignitariorum, et parochorum tunc et ex tunc fuisse respective quoad omnes intentiones et proposita, dictaeque possessiones praecedenti articulo circa stabiliendarum possessionum rationem condito intelligendae veniant.

(161) “ 27° Ut dictorum Conciliorum cujusvis autoritate in carcerem compingendus nemo nisi eorundem respective Conciliorum mandato libertate donetur, nullique hostibus famulanti, nec aliis quibuscunque ad partes hostiles pertinentibus, salvus conductus concedatur absque simili commeatu obtinendo ab exercitus imperatore in singulis Provinciis et comitatibus.

527 (161) “ 28° Quandoquidem in nonnullis hujus Regni partibus abusus commissi fuere extorquendo arma, apparatus bellicum, aliasque merces mercatoribus in sinus maritimos vel navium | stationes longe ab intento portu appulsis ob tempestatem aut

imminens ab hoste periculum, idque in mercatorum animi dejectionem. Ea propter decernitur et statuitur ut ubicunque aliqua navis vel naves aliave puppis declinaverit ad ullum portum vel sinum maritimum onerata armis etc., omnes praefecti in comitatibus adjacentibus, suo quisque, nullam non praebeant tutelam et defensionem, eaque bona etc. mercatoris impensis transvehenda curent, nihilque eorum permittant sub solutionis praetextu vel aliter distrahi vel auferri, antequam ad destinatum portum pervenerint et in quaestorum tabulas relata fuerint. Si quis autem contra quam hic praescribitur, quampiam ejusmodi bonorum partem diripuerit aut extorserit, boni publici habeatur adversarius eoque nomine puniatur et ultimo supplicio afficiatur.

(163) " 29^o Ut in singulis urbibus nonnulli ex ipsis municipibus, ibique residentibus, constituentur censores, qui ex Concilii Provincialis vel Supremi parte arma et | belli apparatus ex regionibus transmarinis transportandum recenseant, eaque de re Concilium Supremum abjecta cunctatione certius reddant et in iisdem distrahendis, distribuendis, ac disponendis abusibus occurrant.

527
v

(164) " 30^o Ut ubi milites a suis praesidiis aut ducibus fugitivi in alios comitatus aut Provincias discurrunt, ab ejusdem comitatus aut Provinciae praefectis vel Gubernatoribus repetiti remittantur tractandi secundum justitiam.

(165) " 31^o Ut debita, aliaque creditoribus, qui in hoc faedus nomina dederint, a neutralibus vel hostibus solvenda ex eorundem neutralium ut hostium bonis, latifundiis, tenementis etc., ante deducantur ac pendantur quam quispiam exinde proventus in usus publicos eliciatur.

(166) " 32^o Ut nullus militum, nec alius quispiam, nisi Comitatus Concilio praescribente, neutralium vel hostium facultatibus aut praediis se immisceat.

(167) " 33^o Quo distinctiones nationales secus nasciturae praecidantur, | decernitur et statuitur ut faederis et unionis juramentum toto Regno in ecclesiis parochialibus post peccatorum expiationem et sumptam sacram synaxim ritu solemnium suscipiatur, omniumque, qui in singulis parochiis ordine vel conditione antecellentes id susceperint, nomina in tabulas membraneas referantur, quae subsignatae et sigillo munitae a curionibus ad ordinarium in qualibet diaecesi transmittantur, easque ille in suis archivis ita custodiendas deponat ut authenticum exinde apographum suo item sigillo roboratum ad metropolitanum dirigat, cujus erit id asservare et germanum exinde exemplar suo pariter sigillo Metropolitano firmatum communi-

528

care Magistris scriniorum Regni in alba publica referendum." Extractum per Richardum See, Supremi Concilii Clericum."

528
v (168) Confaederati Iberniae Catholici declarationem etiam Regi praesentandam formarunt, ex | cuius numero undecimo videtur conjectandum ejus authores fuisse non omnes Iberniae Catholicos sed solos Ultonienses, eamque forsitan esse de qua Coloniae Anglicanae in Ibernia nobilitas suae Apologiae superius numero 14^o mentionem facit. Verum licet Ultonienses tanquam causam sibi ipsis peculiarem praefato numero 11^o agentes et loquentes introducantur, declaratio tamen ab universa natione et totius nationis nomine edita fuit, quam propterea ex acto Anglico latinam reddo.

"Ad Excellentissimam Regis Majestatem humilis Catholicorum Iberniae nunc bellantium declaratio.

529
v (169) "Gratiosissime et tremende Monarcha, nos, humillimi tui et observantissimi subditi hujus Regni tui Iberniae Catholici, hac nostra declaratione Tuae sacratissimae Majestati omni cum humilitate repraesentamus graves pressuras et justas querelas, quibus velut | obtorto collo tracti propriae consolationis et tuitionis ergo ad arma quasi ad asylum refugere coacti sumus, postquam per viam civilem et ordinariam justitiae methodum nihil non tentavimus, quo multas quas patimur aerumnas amputandas curaremus.

(170) "1^o Ad extremum maerorem nostrum specialiter observavimus quomodo Excellentissima Majestas tua apud Angliam in Parlamento et aliter praecipuis Regiae tuae potestatis floribus et potiori redituum parte in tuis mercium obventionibus, atque aliis casualibus proventibus orbata sit, coactaque insuper missos facere nuperos exercitus in Anglia atque Ibernia contractos in necessariam tui defensionem adversus insolentes Puritanicae factionis ausus in Anglia et Scotia. Nec aliunde est quod tua Majestas in eam redacta sit debilem conditionem ut sine ipsorum opitulancia nec terra nec mari vires, quibus coronam et Regnum tuearis, conscribere, nec statum et ordinarios sumptus tanti Principis dignitati respondentem | sustinere valeas.

529
v (171) "2^o Invenimus hac factionis Puritanicae (ex qua plures iique ex praecipuis coryphaeis non ita pridem ob praedicta atque alia crimina supremae prodicionis justissime redarguti fuere) pervicacia et machinatione factum ut, licet tua Majestas indole, prudentia, virtuteque optimis quibusque Principibus comparetur,

tuis tamen manibus non modo publici regiminis tuorum Reg-
 norum omnium clavum, classem, propugnacula, castra, patri-
 monium cenum, eorumque, qui tibi ab arcanis consiliis sint
 juxta ac officialium tuorum deligendorum praerogativam per
 violentiam extorserint, arrogantes sibimetipsis contra antiquam
 anteriorum Parlamentorum praxim sine legis et praescriptionis
 autoritate nedum absolutum ac Regium imperium in publicum
 tuorum Regnorum omnium, tam Ecclesiasticum quam saeculare
 et tam civile quam militare, gubernium sine tuae Majestatis
 concessu et consensu, sed etiam | privatae familiae tuae ordina-
 tionem et dispositionem et Reginae ac liberorum tuorum guber-
 nationem, nihil majestati tuae praeter nudum Regis titulum et
 nomen facientes reliquum, hoc modo in plenam Monarchiae
 eversionem collimantes et communem Puritanismi faetum ac
 prolem abortivam, oligarchiam seu gubernationem popularem
 in locum intrudentes. Quam temere assumptam potestatem,
 quo valentius et liberius continuarent, unanimi consensione
 et utriusque domus Parlamentariae statuto jus suffragandi
 in comitiis Episcopis (haereticis) praeripuerunt, etsi proceribus
 saecularibus et municipibus inferioribus in rebus decidendis
 essent superiores, nullaque lege et rerum ante gestarum docu-
 mento suis tribunalibus excludi queant. Hoc porro praefatae
 domus Parlamentariae contra Majestatis tuae voluntatem, et
 beneplacitum perpetrarunt, et nunc remis velisque | connituntur
 ut ex Ecclesia sua Anglicana Episcopos atque alios dignitarios
 Ecclesiasticos eradicent et (ne multa) totam Ecclesiae suae
 Hierarchiam penitus extinguant, eique Praesbyterianum Minis-
 teriatum seu Anarchiam Ecclesiasticam substituant contra leges
 fundamentales, non solum Angliae Regni Majestatis tuae sed
 etiam Regnorum omnium, quae Christiano per Europam nomine
 censentur. Pari etiam modo aulae Parlamentariae jam dictae
 praesertim communium Angliae domus nullam non tentarunt
 viam qua suam Majestatem inter et vicinos Principes Catholicos
 cum tua Majestate pacem colentes discordiam et inimicitiam
 disseminarent. Eorum enim legatos in Anglia residentes injuriis
 publicis affecerunt. Litteras interceperunt. Capellanos et famulos
 stiterunt et in custodiam conjecerunt, contumeliose insuper
 locuti, et in magnum legatorum ac a quibus allegati fuerant,
 Principum dedecus, istic libellos famosos typis | mandatos
 publicari permiserunt, turpibus hisce molitionibus conati privare
 tuam Majestatem omnibus extremis subsidiis et auxiliis, quae
 (ut assolet) Principibus in arcto positis a confaederatis sub-
 ministrantur.

530

530
v

531

(172) “ 3^o Non possumus quin aegre feramus injurias recens illatas tuae celsitudinis maximopere Regiae conjugii, Reginae nostrae, quam *Purilani* destituerunt (quoad praecipua capita) beneficio articulorum inter tuam Majestatem ejusque fratrem, Regem Christianissimum, cum illa nuptum daretur, conclusorum, ex quorum numero erat conscientiae et Religionis libertas pro se ipsa et familia, sicut et ad omnes extensa facultas impune accedendi ad ejus sacellum, quas praerogativas non modo violatas vidimus quin et alia magna atque intolerabilia probra et injurias ejus personae et honori irrogatas. Praeterea sui famuli non participant debitum ex omni lege eorum bonis et personis privilegium ac immunitatem. |

531
v (173) “ 4^o Nec possumus ullatenus admittere imperium et jurisdictionem quam comitia, quae nunc in Anglia celebrantur, in Iberniae Parlamentum et Regnum universum sibi arrogant et quotidie exequuntur, nominatim in Comitibus nostra et in diversa Regni nostri membra. Cui usurpatae a se potestati justitiae velum variis praelo subditis schedulis obtendere conantur, sed adversus eorum potentiam et arrogantiam nos absolute protestamur, nec ab ipsis nec a quovis alio nisi a sola Majestate tua dependentes. Neque enim dubitamus quin futurum esset ut si illi in nos dominarentur eadem si non longe pleniore saevitiae et tyrannidis jactaremur mensura, quam nunc dierum illi adversus Angliae Catholicos in suo ipsorum nativo Regno exercent.

532 (174) “ 5^o Nequimus quin nos tenerrime misereat praesentis conditionis et status Catholicorum Angliae et Scotiae, ad quem inhumanis legibus et quibus recens in | Parlamento oppressi fuere rigidis molitionibus rediguntur.

(175) “ 6^o Specialius declaramus coram universo mundo quantopere detestemur et aversemur publicam illam charitatis regibus repugnantem protestationem et jusjurandum ab inferiori Angliae domo Parliamentaria conceptum in extremam extirpationem et destructionem Catholicae Religionis Catholicorum quoque, et fautorum ejusdem sine temporis aut loci limitatione, et nemine, ne Catholicis quidem Regionum, quibus cum tua Majestate pax intercedit, exceptis, quam protestationem et juramentum a totius Angliae communibus in singulis templis parochialibus, dum suae Religionis exercitio in delubris interessent, solemniter suscipiendum curarunt.

532
v (176) “ 7^o A Puritanis in hoc Iberniae Regno se tenentibus concinnatus fuit libellus supplex a multis eorum centuriis sub-signatus et dictae Communium Parlamenti | nunc in Anglia sedentis domo prolatus ad supprimendam Religionem nostram

et nos ejusdem professores in hoc Iberniae Regno vitam degentes, cui (sicut nobis credibiliter innotuit) binae istic aulae Parlamentariae calculum apposuerunt et ex animi sententia exequendum spoponderunt, idque nec consulta nec consentiente tua majestate.

(177) " 8^o Nec silentio praeterierimus famosas et seditiosas schedulas magno numero in Anglia nuper excusas et si non approbante certe connivente praefata communium istic domo adversus Religionem Catholicam in medium productas illam potissimum, quae habet nullos Papistas posse fidem servare Principi tametsi Romano-Catholicam Religionem profitenti longeque minus Principibus ab ipsis subditis Religionis professione discrepantibus, cum tamen in rei veritate nulla Religio aut professio, quaecunque demum illa sit, ad praestandum Regibus obsequium severius astringat | quam Catholica, quam nos profitemur et propugnamus. In cujus asserti confirmationem nuper in solemnem hic protestationem juravimus, quae longe plus quam altera ab adversariis edita justitiam, fidem in principem, et moderationem redolet, continens inter caetera observantiae vinculum et obligationem, qua astrinximus nosmetipsos ad defendenda speciali conatu summopere Regiam Majestatis tuae personam, coronam, dignitatem, praerogativas et jura, ad quam etiam protestationem juramento publico faciendam eos adigemus omnes qui a partibus nostris steterint.

533

(178) " 9^o Majestas tua, quo rerum notitiam diligentius hauriat, animadvertere non gravetur quod licet nos, tui Iberniae Regni indigenae Catholici, bonis et possessionibus ex Regni legibus multari non meruerimus, ex quo tamen Majestas tua ad Regni clavum sedet, et toto tempore quo praemortuus Regius pater | tuus regnavit, magnam facultatum et fortunarum jacturam tulimus in odium nostrae Religionis, toto utique illo temporis spatio ob eam Religionem nostram exclusi omni favore, promotione, et munere in Republica, quamvis exhibuerimus tot manifesta experimenta promptae voluntatis nostrae ad inseriendum Celsitudini tuae, totque nostrae in majestatem et coronam tuam integritatis et obsequii specimina, quot alii quivis ex optimis quibusque subditis tuis, licet interea gaudere non potuerimus libera exercendae Religionis nostrae facultate, quam tamen nostris meritis et sinceritati debitam fuisse existimamus.

533
v

(179) " 10^o Nec dissimulaverimus nuperum illud conventum et protestationem in Scotia nuncupatam dirasque eorum leges, atque alias ab ipsis excogitatas in Catholicos saeviendi vias, praesertim eorum mentem et nuperam instantiam publicam tuae

534 majestati prolatam de transmittendo confestim in hoc Iberniae
Regnum exercitu Scotico, ut nos trimestri spatio, vel ad | suam
Religionem profitendam compellerent, vel certe omni substantia,
fortuna et ipso victu spoliarent.

(180) “ 11^o Ubi primum nos, Celsitudinis tuae subditi Ultoni-
enses, arma hic arripuimus tuae Majestatis incolumitati, legitimis
praerogativis et juribus, nostraeque ipsorum adversus intentatam
ex Scotia externam invasionem defensionem animum intendentes
obtulimus Majestatis tuae in hoc Regno Justitiariis indicem
quarundam nostrarum pressurarum hic perpendendarum et
emendendarum per Parlamentum, quod paulo post cogendum
erat. In quo non dubitamus quin apta illa ineunda foret ratio
qua et nobis fieret satis et Regnum redderetur securum et bellandi
nobis ansa subtraherentur. Verum tui justitiiarii, mox atque
534 nos armasse intellexerant, quo hoc tam commune bonum prae-
verterent, tuorum in hoc Regno Judicum consilio freti Parla-
mentum nostrum edicto omnium notitiae | exposito prorogarunt,
v quae dilatio quamvis ipso jure irrita plerosque Parlamenti
suffragatores circa Parlamentum ulterius convocandum incautos
effecit, haud dubitantes quin prorogatio ex lege valeret. Nihil-
ominus tui Justitiarii eos e Parlamento, qui Dubliniam et viciniam
incolerent, suaeque factioni essent partem longe maximam
addicti, atque ab ipsorum nutu penderent, in Parlamento sedere
jusserunt, idemque post biduum prorogarunt per mandatum ad
alios directum contra ac lex praecipit. Pendente autem dicta
sessione praefati ad Parlamentum surreptitiae convocati tuae
Majestatis hic Justitiariis et praefectis efflictim sollicitantibus
protestati sunt et edixerunt nos, dictos tuos subditos Ultonienses,
velut in celsitudinis tuae Regni hujus pacem et tranquillitatem
male affectos, contra nostrum in Majestatem tuam officium et
observantiam, nec non contra jus divinum et hujus Regni leges
535 fundamentales, proditorum et rebellium | instar bellum inchoasse,
qua etiam protestatione non contenti tui justitiiarii diversis
edictis hic publicatis et praelo subditis perduelles nos et rebelles
pronuntiarunt, ac falsis suggestionibus utramque Angliae domum
Parlamentariam ad simile odiosum decretum in nos vibrandum
induxerunt, quod typis mandatum Justitiarii tui toto hoc Regno
divulgandum curarunt, eam sibi munientes viam ad Majestatem
tuam populumque ira in nos incendendum.

(181) “ 12^o Contra hanc declarationem innocentiae vindicandae
studio protestamur et affirmantes ad arma nos recursum habuisse,
non minus ad Majestatis tuae honorem asserendum et ad Regiam
tuam potestatem juraque legitima restaurandam, quam ad nostras

ipsorum immunitates postliminio restituendas, et ad necessariam nostri defensionem et salutem procurandam.

(182) " 13^o Universi hic Majestatis tuae reditus | juxta ac
omnes subditorum tuorum in hoc regno opes ad eorum qui tuas
hic vices obeunt et adhaerentium crumenas devolutae sunt viis
obliquis et excogitatis praetextibus, ut nihil exinde tuae celsitudini
rependatur.

(183) " 14^o Nos, Celsitudinis tuae subditi afflicti Iberniae
Catholici, nequimus quin magno animi dolore exprimamus
nostrum generalium aerumnarum et pressurarum sensum, quibus
in hac insula obruimur ab initio Regni nuperi Regis Patris
Majestatis tuae, totos quadraginta circiter annos, tempus unicum
magis diuturnae pacis, quam posterioribus hisce saeculis parti-
cipavimus. Quo toto tempore licet, ut miseriis nostris modus
opponeretur, saepiuscule urserimus, prae construpratis tamen
Gubernatorum atque aliorum in hoc Regno praefectorum animis
nunquam in ea re, ne ex parte quidem, votorum compotes |
evadere potuimus, sed continuam potius servitutem quam liberam
subditorum conditionem toleravimus toto illo temporis spatio,
nec permissi gaudere jure natalitio nec fundamentalium hujus
Regni legum earundem utique, quae in Anglia vigent, beneficio,
nec admissi ad habendam bonorum vel possessionum nostrarum
proprietaem. Quod Gubernatio tyrannica interea citra inter-
missionem in nos exercita fuerit rigidiori et crudeliori ritu quam
in Turcarum dominiis aut alia quavis etiam infidelium plaga
soleat, tametsi juxta antiquas et fundamentales Regni leges
nulli totius Europae subditi majorem sibi immunitatem et
libertatem vindicare valeant.

(184) " 15^o Nos inter alios hic ad coacti in hoc Regno moderni
Parlamenti exordium per commissarios ex binis ejusdem domibus
selectos Regiae Majestati tuae supplicavimus ut, quibus hoc
Regnum opprimebatur, diversae, eaeque universales | corruptelae
abscinderentur. Verum tua Majestas a suo sanctiori concilio
et Parlamento Anglicano (accedentibus tuorum hic justitiariorum
et concilii falsis rerum relationibus et seriis sollicitationibus)
inducta praecipuos postulorum nostrorum articulos rejecit
et caeterorum remedio quamvis tua Majestas acquieverit, id
tamen dilatum fuit et adhuc differtur a tuis hic in Ibernia Guber-
narchis et Reipublicae moderatoribus, nostro Parlamento ab
ipsis prorogato, ut Celsitudinis tuae in hoc Iberniae Regno subditi
eum in modum frustrarentur beneficio a te gratiose decreto in
rebus antedictis.

(185) " 16^o Juventus hujus Regni praesertim nostra Catholica,

intercluditur educatione et doctrina, quod nemo e Religione nostra ludimagister ad docendum admittatur, nullique in partibus transmarinis institui liceat, et unica Iberniae universitas
 537 omnes Catholicos excludat, quo hac | ratione evadamus omnino rudes litteraturae et civilis institutionis, quae semper disciplinae et artium est pedisequa, usque adeo et constanter asseruerimus nos esse nationum orbis Christiani miserabilissimam.

(186) " 17^o Arbitramur etiam novercante nos fortuna uti quod omni officio, honorifico munere, promotione et emolumento tam militari quam civili (cum tamen eorum munerum perinde atque quaevis alienatio, capaces simus) in hac insula prohibeamur, et omnia hic loca honoraria conferantur in obscuros homunciones, nec meritis, nec valore, nec rerum dominio conspicuos, sed mediocri conditione et qualitate viros, qui eadem a tuis hic praefectis favore vel pecunia mercantur.

(187) " 18^o Moleste admodum ferimus et male nos habet quod
 537 v iudices atque alii ab utraque hujus Regni domo Parlamentaria laesae Majestatis aliorumque flagitiorum nuper hic postulati (qui fuerunt et semper | sunt plerarumque oppressionum nostrarum causae et potissima instrumenta) nedum subtracti sint a justitiae brachio per molitionem concilii et Parlamenti Anglicani ad id tracti falsis relationibus tuorum in hoc Regno justitiariorum et concilii praetendentium nostrum hic Parlamentum illarum rerum judicandarum jurisdictione carere, sed etiam sedeant pro tribunali in foro judicario et suffragentur in concessu concilii arcani hujus Regni, ducantque ac dirigant tuam hic Rempublicam et gubernium et illa hic accusatione incensi, omne quod eorum malitia suggerit, scelus exerceant, vindictam sumpturi de nostro Regno et natione, antequam alios de nobis Catholicis, quos asseverant sui accusationem conflasse ejusque fuisse procuratores et architectos.

(188) " 19^o Haud possumus quin magno doloris sensu tuae Regiae Majestati ob oculos ponamus, quo pacto Ultoniae atque
 538 aliarum provinciarum, in quibus Angli suas nuper colonias hic | plantarunt, indigenae fuerint per vim nativis expulsi sedibus et antiquis possessionibus absque ullo justo titulo, ut praecipuorum nobilium, qui inter bella Reginae Elizabethae diebus gesta coronae partes secuti fuerant et in nupero Tironiae Comite ejusque fautoribus evertendis primas tulerant, non pauci in obsequii mercedem omnibus pariter patrimoniis extrusi et perpetuae custodiae mancipati in turri Londinensi contabuerint, omnesque perinde ex Ultonia atque ex aliis hujus insulae territoriis

exoticae convenarum plantationi concessis oriundi publico tuorum hic Praefectorum mandato exarmati sint ex praemeditato consilio eos exponendi carnificinae inferendae ab illorum adversariis, Colonis *Protestantibus*, quibus arma suppeditata fuerant, quique ex illius suae *Plantationis* lege in suis semper coloniis armato milites instruere tenebantur, et ob hanc potiore suam conditionem multa eorum millia ne justitiae quidem specie freti, sustulerunt ex arbitraria lege *Marescalica*, falsisque | duodecim-
viralium juratorum *Protestantium* sententiis, qui in eam impelle-
bantur nequitiam vel praefectorum hic se tenentium (praesertim
Guillelmi Parsonii, equitis, unius ex tuae Majestatis in hoc Regno
Justitariis, polliciti dare ipsis *juratis* portionem earum posses-
sionum super quibus ex parte Majestatis tuae iudicium laturi
essent) corruptela, vel alio quopiam praemio constuprati, vel
etiam violenta super hoc tuorum iudicium in suis circuituionibus
instantia et comminationibus, vel gravibus mulctis pecuniariis aut
allegationis ad palum et stigmatum censuris, aliisque id genus
crudelibus et inauditis animadversionibus adulterati.

538
v

(189) "20^o Etsi Regnum hoc magnum quotannis coronae
tuae censum pendit, ille tamen exhauritur totus in numerando
exercitibus stipendio et in tuorum hic Reipublicae administra-
torum impensis aliisque ordinariis hujus Regni oneribus, et tua
insuper Majestas ante hos motus debuit continuoque debet max-
imam hujus insulae copiis militaribus summam ultra et supra |
illum tuum redditum, quamvis per concessa hic recens Majestati
tuae subsidia, spontaneas donationes, ingentes mulctas, monopo-
lia, aliosque extraordinarios proventus casuales in hac Insula
a nupero Comite Strafordiensi et aliis hujus Regni praefectis
exactos profusissimae aeris summae librarum sterlingarum (sicut
valde ad fidem quadrat) millionem excedentes ad tuae Majestatis
aerarium transierint, quarum nulla adhuc reddita fuit ratio, licet
hanc Parlamentum hic exegerit et presserit. Porro dubio procul
illius pecuniae pars maxima nunquam de facto impensa in tuae
Majestatis usum adeoque iniri debent stricteque subduci rationes
accepti et expensi reliquumque restitui ab iis quorum fidei
credita rei administratio.

539

(190) "21^o Quanquam haec Insula plurimis nativis abundat
commodis venalibus et largiorem eorum copiam in exteris |
nationes quotannis exportat quam ullum aliud ex tuae Majestatis
Regnis, idque communiter in duplum eorum quae ex regionibus
externis huc importat, (quod juxta omnem praesumptionem
efficeret ut divitiis excelleret) nihilominus nunc in deplorabili

539
v

adeo statu sita est ut nostri proceres et nobiles vix conditionem ferre suam, imo vix subsistere valeant, tantaque est et tam universalis per totum Regnum pecuniae inopia ut nec inquilini modicos solvere redditus nec creditores ullam debitorum partem recipere queant, omnisque ars et commercium in hoc Regno funditus jaceat, et denique insula in magis luctuosum demersa sit statum quam unquam fuerat nostra memoria. Cui miseriae originem dederunt sequentia.

540 (191) “ 22° Privata scilicet in paucorum, praesertim prae-
fectorum hic se tenentium, nec non in sequacium et adhaerentium
manus coacervatio omnis aeris signati hujus Regni et | trans-
portatio tot tantarumque summarum hinc in Angliam procurata
a nupero Comite Strafordiensi, Georgio Ratclifo, Equite, aliisque
et novissime a Guillelmo Parsono, Equite, altero ex Majestatis
tuae in hoc Regno Justitiariis, et ad ejus imitationem a multis
aliis.

(192) “ 23° Monopolium diversarum mercium particularium,
prohibitio exportandi extra insulam varias hic natas commoditates
nisi permagna pecuniae vi in portorium et sortem trajectitiam
ob exportandi licentiam soluta. Immoderatum auctarium libri
pretiorum, gravium vectigalium in merces impositio contra legem.
Hujus Insulae piscationum artium et navigationum plena ex
indigenarum manibus abreptio, earumque facta a Batavis, Anglis,
et Scotis hanc insulam non incolentibus omnimoda usurpatio.
Mercimoniorum omnium factitiorum, quibus a capite ad calcem
utimur, hinc aliunde transvectio. Totius mercis nativae et
540 praecipuarum, quas hoc Regnum parit, commoditatum non
v elaboratarum | nec opificio concinnatarum exportatio in exterarum
plagas eo tendens ut nullus artium mechanicarum usus Regno
non exulet.

(193) “ 24° Denique tuorum hic officialium corruptela et
favore, nuper procurata ascriptio in civitatem et *naturalizatio*
complurium Batavorum, quibus Amsterdami crumena suppetit.
Proindeque omnium mercium proventum in potiori hujus Regni
parte sibi accumulanti nativa hujus Insulae mercimonia omnia
nunc charo licitantes, nunc vili vendentes ad cuncta rerum
venalium fora et totum commerciorum lucrum, adeoque pecuniam
in numerato in Hollandiam revehentes, qua ascriptione in
civitatem Majestas tua frustratur quarta vectigalium parte et
duplici subsidio ex lege ab omnibus advenis debito, quod magni
momenti et valoris est, frequenti eorum hic commercio et
nundinatione considerata.

(194) " 25^o Tuae Majestatis Justitiarii renuente et dissentiente utraque suffragatorum | domo parlamentaria frequente senatu, 541
 citra speciale tuae Majestatis mandatum nedum hac sed et diversis antehac vicibus nostrum hic Parlamentum eo prorogarunt ut omni oppressionum levamine et medela in comitiis decernenda tuos in hoc regno subditos fraudarent, seque ipsos atque alios ex tuo hic concilio arcano sibi amicos et adhaerentes eximerent onere respondendi ad justas querimonias eorum ex tuis bonis subditis, quos ipsi oppresserant. Sicut demonstrari potest allegationibus hic sequentibus.

(195) " 26^o In nupero Parlamento a territorii O'Bruinnorum ad comitatum Vicloensem spectantis incolis adversus dictum Guillelmum Parsonum, Equitem, supplex libellus porrectus fuit, quo nemini non innotuerunt ejus fraudes et profligata improbitas in cogendis duodecim-viralibus Juratis. Et in | adhibendis aliis 541
 machinationibus ad evincendum tuae Majestatis titulum in illud territorium, cujus pars magna transversis ac obtortis hisce molitionibus ipsi transcribenda fuit. Sui autem convictionem et censuram, quam alias in sublimi illa curia ob crimen incurrisset, declinaturus Parlamentum ante accensam hic praesentis belli flammam prorogandum statuit, quamvis speciale a tua Majestate acceperit mandatum Regiis litteris tuis expressum continuandi sessionem Parlamenti, quo eae Comitiorum autoritate reciperentur beneficiae leges et gratiae, quas tua tunc Majestas sub magno Angliae sigillo huc transmiserat.

(196) " 27^o Idem Eques, Guillelmus Parsonus, se praebuit instrumentum ad multos hujus Regni habitatores, licet ex optimis tuae Majestatis subditis et Coronae servis essent, supplantandos et antiquis | possessionibus et patrimoniis deturbandos, fictitiis 542
 quibusdam retro saeculorum titulis quaesitis a trecentis annis jam elapsis, quo ille fundamento nixus procuravit jus statuendi de eorum possessionibus sub specie ibi plantandi convenarum colonias. Sed cum ipse easdem censendi et metiendi curam haberet, iniquissime et corruptissime illas censuit, referens in agendo censu velut praedia deserta et inutilia, quae erant omnium ferocissima, in quae sua mentione prae se tulit alterum harum terrarum *Plantationi* Anglicanae assignatarum dimidium et quod excurrit esse tantum fragmenta succisiva, singula centum jugeribus minora, cum tamen facile majorem mensuram conficerent, quibus indigenae veteres eorum possessores ita penitus exciderunt, ut nullus inde majestati tuae redditus aut proventus accreverit, sed totum dictus Parsonus ad suum beneplacitum

- 542 in proprium lucrum et commodum converterit. | Quod ad severam
 v trutinam revocari debet. Idem etiam Strafordiae Comite, pro-
 regem hic agente, machinatus est plenam in cunctis hujus Regni
 plagis supplantationem aboriginum et eodem Comite nec non
 iudicibus, quos hic proditionis redargutos vidimus, opitulantibus
 compulit gravibus mulctis et censuris duodecim-virales *Juratos*
 ad hos invalidos titulos suis calculis probandos contra suam
 ipsorum conscientiam et rerum evidentiam hujusque Regni
 leges fundamentales. Quod aequum non est ut evadat impunitum.
 Per has etiam violentas et iniquas vias adjudicatum est nupera
 inquisitione jus tuae Majestati in Conaciae Provinciam, in Clarae,
 Wicloae, et Tipperariae Comitatus, nec non in comitatus Limeri-
 censis partem potiore. Quae dominia erant propterea iis
 543 convenis omnino transcribenda incolendaque, quos nuperus
 Strafordiae Comes et praenominatus Parsonus | idoneos judi-
 cassent, operam dantes hunc in modum ut illis partibus nativos
 omnes et aborigines extirparent.

(197) " 28° Strafordiae Comes extrajudiciali procedendi modo
 contra legem, Judicum atque aliorum hic perduellionis accusa-
 torum consilio atque ope evacuavit possessorum *litteras patentes*,
 aliasque legitimas securitates, ipsosque non modo patrimoniis
 et bonis excussit, sed et carceribus mancipavit. Quibus technis
 majorem Regni partem depauperavit et hujusmodi injustis
 machinationibus clero hic (haeretico) possessiones et decimas
 trecena amplius liberarum sterlingarum millia in annum reditum
 valentes adjudicavit, sibi quoque ipsi, sequacibus quoque et adhaer-
 entibus tantundem comparavit.

- (198) " 29° Contra antiquam Parlamentorum praxim, usum
 et privilegium, nec non diversorum hujus Regni statutorum
 tenorem, gubernatores et Reipublicae hic administratores pro-
 543 curarunt sui | fautores et a nutu suo pendentes, quibus nullae
 v possessiones, nullum esset fixum in hoc Regno domicilium, modo
 indebito eligendos et ad Parlamentum hic delegandos tanquam
 suffragatores ejus legitimos, et sic suffragiorum calculo genuina
 comitiorum membra excedentes curarunt ferenda in hoc Regno
 varia perniciosa et sanguinaria statuta ac leges, aliasque non
 minoris periculi et malitiae in Angliam transmittendas, quo inde-
 remissae vim hic obtinerent, ea mente ut extremum nationi
 nostrae excidium procrearent. Multae praeterea querelae in
 varios hic tuos Reipublicae praefectos eorumque scribas et alios
 ad eorum arbitrium ambulantes in Parlamento oblatae fuerunt
 frequente senatu, ob exorbitantes corruptelas, extortiones in

exigendis salariis forensibus et secum cum aliis gravibus oppressionibus. Et tamen dictorum praefectorum factione in binis hic Parlamenti domibus obviant, nullum illius mali remedium | impetrari potest, tametsi strenua diligentia, cura et opportunitate a partibus laesis postulatum. Nunc etiam novissime praedicti tui iustitiiarii gravaminum a tuis subditis exhibitorum remediis, et ferendis in se sententiis ac paenis occursuri Parlamentum, quod edicto publico in diem Januarii undecimam anni 1642 prorogatum fuerat, iterato edicto in 17^m Kalendas quintiles proxime sequentes differendum curarunt. Quae prorogatio suapte natura ex legibus invalida Parlamentum ob intermissionem absolute dissolvit.

544

(199) " 30^o Hae multaeque aliae intolerabiles oppressiones et gravamina nobis erant unica ad armandum incentiva, et tuae Sacrae Majestati coram caelo et solo protestamur nos, hujus Regni tui Catholicos, esse ex tuis optimis et fidelissimis subditis plenumque hujus asserti testimonium omni occasione in bonorum vitarumque profusionem exerturos, hisque, quibus nunc defensionis nostrae studio accingimur, | armis nostris et intentissimis conatibus usuros ad suffulciendam et servandam tuam Regiam personam, Coronam, dignitatem, juraque legitima contra quoscumque eorum aggressores.

544
v

(200) " 31^o Nunc quandoquidem ita se res habet ut nos, hujus Regni tui Iberniae indigenae Catholici, ordine, conditione, patrimoniis, fortunis et numero multo potissimam Patriae partem conficiamus, et nequeamus cum incolumitate arma prius deponere quam levamen obtinuerimus in his justis querelis nostris et injustis oppressionibus, vitarum quoque et possessionum securitatem adversus crudelia atque horrenda horum cruentorum homicidiorum, *Puritanorum* utique, publicorum ac professorum nostrorum ac Religionis nostrae hostium, inventa, cumque horum armatorum agminum et turbarum continuatio in uno corpore pro necessaria nostra tuitione, si in tempus diuturnum protensa fuerit, | redundare debeat in magnas tam Majestatis tuae quam totius Regni tui impensas et praejudicium, multosque ex tuis fidelibus subditis ruinae et destructionis periculo exponere. Hinc est quod ad haec mala declinanda et ad praecavendam ulteriorem Christiani sanguinis effusionem, humiliter instemus apud tuam pietissimam et clementissimam Majestatem ut hisce nostris violentis morbis potentem ac praesentem digneris applicare medelam et curationem, aequisque nostris lamentationibus tale ac tam promptum adhibere solamen, quale tam misericordis,

545

545
v
justi et potentis Principis justitiam, pietatem et amplitudinem
sapiat, et nostrae reliquorumque omnium tuorum in hoc Regno
fidelium subditorum votis ac expectationi respondeat, eo modo
quem tui hic Parlamenti in plenam authoritatem, jurisdictionem
et libertatem prius restituti prudentia frequenti omnium caetu
rebus quadrare et congruere judicaverit. Et ulterius | suppli-
camus ut ad majorem nostram satisfactionem tua Celsitudo non
gravetur ad singula quaeque hujus nostrae declarationis capita
et articulos dare totidem scripto responsiones, et in iis toti mundo
patefacias evidenti testimonio tuum harum nostrarum pres-
surarum et afflictionum sensum perinde ac earum amputandarum
propositum ad nostra justa vota et satisfactionem, ut eo nomine
futura saecula tuam reveantur et celebrent memoriam, omnes
Principes Christiani habeant unde tuae applaudant justitiae,
teque in exemplum sibi imitandum proponant, et nos, Celsitudinis
tuae in hoc regno subditi, exinde teneamur incessanter orare
Deum Opt. Max. ut tu tuaque posteritas diu cum prosperitate
et gloria in nos dominemini." Hactenus illa declaratio.

(201) Praeter hanc declarationem invenio Iberniae Catholicos
aliam in Gallia, si non alibi, anno 1642 excusam edidisse, quae
me deficit. Caeterum in primis hisce Ibernorum Confaederatorum
546 | Comitibus Generalibus Kilkenniae hoc anno 1642 mense Octobri
et Novembri celebratis decretum fuit ut omnes toto regno Con-
faederati Catholici susciperent Juramentum bellandi pro fide
Catholica, Rege, et Patria.

(202) Guillelmus Parsonus, Eques Baronettus, et Joannes
Borlasus vel (ut alii) Borlacus, census pariter equestris, duumviri
Justitiarum, per sua diplomata 13^o Decembris 1641 et 18 Januarii
1642 Dubliniae data, Henrico Jonio, Rogero Puttocko, Guillelmo
Hitcocko, Randallo Adamo, Joanni Serno, Guillelmo Aldricho,
Henrico Brereton, et Joanni Watsono, Ministrellis haereticis,
potestatem fecerunt examinandi et scriptis mandandi mala
haereticis ab Iberniae Catholicis ad horum motuum Ibernicorum
initium illata ipsasque circumstantias. Quam illi provinciam
obeuntes haereticorum sexcentorum et triginta septem, quibus
546 a Catholicis in variis regni locis | praesertim in Lagenia, Ultonia,
v et Conacia parvitum erat, quique viritim Dubliniam vel in alia
Anglorum Scottorumque praesidia refugerant, testimonia in
tabulas retulerunt, adeo in multis futilia ut ipsa verba a quibusdam
nugatoribus Catholicis per sales et facetias vel per ironiam
prolata, tanquam arcanam confaederatorum omnium mentem

experiments, contineant, et eadem non nugatoribus sed Catholicorum universitati, tanquam communes omnium deliberationes ibi imputentur. Hunc libellum ab authoribus et testibus nulla plane fide praesertim in hac causa dignis Anglice consarcinatum et ab iisdem nequissimis duumviris, aliisque ex haeretico eorum concilio Regio cum litteris communibus 7^o Martii 1642 datis Dublinia Parlamenti Anglicani communium domus Prolocutori transmissum eadem Communium domus hoc ipso anno 1642 Londini typis mandandum curavit. Quem haud dignum duco qui refutatur. Addam tantum | haeticos Anglicos et Scoticos ita sub Jacobo et Carolo, Regibus, in Iberniae Catholicos tyrannidem exercuisse ut diuturna pax ab anno 1603, quo Jacobus regnare caeperat, usque ad annum 1641, quo Iberni bellum exorsi sunt, continuata plurimorum Iberniae procerum, nobilium, aliorumque inferioris conditionis indigenarum fuit martyrium lentum, et ad nationem per capita extirpandam, si non excogitatum, certe adhibitum artificium ipsis bellis turbulentissimis longe crudelius. In bello enim praedonibus et grassatoribus resistitur, sed inter diuturnam illam aeruscandi licentiam haeticis magistratibus et sub eorum imperio privatis nebulonibus eandem sectam profitentibus impune grassari licebat, Ibernis vim vi repellere non audentibus, ne ipsis quid deterius contingeret. Quanto ergo prudentius et melius Angli et Scoti rebus suis consuluisse, si suam avaritiam ac inhumanitatem | temperassent. Quid enim ab hominibus usque ad patientiae diuturnae demum et maximae defectionem exacerbatis in nativo solo a convenarum haeticorum colluvione et quid a libertatis avitae memoribus expectandum, quam ut tot tantasque injurias praeteritas et semper continuatas ulciscerentur, praesenteque servitute et majoribus malis imminetibus se per vim asserere conarentur, atque ingentium aerumnarum architectos furori populari immolarent. Hic enim perpetuus est apud nationes omnes perverso violentoque regimini exitus. Haec si Reipublicae hirudines mature considerassent haud homines innocentissimos suam pene servilem conditionem aequo animo prae Dei amore diu ferentes ad illud bellum compulissent, ad cujus initium vel duorum mensium spatio ducenta haeticorum millia variis cruciatibus contrucidata fuisse legimus in *Historia belli civilis Angliae*. |

(203) Ad res Ibernicas spectat quod his temporibus Sedani in Gallia successit. Est autem Sedanum civitas frequentissima ad Mosam fluvium posita, in qua ad annum 1572, exindeque, Calvini haeresis invaluit sub illius urbis et Principatus Sedanensis

547

547
vpag. 41
548

548
v Principe supremo, Henrico-Roberto, Duce Bullonii, cujus filius, Guillelmus-Robertus dum principatus clavum tenuit, in haeresi ibidem propaganda patrissavit, sineque prole Genevae, quae Calvinismi metropolis est, vita functus, sororem Charlotam, ea lege turpissima haeredem testamento, quod vidi, moribundus instituerat, ut Calvinismum Sedani secundaret. Qua Henrico de la Tour, Toureniae Vicecomiti haeretico, nupta, et sine liberis defuncta, idem Vicecomes velut Charlotae haeres testamentarius supremum ibi Principem induit. Porro sub his omnibus Principibus haeticis Calvinismus Sedani semper in pejus profecit. Hujus autem ultimi filius, Fredericus-Mauritius de la Tour, post multos | aetatis annos in haeresi transactos, demum patre mortuo ad fidem Catholicam conversus, uxorem duxit singulariter Catholicam et virtutum laude celebratissimam, Eleonoram-Catharinam Febronis de Bergue, Marchionis de Bergue in Belgio nominatissimi filiam.

(204) Sedano tres leucas distat civitas Carolopolitana ad Mosae pariter fluvii ripam a Carolo Gonzaga, primum apud Galliam Nivernensi, deindeque apud Italiam etiam Mantuae et Montis Ferrati Duce, constructa, in qua idem pientissimus Princeps Capucinis Ibernis ad annum 1615 conventum aedificare caepit, ipsis in eum jam plane constructum anno 1620 introductis. Qui formato ibi Capucinatorum nostratium Novitiatu et multiplicato inter Ibernos Ordinis germine ita districtum Carolopolitanum et vineam Ibernicam vomere exinde Evangelico excoluerunt, ut abinde variis modis conati sint Sedanenses in vicinia collocatos Fidei luce illustrare. In quem finem cum in ipsa civitate Sedanensi per haeticorum furorem ipsis pedem figere non liceret, anno 1634 | operam dederunt ut in suos usus Torsiae, pagi Cismosani ad Gallum pertinentis et Sedano ex altera Mosae ripa respondentis, Capucinatorum suae Nationis Hospitium stabilirent. Verum haud diu ibi commorati sunt, aliis vicinia Religiosis contendentibus suum esse ibi in familiam Regularem coalescere, quo inde haeresi Sedanensi bellum indicerent. Postea vero Frederico-Mauritio de la Tour, Duce Bullioneo, et Supremo Sedani Principe, recens (ut tetigi) ad fidem converso, P. Georgius *Mac-Giolla-dhuibh*, Anglis Blakney, Capucinus Ibernus, in tractu Dubliniensi natus, ab eodem Principe, cui nec non uxori charus esset, indistincte Capucinatorum Ibernorum uni apud Sedanum identidem concionandi et paucorum Catholicorum sub haeticorum jugo gravi ingemiscientium confessiones sacramentales subinde excipiendi permissionem antea Calvinistarum violentia et

fraudibus interclusam obtinuit. Qua nec non Archiepiscopi Rhemensis auctoritate nixi Capucini Ibernici per vices Sedanum frequentabant eo | animarum lucro ut Henricus a Lotharinga, Dux Guisus, tunc Rhemensis Archiepiscopus non consecratus sed nominatus, audito eorum triumpho spirituali, ad P. Georgium litteras Gallice dederit, quas ex authographo latine versas subdo :

549
v

Reverende Pater.

(205) "Progressum et spiritualement quæstum, quem in propaganda apud Sedanum fide Catholica feceras, apprimè didici. Quamobrem per præsentès litteras juxta tibi congratulari opere pretium duxi, ac intimare quam liquidem lætitiã ac voluptatem id nuntium mihi attulerit. Insuper majorem in modum a te peto ac contendo, ut labore continenti ad reliqua pergas, eoquè loci peculiarem Missionem dirigas.

Reverende Pater,

Tui studiosissimus amicus ad obsequium paratus,

Henricus a Lotharingia."

(206) Georgius hujus Principis voto acquiescens quid | ex 550
Urbe procurarit hic habet :

"Decretum Sacrae Congregationis de Propaganda Fide habitæ die 12^a Septembris 1639.

"Referente Eminentissimo Cardinale Spada, Sacra Congregatio Missionem decrevit P. Georgio Ibero, concionatori Capucino, in Carolopoli ad terras Sedani Ducis Bullionii cum duobus sociis a Generale Capucinorum approbandis et pro facultatibus jussit adiri Sanctum Officium.

Cardinalis Antonius Barberinus,
Præfectus.

Franciscus Ingolus Secretarius."

(207) Eodem etiam spectat aliud decretum quod hic sequitur :

"Sanctissimus in Christo pater et Dominus noster D. Urbanus divina providentia Papa VIII., omnium hominum salutem pro suo Apostolico munere providere cupiens, te P. Georgium Ibernum Concionatorem Capucinum, in terras Sedani in Gallia mittere decrevit et mittit, ut cum facultatibus tibi per alias | litteras concedendis, consensu tamen Episcoporum ejusdem Provinciae Catholicam cum sancta Sede Apostolica communionem habentium prius requisito, Evangelium Domini nostri Jesu Christi annunties

550
v

et gentes illas doceas servare quaecunque sancta Mater, Ecclesia Catholica Romana, praecipit, et praesertim ut iudicium universale futurum eisdem contesteris. Tu itaque rei magnitudinem et apostolici muneris tibi commissi gravitatem serio perpendens, in primis cave ne ad haeticorum et schismaticorum conciones aut ritus quoslibet quovis praetextu vel causa accedas. Deinde omnem adhibe curam ut ministerium tuum digne et fideliter et cum sanguinis effusione ac morte ipsa, si opus fuerit, impleas ut immarcescibilem coronam a Patre luminum recipere merearis.

“Datum Romae ex Sacra Congregatione de Propaganda Fide Septembris 1639, Pontificatus ejusdem Sanctissimi in Christo Patris anno 17°.

Cardinalis Antonius Barberinus, Praefectus.
Franciscus Ingolus Secretarius.” |

551 (208) Accesserunt aliae complures eaeque amplissimae facultates et indulgentiae, et privilegia Missionariis Apostolicis in animarum lucrum concedi solita, quibus Capucini Iberni adeo utiliter usi sunt, ut praefatus Princeps et Rhemensis Metropolitanus secunda epistola Gallicana, quam manu propria scripserat, P. Georgio congratulatus sit. Harum litterarum partem huc spectantem ex autographo latine insero :

“Reverende Pater.

(209) “Me delectat quod in eadem jugiter permanes voluntate, et curas quas inter haeticos convertendos, atque istius Galliarum marginis indigenas salubriter erudiendos hactenus in meae Diaeceseos salute confixisti, admotis de die in diem novis aculeis continuare non desinas. Sane quam sum gavisus, cum audissem quanto zelo et charitate in eam Provinciam incumbas. Quapropter te opere obtestor maximo, ut quod incipisti, ad finem usque perducas.

Reverende Pater,
Tui amantissimus amicus
Henricus de Lotharinga.” |

551 (210) Georgius insigniorem de haeticis Sedanensibus triumphum reportaturus, duos Capucinos Gallos, P. Yvonem
v Nivernensem, concionatorem celebrem et controversiarum cum haeticis modernis agitari solitarum nec non Philosophiae et S. Theologiae callentissimum, et P. Josephum a *Monterelaxo*,

verbi Dei praeconem totius prope Galliae longe praeclarissimum, ex Missionis decreto sibi praefecto in socios ascivit, et Sedanum invitavit. Cum quibus aliud Capucinatorum Gallicorum par, nempe P. Archangelus Rhedonensis, P. Josephi socius, et P. Marcus Aurelianensis, P. Yvonis comes, advenerunt. Horum quatuor duo praecipui sub Georgio, Missionis praefecto, juxta decretum superius positum, alique duo eorum socii juxta factam Georgio ab ordinario potestatem in ea vinea desuderunt. Sed specialem merentur mentionem Josephus et Yvo, qui illo sui appulsus anno 1640 ab ipsis primis diebus tanto etiam haereticorum applausu bellum | Calvinismo induxerunt ut Dux Bullioneus de offerenda Missionariis Capucinis communi mansiuncula secum deliberare caeperit. Sed haeretici nullum lapidem non moverunt ut nulla domus in Capucinatorum usum conducere aut locaretur. Ita tamen praevaluit Principis zelus ut domunculam a quodam Lymbouro recens ab haeresi converso locatam Capucinis cum hortulo assignarit, officina ejusdem domus mercatoria mox purgata, ornata et capellam induta, in qua Dardaniae Episcopus, Archiepiscopi Rhemensis suffraganeus, ad exeuntem Augustum 1640 primum sacrum celebravit, praefato Duce Guisio, cum Duce Bullioneo, hujusque Excellentissima conjuge, nec non Ludovico Borbonio, Suessionum Comite et Regii sanguinis Gallicani Principe, eorumque aulicis praeter magnam Catholicorum inferioris ordinis celebritatem praesentibus, et infinitas Deo Opt. Max. gratias agentibus quod res Catholica Sedani ita postliminio restitui caeperit.

(211) Prolixum foret hic recensere quanto animarum lucro Capucini nunc cum haeticis palam | disputantes nunc concionantes, nunc Ecclesiae sacramenta administrantes et aliis omnibus Missionis Apostolicae functionibus strenue incumbentes reliquam illius anni 1640 partem et aliquot anni 1641 menses, praesertim quadragesimam, transegerint. Josepho autem a *Monterelaxo* post conciones quadragesimales summo applausu et fructu confectas ad ineuntem Aprilim anni 1641 in suam Britanniae Gallicanae provinciam regresso, Dux Bullioneus P. Jacobum Vadipontanum, Capucinatorum Ibernorum conventus Carolopolitani tunc *guardianum*, per epistolam 2^o Aprilis 1641 scriptam rogavit aliquot fratres nostrates in locum sufficiendos. Quod ita factum ut et aliis Capucinis Gallicanis deinde in suas Provincias regressis, Princeps jam dictus Capucinis Ibernis praefatum hospitium concesserit. Ejus actum huc spectans ex autographo Gallico latine versum hic habe.

552

552
V

553 (212) "Nos, Fredericus-Mauritius de la Tour, | Dux Bullioneus
in Principatibus Sedani et Rancour supremus Princeps.

"Quamquam universam Capucinatorum Religionem sincero
affectu prosequimur, perspecto tamen praenobili et perarduo
Capucinatorum Ibernorum Carolopoli degentium scopo, quos
Religionis causa ab haereticis patria pulsos novimus, et in sacra-
mentis administrandis, atque aliis piis muneribus ac ministeriis
Catholicis exequendis ferventissimos esse experti sumus, ac
ingenti gaudio suscipit suspicitque universus populus nobis
commissus ob ingens animarum lucrum et pietatis progressum,
quem ex illorum pia conversatione, vita irreprehensibili, divini
verbi praedicatione et paenitentiae administratione, quibus in-
defessi insudant, in fidelium mentibus exoriri considerant. Hinc
est quod voluerimus, sicut per praesentes volumus, ut iidem
patres Capucini Iberni ejusdem conventus Carolopolitani in dicta
553 nostra Civitate et Principatu | Sedanensi stabile domicilium,
v sedem et residentiam figant. Per hoc enim non solum miseri-
cordiam et favorem, quem Domino acceptum referimus, nostram
scilicet ab haeresi conversionem, grato animo recolimus, sed etiam
similes aliorum conversiones procurare desideramus. Quapropter
strictissime praecipimus et mandamus omnibus Magistratibus,
judicibus, subditis et subjectis nostris ut libere, tranquille et sine
impedimento dictis Capucinis Ibernis permittant sacra facere,
verbum Dei proponere, omnia sua munia tam ordinaria quam
extraordinaria obire, adeo ut ipsos nec impedian nec ab aliis
impediri permittant. Quinimo iisdem Capucinis ad praefata
exequenda omnem opem necessariam ferre teneantur. Quod si
contra egerint, transgressores pro arbitrio nostro in aliorum
correctionem severe puniendos decernimus. Quia sic nobis placuit.
554 Datum in castro nostro Sedanensi die 20 Septembris 1641. In
quorum fidem his | majori sigillo nostro signatis manum
apposuimus.

Fredericus Mauritius de la Tour."

"De mandato domini mei,
Fr. Eldernisse."

(213) Idem princeps ad suam Sanctitatem et sacram Con-
gregationem de propaganda Fide epistolas scripsit rogans ut suam
illam mentem in Capucinatorum Ibernorum favorem secundarent.
Porro praefecturam Missionis Sedanensis P. Georgio nostrati
sed cum limitatione numeri missionariorum, deindeque P. Josepho
a Monterelaxo concessam, illo mortuo et hoc in Britanniam

regresso, Sacra Congregatio de propaganda Fide 11 Julii 1642 P. Lucae Midensi, Capucino Ibero, nulla facta cooperatorum numeri | restrictione decrevit cum amplissimis facultatibus ad 554
v
quinquennium. Quibus ille atque alii Capucini Iberni, ejus in ea praefectura usque in diem hanc successores, et praefectorum cooperatores, in haeresi ibi extirpanda, in verbo Dei lingua Gallica disseminando, in fide Catholica postliminio restituenda, denique in ea vinea Apostolice purganda atque excolenda exinde semper praeclare desudarunt eo utilius quod Dux Bullioneus ob causas in historia praesertim Gallicana notas Cardinalis Richelii seu potius Ludovici 13 mandato deinde captus, vitae et libertatis redimendae studio Sedanum et universum Principatum ad exeuntem Septembrim 1642 Regi christianissimo jam dicto in potestatem permiserit. Sub cujus Monarchae potentiori imperio haereticorum Sedanensium insolentia et superbia deferbuit et plena fidei ibi Catholicae palam exercendae libertas, | ante ab 556*
[Vol. II.]
anno circiter 1572 nunc magis, nunc minus, restricta, Sedani atque in universo illo principatu reffloruit, datis a Gallo postea aliis in Francia vastissimis dominiis Bullioneo, quem nec non Ducissam uxorem de Capucinis Ibernīs optime fuisse meritos, et ambos pietate, gravitate, modestia, humanitate, judicii perspicacia, atque omnium virtutum principes Christianos decentium gloria claruisse reperio. Et haec quidem sunt quae de hac Missionē Sedanensi, de qua in Capucinatorum Ibernorum historia longe fusius agitur, uno narrationis filo ad hujus anni 1642 calcem perstringenda duxi ne si ad annos 1639, 1640, 1641, et 1642, quibus ea succedere, laciniatim recenserentur, Missionis Sedanensis origo et progressus lectori vel minus vel difficilius innotesceret. Caeterum haud alibi melius quam hic in medium producendus est quorundam | Iberniae Praelatorum Kilkenniae 556
v
in eo Regno congregatorum libellus supplex hoc eodem anno 1642 circa Capucinos Iberos ex conventu Carolo-politano in Patriam Insulam subinde missos, ad Sacram Congregationem in Urbem destinatus. Quem propriis verbis subdo.

(214) "Nos infrascripti Praelati Regni Iberniae, quibusdam occasionibus congregati in civitate Kilkenniae die 25 Octobris anno Domini 1642, inter alia ad tranquillitatem et pacem Reipublicae spectantia considerantes sacrum ordinem fratrum Capucinatorum in quibusdam diaecesibus per oppositionem quorun-

*[In principio Vol. II. omissus est in codice num. 555, sed nullum folium desideratur. Error est tantum numerorum.]

557 dam Regularium eorum receptioni ad civitates et loca, in quibus ipsi ab antiquis temporibus residentiam habuerant, multum molestari non aliam ob causam nisi quod dicti Regulares timeant ex Capucinatorum adventu incommodum aut victus diminutionem se passuros. Nos (inquimus) | experti quod pusillus grex Deo devotus non quae sua, sed quae Jesu Christi sunt, quaerat, paucis contentus, simplici victu et vestitu satiatum sit, ab omni contentione in colligendis decimis, ab ambitione praesidentiae in defunctorum officiis persolvendis abstineat, pastoribus et locorum ordinariis debitam exhibeat reverentiam et sine ipsorum licentia Sacris functionibus sese non implicet. De reliquo exemplari sua vita, Regulari disciplina, assidua divini verbi praedicatione, Missarum celebratione et in confessionibus audiendis populo fideliter inserviat et eximios, Dei cooperante gratia, effectus in Christiana Religione producat. Putamus ipsorum admissionem gratissimam ubique futuram.* Petimus ergo ab eminentissimis Cardinalibus de propaganda Fide ut locorum ordinariis fiat libera facultas ipsos in suis respective diaecesibus recipiendi, non obstantibus constitutionibus Canoniceis, privilegiis Regularibus et | caeteris in contrarium sonantibus die et loco supradictis.

558 v

Malachias Archiepiscopus Tuamensis.
David Episcopus Ossoriensis.
Richardus Limericensis.
Guillelmus Corcagiensis et
Cluanensis Episcopus.
Joannes Laonensis Episcopus."

(215) Iberniae Catholici illo Confaederationis et regiminis in Comitibus Generalibus instituti, quod superius ostendimus, vinculo colligati se ipsis antea haud adeo inter se unitis fortiores evasisse videbantur, pseudo-episcopis et ministellis haereticis cum morbo eorum grege explosis, praelatis et parochis Catholicis postliminio restitutis, fidei Catholicae exercitio palam propagato, haeresi abacta, ecclesiis purgatis, caetui Catholico apertis et ab eo solo frequentatis in celebribus regni civitatibus et oppidis nempe Limerici, | Waterfordiae, Clonmelliae, Cassiliae, Killociae, Dingliae, Tralliae, Ardfeartae, Kilkenniae, Wexfordiae, Rossae, quem aliqui Rossipontum vocant, Galviae, Athenriae, Carolo-montis, et in aliis praesidiis, diaecesum et comitatum locis principalibus nec non vastis insulae regionibus ad Confaederatos pertinentibus. Qui felix faustusque causae Catholicae triumphus in annum praesertim 1642 incidit.

558

COMMENTARIUS RINUCCINIANUS

VOLUMEN I.

PARS V.

An. 1643

In Nomine Sanctissimae

Trinitatis incipit

Annus 1643.

(1) Rex, hoc Confaederatorum Iberniae Catholicorum triumpho late divulgato, metuens ne vi et armis toto Regno triumphum conficerent, ruinam sibi ab Angliae et Scotiae rebellibus imminentem mature considerans, et peroptans ut Iberni sibi in praefatos sectarios suppetias venirent, viam, qua Confaederati Catholici ad pacem secum contrahendam adducerentur, inivit, et nonnullis haereticis | praefectis in Ibernia positis cum ipsis agendi fecit potestatem. Quare Confaederatorum rogatorum ut postulata interponerent mandato DD. Prestonus, Vicecomes utique Gormanopolitanus, Lucas Dillonus, census Equestris, Robertus Talbottus, Miles Baronettus et Joannes Walsheus, Armiger, Regis Angliae commissariis 17 Martii 1643 Trimmiae in Midia tradiderunt libellum supplicem seu gravaminum declarationem suae Majestati praesentandam, quam hic ex acto Anglico latinam reddo.

1643

558

v

“ *Regis Excellentissimae Majestati.*

Clementissime Monarcha.

(2) “ Nos Majestatis tuae obsequentissimi et fidelissimi subditi, Regni Celsitudinis tuae Iberniae Catholici, cum ad Religionem nostram vindicandam, ad Majestatis tuae jura et praerogativas defensandas, et (juxta naturae justitiaeque leges) ad vitas, possessiones ac patriae immunitates tutandas, coacti | essemus ad arma recurrere ; ab horum subinde motuum initio supplices nostras querimonias ob Regios oculos tuos ponere tentavimus, sed spei nostrae evasimus irriti prae potentia et machinatione adversariorum, Dominorum utique Justitiariorum et aliorum nunc ministrorum status in hoc Regno, qui malignantium partium adversus Regiam personam tuam in Anglia jam rebellium ope suffulti, quo facilius in crudeles extirpandae Religionis nostrae nationisque fines, quos sibi praefixerant, pertingerent, omni hactenus ad tuae Majestatis justitiam accessu nos intercluserunt, exindeque sanguinis innocentis tantopere fusi aliorumque hujus Regni malorum, quae secus facili negotio declinassent, occasionem

559

subministrarunt. Cum autem commissionis a Majestate tua Excellentissimo Domino Marchioni Ormoniae, aliisque impertitae (qua habent auctoritatem audiendi quae respondeamus et proponamus, eaque scripto transmittendi ad tuam Majestatem) recenti imbuti fuerimus notitia, nobisque constiterit eam a
 559 Majestate tua | clementer factam potestatem et Regium favorem
 v inserta habere haec verba, videlicet : *Et si summopere detestamur odiosam rebellionem, quam Papistae Iberniae sine ullo fundamento et titulo in nos coronamque et dignitatem nostram concilarunt.* Hanc nos clausulam ex falsis adversariorum nostrorum suggestionibus processisse cum omni submissione judicamus, ideoque protestamur fuisse nos eatenus apud Majestatem malitiose traductos, cum nullam unquam rebellionem vel cogitando foverimus in tuam Majestatem, coronam aut dignitatem, quinimo semper extiterimus et nunquam non fuerimus Majestatis tuae studiosissimi et observantissimi subditi. Quare Majestati tuae perhumiliter supplicamus ut eo nos titulo dignetur et genuinos esse subditos agnoscat, et velut tales Majestati tuae haec sequentia porrigimus gravamina bellorumque praesentium occasiones.

(3) “ 1° Hujus Regni indigenae Catholici, qui ad Religionem,
 560 quam ipsi maioresque a mille | circiter et trecentis annis
 professi fuerant abjurandam nullis praemiis lactari, nulla persecutione cogi potuerant, pronuntiati fuere ab anno Regni Elizabethae Reginae secundo inhabiles ad munera et honores perinde in Ecclesiastica atque in civili Republica. Eorum nobiles despecti. Adolescentibus interdictum est facultate vacandi bonis litteris intra hoc Regnum in universitatibus et scholis publicis, adeoque familiarum filii secundarii, cum in nativo solo ad nulla assumantur munia, domi inter ignorantiam et contemptum squalere, vel certe (quod ipsos ad animum despondendum et patriam ad paupertatem redigat) in exteris nationes, quorum educationem tum fortunam sibi comparent, exulare compelluntur. Denique inter omnes orbis Christiani nationes soli jam dicti Iberniae Catholici (eorum numero, conditione, et obsequio consideratis) peculiari modo infortuniis contabescunt.

(4) “ 2° Cum praefati Catholici in suae Religionis odium
 560 pronuntiati essent ad obeunda | munia publica inhabiles, inde
 v factum ut ad praeclarissima quaeque hujus Regni munera et magistratus exercendos assumpti fuerint magnam partem mediocri conditione et qualitate homines, qui cum ad fortunam inchoandam anhelarent, hanc sibi ex indigenarum orthodoxorum, in quos velut in perennem odii sui atque avaritiae scopum

collimassent, ruinis fabricare solebant. Qui propterea, sub reipublicae solerter administrandae larva, in praenominatos Catholicos, quo apud Angliam odiosi et suspecti audirent, identidem falsas et malignas videbant suggestiones, ex quibus delationibus aliisque eorum malis artibus in Iberniae Catholicos dispendia, quae hic subjungimus defluerunt.

(5) “ 1° Posita fuere obstacula omnibus gratiis et favoribus, quos nativis hujus Regni incolis majestas tua, et nuperus tuus Regius pater promissistis et decrevistis.

(6) “ 2° Procuratae fuere falsae inquisitiones et ficti tituli in Catholicorum patrimonia (licet ea per tot annorum centurias | possederint) usqueadeo ut legitimi possessores contrariam in Jure actionem intendendi et sua suis titulis vendicandi omni plane facultate dejicerentur, et delegati Inquisitores, ubi rebus ex officio bene discussis novos usurpatores nulla prorsus aequitate nixos declarassent, multarentur, idque in publicam sui infamiam et bonorum publicationem, licet secus procedere non valerent, nisi in conscientiae perniciem et adversus apertas evidencias. Nulli demum remedio hos recentes usurpatorum titulos, quibus in magna vastaque Regni territoria involassent, relictus est locus praeterquam *litteris patentibus*, quae et ipsae a plerisque productae fuissent, rejiciebantur tanquam invalidae et nulla nitentes autoritate. Unde recenti memoria clanculariis Guillelmi Parsoni, Equitis, qui modo tuae Majestatis hic justitiariorum alterum agit, machinationibus, et arrogata atque illegitima duumvirorum in Parlamento accusatorum atque aliorum in partes et studia | illectorum molitionibus centum quinquaginta *litterae patentes* uno mane in fumum abierunt idemque procedendi modus re-
crudit, donec caeteras per universum Regnum literas patentes (si paucos exceperimus) iidem ac eorum collegae irritas et nullas declarassent. Et haec quidem erat istis Reipublicae Ministris cura magni Majestatis tuae sigilli, in quo prae reliquis totius Regni fides publica nititur. Haec gubernandi methodus specie quidem Majestati tuae obsequium praeseferebat, sed re ipsa in tuum suapte natura praejudicium vergebat, et immoderata nimisque precox dictorum Ministrorum status fautorumque et necessitudine conjunctorum promotio in extremam praefatorum Catholicorum ruinam redundavit.

(7) “ 3° Nuperus Majestatis tuae Regius pater, Rex Jacobus, paterna et quae genuinum Principem saperet affectionis teneritudine in hoc regnum possessus, clementer dignatus est elargiri complures, amplas et beneficas commissiones magno Angliae

561

561
v

562 sigillo roboratas et diversas moderaminis | formulas, nec non
 litteras suo privato sigillo firmatas, quo sui hic subditi de
 possessionibus avitis per litteras patentes sub magno sigillo
 tuti et securi redderentur, quae similiter super ea re emanarunt
 solutis fori salariis et Coronae redditibus antiquis ita auctis ut
 ei accreverint etiam recentiores. Eidem etiam nupero Regi ex
 ulteriori clementia placuit plures identidem viros integritate,
 scientia, et experientia conspicuos delegare ad discutienda hujus
 Regni gravamina, viamque ineundam et stabiliendam rationem,
 qua amputarentur. Quin etiam tua ipsius Majestas ad annum
 Regni tui quartum benignam sui copiam fecit et faciles accomo-
 davit aures, delatis ad te per hujus Regni oratores querimoniis,
 et insuper multis gratiis et favoribus eodem spectantibus, tuos
 cumulasti subditos in possessionum securitatem et tot intolerabi-
 bilium vexationum antidotum, sub quibus diu ingemuerant.
 562 Haec porro justitiae exercitia et | beneficia a Majestate tua et
 v praenominato Regio patre in hunc populum collata magnam
 illis pepererunt consolationem. Verum sicut ante, sic et in hunc
 usque diem nonnulli ex praedictis Ministris status, et ante reliquos
 praefatus Guillelmus Parsonus, praedictique rei acti iudices
 eorumque fautores tam capitali odio omnem huic nationi pro-
 speritatem et facilem rerum successum invident, tantaque rei
 suae per hujus gentis desolationem et extremum excidium indies
 auctitandae et ampliandae cupiditate flagrant ut sub pallio
 praestandi obsequium Majestati tuae fides publica, quae hisce
 diplomatibus subnixae erat, violata fuerit et favori ac utilitas a
 glorioso Regum pari, uno post alterum, fideli populo destinata
 ad nihilum reciderit.

563 (8) “ 4° Illegitima, ad genium exercita et aequitati plane
 dissona praxis | antedicti Guillelmi Parsoni, Equitis, et prae-
 fatorum accusatorum judicum sectatorumque et instrument-
 orum suorum in curia tutelae pupillorum, sed et tot ultro
 constupratae illius tribunalis edicta, judiciaque eo processerunt
 tyrannidis ut nobilium Catholicorum haeredes, alique orthodoxi
 summa cum immanitate atque inhumanitate fuerint agitati,
 patrimonii excussi, inter profligatos mores et ignorantiam educati,
 parentum debita minime soluta, sorores et minores natu fratres
 penitus derelicti, antiquae et irrefragabiles inferiorum dynastiarum
tenurae prophanatae, possessionum tituli ex lege validi et ob
 causas rationabiles contracti contra legem evacuati, totaque patria
 referta frequentibus turbis executorum forensium lictorum in-
 quisitorum aliorumque id genus autoritate curiae destinatorum. |

v (9) “ 5° Praefati Catholici praeduro jugo jam memorato non

obstante aliisque eorum vexationibus Majestati tuae per nuperos utriusque domus Parliamentariae hujus Regni ex parte repraesentatis (quarum ut ratio habeatur et remedium adhibeatur humiliter rogamus) alacriter et citra renitentiam et repugnantiam contribuerunt omne subsidium mutuum aliasque extraordinarias donationes Majestati tuae in hoc Regno, ex quo sceptrum tenes, factas ad millionem prope librarum, ultra et supra Majestatis tuae redditus tam statos quam adventitios, et licet praefati Catholici in Parlamento atque ubivis extiterint ad ea subsidia concedenda longe omnium promptissimi, inque iis pendendis novem partes ex denis subierint, eo tamen interea insolescebant eorum adversarii imperio et conditione potiore per opportunitatem rerum tuae Majestati continuo | suggerendarum, quo majorem sibi in colligenda hac re numaria famam aucuparentur, eaque non sine magno tuae Majestatis detrimento in iisdem pecuniis distribuendis valebant autoritate ut sibi in ea re primas arrogarent, et Catholicos non nisi obstinatos ac refractarios se exhibuisse praedicaverint.

564

(10) "6° Exercitus in Majestatis tuae obsequium haud mediocribus Regni impensis hic conscriptus urgente malignantium in Anglia factione missus factus est, usqueadeo ut nec deliberationi quidem relictus fuerit locus numquid super eo negotio Majestas tua cum hujus Regni Parlamento consuleretur. Cujus facinoris rationem haud aliam assignarunt quam quod idem exercitus esset ex Papistis conflatus, eique propterea diffidendum, licet testimonium perhibere possit mundus universus, quam iniqua conjuratione malignantes Parlamenti apud Angliam partes in tuae Majestatis honorem, jura, praerogativas et principem coronae florem involarint, aliundeque constet praedictum | Guillelmum Parsonum, Equitem, et Adamum Loftum, ex eodem censu Equestri, Majestatis tuae in hoc Regno proquestorem, aliosque horum sectatores declarasse quod exercitus ex denis Scotorum millibus compactus esset in procinctu ad trajiciendum in hoc Regnum, quo praedictos Catholicos ad suam religionem deserendam compellerent, et quod Ibernia nunquam prosperaretur sine rebellione ut scilicet quicquid nationis residuum est divelleretur. Quin etiam inter generales consessus et publicas celebritates nonnulli (haereticorum) muneribus honoris et utilitatis plenis tunc et nunc in hoc Regno fungentes pignoribus certaverant futurum ut ante unius anni exitum Catholicorum Iberniae superstes esset nemo, antiquaque et extra controversiam posita Parlamenti Iberniae privilegia injuste et contra leges temerarunt praescriptis actis et ambarum Parlamenti Anglicani

564
v

565 domorum molitionibus, citando, et ad ea comitia vocando, et in
iis | interrogando membra Parlamenti hujus Regni dum Parla-
mentum hic celebraretur. Proloquiis quoque et consultis ad
ambarum Parlamenti Anglicani domorum jussa praelo subjectis
promulgatum fuit Iberniam, quoties ejus mentio fieret statutis
in Anglia conditis teneri. Quod a veritate et legibus hic quad-
ringentos annos, et quod excurrit, stabilitis aberrat. Praefatos
etiam Catholicos non latuit conventionem ab utraque Angliae domo
Parlamentaria in orthodoxae fidei alumnos fuisse cusam eosdem-
que domos statuuisse introducere leges ad fidem Catholicam in
tribus Regnis eliminandam idoneas, nec non conscias extitisse
necis crudeli et sanguinario modo istic illatae sacerdotibus eam
tantummodo ob causam quod officium sacerdotale obiissent et
Majestatis tuae adeo vili pependisse clementiam et potestatem,
ut ne unum quidem sacerdotem morte damnatum in tui gratiam
absolvere voluerint, denique Angliae Catholicos ex ipsorum carne
565 et sanguine compactos eo fuisse | demersos infortunii et eos
v persecutiones devorare, vel certe patria exulare oporteret, pro-
indeque alios haud tam arcta ipsis necessitudine conjunctos
consimili saltem clade afficiendos dum eorum vel statutis com-
ponerentur, vel continerentur districtu. Haec itaque incentiva,
tametsi vehementissima et ad suspiciones ac terrores eorundem
Catholicorum mentibus ingerendos summopere idonea, non ad
arma eos defensiva multo minus ad offensiva protruserunt.
Perpetuo siquidem expectabant fore ut tua Majestas ex prudentia
egregie ingenita infra breve temporis spatium, his posset malis
ac novis corruptelis opportunas medelas et convenientia applicare
alexipharmaca.

(11) “7° Dum hujus Regni procerum ac municipum oratores
per novem menses in tuae essent Majestatis comitatu Majestas
tua arduis tunc et gravissimis Angliae ac Scotiae negotiis postha-
bitis benigne ratum gratumque habuit auscultare et saepissime
566 magna cum | patientia aurem praebere eorum pressuris multisque
fuse discussis super ea re contestationibus. Quae dum perager-
entur praenominati Domini Justitiiarii et nonnulli ex tuo arcano
hujus Regni Concilio atque eorum fautores malignis et falsis
suis relationibus ad quosdam Angliae ministros status, qui ab
illo tempore ad rebellium partes palam desciverunt, transmissis,
et assidua aliorum e praedicto sanctiori Concilio in Angliam (ut
justitiae et favori, quo tua Majestas suos hujus Regni subditos
impertiri gestiebat, obicem crearent) consulto profectorum
solicitatione omnem moverunt lapidem quo nulla praefatis

gravaminibus remedia adhiberentur, in quo molimine cum apud Majestatem tuam, contra quam expectaverant nihil profecissent, per litteras demum suas et machinationum intercessores cum compluribus ex praecipuis istic Parlamenti membris ut idem negotium prospero successu frustrarent totis nervis egerunt, parique | modo ad tuam Majestatem, et ad nonnullos status Anglici Ministros transmiserunt haud paucas sinistras interpretationes et malignas explanationes methodi et actionum, Parlamenti tui in hoc Regno. Qua fraude conati sunt Majestatem tuam mala earum rerum opinione occupare, tibi que persuadere potestatem dicto Parlamento defuisse judicandi causas capitales, quae tamen ipsam Parlamenti naturam ex parte constituit. Porro hoc stratagemate in quorundam ex se ipsis, aliorumque tunc laesae Majestatis postulorum impunitatem, perinde ac in hujus Parlamenti enervationem velut in scopum collineabant. Verum ubi dicti Domini Justitiiarii et privatum Concilium animadvertissent suas decipulas et technas plane omnes fuisse imbecilliores quam ut huic Nationi Majestatis tuae benevolentiam et paternam affectionem praeripere valerent, cumque considerassent concessas | praecipuarum quarundam pressurarum medelas fuisse huic in acta Parliamentaria transfundendas, iidem Domini Justitiiarii, atque alii eorum genis indulgentes, per summam nequitiam invidentes membris domus Parliamentariae ex municipibus coalitae plenam inter se concordiam diu antea radicatam et continuatam, eorundemque ac procerum unanimem inter se consonantiam, nihil, quod in dicta domo discordiam et divisionem excitare posset, intentatum reliquerunt. Quare per quosdam ex suo ipsorum numero et nonnullos in eadem municipum domo sibi devotos clancularia conciliabula a pluribus ex eadem domo inferiori celebrabantur data opera ad pariendas gentium ac Religionum aemulationes, quibus invalescentibus nata ibi fuit factio, quae in domus inquietudinem haud parum redundavit, nec minus Majestatis tuae ac boni publici profectum | intervertit. Cum autem certo constitisset dictos oratores jam regredientes ad oras Angliae maritimas se recepisse, obtentis variis et utilibus magni momenti concessionibus atque aliis gratiis in illius Parlamenti acta transformandis, praefata conjuratio moliminibus dictorum Dominorum Justitiiariorum et quorundam ex praedicto Concilio arcano fautorumque ex industria ne res succederet tumultuoso et seditioso modo ad diem Augusti 7^{am} an. 1641 et ad varios dies anteriores efflagitarunt ut curia Parliamentaria in aliud tempus prorogaretur, et praevalentibus moderatiorum

566
v

567

567
v

partium suffragatoribus praefati Domini Justitarii, atque alii eorum votis insistentes diversis honorabilibus magnatibus aperuerunt futurum ut, nisi illa die Dominica procerum domum parlamentarem usque ad aliud tempus dimitterent, ipsimet die lunae proxime sequenti Parlamentum prorogarent, atque in aliud | tempus differrent. Et hac quidem via, nec non secundantibus magno numero nobilibus ascititiis, quibus nulla unquam suppeterent patrimonia, quique nullo unquam tempore hoc Regnum incoluissent, procerum domus (quod Parlamenti hic privilegia et praerogativas in perniciem trahit) ad dictam diem Augusti septimam fuit dimissa, et municipum caetus eadem occasione et ob eam, cujus mentionem fecimus, conspirationem haud diu post prorogatus. Quo factum ut jam memoratae gratiae, favoresque, contra ac Majestas tua decreverat et populus magna spe diuque flagrantibus votis anhelaverat, in Parlamenti tunc statuta transire nequiverint. Interjectis deinde paucis diebus post fatalem hanc atque extortam prorogationem, oratores, de quibus jam locuti sumus, Dubliniam appulerunt instructi Majestatis tuae diplomatibus de praefatis remediis applicandis. Quae etiam iisdem dominis Justitiariis et Concilio praesentarunt, Parlamenti prorogationem | in benignum sensum interpretantes, et suis Dominationibus supplicarunt ut in populi satisfactionem illius partis diplomatum, qua Majestas tua se populo singulariter benevolum demonstrarit, summa capita curarent in omnes subito Regni tractus distribuenda, sed eorundem Dominorum Justitiariorum calculis roborata, ne secus indigenis ad desperationem aut sinistras suspiciones via sterneretur. Quod illi se praestituros promiserunt, inque illum finem instrumentum fuit confectum atque ipsis oblatum. Verum subditorum jam succensentium ignem injecto oleo potius augere quam restringere (ut videtur) cupientes, omni rei notitia populum imbuiere neglexerunt.

(12) 8^o Post haec nonnulli periculis pleni et perniciosi libelli supplices praefati Guillelmi Parsoni, Adami Lofti, Joannis Clothworthii, Equitum, Arthuri Hilli, Armigeri, aliorumque ex malignantium conspiratione non paucorum consilio excogitati, et multorum millium ex eadem conjuratione | apud urbem Dubliniensem et Ultoniae provinciam, variosque alios hujus Regni tractus subscriptionibus firmati, ad Parlamentariam denique ex municipibus coactam in Anglia domum directi, haud paucis in hoc Regno nec mediocris conditionis viris ad forenses celebritates atque ad alia loca publica innotuerunt et perfecti fuere. Continebant autem res Catholicorum eorumque Religionis, vitar-

um, et possessionum ruinam spondentes, magis aliunde metuendi ob insolentem dicti Joannis Clothworthii auctoritatem in Parlamento Anglicani domo inferiore inter resistendum Majestati tuae, et ob barbarum ac efferatum modum, quo in eodem comitio adversus Catholicam Religionem ejusque professores sua sensa eructavit. Mox post haec statutum ab inferiori Parlamento Anglicani domo procusum (quo praescribatur ut nemo reverentiae signum exhiberet audito nomine Jesu, ad cujus sacrum sonum omnia simul genua curvari debent) ad eorundem Catholicorum notitiam | pervenit, qui etiam ad suam Religionem et nationem pessundandam easdem malignantium partes conspirasse et clandestinam societatem coiisse didicerunt. Hinc evenit ut praefatorum Catholicorum nonnulli caeperint perpendere deplorabilem et desperatam, in qua positi essent, conditionem ob statutum ac legem hic inter publica hujus Regni scrinia repertam velut anno secundo Regni nuperae Reginae Elizabethae latam, sed ejus diebus minime gentium executioni mandatam, imo nec detectam exploratamque, donec eorum, qui illi Parlamento suffragatores interfuerant, plerique expirassent. Nulli porro Catholicorum hujus Regni sarta tecta esset vita, possessio, aut libertas, si sanctio illa effectum sortiretur. Quod ne fieret, unum superfuit impedimentum, suprema tuae Majestatis auctoritas et imperium, cui deprimendo aut radicitus excidendo strenuam alii navarant operam sicut ante recensitum est. Super- venit deinde conspiratio in Catholicorum perniciem una per exercitum ex Scotia aggressurum, et altera in Anglia | mali- gnantium artibus exequenda. Duplicis hujus, utrinque horrendae, ruinae metus et flagrans justae illius, qua repulsari illa et retundi posset, praerogativae tuendae desiderium quosdam Ultoniae Catholicos circa 22^m Octobris 1641 in bellum erumpere coegit ad vindicandam Religionem, Majestatis tuae jura, suam ipsorum vitam, possessiones, et libertatem, Qui mox in hanc mentem solenni se jurejurando obstrinxerunt, eodemque spectantes plures syngraphas, quibus id ipsum declararint, ad dominos Justitiarios et Concilium transmiserunt, humiliter postulantes ut in Parlamento, cujus sententiae se suaque postulata submittere parati essent, ad causam agitandam admitterentur. Quas declarationes ut receperunt sic et spreverunt dicti domini Justitiiarii, qui cum praevalescente praefati Concilii parte quamlibet Parlamenti, quod alias ex ultima prorogatione paulo post cogendum fuisset, dissolvendi occasionem | laete ferentes ex praedictorum duorum judicum accusatorum deliberatione edictum

569

v

570

570

v

ad 23^m dicti mensis Octobris diem an. 1641 promulgarunt, quo et omnes Iberniae Catholicos perfidiae insimularunt et Parlamentum declararunt prorogatum usque ad diem insequentis Februarii 25^m. Intra paucos dies post praefatum 23^m Octobris magno numero optimates, alique ordine et meritis eximii ad Dominos Justitiarios Conciliumque recursum habuerunt supplices, idque effecerunt ut ipsis evidenter constiterit prorogationem jam dictam a legibus deviasse. Quare summa animi submissione rogarunt ut Parlamentum juxta penultiman prorogationem potius convocaretur. Quae sane tunc unica supererat ratio componendi aut reprimendi late serpentes patriae offensiones et tumultus. Verum dicti Domini Justitiarii et qui in Concilio arcano ab ipsis stabant probe scientes fore ut utriusque domus Parliamentariae suffragatores per universum Regnum dispersi, ob illam dilationem | ultimam haud ad utriusque celebritatem, paucis in urbe Dubliniensi et vicinia exceptis confluerent, biduo ante terminum proclamatione publica declararunt comitia celebratum iri, idque severis adeo conditionibus ut nullum *actum gratiae*, nihil aliud in populi quietem aut satisfactionem proponi, nedum recipi posset. Quapropter pauci procerum in comitiis comparuere iique ipsi inter introducendum ad Castelli Pontem et portam, juxta ac cis aream versus Comitii januam, exindeque versus recessum circumdabantur frequenti armatorum numero cum fomitibus ardentibus et sclopis majoribus ipsa utriusque domus suffragatorum pectora insultantibus nemini interea ultra Castelli Pontem facta potestate vel unius servi in obsequium adstituri, nec cujuscunque generis armorum in corporis ornamentum. Quamlibet autem infrequentes fuerint binae domus Parliamentariae et sub adversarum partium imperio positae, ambae tamen a Dominis Justitiariis et | Concilio supplicem in modum expostularunt ut in unum caetum ad tempus coalescere et reliquorum ex utraque domo adventum praestolari sinerentur, quo dissensiones frequente senatu sedarent, et quaedam *securitatis statula* per tuam Majestatem concessa ac sub magno Angliae sigillo transmissa ad tuae Majestatis subditorum animos suaviter reconciliandos reciperentur. Quae postulata ad Majestatis tuae obsequium et populi tranquillitatem tantopere conducentia funditus rejecta fuere, et domini Justitiarii, atque alii ipsis in Concilio astipulantes, suae factionis machinationibus in utraque domo Parliamentaria tunc (sicut dictum est) infrequente secundati proposuerunt diffiniendum in Parlamento jam memoratos nobiles iniouis gubernarchis succensentes *rebelli* ritu arma sumpsisse.

Quod assertum in utraque domo optimis quibusque | displicuit, quibus tamen in modum superius relatam terrore percussis, et per quosdam ex ipso adversariorum numero credibiliter edoctis quod si refragarentur, inter egrediendum e Comitio a sclopetariis in eum finem destinatis trajicerentur. Hic metus ad edictum illud admittendum januam aperuit. Atqui his omnibus, quarum hactenus meminimus, animorum irritationibus, vexationibus, et *indignitatibus* non obstantibus, Catholicorum pars longe frequentior et celebrior, omnesque Iberniae civitates et municipia, imo integrae Provinciae se domi, quisque suae, tranquille continebant. Verum eodem tempore Domini Justitiiarii, alique eorum nutum manentes, ubi multos e Parlamento Anglicano primores in Majestatem tuam jam rebellasse percensuissent, praecipuum ad hos recursum habuerunt, et litterarum, | calumniis ac suggestionibus in hujus Regni Catholicorum excidiis tendentibus scatentium fasciculos direxerunt, eosque rogarunt ut vasto sibi conatu ad universum Regnum debellandum suppetias venirent. Illis etiam qui malignantium partibus hic studerent arma suppeditarunt, quae Catholicis nedum denegarunt, sed etiam eos exarmarunt idque in ipsa etiam civitate Dubliniensi, quae per retro saecula in fide erga coronam Anglicanam tam perstiterat, quam quaevis alia civitas aut praesidium. Reliquae omnes frequentes Regni urbes et municipia, quorum opera in Regno temporibus antegressis a defectione praeservando primas tulerat, repulsam passa sunt, cum arma, quibus se tueri possent, pretio sibi comparare vellent, et peculiare a dictis Dominis Justitiariis mandatum exiit de | Catholicis ad unum omnibus apud nonnullas praefatorum civitatum et oppidorum exarmandis, aliisque, qui inermes essent, interdictum fuit armis, etiam in defensionem, procurandis. Quin etiam ubi idem Domini Justitiiarii et Concilium ab utraque Parlamenti Anglicani domo mandatum recepissent faciendi veniam per actum publicum omnibus tunc in hoc Regno (ut illi loquebantur) rebellantibus, modo in diem praefigendum se submitterent, idem Guillelmus Parsonus, secus ac hoc mandato praescriptum erat, ita cum sua Concilii factione in pejus profecit, ut statutum illud de praeteritis condonandis non nisi in duabus comitatibus fuerit promulgatum, praefixo temporis spatio longe brevissimo, et exclusis venia omnibus agrorum possessoribus. Quare nemo non vidit primum Catholicorum fortunas, deindeque vitas in scopum fuisse | propositas. Itaque Domini Justitiiarii fautoresque huc usque in animi sententia progressi, sed successum desiderii repugnantem experti, Carolo Cooto, Equiti Baronetto,

572

572
v

573

573
v

qui jam fatis functus est, imperarunt ut in comitatum Wicloensem moveret. Ubi succendit igni, occidit, et destruxit in itinere omnia et omnes ritu crudelissimo viros, faeminas, infantes, adeoque eos qui nulla haberent noxiae voluntatis vestigia, nec ejus complendae potestatem. Interjecto deinde pauco tempore quaedam peditum agmina ad dictorum Dominorum Justitiariorum fautorumque jussa expeditionem susceperunt noctu in oppidum *Santriam* apud Fingalliam tertio a Dublinia lapide. Quae regio nec tunc nec a quadringentis vel quingentis annis antegressis senserat quid tumultus esset aut quid bellum significaret. Sed ager erat plus nimio amoenus et vicinus proindeque aptus, qui ad bellandum compelleretur.

574 In eo pago insontes agricolae, alii Catholici, | alii haeretici, qui Catholici habiti sunt, domi quisque suae, homicidiis occubuerunt, capitibus cum triumpho Dubliniam transportatis. Postero mane facta super hoc postulatione nec damni obtenta fuit reparatio nec delicti animadversio. Hinc quidam haud vulgariter nobiles, aliique patriotae, quid tunc patratum esset, quidque in novissima illa versus et adversus comitatum Wicloensem suscepta expeditione contigisset, perspicientes, sibique haud injuria metuentes, ne pariter omnes jugularentur, proprias aedes deseruerunt, et armis licet atque apparatu bellico minus instructi, quia tamen coacti ad se defendendos in unum corpus coierunt. Ad haec in Concilii consessu 13^o Decembris 1641 latum sed usque ad 15^o nec promulgatum nec typis mandatum fuit edictum, quo praefati viri nobiles et Georgius Kingus invitati sunt ad deditionem

574 in diem ejusdem mensis | duodevigesimam promissa incolumitate. Eodemque die alterum publice emanavit scitum, quo proceres *Coloniae Anglicanae* circa Dubliniam habitantes ad *Magnum Concilium* in diem mensis 17^m citati. Verum Domini Justitiarum et qui in Concilio ab ipsis starent omnem reconciliationis spem abdicaturi, antedicto Carolo Coote, Equiti, eadem die 15^a mensis Decembris in mandatis dederunt ut Clontarviam, ejusdem Georgii Kingi, census Equestris, domum et pagum secundo a Dublinia lapide moveret, quo quicquid ibi reperisset totum depredaretur, combureret, perimeret, devastaret. Quod mandatum prompte et ad amussim fuit observatum in manifestam fidei publicae transgressionem, exindeque factum ut *Magni Concilii* celebritas fuerit praepedita, magnatibus haud audentibus se credere eorum potestati, qui tam notorios faedifragos profiterentur. Harum

575 ergo et reliquarum rerum | superius relatarum consideratio *Coloniae Anglicanae* atque aliarum partium Provinciae Lageniae

nobilibus et incolis prudentem praesentis periculi timorem incussit, coegitque ad cavendum sibi modo quam possent optimo per defensionem natura duce licitam. Qui et *Readum*, subchiliarchum, allegarunt, quo eorum tuae colendae Majestati rationes humilem in modum ob oculos poneret, tibi que rerum statum declararet, ac denique eorundem malorum levamen et solatium perhumiliter imploraret. Verum idem subchiliarchus, tuae licet Majestatis servus et ad bonum publicum procurandum destinatus, (quo casu jus gentium incolumitatem et tuitionem concedit) utraque consideratione posthabita nedum a legatione proseguenda fuit de-tentus sed etiam Dubliniae tortus ad rastrum.

(13) " 10* Iisdem Dominis Justitiariis jubentibus | D. Praeses 575
Momoniae cum suis complicibus, ea tunc provincia plenam pacem v
spirante, flammis absumpsit, depeculatus est morteque affecit viros, faeminas, infantes, nulla conditionis, aetatis aut sexus habita ratione in diversis illius Provinciae partibus, Catholicis interea nobilibus et generosis ibi in suspicionem vocatis, ideoque nec armis nec apparatu bellico impertitis. Conaciae provincia ad parem mensuram male multata fuit, quibus perspectis plerique potentiorum Catholicorum in duabus illis provinciis compulsi fuere, armis licet et caeteris rebus ad bellandum necessariis vacui, de sua sibi salute prospicere, eoque fine in sui defensionem bellare continuo expectantes tuae majestatis beneplacitum, et interea nunquam non parati tuis monitis obtemperare. Sed interibi conspiratione praefatorum Ministrorum status et sequacium ad plenam maturitatem producta, factionis architecti perpetuis mirisque molitionibus fatigabant malignantium partes in | Anglia, 576
quo populum hunc omni justitiae vel misericordiae ad majestatis tuae tribunal impetrandae spe destituerent, et Anglicam unaque Scoticam nationem perenni in tuos hujus Regni subditos inimi-citia irritarent.

(14) " 11° Hoc Majestatis tuae Regnum Iberniae ab usque diebus Henrici secundi, aliquando Regis Angliae et Domini Iberniae, proprium celebrabat Parlamentum ex proceribus et municipibus compactum modo, forma, libertatibus, praerogativis, privilegiis, et immunitatibus simile atque aequale Parlamento Angliae, a solo denique Angliae et Iberniae Rege et corona dependen-s, adeo ut nulla totius illius temporis produci queat ex authenti-cis chartophilaciis publicis evidentiali aut locuples argumentum, quo probetur ullum statutum in Anglia conditum potuisse vim

* Num. 9. in MS. omittitur.

- obtinere, aut de facto obtinuisse, in hoc Regno, nisi prius hic Parlamento stabilitum. Ad falsas tamen suggestiones et relationes de tuis Iberniae subditis delatas adversarii anno Regni Majestatis tuae decimo octavo | Senatusconsultum in dicto Angliae Parlamento condendum curarunt, quod inscribitur: *Actum latum ut rebelles in suae Majestatis Regno Iberniae ad obedientiam suae Majestati et coronae Angliae debitam prompte efficaciter reducantur.* Et aliud statutum, quod inscribitur: *In dictae prioris sanctionis additamentum et explanationem.* Quibus edictis atque aliis statutis publicatis subditi Majestatis tuae iniussi se sistere, et inauditi, pronuntiati fuere rebelles et vices centena, quingentaque jugerum millia ex terra arabili, pratis ac laetis pascuis hujus Regni certis rei numariae summis venundata faeneratoribus, et aedificia, stagna, sylvae, fundi uliginosi, desertaque cum appendicibus (sicut iisdem statutis continebatur) gratis collata donataque, quas sanctiones Catholici sibi persuadent invita Majestate tua emanasse, eaeque licet suapte natura irritae, iniquae, et quo ad scopum intentum omnino nullae sint illa tamen complectuntur, quae multorum malorum extant semina in Majestatis tuae praejudicium summopere vergant, | et extremam huic nationi desolationem intentent. Licet enim in solos rebelles et in certam terrae mensuram transcribendam tendere videantur, intus tamen et in cute omnia Regni praedia secundum praefatorum statutorum verba distribui possent, a quocunque demum possideantur, nullo aetatis, conditionis aut qualitatis facto discrimine, omnesque tuae Majestatis tenurae et major pars fixorum reddituum Majestatis tuae in hoc Regno corruerent. Idem etiam Senatusconsultum, si liceat, Majestatem tuam omni condonandi potestate, terrasque illas donandi facultate privavit. Quae absurditas est tanta ut similem nullo saeculo contigisse reperiamus. Itaque adversus hoc scitum Catholici jam dicti protestantur velut fundamentalibus hujus Regni legibus oppositum et tuae Majestatis juri ac praerogativis contrarium, cujus utique titulo maxima virium ad hoc Regnum terra marique infestandum huc transmissarum pars nulla a tua Majestate derivatam agnoscunt auctoritatem, sed ab Angliae Parlamento dependent. |
- (15) “ 12^o Adventitii omnes, et qui cives Dublinienses non erant, a dictis Dominis Justitiariis mense Novembri deindeque anno 1641 eadem urbe exire jussi haud citius exierunt quam eorundem DD. Justitiariorum mandato fuere extra civitatem direpti, bonis ibidem extortis et Dubliniae fisco adjudicatis, ipsis vero repulsam passis, cum regredi desiderassent, ut sub

Regis ibi patrocínio et tutela viverent, idque totum antequam rebus novandis se ullatenus immiscerent. Complures etiam alii loco et meritis conspicui per ipsos Dominos Justitiariorum ad publica obsequia praestanda delecti, alii vero domi se continentes nullique damnum inferentes planeque nullum cum praefatis Catholicis, qui bello incolumitatem quaerent, commercium foventes, alii denique non pauci in diversis Regni partibus sub lege viventes promissaque gubernatorum defensione et patrocínio securi, ante reliquos quoscunque bonis direptis et domibus igni succensis, ipsi cum inquilinis et famulis gladio pene destructi peremptique interierunt praefatis DD. Justitiariis sic praescribentibus. Ad quorum etiam mandata in dies fiebat ut securitas vel conditiones a quovis ex militiae suae ducibus etiam praecipuis promissae concessaeque continuo violarentur, multique haud mediocris notae viri, qui eas obtinuissent, omnium primi perderentur. Nec defuere qui, cum in nullam sive Iberniam sive Catholicis objecti criminis suspicionem justo titulo vocarentur, ubi tamen Dubliniam sponte accessissent, dictorum gubernarum jussu ibi in carcerem conjecti sunt, ruri vero bonis excussi, spoliati ac in capitis discrimen ad judicium raptati, Dubliniae quoque et Corcagiae civitates, sicut et antiqua Vadiponti, Yeoghelliae, et Kinsaliae municipia, quae ad tuae Majestatis mandatum milites praesidiarios (haereticos) libenter admiserant non minus quam regiones adjacentes, quae opem ferrent, durius habita fuerunt et impraesentiarum duriorem, quam olim Israelitae in Aegypto, sortem experiuntur. | In summa luculenter demonstrabitur plura homicidia fidei publicae pactorumque militarium violationes, depopulationes, desolationes, aliaque id genus crudelia facinora indigna quae recenseantur fuisse perpetrata in Iberniam nomine et impulsu dictorum dominorum Justitiariorum suorumque in concilio fautorum per duodeviginti menses, quam ostendiqueat alibi gentium fuisse commissa ab hominibus, qui Christiano nomine censeantur.

578

578
v

(16) "13" Praedicti Domini Justitiariorum, et qui ad eorum genium quadrarent, contra sacrosantas Patriae leges procurarunt diversis vicibus utriusque domus Parliamentariae sessionem (naturalium et genuinorum membrorum absentibus novem partibus ex denis, quod reliquis tutum non esset eorum se potestate credere) et in aula inferiori erexerunt magno numero scribas, milites, famulos, aliosque vel nullo vel certe illicito modo electos et delegatos, nullisque in Regno possessionibus gaudentes. In quibus sessionibus multa condita fuere statuta obtentaeque

579

sententiae forenses ad eos, qui ante in pleno Parlamento laesae Majestatis arcessiti erant, absolvendos, nonnullaque cusa fuerunt vel saltem fuerint acta legibus repugnantia, in Majestatis tuae et totius hujusce nationis detrimentum. Sed et pendentibus his motibus celebritates forenses exercebantur et suprema Majestatis tuae curia, aliaeque apud Dubliniam constitutae sedebant pro Tribunali, haud alia mente et consilio quam ut falsis et adulteratis judiciis tanquam in exleges, aliorumque capitalium criminum reos vibratis condemnarent multa millia obsequentissimorum tuae Majestatis in hoc Regno subditorum, ipsis in ius non vocatis, et hunc procedendi modum omnino celatis. Quin etiam obscuri homunciones et terrae filii pari machinatione ex industria designati Vicecomites annuos gerebant, et pauperes | artifices, gregarii milites, servique mechanici in juratos asciscebantur Inquisitores super vitis et possessionibus eorum, qui non nisi commeatu et fide publica accessissent.

(17) " 14^o Quapropter dicti Catholici ex sua ipsorum et totius Iberniae parte protestantur et declarant adversus dictas agendi vias fucatam Parlamentorum atque aliarum curiarum jam tactarum speciem praeseferentes et adversus earum singulas tanquam atrocia flagitia legibus repugnantia, quibus Parlamentorum privilegia, Majestatis tuae praerogativae atque auctoritas, nec non fidelissimorum tuorum subditorum jura justaeque immunitates prophanantur. Itaque tremende monarcha quandoquidem apta remedia, si his gravaminibus et intolerabilibus pressuris admoveantur, eo tendunt ut majestatis tuae reditus stabiliantur, hoc Regnum a ruina praeservetur, et plene fiat satis praefatorum tuorum | subditorum votis, qui ut obsequium tuaeque Majestati inserviendi zelum manifestent suum, propensissimi et expeditissimi erunt ad dena militum millia subducum graviter expertorum imperio impendenda in asserenda Regia tua jura et praerogativas. Hinc est quod majestatem tuam humillime obtestentur ut has suas justas et supplices querimonias favorabilibus responsionibus digneris, et quo populus tuus in perenni pace et securitate ponatur, iidem Catholici, demissione animi quam possunt maxima, obsecrant ut majestas tua ex summa sua clementia velit liberum in hoc Regno Parlamentum convocare eo congruo tempore quod tua majestas pro sua singulari prudentia judicaverit idoneum et praesens rerum status Regnique necessitas postulat, digneturque ut idem Parlamentum aequo loco celebretur, convocetur, et continuetur per et | coram aliquo vel aliquibus honore et fortuna praestantibus fide in majestatem tuam conspicuis tuo hic populo acceptis et

a maiestate tua ad hanc Provinciam obeundam quantocius assumendis. Quod maximopere necessarium est ad rem tuam promovendam et ad praesentem Regni conditionem in tuto collocandam. In quo Parlamento iidem Catholici humiliter orant ut hae atque aliae suae pressurae sublevantur, et statutum anno decimo Regis Henrici septimi in hoc Regno conditum *Poyningi actum* communiter vocitatum, omniaque acta idem explanantia vel ampliantia peculiari senatus consulto in eodem Parlamento suspendantur durante illo Parlamento, sicut gestum fuerat anno undecimo Reginae Elizabethae ad occasiones longe minoris ponderis, quam se modo offerunt. Deinde ut Maiestati tuae placeat cum dicti Parlamenti consilio inire viam refigendorum vel ulterius confirmandorum praefatorum statutorum melius | conducturam ad promovendam hic rem tuam et hujus Regni tranquillitatem. Denique ut ea, de quibus in hoc libello supplici querela movetur, nec Catholicis praejudicent, nec a dicendis libere sentiendis nec a sedendo in dicto Parlamento ipsos prae-
pediant, qui sicut ex observantia tenentur aeternum orabunt ut maiestati tuae in se ipsos imperium longaevum sit et prosperum." Haec illi.

Nota
viam ad
Ormo-
nium ob-
tinendum
in Pro-
regem.

(18) Dum inter Regis et Confaederatorum Iberniae Catholicorum commissarios de partibus componendis Trimmiae ageretur, Ormonius, virium haereticarum adeoque hostilium praefectus generalis, cum suo exercitu Dublinia in Iberos movit et Timoliniam interceptit. Rossam quoque vel (ut alii latine reddunt) Rospontum, nobile Lageniae oppidum, occupare conatus est sed viribus Catholicis genereose occurrentibus ibi navibus aliquot spoliatus et spei evasit irritus ut copiis debilitatis receptui cecinerit, et nihil pene per sex menses deinde secutos tentare valuerit. Mense deinde Junio 1643 haeretici | Anglici Corcagia egressi in vicinia positum nobilis viri Joannis Condoni castellum occuparunt, praesidiariis Catholicis adeo barbare et inhumaniter tractatis ut nuncio Kilkenniae audito proceres nobilesque Momonienses magnis passibus cum aliquot cohortibus subitariis occurrerint, sed primi omnium proceres nobilesque atque asseclae et adhaerentes, aliis non expectatis in Anglos jam castello ad deditionem coacto, Corcagiam laete regredientes ad *Clockliatham* irruerunt equestres, tanta animi magnitudine et laeto rerum successu ut suorum duobus tantum, nempe Dominico Sarsfieldo, Vicecomitis Killociensis filio primogenito et nescio quo altero, desideratis, copias Anglicas ad internecionem deleverint, ceperintque, exceptis paucis, qui palantes fuga saluti consuluerunt, capto inter alios Wallero, Anglorum inter illam expeditionem

581

581
v

582 stratego. Eodem etiam tempore Catholici in Conacia fortissimum propugnaculum, quod haereticis praesidiariis munitum urbem | et Portum Galviensem ultra modum infestabat, expugnarunt. Quod aliaque triumpho Catholici beneficia Galvienses Deo accepta relaturi Capucinos hoc anno Galviam introduxerunt.

(19) Urbanus VIII. ne Confaederatorum Iberniae Catholicorum zelo in Ecclesia ibi postliminio restituenda deesset, ad eos ministrum Apostolicum, Petrum Scarampum, Congregationis Oratoriae a S. Philippo Nerio institutae alumnum, allegavit, misso per eum Iberniae Praelatis hoc *Brevi Pontificio*.

“ Venerabilibus Fratribus, Archiepiscopis et Episcopis per Regnum Iberniae constitutis Urbanus Papa VIII.

582 v (20) “ Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam benedictionem. Quae de prosperis Iberniae successibus et de praecipua Catholicorum ibi degentium pietate ac fortitudine praedicantur, maximo cum solatio in hac nationum omnium patria excepta sunt. Confirmet Deus quod operari caepit in vobis, quemadmodum Nos Divinae suae clementiae thronum humilibus | precibus adeuntes indesinenter postulamus. Nunc autem ut singularem, qua fraternitates vestras et universum istud Regnum prosequimur, charitatem omnibus perspectam faciamus, istuc animarum saluti et publicae incolumitati Nostro nomine consulturum allegare decrevimus dilectum filium, Petrum Scarampum, qui paternae domus commodis Religiosi caetus institutioni posthabitis, Congregationi S. Philippi Nerii jampridem sese addixit. Ea praeditus est morum ingenuitate ac litterarum eruditione, eo rerum gerendarum usu instructus, ut apud humanitatem vestram alienae commendationis officiis illum haudquaquam egere existimemus. A vobis tamen accurate petimus ut non solum ejus verbis, perinde ac si a Nobis proferrentur, cumulatam praestetis fidem, sed ipsius etiam conatibus, qui non nisi ad commune bonum et sacrarum rerum praesidium dirigentur, auctoritatis vestrae ope sedulo praesto sitis. Pergite venerabiles fratres quam tenuistis via et pro pastoralis vestro nomine in praesenti rerum opportunitate nihil praetermittite, | unde a vobis veram Religionem impigre propugnantibus faeliciter impleatur ministerium vestrum, simulque memineritis susceptos pro Catholica fide labores amplissimo nunquam carere praemio, cum liberalis bonorum operum remunerator sit ipse Deus. Ab eo fausta cuncta precamur fraternitatibus vestris, quibus

583

Apostolicam Benedictionem intimo cordis sensu impertimur. Datum Romae die 18 Aprilis 1643, Pontificatus Nostri anno vigesimo.

Julius Rospigliosus."

(21) Transmisit etiam Pontifex ad Iberniae Confaederatos Jubilaeum his verbis.

" *Urbanus VIII. ad futuram rei memoriam.*

" Zelum Orthodoxae Fidei quo accensi Iberni Catholici tanquam bellatores Domini exercituum Regnum Iberniae ob eximium ejusdem Fidei cultum, *patriam Sanctorum* olim appellatum, ab haereticorum oppressionibus et injuriis, quibus | jamdudum affligitur, armis vindicare et operarios iniquitatis, qui massam Catholicae puritatis eodem in Regno haereticae contagionis fermento infecerunt, et jugiter inficere nituntur, extirpare satagunt, spiritualium gratiarum, quarum dispensatores in terris a Domino constituti sumus, largitione confovere volentes, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus autoritate confisi, ex illa ligandi atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus meritis minime suffragantibus contulit, universis et singulis Christi fidelibus in praefato Iberniae Regno contra haereticos et alios Catholicae Fidei hostes nunc et pro tempore militantibus vere paenitentibus et confessis, ac sacra communione reffectis plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem, sicut in anno Jubilaei visitantibus certas ecclesias intra et extra urbem concedi consuevit, tenore praesentium pro una vice tantum pro quolibet concedimus et elargimur. Cupientes autem omnes Christi fideles militantes (ut praedicatur) | participes fieri hujus pretiosissimi thesauri, universis et singulis Christifidelibus praefatis licentiam concedimus et facultatem damus ut sibi ad hunc effectum quemcunque praesbyterum confessorium tam saecularem quam cujusvis Ordinis Regularem etiam ex alias approbatis a locorum ordinariis eligere possint, qui eorum confessionibus diligenter auditis ab omnibus excommunicationis, suspensionis, et aliis Ecclesiasticis sententiis et censuris a jure vel ab homine quavis causa latis seu inflictis, nec non ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, et delictis quantumvis gravibus et enormibus etiam locorum ordinariis sive Nobis et Sedi Apostolicae etiam in litteris die Caenae Domini legi solitis contentis et alias per quascunque Nostras et Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum, Constitutiones,

583
v

584

quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus,
 quomodocunque reservatis in foro conscientiae et ea vice tantum
 eos absolvere et liberare valeat, et insuper vota quaecunque,
 584 Religionis et castitatis exceptis, | in alia pia et salutaria opera
 v commutare, injuncta tamen eis et eorum cuilibet in supradictis
 omnibus casibus paenitentia salutari aliisque ejusdem confessarii
 arbitrio injungendis. Quapropter tenore praesentium in virtute
 sanctae obedientiae districte praecipimus et mandamus omnibus
 et quibuscunque venerabilibus fratribus, Archiepiscopis, Episcopis,
 et aliis ecclesiarum praelatis ac quibuscunque ordinariis locorum
 in Ibernia existentium eorumque vicariis et officialibus, vel iis
 deficientibus illis, qui curam animarum inibi exercent, ut cum
 praesentium litterarum transumpta aut exempla etiam impressa
 acceperint, illa statim absque ulla mora, retardatione, vel impedi-
 mento per suas ecclesias et diaeceses, provincias, civitates, oppida,
 terras et loca publicent et publicari faciant. Non intendimus
 autem per praesentes super aliqua irregularitate publica vel
 occulta, nota, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquo modo
 contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi
 585 seu habilitandi | et in pristinum statum restituendi in foro con-
 scientiae neque etiam easdem praesentes iis, qui a Nobis et Apos-
 tolica Sede vel aliquo praelato seu iudice Ecclesiastico excom-
 municati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias et censuras
 incidisse declarati vel publice denunciati fuerint, nisi prius
 satisfecerint aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari
 posse aut debere, non obstantibus constitutionibus et ordination-
 ibus Apostolicis, quibus facultas absolvendi in certis tum ex-
 pressis casibus ita Romano Pontifici tunc existenti reservatur,
 ut nec etiam similes vel dissimiles Jubilaei, Indulgentiarum et
 facultatum hujusmodi concessionem, nisi de illis expressa mentio
 aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, nec non
 regula Nostra de non concedendis indulgentiis ad instar ac qui-
 busvis etiam justo et consuetudinibus, privilegiis etc. Apostolicis
 in contrarium praemissorum quolibet concessis, approbatis, et
 innovatis, quibus omnibus et singulis etiamsi de illis et individua
 585 non autem mentio etc. seu quaevis | alia expressio habenda aut
 v aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores
 praesentibus pro sufficienter expressis ac formam in illis traditam
 pro servata habentes hac vice specialiter nominatim et expresse
 ad effectum praesentium derogamus, caeterisque contrariis
 quibuscunque. Ut autem praesentes Nostrae, quae ad singula
 loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant,

volumus ut earundem praesentium transumptis vel exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis et sigillo alicujus personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

"Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 15 Maii 1643 Pontificatus nostri anno vigesimo."

(22) Ministrum Apostolicum ab Urbano VIII tunc in Iberniam missum nunc Franciscum, nunc Petrum-Franciscum Scarampum nominari video. | Quo in Iberniam advecto et summa cleri populi gratulatione excepto, Supremum Confaederatorum Concilium has ad suam Sanctitatem litteras dedere. 586

"Beatissime Pater.

(23) "Quo studio, qua sollicitudine afflictas Iberniae res promoveat Sanctitas vestra ex eo clare innotescit, quod Illustrissimus D. Petrus-Franciscus Scarampus, vir majorum titulis, vitae integritate et animi virtutibus insignitus, qui Apostolicam benedictionem impertiret, a vestra Sanctitate ad nos missus est. De illius in causam nostram affectu et industria quam plurima ad perficiendum opus quod aggressi sumus expectanda sunt: Nos indies cum Puritano hoste omni apparatu belli instructissimo pugnamus et pro religione Catholica sanguinem perfundere beneficii loco ponimus, speramusque Deum omnipotentem, cujus peropportunum manum multoties experti sumus, infirmissima | nostra opera uti decrevisse, qua magna perageret in Orthodoxae Fidei favorem. Pro reliquo, quo in statu res nostrae sint, fideliter aperiet Pater P. Lucas Waddingus, cui ut nostro nomine Sanctitatis vestrae benedictio detur, humiliter imploramus. 586 v

Kilkenniae 23 die Julii 1643.

"Sanctitatis vestrae ad pedum oscula provoluti: Hugo Archiepiscopus Ardmachanus. Thomas Archiepiscopus Casiliensis. Emerus Dunensis et Conerensis. Joannes Clonfertensis. Nicolaus Plunkett. Lucas Dillon. Torl. O'Neill. Rich. Bellings. Gerald Fenell."

(24) Ex quatuor Regni archiepiscopis duo, nempe Ardmachanus et Cassiliensis, praefatis Concilii, cujus membra essent, litteris subscripserunt. Alii duo Metropolitani Pontifici, Urbano, litteras, uterque suas, scripserunt, quas unas post alias hic habet. |

587

“ Beatissime Pater.

(25) “ Venit ad nos Illustrissimus D. Petrus Franciscus Scarampus a Sanctitate vestra faeliciter missus, et adventu suo omnium animos spe bona ac consolatione replevit. Attulit ille Sanctitatis vestrae ad me litteras paternae vestrae in afflictum hoc Regnum charitatis et sollicitudinis testes singulares, quo nomine immensas habeo gratias. Illustrissimus Dominus tanto Sanctitatis vestrae testimonio commendatus et suis ipse prudentiae, pietatis, urbanitatis, reliquisque ornamentis conspicuus, omnium animos et benevolentiam sibi conciliat. Ubi vero a Sanctitate vestra missum esse intellexerunt omni honore, reverentia, observantia magnates et populus universus illum exceperunt, et in dies magis magisque prosequuntur. Quod ad me attinet opem et operam meam illi lubens detuli, lubentius praestabo, et divinae Majestati, cujus caelestis providentia et manus | in hoc nostro opere conspicua est, pro summis in nos beneficiis gratias agere non cesso. Deus Opt. Max. Sanctitatem vestram Ecclesiae suae diu servet incolumem, prout in diuturnis habet votis

587

v

Kilkenniae in

Ibernia 26 Julii

1643.

Sanctitatis vestrae ad pedum oscula demissus filius,
Malachias Archiepiscopus Tuamensis.”

“ Beatissime Pater.

588

(26) “ Accepi Sanctitatis vestrae litteras per Illustrissimum D. Petrum Franciscum Scarampum missas, in quibus singularis et paterna vestra de afflicta hac Ecclesia ac Regno sollicitudo et cura abunde perspecta et expressa est. Inter plurima Sedis Apostolicae in nos beneficia Illustrissimi hujus viri ad nos legatio primo loco numeranda est, cujus adventus universo Regno gratissimus | accidit atque jucundissimus, utpote boni omnis et faelicitatis (uti speramus) Nuntius. Eximia ipsius pietas, prudentia, humanitas, Sanctitatis vestrae testimonio de illo congrua omnium amorem et benevolentiam illi conciliavit. Quanta vero reverentia, observantia, et obsequium a Catholico Regni statu et proceribus illi deferatur, ipsius erit ad vos testimonium. Certe non clerus modo, sed omnes, summi aequae ac infimi, tanquam caelo missum suscipiunt, colunt, reverentur. Ego, sede mea et omni circa eam mansionis loco exul, tantam ex ipsius adventu concepi laetitiam, quantam litteris exprimere nequeo, ac summas divinae Majestati gratias ago quod talem

virum a Sede Apostolica ad nos missum oculis videam, brachiis amplectar. Quo nomine Sanctitati vestrae immensas habeo gratias, rogoque Deum Opt. Max. ut Sanctitatem vestram Ecclesiae Dei universae et Iberniae, ad perficiendum in ea opus quod caepit, diu servet incolumem.

Kilkenniae 8^o Augusti 1643.

Sanctitatis Vestrae humillimus servus.

Fr. Thomas Fleming,
Archiepiscopus Dubliniensis,
Iberniae primas." |

(27) Quin etiam Joannes de Burgo, copiarum Conaciensium 588
Praefectus generalis, ad litteras ad se a Cardinale Barberino, v
Pontificis ex fratre nepote tunc dominante directas, quas non
vidi, respondit his verbis.

" Eminentissime Domine.

(28) " Quanto paternae dilectionis pondere fertur Summus
Pontifex in afflictam hanc nationem, tam ex vestrae Eminentiae
litteris nuper mihi per Reverendum P. Petrum Franciscum
Scarampum transmissis, quam ex multis suae Sanctitatis monu-
mentis satis exploratum habet Ibernia. Quae ut debitae grati-
tudinis officia et observantiae pignus in Sedem Apostolicam
rependat, monumenta illa nunquam oblivione emoritura aeter-
nitati consecrabit, et ad animandos haereditarios fidei alumnos
posteritati relinquet ornamento et munimento. Quanta autem
sollicitudine de promovendis nostris inceptis et fovendis sua
Sanctitas novissime fuerit affecta, ex legatione | praedicti P. 589
Petri-Francisci Scarampi ad vivum patefecit, cujus autoritate
et in rebus agendis dexteritate prosperos belli speramus eventus.
Non deerunt ei sane mei conatus aut labores qualescunque, ut
demandatum sibi munus exequatur. Idem enim contendimus,
scilicet Ecclesiae exaltationem, patriae libertatem, Regis prae-
rogativas. In idem opus impendemus unanimis. Quod de me
nunquam digne merituro Eminentia vestra memoriam fecerit
longe imparem me agnosco, qui gratias refundam debitas. In
hoc tantum gloriari liceat quod, post triginta octo annos in
disciplina militari sub auspiciis Regis Hispaniarum assumptos,
tandem aliquando supremos meos annos sub gentilitiis sanctis-
simi Domini nostri apibus et vestris purpuratis infulis bello
domestico finire contigerat. Vestras inquam purpuras par
fratrum et Ibernicae ruinae columnae, quibus protegentibus non

589
v mediocrem reviviscendi spem nobis compromittimus, quod ut effectum sortiatur, prout vestra et vota nostra | affectu suspirant, Sedis Apostolicae benedictionem etstrarum Eminentiarum humillime ad pedes provolutus efflagito, quibus ex animo me servitium meum et obsequium dico et devoveo.

“Eminentiae vestrae humilis servus et obsequentissimus filius.
D. Juan de Burgo, Generalis Conaciae.”

(29) Vix dubitandum quin ad aliarum regni provinciarum Praefectos generales, si non a Pontifice, certe ab eodem Cardinale, qui Pontificis nomine scribere solebat, litterae in Iberniam tunc datae fuerint. Quae tamen et responsa ad eas (credo) facta mihi non occurrunt. Porro Concilium Supremum gustato intus et in cute Scarampo iterum Pontifici de ipso scripserunt his verbis.

“Beatissime Pater.

590
v (30) “Quod in Iberniam a Sanctitate vestra missus sit Petrus Franciscus Scarampus, vir omnibus numeris absolutus, universo Regno gratissimus, jampridem expressis litteris (uti par erat) gratias egimus. Condignas | tamen nunquam agere poterimus. Quod ipsum ne ingrati videamur hisce fatemur et agnoscimus, et hoc nomine nostram gratitudinem Sanctitati vestrae iterum atque iterum notam et declaratam volumus. Praeclaram et constantem in religioso ac perillustri viro animi serenitatem ac magnitudinem, nobilem indolem, iudicii pondus, eximiam pietatem, singularem in causam nostram zelum et affectum indies videmus et experimur. Illius vultu et praesentia recreamur et animamur, instruimur consiliis, autoritate et prudentia munimur. Habet ille quod pro Ecclesia Dei jam apud nos resurgente agat, quod meditetur, quod disponat, quod procuret, quod invigilet, dum nos pro illa pugnamus et bellamus contra puritanos, Ecclesiae Dei juratos hostes, quibuscum nulla nobis armorum cessatio, pax nulla, sed anceps, continuum, periculosum bellum. Speramus autem fore ut Deus Opt. Max. nobis potenter uti hactenus provideat. | Apostolicam vestram benedictionem demisse rogamus.

“Sanctitatis vestrae ad pedum oscula provoluti :

Montgaret. Fr. Thomas Dubliniensis. Malachias Archiepiscopus Tuamensis. Castelhaven Audley. Netirville. Emerus Dun Conerensis. Thomas Fleming. Richardus Bellings. Gerald Fenel. Patr. Darsii. Geo. Commin. Edmundus Fitz-Morish.”

(31) Quid autem ipse Scarampus litteris 21 Julii anno 1643 ex Ibernia datis, nec non annexa scheda notis arcanis exarata, suae Sanctitati significarit, quodque ex suae Sanctitatis parte responsum fecerit Cardinalis Barberinus haud memoriae prodere valeo, nisi ex folio a sua Eminentia ad eum 11 Novembris 1643 Roma in Iberniam notis pariter arcanis scripto, quod ex Italico Latinum reddo :

(32) " In Congregatione, quam Domini nostri Sanctitas super rebus Ibernici instituerat, lectae fuere Dominationis vestrae litterae Kilkennia 21 Julii | praeteriti (secundum veterem istius Regni stilum) datae, ex quibus ut innotuit ipsam istuc faeliciter pervenisse et quo pacto tam laete recepta, tantoque honore et humanitatis exhibitione a Catholicis tum Ecclesiasticis tum saecularibus tractata fuerat, dici nequit quam magnam id animi oblectationem nobis peperit, et quam exinde concepimus spem fore ut divina gratia praestante istic laudabiliter operetur in Dei Opt. Max. et religionis Catholicae, nec non istius Regni obsequium. 591

(33) " Lecta pariter fuit quaedam sua scheda satis prolixa cyphris exarata et (ut credimus) eodem die 21 Julii vel paulo post data. Locus enim et dies quo scripta fuit ei non opponitur. Haec scheda cyphris scripta regiminis in isto Regno a Catholicis post caeptum bellum instituti relationem continet, ibique prolixè discurretur super armorum suspensione inter partes tractata et demum rejecta, ibi denique modus, quo istic recepta fuerat, | honoresque ipsi exhibiti nec non inita secum colloquia significantur. 591

(34) " In eadem congregatione lecta fuere quaedam memorialia ad istorum Catholicorum instantiam praesentata, quibus postulabant : 1° Facultatem generalem qua bona Ecclesiastica tuta conscientia retinere possent. 2° Potestatem utendi bonorum Ecclesiasticorum antea ab haereticis possessorum et post caeptum bellum a Catholicis occupatorum proventibus in belli usus contra eosdem haereticos. 3° Interrogabant nunquid Catholici, qui in ecclesiarum et monasteriorum solo domos et palatia fabricaverant, id solum illaesa conscientia retinere possunt, modo aliud situm aut solum ecclesiis et monasteriis, quorum primum fuerat, dent in hostimentum. v

(35) " Quod ad primum spectat. Congregatio in eam ivit sententiam ut Dominationi vestrae responderem adeo huic sanctae Sedi cordi esse satisfactionem et securitatem conscientiae istorum Catholicorum ut Dominus noster non | sit neglecturus cogitare 592

de ratione, qua ipsos et in particulari et in generali consolari valeat. Quare Dominatio vestra eos reddat certos id omne quod fieri poterit praestandum et suam Sanctitatem autoritate sibi a Deo concessa usuram, quo eorum conscientias in tuto ponat. Verum cum res sit gravis et exemplum praebere queat oportet ut suis ponderibus libretur. Interea si quis in particulari dictae retentionis stimulo fodicatus fuerit, Dominationis vestrae opera ad hanc sanctam Sedem recurrere poterit, quae ipsi facultatem dabit semper concedi solitam ex quo schisma et haeresis in Regnum istud introducta fuerant.

592 (36) "Quod ad secundam petitionem. Congregatio statuit
v faciendam Dominationi vestrae potestatem, quam ego ipsi per praesentes facio, permittendi istis Catholicis ut bonorum Ecclesiasticorum, quae antea haeretici possederant, sed hodie penes Catholicos sunt, proventus in praesentis belli indigentias ad triennium | proxime futurum impendant. Et ulterius summa cum clementia dignata est ut ego ipsi darem etiam facultatem (sicut per praesentes do), qua concedat quatenus ea dictorum bonorum pars, quae viginti quinque scutorum millibus vaenibit, alienari possit, si tanta sit belli indigentia ut necessitas ad hanc alienationem veniendum suadeat, et praefatorum bonorum proventus non sufficiant, idque ea lege ut Catholicis venundentur. Quod si opus erit ut proprietas majori summa alienetur, id nos monere non gravetur, ut ipsi facultates necessariae concedantur.

593 (37) "Quoad tertiam instantiam. Diffinitum fuit ut Dominationi vestrae potestas fieret (sicut per praesentes facio) permittendi istis Catholicis ut monasteriorum vel ecclesiarum, in quibus domos aut palatia construxerant, solum secunda conscientia retineant ea conditione ut jam dictis monasteriis vel ecclesiis aliud solum aequivalens transcribant, vel certe nisi ipsis solum occupato | aequivalens, quod permutent suppetit, id retineant, repensuri aliquod moderatum tributum (sicut hinc significabitur) ecclesiis vel monasteriis, quorum solum est, assignandum, scilicet caerae libram, vel quid simile, nisi ipsi suapte sponte summam maiorem tribuere maluerint. Porro mens est ut haec concessio sit perpetua et *citra paenam caducitatis*, etiamsi tributum promissum non solveretur.

(38) "Ut autem haec atque aliae concessionem a Dominatione vestra juxta mandata ipsi a nobis subinde danda faciendae autoritate Apostolica nitantur, ipsi transmittitur *Breve* his adjunctum, quo uti poterit ad occasionem." Hactenus illa scheda.

(39) Breve Pontificium, cujus hic mentio fit non vidi. Porro Scarampus per litteras 27^o Augusti 1643 ex Ibernia datas Urbano VIII significavit magnas Confaederatorum Iberniae Catholicorum contestationes circa | monasticas atque alias Ecclesiasticas possessiones haeresis in Iberniae dominantis tempore a corona Anglicana laicis in eo regno concessas, quorum plerique haeredes Catholici hic Confaederatorum bello nomen dedissent, allegantes se ad illa latifundia monachis Benedictinis, Cistercientibus, Canonicis Regularibus, atque aliis nonnullis Ecclesiasticis restituenda non teneri, quasi ea ab Henrico octavo et Eduardo sexto laicis subditis injuste concessa, postea sub Principibus ter Catholicis Philippo et Maria Cardinalis Polus, Sedis Apostolicae autoritate instructus, iisdem subditis et haeredibus juxta Bullae limitationes confirmasset, addebantque Summos Pontifices Cardinalis dispensationem confirmasse. Alii vero Bullam illam rescissam fuisse affirmabant, ambarumque partium allegationes Scarampus Romam significavit, et ex Urbe responsum accepit dandam operam ut sciretur, Cardinalis Poli Bulla rescissa fuerit, an secus?

593
v

(40) Circa hanc controversiam notandum est Iberniam orto schismate Anglicano non nisi ex parte | Henrici octavi legibus morem gessisse, antiquis regni Principibus in aliis Insulae regionibus ita late dominantibus ut suos subditos et vassallos juxta vetustissimas majorum leges Ibernicas judicarent, et foro, lingua, consuetudine, moribus diversis ab Anglicanis uterentur instar Principum absolutorum, quales re ipsa antea, tunc, deindeque usque ad Jacobi Regis tempora eos fuisse notorium est, ipseque Joannes Davisius, Eques, ejusdem Regis Jacobi in Ibernia *Attornatus*, in suo libello Dubliniae 1612 typis mandato fatetur, demonstratque. Itaque Henricus octavus et Eduardus sextus non nisi beneficia Ecclesiastica intra strictiores suos in Ibernia limites posita prophanarint, proindeque Cardinalis Poli, qui paulo post Eduardi mortem in legatum missus est, Bulla haud ad alia quam ad illa laicis usurpatoribus confirmanda extendi potuit, cum aliae possessiones Ecclesiasticae in Ibernia post ejus mortem a Regina Elizabetha et Rege Jacobo laicis transcripta fuerint. Quin etiam circa ipsam Cardinalis Poli | dispensationem illaque bona Ecclesiastica, ad quae sola se extendit, multa dici possent in cleri illa repetituri favorem praesertim cum ea lege et mente Pontifex, ejusque autoritate Cardinalis Polus, praedia illa Ecclesiastica laicis usurpatoribus de Ecclesia pessime meritis condonarint ut vere paenitentes resipiscerent, cum tamen contra hanc dispensationis et dispensantis mentem (Maria post unum

594

594
v

circiter annum mortua) secutus sit in eadem Iberniae parte talis sub Regina Elizabetha relapsus et turpissima ingratitude ut Sedi Apostolicae justissima illius Bullae refingendae ratio non defuerit. A quo tempore Missionariis subinde dabatur facultas absolvendi Catholicos bonorum Ecclesiasticorum possessores et eis indulgendi possessionis continuationem et fructuum atque emolumentorum usum ea conditione ut, si quando de haeresi fides in Iberniam triumphasset, Ecclesiae iudicio starent. Sane ex praefatorum de Ecclesia Ibernica sub | Henrico octavo et aliis posterioribus principibus haereticis male meritorum usurpatorum haeredibus Richardus Nugentius, primus Midiae occidentalis seu (ut Anglicanismum sequentes latine reddunt) Westmidiae Comes, ad hujus belli initium mortuus, licet prae eorundem aliis plurimis cleri Ibernici benevolentiam sibi conciliarit, et suam hac ex parte causam (sexennio ante caeptum bellum) Romae per procuratores strenue egerit, haud aliud tamen a Sacra Congregatione Propagandae Fidei 13 Julii 1635 obtinere potuerat, quam quod ipse Pontifex per Breve Apostolicum, in quod dictae Congregationis Cardinalitiae deliberatio transfusa est, ipsi significavit his verbis.

"Dilecto Filio, Richardo, Westmidiae Comiti, Ibero, Urbanus Papa octavus.

(41) *"Dilecte fili, salutem et Apostolicam Benedictionem. Catholicae Religionis zelus, aliaque egregia virtutum merita, super quibus | apud Nos fide digno commendaris testimonio, Nos inducunt ut te praecipuo paternae charitatis affectu libenter complectamur. Cum itaque (sicut nobis nuper exponi fecisti) tu Prioratum nuncupatum de Fouir S. Benedicti seu alterius ordinis Midensis diaecesis, ac de Lara, nec non Innismore, Abbantias, etiam nuncupata Cisterciensis vel alterius ordinis Ardachadensis diaecesis monasteria, quorum valor insimul est mille librarum sterlingarum (per annum), ad praesens detineas et fructus ex illis perceperis, proptereaue Nobis humiliter supplicari feceris ut statui tuo in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos te specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et paenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus | existis, ad effectum praesentium duntaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostro-*

rum S. R. E. Cardinalium negotio Propagandae fidei praepositorum consilio, tibi tuisque successoribus ut durante schismate monasteria praefata retinere libere et licite possis et valeas, eatamen conditione ut tam tu quam tui successores praefati obligati sitis dicta monasteria cum eorum bonis Religionibus, quarum erant si schisma cessaverit, restituere, nec non Religiosis praefatarum Religionum eleemosynas vel, illis in Iberniam non existentibus, aliis pauperibus Catholicis largiri teneamini, Apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus, ac tecum desuper opportune dispensamus, fructusque, quos ex illis hactenus indebite percepisti, auctoritate et tenore praedictis gratiose remittimus et condonamus, non obstantibus Apostolicis ac universalibus Provincialibus et synodalibus Conciliis, edictis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac monasteriorum praefatorum et ordinum quorum fuerint etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 9^o Novembris 1635, Pontificatus nostri anno 13^o." 596

"Sumptum ex *minuta* originali Brevium secretorum faelicis recordationis Urbani Papae VIII, collatum concordat.

M. A. Maradus."

Locus X sigilli. |

(42) Plura legas in praefata schedula ad Scarampum notis privatis 11 Novembris hoc anno 1643 scripta, nec non in monitis Nuncio Apostolico ad annum 1645 ad Iberos misso datis et inferius collocandis, ex quibus, et ex aliis actis deprecandae prolixitatis studio hic praetermissis, colligere est Sedem Apostolicam post Cardinalis Poli dispensationem eo se modo cum aliis praediorum ecclesiasticorum in Iberniam possessoribus laicis et Catholicis se gessisse, quo eam ad praefatas Comitiss Midiae occidentalis instantias respondisse videmus. Porro mihi occurrit huc spectans libellus supplex Generalibus Confaederatorum Iberniae Catholicorum Comitiss Anglice praesentatus, quem latine verto, ut quid ipsi tunc postularint innotescat. 597

"*Humilis Abbatum et Monachorum ordinis Cisterciensis petitio honoratissimis Comitiss Generalibus oblata.*

(43) "Humiliter proponitur petitores operam dare juxta eorum professionem et functionem | ut Deo famulentur in Ordinis sui monasteriis, quorum septa et ambitus (Deo auspice) in 597

nonnullis locis recuperarunt. Verum ipsis non suppetit unde vitam sustentent, quibus mature et benevole consideratis, haec honorabilia Comitia dignetur Ordinis adeo in Dei Ecclesia antiqui ruinae occurrere (concedendo ipsis monasteria, ecclesias, et sacella ad eam Religionem spectantia, quae nunc penes rempublicam sunt tanquam antea et nuper ab hostibus possessa) et ipsis prae aliis praefatas terras, decimas, ac possessiones redditu non gravi locare, et denique eis ex eodem redditu suppeditare unde competenter vivant. Quod autem ad ea bona monastica, quae penes quoscumque ex Confaederatis Catholicis viros privatos sunt, pertinet, supplicantes spirant eos sua pietate et charitate inducendos adtribuendum petitoribus aliquod subsidium, quo vitam sustentent, nolentes his honorabilibus Comitibus ea ex parte |
 598 molestiam parere ulteriorem, ne quocumque modo faelicem illam concordiam et associationem, quae nunc expectatur, disturbaret aut impediret. Et vestri petitores orabunt etc."

(44) Comitibus Generalibus quosdam delegarunt, quo his atque aliis Regni Religiosis, similia postulantibus, auditis et eorum rationibus ad trutinam revocatis decernerent quid circa illam causam concludendum esset. Quorum sententia Anglice lata mihi Anglice non occurrit, sed vel in Scarampi vel Nuncii Apostolici gratiam diebus illis Latine reddita hic sequitur.

"Decretum Commissariorum Deputatorum ab *Assemblea* super petitionibus Monachorum et Mendicantium.

(45) "Dicti Commissarii ea conditione concedunt praedictis ordinibus sequentia ut, quae non conceduntur ex ipsorum |
 598 respective terris, decimis et fundis, reddantur omnino ita temporalia sive saecularizata ut nunquam ea recuperare aut repetere valeant dicti Ordines, et sub hac una generali conditione placet Commissariis praedictis sensum suum ut sequitur explicare et explicando decernere.

(46) "1° Ut omnes praefati Monachales et mendicantes Ordines repetant et possideant (simul cum suis respective monasteriis) eorum ambitus, septa, et praecinctus, ea sint sive in manibus Catholicorum sive Reipublicae.

(47) "2° Ut Supremum Concilium ad monasteriorum, de quorum terminis aut limitibus dubitabitur, praecinctus, ambitus, sive septa declaranda, commissarios indifferentes deputent, quorum declarationi standum erit.

(48) "3° Ut omnes abbates pro se suisque monachis et suorum monasteriorum reparatione et pro reparatione continuanda gaudeant | decima parte decimarum et terrarum ad dicta monas-

teria pertinentium, cum hac limitatione sive declaratione quod quando una est persona, quae habet dominium et terrarum et decimarum, talis persona dabit decimas integras dicto respective abbati reservando terras dicti monasterii in integrum sibi. Si vero alia sit persona, quae dominium habet terrarum alia decimarum, tunc habens terras decimam dabit partem terrarum, habens vero decimas decimam partem decimarum.

(49) " 4° Ut (quia pro praesenti pauci extant in Regno monachi, eorumque monasteria ut plurimum sunt bene reparata) penes Supremum Concilium sit determinare competentem sustentationem dandam dictis abbatibus et monachis ex decima parte terrarum et decimarum (ut supra) ipsis addictarum, reliquam vero partem dictarum terrarum et decimarum abbatibus (ut supra) | adjudicatarum, quae dicti Supremi Concilii judicio 599
supererit, vel excesserit competentem sustentationem numeri v
nunc existentis in dictis monasteriis, convertere in pios usus, videlicet pro foundationibus monialium vel ad conficiendum hospitale pro militibus mutilatis in hoc bello.

(50) " 5° Ut omnes *Mendicantes* repetant et recuperent decimam partem suarum terrarum et decimarum. Et ratione habita exiguitatis seu parvitatatis terrarum ad ipsos spectantium et multiplicis numeri eorundem *Mendicantium* nulla relinquatur Supremo Concilio autoritas convertendi in ullum alium usum quidpiam ex addictis (ut supra) dictis *Mendicantibus*.

(51) " 6° Ut, quoties eorum latifundia et decimae sunt in unius personae possessione, possint convenire cum possessore recipiendo ab ipso partem latifundiorum magis vicinam ipsorum ecclesiis commutando cum recuperata illa terra decimas | vel 600
in toto vel in parte ad ipsos spectantes.

(52) " 7° Ut emptores terrarum sive bonorum *Mendicantium* possint compelli ad restitutionem earundem terrarum et bonorum, dummodo dicti *Mendicantes* satisfaciant emptoribus in quantitate quam emptores pro dictis terris expenderunt. Porro cum Dominus Joannes Dungan, Eques auratus, neutralis, licet Catholicus, a biennio locaverit aut vendiderit conventum Lorchae Cormaco Mac Egano, etiam Catholico et Confaederato, adjudicatur dictum monasterium ejusdem monasterii fratribus in paenam hujus emptionis a caepito hoc bello factae in fratrum praejudicium." Haec ibi.

(53) Mihi non constat a cujus anni Comitibus Generalibus hoc decretum exierit. Ex ultima tamen clausula ad monasterium Lorchense spectante colligendum videtur haec decisa fuisse in

600 Comitiis Generalibus hoc anno 1643 celebratis. Porro | (ut
 v quicquid hic spectat pene totum simul et semel effundam) hic
 habe libellum supplicem Nuncio Apostolico (quem anno 1645 in
 Iberniam appulisse videbimus) oblatum quem ex autographo
 latino in medium produco, correctis pauculis ad grammaticae
 regulas minus quadrantibus :

(54) " Illustrissimo Reverendissimoque Domino D. Joanni
 Baptistae Rinuccini, Archiepiscopo et Principi Firmano, sanctis-
 simae Sedis Apostolicae ad Iberniae Regnum Nuncio cum
 potestate Legati a Latere, Fr. Guillelmus a S. Patricio, humilis
 Prior Carmelitarum de *Cnoctofer*, supplicem offert libellum.

Cnocto-
 cher:

601 (55) " Octoginta jam transiere anni (Illustrissime Domine)
 cum partim expulsis partim occisis nostris patribus in Iberniam,
 Carmeli vertex exiccatus fuit et hic electus Beatissimae Virginis
 Mariae Ordo | desolatus pariter et extinctus, donec tandem
 Divinae placuit misericordiae per Generalem nostrum temporis
 et Regni hujus ratione habita exiguum eligere numerum, qui
 profligatum restaurando Ordinem pristina sua occuparet loca.
 Factum est autem ut antiquus humani generis hostis, tanti boni
 aemulus, laborarit, quo nos pusillum vestrum gregem (aliis fere
 omnibus mendicantibus imo et monachis multis sua monasteria pos-
 sidentibus) ab incolis terrae non modo haud recipiendos sed etiam
 violenter expellendos curaret. Insurrexerunt enim in nos viri
 iniqui Dei et sui immemores, qui nos ex unico Cnoctoferensi
 conventu, in quem ingressi fueramus, vi et armis expulerunt
 insuper et perculserunt. Thomam dico Whiteum cum aliis
 sexaginta, qui adhibitis scalis muros nostros ascenderunt, mortem
 ipsam nobis minantes. Forte voto astricti, pro fide tunc pugna-
 bant cum Catholici essent? Judicabit Dominus si sic orthodoxa
 601 fides astruatur, | et non potius contra eorum vota destruat.
 v Obtulimus libellum supplicem Illustrissimo Domino Episcopo
 Ossoriensi, loci Ordinario, et Senatui Supremo, et tamen inde
 nullum aut remedium aut solamen habuimus. Quo facto quid
 nobis agendum esset penitus ignoravimus. Obtulimus pro
 ecclesia nostra et domo redditus annuos, sed minime impetravimus,
 ita ut, tanquam profugi huc illuc discurrere cogamur, non habentes
 ubi caput reclinemus, cum tamen in Iberniam monasteria nostra
 numerum superent vigesimum quartum, omnia majori ex parte
 a Catholicis possessa sed nobis occlusa. At vero cum monastica
 et regularis vita, quam omnes in Domino vovimus, absque conven-
 tu aliquo (ut vobis liquet) subsistere nequeat, statuimus tugurium

aliquod aedificare prope conventum nostrum de *Cnoctofer*, ubi simul habitare et secundum vota Virgini Deiparae inservire possimus. Quod et fecimus | vendentes eleemosynas et victum 602 ipsum exiguum quem acquirere poteramus, ut Domino loci satisfaceremus. Quod ulterius praestare non valemus cum eleemosynae desint. Quare (Illustrissime Domine) nobis jam tandem ad vos solum superest recursus pariter et refugium, quatenus miserum nostrum attendentes statum, manum porrigatis auxiliatricem, faveatisque ut dimissis omnibus praediis et terris (si sic visum fuerit) ipsummet monasterium de *Cnoctofer* cum suis hortulis obtineamus, praesertim cum praedicto Thomae Whiteo nulli alteri usui sit quam ut in eo braxet et cervisiam vendat. Et precabimur etc."

(56) Idem huic libello supplici annexum et hic sequentem Nuncio tradit sui olim ordinis in Iberniam conventuum catalogum:
"Nomina conventuum Carmelitarum in Iberniam nobis nunc cognita.

In Lagenia.

Monasterium Sancti Salvatoris de *Cnoctofer*, | prima sedes. 602
 Monasterium Laghleniense. Monasterium Dubliniense. Monas- v
 terium Pontanense. Monasterium Athboense. Monasterium Trimense. Monasterium Ardeense. Monasterium S. Simonis prope Nas. Monasterium Kilcarmense. Monasterium Arderanense. Monasterium Scrinense.

In Momonia.

Monasterium Turlense. Monasterium Balvegalense. Monasterium B. Virginis prope Ardfinan. Monasterium Felense. Monasterium B. Virginis prope Limericum, alias Lehense. Monasterium Kinsaliense. Monasterium Castlehavenense.

In Conacia.

Monasterium Smalense. Monasterium Loghriaghense. Monasterium Cealtariense. Monasterium Galviense. Monasterium Balcaccense. Monasterium Montanense.

In Ultonia.

Monasterium Rathmoclense. Monasterium Savacense."

(57) Praefatum Libellum supplicem cum Monasteriorum nomenclatura non Carmelitarum discalceatorum, qui majori numero in Iberniam se tenebant, sed Carmelitarum calceatorum

603 nomine porrectum fuisse reperio. Quid autem | Nuncius vel
nunquid in eorum favorem diffinierit me latet? Caeterum quo
pacto Sedes Apostolica has controversias circa monachorum,
Mendicantium, Canonicorum Regularium, et aliorum Ecclesi-
asticorum latifundia, partim ab ipsis Catholicis possessa, partim
haereticis bello erepta in Ibernia natas componere demum de-
creverit, in monitis praefato Nuncio Apostolico Romae anno
1645 datis, et ad eundem annum inferius ponendis, legas.

(58) Regina Angliae, quam anno 1642 cum filia in Hollandiam
trajecisse vidimus, cimeliis ibi oppigneratis haud modica subsidia
Regi procuraverat, et hoc anno 1643 ineunte ex Hollandia solvit
in Angliam reditura. Verum magna coorta tempestas eam
novendio circiter jactavit ut navium aliis submersis, aliae factae
sint inutiles, ipsaque manifestum naufragii discrimen subierit.
603 Quibus in angustiis constituta votis et piorum operum a se
v praestandorum pollicitationibus, | quas etiam postea religiose
praestitit, Deum Opt. Max. B. Virginis interventu ita ad miseri-
cordiam flexerat, ut mox post votum emissum tempestas defer-
buerit. Unde denuo ad ineuntem mensem Martium solvit et
secundo vento usa in Angliam navigavit, ubi a rebellium ei jam
terra potitae insidiantium furore haud citra specialem supremi
numinis providentiam liberata ad Regis exercitum evasis, quem
haud spernendis subsidiis ex Hollandia advectis sublevavit.

(59) Haud parum in Catholicorum praesertim Angliae gloriam
redundat, quod dicti rebelles Angliae Parlamentarii in ipsos
praecipue debacchati et fidem Catholicam totis machinationum
nervis extirpare conati sint in maximam eorum probationem et
constantiae demonstrationem. Quot acta et edicta sanguinaria
in Catholicorum perniciem ab illis nefariis Regicidis condita in
medium afferre possem, quibus Catholicos, nunc suo in Comitibus
suffragandi jure multandos, nunc Reginae famulatu arcendos, |
604 nunc Regis aula et comitatu intercludendos, nunc ad haereticam
pravitatem inhumana et barbara laniena et cogendos, nunc
militaribus nedum aliis praefecturis etiam in castris regis ab-
dicandos curarunt. Sed haec leviora fuere. Nam ad carceres,
vincula, exilia, aliasque complures paenas et multas ipsaque
martyria ventum est tanta crudelitate ut Sathan, Inferno dere-
lictio, Londini et Westmonasterii aulam tenuisse, ibique sedem
et thronum collocasse videatur, ipsius Reginae confessario,
P. Roberto Philippo, aliisque ex ejus famulitio in turrim Londin-
ensem compactis, et Capucinis, eidem Reginae a sacello, male
multatis contra jus gentium, cujus haec violatio brevem a me

exigit digressionem ex P. Roberti *de Vantelet*, Capucini Galli et ibi in Anglia Missionarii Apostolici, Relatione MS., postea ab ipso Sacrae Congregationi propagandae fidei in Urbe tradita, mutuandam. | Anno 1625 Regina Henrieta-Maria Borbonia, 604
Henrici quarti Regis Christianissimi filia, nuptum data est Carolo v
primo, Angliae Regi, ea inter alias conditiones lege ut Londini Ecclesiam, Episcopum, et triginta sacerdotes haberet. Verum anno deinde vix elapso Episcopus et sacerdotes Congregationis Oratorii Parisiensis, omnesque pene Catholici natione Gallici, qui Reginae obsequerentur, abacti fuere, Gallo contractus matrimonialis violationem objiciente, et Anglo metuente ne Galli sub religionis velo exploratores agerent in Angliae perniciem et belli, quod eo circiter tempore Rex Carolus Gallo indixit, praejudicium. Rex tamen deinde Reginae et confessarium cum socio ejusdem Congregationis et tres vel quatuor nobiles Dominos ex sua natione in obsequium permisit. Qui etiam bello Rupellensi finito et pace contracta concessit ut sacerdotum Oratoriorum, quos in suspicionem vocaverat, loco Capucinos Gallos assumeret. Anno itaque | 1629 in Capucinorum Capitulo Provinciali Parisiis 2^o Julii 605
decretum fuit ut illo decem Capucini, P. Leonardus Parisinus cum aliis septem concionatoribus et duobus fratribus Laicis, destinarentur in familiam Regularem apud Londinum coalituri et Reginae sacello praefuturi, quibus idem P. Leonardus in moderatorem praeficeretur. Qui tamen haud obstantibus crebris Reginae instantiis, non nisi imminente quadragesima anno 1630 trajecerunt cum Domino de *Fontenay Mareuil*, Galli oratore, a quo eorum trajectory eousque retardata ut ipse, nec alius eos Londini stabiliendos curaret, P. Josepho Parisiensi, Capucino, apud aulam magno illi hunc honorem ambiente. Capucini a Regina maximo honore excepti fuere et in ipso suo Palatio Somersetano collocati, aula satis ampla induta in ecclesia, in qua illi deinde per plures annos magno Catholicorum confluxu missas celebrabant, concionabantur, et alias functiones missionarias ita obibant, ut domi quidem habitu Religioso, foris autem amictu | laico induerentur, Pontifice 605
Urbano VIII. in maius bonum circa hoc atque alia quaedam v
Regulae capita dispensante. Porro Rex ab initio praescripsit ne haereticorum domos fidei propagandae causa frequentarent, licet permiserit ut eorum ecclesiam frequentantibus et suapte sponte accedentibus spiritualiter opitularentur.

(60) Interjecto deinde nescio quanto temporis intervallo contigit ut Procancellarii filia in extremis constituta absolvi cupierit et a Regina confessarium petierit. Cujus interea mortuae occasione

Regina apud Regem ita conquesta est ut ille praefatam ad haereticorum domos discurrendi prohibitionem occulte retraxerit. Postea vero Novi-portus Comitissam P. Robertus Philippus, Oratorius, natione Scotus, Reginae confessarius, in fide Catholica instruxit, cui absolutionem impertire cum nollet, eam P. Lambertus, Capucinus, absolvit. Quo cognito factum ut infensissimi
 606 Catholicis proceres haeretici, | praesertim Comitissae maritus, agnati, cognati, affinesque, et nominatim duo potentes Hollandae ac Warvici Comites, quibus cum Comitissa affinitas proximo gradu intercesserat, Regem induxerint ad edicendum 23 Decembris 1638 sub paenis ante in Catholicos latis nequis ullum locum, in quo sacra ritu Catholico fierent, frequentaret. Qua tamen prohibitione non successit quin die deinde perendina, Christi Domini natalibus sacra, Catholici maximo concursu et plus solito ad Capucinorum ecclesiam confluerint, quo audito connivens Rex suum edictum et haeticam procerum rabiem risit.

(61) Gliscente deinde Parlamenti in Regem rebellionem adeoque persecutionem in Catholicos tanquam Regis studiosissimos indes recrudescente, Capucini subinde triennio circiter sequenti male tractati fuere, concitatis identidem in illos seditionibus ita ut saepius se ad martyrium pro Christo et fide perferendum composuerint, in quos demum inter haec vitae discrimina a Deo Opt. Max. specialiter servatos | inferior Parlamenti Anglicani domus
 606 jam apertae in Regem rebellionis aestu flagrans hoc edictum Anglice condidit.
 v

“ Die 26 Februarii 1642.

(62) “ Hodie statutum fuit per Domum Communium Parliamentariam ut Capucini statim praeherentur et ab armorum satellite, qui huic domui inservire solet, in tuta custodia constituentur, ibique arctissime custodiantur, usque dum Parlamenti domus aliter decreverit.

Henricus Elsyng. Clericus Parlam.”

(63) Hoc mandato muniti haeretici in Capucinorum aedes irrumpunt, iisque in hortum ejectis, atque arreptis clavibus officinas omnes lustrant. Quo audito Galli orator superiori Parlamenti domo de prophanato gentium jure et violata pactorum publicorum fide | expostulavit, Galli indignationem ita comminatus ut a Parlamento Comes Stanfordiae et Baro Brookus missi sint, qui seditionem sedarint. Quod non ita factum quin Capucini ad hebdomadam integram jussi sint habere domum
 607

suam in custodiam. Sed Regis Christianissimi oratore eorum causam agente Parlamentum 2^o Martii permisit ut ibidem clausis foribus persisterent ea conditione ut sacra in ecclesia non celebrarent. Postea vero rebellium furore et barbarie semper in pejus proficiente 14^o Martii 1643 Henrico Martino, Joanni Clotwortho, aliisque duobus Parlamentariis novum in Capucinos grassandi mandatum datum est, quo illi exequendo supersederunt in diem *caena Domini*, ut tunc hostias consecratas reperirent, adeoque in sanctissimum Eucharistiae sacramentum, et ipsum Christum ibi realiter existentem atrociori magisque horrenda impietate saevirent. Itaque Galli Legato jam in Franciam regresso Martinus et Clotworthus ea die cum furibunda armatorum manu | in 607
v
Capucinorum domum insiliunt, sed consecratarum hostiarum impie conculcandarum spe frustrati, quod eos Capucini illorum impietati occursuri paulo ante consumpsissent. Quare Martinus, ubi tabernaculum hostiis consecratis vacuum reperisset, suam rabiem in non consecratas convertens eos pugionibus confodiendos curavit pedibusque conculcavit. Clotworthus autem altaris crucem et *Crucifixum* confregit, et *Crucifixi* latere lancea confosso: Experiar (inquit) nunquae in illius nequissimi nebulonis latere sit sanguinis guttula? Quin etiam Beatissimae Virginis tanquam puellum Iesum in sinu gestantis statua arrepta, infantique capite abscisso: An (inquit matri) filii offensionem doles? Quo facto ipsi matris statuae caput amputavit. Inde in hortum digressus et tantum non spirantem B. P. N. Francisci statuum ad Crucifixi pedes collocatam Capucinum esse ratus exonerata in eam bombardata se Capucinum occidisse credidit, seque | deceptum ut 608
reperit, ipse atque alii crucifixum alligato ad collum fune in terram dejecerant, exindeque terrae illusione omnique illuvie dehonestandum pertrahentes nullum blasphemandi finem faciebant. Cruces, candelabra, sacras Imágenes et statuas delacerant. Aquae lustralis receptacula stercore implent, supellectilibus ablatis floribus, quos artificiales fuisse conjecto, inter se ipsos divisis, sacris libris laceratis et altaribus dissipatis, picturam principalem a Paulo Rubente exquisite elaboratam, quae librarum Turonensium millibus denis constiterat, confringunt, reliquasque ad ecclesiae fores igni comburunt. Postero mane haeretici sacras vestes induti Catholicos in ecclesiam introeuntes et immania illa scelera celatos, pro aqua benedicta stercore aspergunt, et nescio quas turpes cantilenas una intonant. Multaque alia a nefariis illis nebulonibus barbare atque impie patrata fuere, quae brevitatis ergo silentio praetereo, ex his quae perstrinxi a lectore facile

608 conjectanda. Caeterum ipsos Capucinos vestibus | Regularibus
v spoliatos et saecularibus amictos Martinus ille noctu ad Praetorem
Londinensem raptavit. Praetor reorum custodi tradidit et hic
in carcerem contrusit.

(64) His auditis Ludovicus decimus tertius, Rex Christianis-
simus, jam moribundus, minaces ad Parlamentum Anglicanum
litteras dedit, protestatus sibi nullum cum ipsis commercium
intercessurum, sed temeratae fidei publicae rationem a se ex-
igendam, nisi Capucinos in aedes Somersettanas restituerent.
Quae ejus minae procerum domui Parliamentariae negotium
facessivit. Verum Gallo haud ita diu post vita functo, Capucinis
in Galliam per vim redeundum erat, cum multa magnaue in
animarum lucrum apud Angliam praeclare gessissent, transactis
in illa missione Britannica tredecim annis et quod excurrit.

609 (65) Interea Anglia pene tota tumultibus intestinis deflagrante,
Walleri, Ducis Parlamentarii, ante saepius victoris, copias Wil-
motus et vires regiae mense Julio | 1643 profligarunt, victoriae
fortunam sequentibus urbibus, oppidis, et maximis in vicinia
munimentis, et Bristolli Principi Roberto nec non Exonia
Principi Mauritio dedita. Eodem etiam tempore in Borealibus
Angliae partibus Novi-Castelli Comes, a Rege stans, cecidit vires
rebelles Fairfaxii, alterius ducis Parlamentarii, qui copiis fere
omnibus exutus Hullam refugit, ibidem a victore paulo post
obsessus.

(66) Rex hunc in modum triumphis elatus Glocestriam obsideri
jussit. Quam Masseius rebellibus militans tamdiu defendit donec
Essexius, cujus vires partim morbis absumptae erant, partim
inopia et egestate pressae praeter pauciores reliquias signa de-
seruerant, novis copiis contractis Londino digressus opem tulit.
Qui etiam, soluta obsidione, in regressu non procul Nuberia
florentissimum Regis exercitum fudit, ut praefata etiam Hullae
obsidio incassum ceciderit.

609 v (67) Partibus hac victoriarum vicissitudine | velut in equilibrio
positis, Rex in armorum cessationem cum Ibernis pangendam
magis propendit a partibus Anglicis, adeoque haereticis, sibi in
Ibernia si non re ipsa, certe specie, adhaerentibus, et a Regni
Catholicis opem in Angliae Scotiaeque rebelles mutuaturus et
ante induciarum finem pacem cum Ibernis contracturus, quo
non solum belli Ibernici sumptibus se expediret, et suos illos
haereticos alias a Confaederatis Catholicis in Ibernia profligandos
ab hoc excidio praeservaret, sed etiam totius deinde illius Regni
viribus orthodoxis et heterodoxis vallatus certum ubique tri-

umphum conficeret. Quae armorum cessatio ut in Ibernia inter Catholicos in deliberationem venit, primum rejecta fuit, sed postea iterum ita proposita ut Confaederatorum Ibernorum secretarius Ministro Apostolico, P. Scarampo, rationes, quibus hic atque alii plurimi ab induciis illis tanquam causae Catholicae exitiabilibus jure merito abhorrentes ad eas amplectendas inducerentur, scripto tradiderit, quas hic in medium produco Ormonistarum praestigiis plenas. |

Informatio pro induciis faciendis.

610

(68) " Catholica fides annis mille et trecentis in Ibernia viguit, nec persecutionum vi, minis, fraudibus, blanditiis, aut terrenis ullis machinamentis convelli aut expelli potuit. Temporibus Regis Henrici octavi et Elizabethae Reginae, postquam haeresis Angliam totam pervasisset, haereticorum fraude leges quaedam introductae, iniquae, suppositae, tandem nobis impositae sunt, quae Catholicis occludebant aditum omnem ad honores capessendos, ad Rempublicam regendam, ad munia ulla exequenda, unde autoritas aut divitiae acquiri possent. Veri Ecclesiae Praelati et pastores terris, fundis, decimis et aliis Ecclesiasticis proventibus, plerique etiam vita spoliati sunt, et vera Dei Ecclesia ita suppressa et oppressa ut clanculum in privatis aris non licuerit Deo viventi immolare.

(69) " Catholicae ad erudiendam juventutem scholae apud nos occlusae et interdictae fuerunt, et bonarum litterarum gratia exteris adire partes crimen fuit et periculum. |

(70) " Cum haec omnia fidem nostram labefactare non valerent, in teneros nobilium et generosorum filios saevitum. Hi parentibus vita functis ex amicorum potestate et manibus erepti tutoribus haereticis committebantur et ad profana eorum sacra ac templa minis verberibusque, si aliter non possent, adigebantur. Divina tamen providentia factum ut omnes fere maturiorem aetatem adepti Catholicam Romanam fidem (is est gentis nostrae genius et propensio) amplectentes majorum suorum vestigiis insisterent.

610

v

(71) " Et cum adhuc nihil ad rem suam agi viderent haeretici, Catholicis arma et pulvis tormentarius per edicta severissime interdicta sunt, et terrarum (ut vocant) *plantatio* introducta, qua indigenis quarta terrarum quas possidebant pars oblata, licet chartis et tabulis publica fide et Regio sigillo munitis satis firmas suas arbitrarentur possessiones. Plurimi praeterea terris omnibus ac haereditate spoliati et exturbati sunt.

(72) " Ab initio sui Regni Regi nostro, per modum | subsidii 611

concessi et inter nos coacti sunt tres aureorum milliones. Constat tamen Regios ministros plerumque infimae sortis homines et in patriam nostram malevolos pecuniam hanc et Regis gratiam sibi accumulasse.

(73) " Incolis portuum et maris beneficio uti non licuit, nec cum exteris commercium agere aut regni merces exportare.

611
v (74) " Haec aliaque multa gravamina in charta quadam sibi humiliter exposita ubi vidit Rex, statuit gratiose nostras querelas examinare et de remediis providere. Quod haeretici, qui summam Reipublicae apud nos administrabant, subolentes ac tandem rescientes, Parlamentum hic initum statim dissolverunt ac dimiserunt, ut sic Regii in nos favores et gratiae impedirentur ac diverterentur, simulque de gente universa extirpanda ac Catholica Romana fide suppressenda deliberatum. Quod omnino perficere et exequi decreverunt, advocando ad hoc ex Anglia exercitum unum et ex Scotia alterum. Haec illorum consilia et decreta ubi primum innotuerunt, ex nostris quidam arma sumpserunt (quae ad manus erant | paucissima) ut impiis hisce machinationibus, quo possent modo, obviam irent, quorum exemplo omnes Iberniae Catholici uno animo et affectu bellum, quod nunc in manibus est unionis et faederis sacramento astricti, pro fide, Rege, patria inierunt, quamvis arma ad mille tantum milites instruendos et viginti non amplius pulveris dolia vix Catholicis suppeterent.

612 (75) " Quam fuerit caeptis nostris propitius Deus vel ex hoc luculenter patet. Intra unius anni decursum contra nos ad nostram ruinam et deletionem missa et instructa peditum amplius quadraginta millia, equites ter mille quadringenti, cum omni apparatu bellico armis, tormentis, pulvere, annona, et similibus, praeterquam quod in classe contra nos instruenda et armanda trecenta millia librarum Anglicanarum a Puritano Parlamento expensa sint, quibus omnibus quid actum sit, imo quam parum aut nihil actum sit, novit ille, qui pro nobis hactenus stetit pugnavitque, Deus noster. Nos interim armis et omni humana ope destituti, Dei solius providentia et causae aequitate freti, superstites vivimus, | et verum Dei cultum, quem eradicare nitebantur hostes, palam fovemus et profitemur, nullo nisi opportunissimo illo et quasi divinitus ad nos misso Eminentissimorum Dominorum Sanctitatis suae nepotum accepto subsidio.

(76) " Serenissimus Rex nuper visis gravaminum nostrorum, quae ad illum transmissa sunt, capitibus indixit Marchioni Ormoniae ut suo nomine cum Ibernis subditis suis duodecim mensium inducias faceret. Misit praeterea Dominum Taafe,

Ibernum Catholicum, qui nobis a se significaret has inducias ad nostram rem et commodum fieri, seque nostris gravaminibus brevi remedia adhibiturum, et tolerare se velle liberum Religionis nostrae exercitum cum amplius in nostri gratiam rebus suis in Anglia salvis praestare non possit.

(77) "Cum Catholici totius Regni status et ordines hic nuper Kilkenniae coacti essent, misit ad nos Ormoniae Marchio Colonellum Barry, Ibernum Catholicum, per quem uti et per varias litteras a quibusdam | hujus Regni haereticis consiliariis in Angliam missas, quae faeliciter mari interceptae sunt, dignovimus diversas et sibi invicem repugnantes esse Dublinii et in exercitu hostili factiones, pro Rege unam, alteram pro Parlamento, illos vero qui Parlamento adhaerent, omni vi et studio elaborare ut nullus induciis detur locus. Denique per Dominum *Taaffe* et Colonellum Barry nobis innotuit induciis semel factis, exercitum nobis adversum statim a Rege in Angliam evocandum. Porro illi suaserunt ut pro honore Regi debito conservando, et ut iis, qui huic negotio sese opponunt, satisfiat, non ipsi inducias petere-
mus.

(78) "Quare de induciis tractare commodum visum est, imprimis ad tollendam iniquissimam calumniam, qua in Belgio et Gallia apud amicos notamur nos, scilicet rebelles esse et Regis nostri imperium excutere decrevisse. 2° Ut adversus exercitus, qui hic raptò vivit, in subsidium Regis in Angliam transvehatur, nec Rex, qui illo | indiget, et nos, si aliquid mali Regi minus instructo accidisset, opprimeremur. 3° Ut Rempublicam instruerimus et nostras res tam improvise et repentino bello distractas interim componeremus, aes (quantum fieri possent) domi cogeremus, et Catholicorum Principum in tam justo ac pio bello studia et affectus probaremus. 4° Ut junctis viribus et copiis nos et Angli inimicissimos verique genti Scotos, qui juri Regio Catholicae Religioni et ipsi Ecclesiae *Protestanticae* adversantur, debellaremus. 5° Denique ut tuto, libere, et tacita quasi licentia Regis Ecclesia Catholica jus omne suum et jurisdictionem apud nos exerceret.

(79) "Qui ad hasce inducias statuendas a nobis mittuntur, tractabant de subsidio Regi concedendo sine quo induciae fieri nequeunt. Nos vero in summa licet nostra aeris inopia affectum nostrum suae Majestati declarare volentes, judicamus conveniens esse hac in parte Regi gratificari, praesertim cum eo loco nostrae res sint ut majora incommoda timenda sint ab hostili | deprae-
datione, quam damna ab hoc subsidio secutura." Haec ibi.

(80) Has rationes mense Julio 1643 porrectas Scarampus mense Augusto funditus enervavit responsione, qua omnes e clero populoque Ibernico, qui inducias adeo perniciosas horrebant, loquentes introduci videntur. Illa responsio hic sequitur :

“ Responsio ad hanc Informationem secretarii dissuadens Treugam.

(81) “ Dum ad tractationem de cessatione armorum jam a nobis humiliter petitam et sincere gestam et ab adversariis pro arbitrio ad incerta tempora prorogatum rursus incitatur, mature et diligenter nobis considerandum est jam in libertate constitutis an utile rei nostrae sit, nedum ipsam cessationem hoc tempore concludere, sed ad illius tractationem nos iterum adstringere. Et quidem (si a minoribus pro graviorum rerum administratione sumenda sunt exempla) quod Angli nuper fecerunt in Momonia contra | conclusam cessationem armorum pro solis septem diebus inter utriusque partis duces satis nobis demonstrat hisce cessationibus ipsos non optare locum nisi ut rebus suis praesentibus consulant et data occasione nobis nil tale suspicantibus nulla initarum conventionum ratione habita, commoda promoveant. Versatilia enim ingenia et aut incertae et vagae aut nulli fidei obstricta et dominio assueta, si vi et armis non possint, artibus et circumventionibus vincere volunt, eos praesertim, quibus jam dominati fuerunt, justum et sanctum aestimantes omne victoriae genus, quo rebelles et perduelles (ut statim vocant) suos non tam superent, sibi que subiciant, quam plectant, mactent, et omnino perdant. Quae Dublinio ad nos allata sunt de frumenti pretio, de aliquibus ex magistratu carceri mancipatis, et aliorum inter se dissensione nos admonent paratos illos non esse ad bellum. Imo recens exitus cum apparatu etiam usque ad pompam et minas, et reditus intra paucos dies uno tantum vel altero | castro recepto minus ad bellum armatos esse demonstrant, cum maxime hoc tempore si non ad nostrarum defensionem in campo cum exercitu contra nostros morari debuissent.

(82) “ Haec et alia multa licet omnem tractationem dissuadeant, tamen quia modestius agere visum fuit, ipsamque prosequi saltem quaecunque honesta dilatio videtur interponenda, ut interim segetes nostras Deo favente colligamus, et responsum habeamus tum a nostro Plenipotentiaro in urbe, tum ab agentibus apud alios principes, quid de hac cessatione ipsi sentiant et moneant, et certo sciamus an verus sit rumor de ingressu Regis nostri in Bristoliam. Et quidem si confirmabitur non abs re erit aut

nobis imputari poterit, si ad Regem ipsum aliquos ex nostris ante ullam tractationem mittere velle dicamus ad explorandam nimirum mentem Regis et forte Reginae quae ibi aderit. Quod hic tractationi et omnibus rebus nostris | mirum in modum 615 proderit sicuti quando ad tractationem deveniendum sit cuncta ea proderunt, quibus ostendere possimus exclusionem cessationis non a nobis, sed ab Anglorum aut indiscretis petitionibus aut injustis dissentionibus provenisse.

(83) "Quod ad ipsam cessationem attinet non iis angustiis Deo dante, esse nobis videmur, ut eam vel timide expetere aut pretio comparare debeamus. Sane ante annum dum rerum omnium necessitate praemeremur, consilii expertes, auxiliorum incerti, fere inter nos divisi valde erat desideranda. Et tamen docet eventus quantum nocuisset, si in eo statu quievissemus. Nunc vero (quod Divini muneris est) dilatato imperio, coadunato Concilio, unitis animis, auxiliis undequaque habitis, bene animatis militibus, tutius est ad ulteriora procedere, quam in hisce quiescere, cum in hoc quoque negotio illud asseverare liceat: *Non progredi, regredi est.* |

(84) "Sed desunt ad tanti belli molem tormenta, pulvis, bombardae, arma, naves, pecuniae, victualia. At his, quae 615 postremo loco scripta sunt, licet in primo habenda, nec adversarii nostri abundant, et valde major isque gravior erat nobis horum omnium defectus ante annum. Nihilominus hoc ipso anno nihil amissimus, imo multa sunt recuperata, praesertim arx Galviae et plura castra non spernenda, forte ut nobis ostendat Deus Opt. Max. omnes defectus suppleturam suam benignitatem, si quod opus armis et forti animo, spiritu suo afflante, aggressi sumus id eodem conatu et majore fiducia prosequamur, praeterquam quod certissimum est intra eundem annum quo speramus earum rerum copiam nobis comparari posse longe uberiores affuturum nostris adversariis tum ob ampliorem ditionem tum ob Angliae vicinitatem.

(85) "Quod vero opus nostrum (fidei Catholicae stabilitatem, nostri Parlamenti auctoritatem, | Patriae securitatem intelli- 616 gimus) armis et forti animo non induciis aut per quietem prosequi debeamus vel hac ratione (ni fallimur) manifestum fiet. Inter Regem et Parlamentum nunquam conciliandam pacem credibile est, valdeque probabile. Et (si fas est dicere) utinam verum sit ne conjunctis illorum armis ultro nos tradere cogamur. At aequo verisimile est, si non intra annum saltem intra simile aliquod tempus, alterutram partem ita superiorem futuram ut

si non leges, saltem conventiones illius altera pati compellatur. Si Parlamentum superet (quod Deus avertat) non tam omnem auctoritatem aut securitatem hujus patriae ipsius arbitrio relinquere, quam nostra omnia praeter unam Catholicam fidem, guttur quoque ipsum Puritanis gladiis opus erit offerre. Tanta est religionis diversitas. Tantum eorum in nos odium si praevalcat Rex, multum de suae Majestatis pietate ac benevolentia, multum de Reginae intercessione speramus. Sed | incertum valde est quas leges a victore armato et bene instructo simus accepturi, ab eo scilicet victore, qui apertis armis et manifestis copiis *Protestantium*, non infirmis Catholicorum aliquot et secretis subsidiis vicerit. Et idcirco in illos magis erit propensus et fere adstrictus, ita ut oppugnantibus illis (ut solent) Catholicae fidei libertatem in hoc Regno, imo paenas nostrae (ut vocant) rebellionis postulantibus, scilicet ut in locum et bona nostra succedant, satis Reginae concessum fore putandum sit, si in pristinam sortem et eam quidem infaelicem, quam ante hoc bellum experti sumus, redire fas fuerit. Verum e contrario si quae pars praevaluerit nos invenerit armatos et bene instructos et dominio et arcibus ampliores et auxiliis exterorum fortiores, certe non ita facile invadent, aut saltem non absorbebunt ut fidei nostrae liberum exercitium et in administratione Regno aliquam communionem non relinquunt. Quae duo | si obtinerimus, bene impensos nostros labores, utiliter datum nostrum sanguinem, faeliciter omnia evenisse in hoc bello vere dicemus, et forte cum divino auxilio eo res deduci poterit a nostris armis, ut non tantum haec duo, sed et plura, impetrare aut imperare possimus.

(86) "Valeret procul dubio ad benevolentiam Regis promerendam noster cum armato et numeroso milite occursus quo ei praesidio et auxilio contra communes hostes Puritanos in Anglia essemus. At si res bene expendatur non tam desiderio singulorum nostrum, quo Regi inservire volumus, quam facultate a praesenti rerum statu nobis permissa id omnino difficillimum ne dicamus impossibile videtur. Nam habemus Scotos in Ultonia et numero et viribus et armis potentes, quos tamen nostro malo scimus jam ab Anglis ab hac tractatione exclusos, vel potius semetipsos ab omni armorum cessatione cum Ibernis et forte cum ipsis Anglis excludentes, cum quibus arduum et periculosum et longum erit bellum, | ita ut milites, arma, pecuniae, omnis demum apparatus quem congregare poterimus, satis futurum sit, si ad Scotos expellendos, non ad Regem in Anglia adjuvandum

suffecerit. Certe mirum est et solius misericordis Dei manifesto patrocínio tribuere debemus, quod illi homines, qui totam Ultoniam possident, eo termino contenti fuerint, nec alias Provincias invaserint, quas in bello contra Anglos occupatas facile absorbere potuissent. Sed qui hoc utuntur argumento ut suadeant cessandum ab Anglorum armis ut Regi succurramus, et etiam Scotos velut nil ultra Ultoniam tentantes pro nostro arbitrio simul expellere studeamus, Deum, quaeso ne tentent, ut Scotis permittat suas prosequi victorias, quibus et Mediam et Conaciam licet nullo alio distentas facile occuparent. Et interim considerent minus dispendii et laboris et periculi fore in Scotis intra Iberniam reprimendis et ab ea, Deo dante, expellendis quam in subsidio aliquo utili ad Regem extra Iberniam adducendo. Pecunia nostra, quam Regi tradendam pro cessatione dicimus, sed vere ab ipsius Ministris iisque nobis aversis, in proprios | usus et 618
utinam non contra nos convertendam credimus, si rite et recte expendatur per dimidium fere annum (ut postulabit occasio) exercitui nostro in castris alendo satis erit, expulsisque eo nervo aut Scotis aut Anglis, et nostrarum provinciarum possessione recepta, uberiores summam ad certum ipsius Regis servitium mittere poterimus.

(87) " Haec belli necessitas cum Scotis et perpetua belli suspicio cum Anglia res nostras adhuc confusas et turbidas ita detinebit ut nec frequens ecclesiarum cultus, nec proprius Religiosorum habitus, nec ecclesiasticorum bonorum distinctio, nec civilis regiminis ordo, nec demum certus Reipublicae gerendae modus possit interim stabiliri. Quodque nobis in primis nocet nec tutum et liberum mare habebimus a Puritanorum plurimis navibus ut e Galliis, Hispaniis et Flandria, quae obtinere aut emere poterimus, huc advehantur. Sane cautius agendum erit cessationis tempore, ne aut nobilibus, aut Religiosis, aut militibus non tam inferatur injuria quam aliquid novi praecipiat quod violentiam aut molestiam ullam sapiat, dum ab omnibus |
periculum erit nec tunc in bello cum Scotis aut in eo quod post 618
cessationem facile cum Anglis renovabitur nos omnino sua ope v
et opibus destituant. Et hoc maxime quia, qui nunc et consequenter toto cessationis tempore a sua patria, castris et bonis arcentur, non facile tolerabunt tantam jacturam, dum alios et forte minus de republica meritis rebus suis integre et hilariter frui videbunt. Quae res multas divisiones gravesque a communi utilitate alienationes inter ipsos nobiles adducere poterit, quas tamen hactenus non adduxit neque adducet dum qui suis bonis

privantur ad illa tamen recuperanda per arma anhelant, imo ad hoc etiam inspiciunt eorum concursum, studium et impendium, qui suam obtinent.

(88) “ Denique diligenter considerandum est quod primo forte loco ponendum erat. Nempe Principibus illis, qui nullo contra Regem aut Puritanos odio moti vel incuria lacessiti, sed soli nostro zelo erga fidem Catholicam gratulantes, nobis auxilia non tam gratiosa quam opportuna fere non rogati suppeditarunt
 619 ut illius publicum exercitium et cultum in hoc Regno per | arma et sanguinem promoveremus, nunc videntibus jam nos bello desistere, arma deponere, ad pacem per inducias aspirare, contentes ea fidei dilatatione, quam in minore Regni parte obtinemus, et illo imperio, quod utique moderate et in paucos exercemus, videntibus (inquam) nihil ex hac cessatione nobis accedere circa fidem et religionem et Dei cultum et imperii auctoritatem praeter illa quae jam in bello possidemus, idque sine ulla eorum participatione et concilio facillimum erit, ut tepescat ardens in ipsis erga profectum nostrum affectus, et auxilia sua si non negent, differant tamen, visuri intra annum quid nobis erit. Quo fiet ut eo labente nec propriis viribus nec exterorum auxilii fortiores in eo statu reperiri possimus, in quo facile ab adversariis opprimamur. Sane qui a Summo Pontifice ad nos missus fuit, se opinari non uno loco dixit a sua Sanctitate revocandum si fiat cessatio armorum ea praesertim inconsulta et forte inscia. Quia
 619 pro fidei et regni securitate, | neque fundamentum poni potest,
 v sed ad integrum Catholicae fidei in toto Regno cultum et exercitium, et ad hanc insulam sine Regi debitae fidelitatis praejudicio antiquo splendori sanctitatis restituendam, cum opportunis pro tempore auxiliis venisse aestimandus est. Hoc idem de caeteris principibus credendum qui, ut arma nostra nostrosque conatus tam pios et sanctos promovere studuerint, sic nostram quietem et pacem negligent, et forte taedebit aut improperebunt quod tot expensas fecerint, et tantum laboraverint aut mittendo aut permittendo subsidia, quorum tamen sperato eventu frustrati sint ex nostra (ipsismet inconsultis) ab armis cessatione.

(89) “ Haec, pro humana, eaque infirma ratiocinatione, considerata proponuntur. *Cogitationes enim mortalium timidae et incertae providentiae nostrae.* Plura et graviora scripto mandare non expedit. Deus Opt. Max., cujus oculis patent omnia, reprobet omnes cogitationes, dissipet omnia consilia, quae Divinae voluntati in hac causa noverit adversari.” Hactenus

illa responsio nervosissima, qua futes et fraudulentas alterius acti rationes corruisse video. |

(90) Ex schedula illa 11^o Novembris 1643 ad Scarampum ex Urbe notis arcanis in Iberniam scripta et superius posita colligimus eum antea suae Sanctitati litteris Romam ex Iberniam missis de induciis tanquam in deliberationem vocatis significasse. Qua etiam armorum cessatione Romae mature ponderata sententiam in quam itum erat notis pariter secretis Sacrampo eadem die 11 Novembris 1643 suae Sanctitatis nomine Cardinalis Barberinus Italice scripsit, quam hic latine verto. 620

(91) " Armorum cessationi, quae ab istis Catholicis exoptabatur in fundamentum (sicut Dominatio vestra folio cyphris exarato, quo sui istuc appulsus et status rerum Ibernicarum monemur, scribit) erat, quod metuerent ne segetes vastarentur. Jam anni tempore ita processum est ut messem speremus absque ullo impedimento coactam, proindeque evanuisse timorem quo fiebat ut in inducias propenderent. Circa quas ipsi dicere debeo quod si belli successus hactenus Catholicis favent, et si speratur fore ut Dublinia expugnetur, non videtur in eas consentiendum, ne hosti subministretur opportunitas resumendi vires, et plus resistendi cum finitae fuerint. Si autem partium status in equilibrio sint et vires Catholicae, armis vel re pecuniaria deficiente, se progressum facturas non sperent, censetur in illas consentiendum, modo ante alia omnia rebus ad religionem Catholicam pertinentibus prospiciatur. Hic rerum cardo est ad quem summa vigilantia attendendum, et cuius gratiam bellum tanto labore et sumptu caeptum fuit. Nec nobis deest cur probabiliter dubitemus ne Catholici, si rebus, quae ad religionem spectant, ante omnia in tuto non positae, se ad inducias pacificandas allectari permiserint, nullam recepturi sint satisfactionem. Nam Ministri regii, ubi periculis exempti fuerint et temporis opportunitate fortiores evaserint, eos pro ipsorum libidine tractare cupient, nec illis resisti poterit. Quare da operam et in id animum | intende ut nec religionis Catholicae conniventia vel permissio pangatur, nec res reginae Galliarum ejusve legatorum arbitrio aut interventui relinquatur, sed insistatur ut Rex liberum Catholicae religionis exercitium concedat, et polliceatur se episcopos atque ecclesiasticos in suae dignitatis, bonorum, et jurisdictionum possessione conservaturum, nec ipsis nec aliis istius Regni Catholicis ullam molestiam pariturum, sed permissurum ut istic vivatur eo modo, quo in aliis regionibus, in quibus sola religio Catholica viget. Promittatque rex se omnes prae-

620
v
621

fecturas et munera publica in dicto regno collaturum in Catholicos cujuscunque voluerit nationis. Nam si in haereticos collata fuerint continuo illos male tractabunt prae odio implacabili, quo nostram religionem prosequuntur. Si hunc in modum induciae contrahi poterunt, hic in eam itum est sententiam ut admittantur.

621 Neque enim modo majorem assequi possumus | utilitatem, quae
v magna foret si hae ante pacem aut plenam Regis Angliae victoriam stabilirentur. Juxta hanc semper sententiam D. Nuncio Franciae scripsimus dum istorum Catholicorum oratores Parisiis permanserunt, ibidemque de induciis locuti fuere. Nec nisi cum hoc animi voto oratores illinc discesserunt postquam D. Comitem *de Harcourt* rerum notitia fuse imbuissent, qui se ad favendum ipsis valde propensum ostendit, quod postulata ad religionem postliminio restituendam interposita judicasset rationi esse valde consentanea. Omnino displicet quod illinc obtineri nequiverint subsidia pecuniaria, quae ob multam spem datam expectabatur. Multoque plus piget, quod nobis per temporis circumstantias et Sanctae Ecclesiae indigentias non licet subministrare quod cuperemus. Nihilominus de alicujus auxilii suppeditandi ratione cogitabimus. Interea Dominatio vestra non negligat invigilare
622 ut (quantum potest) impediatur, ne | religioni praejudicium afferatur, et nos earum quae successerint tam rerum militarium quam induciarum atque omnium aliorum tractatuum subinde monebit, nobisque mittet eas scripturas et monumenta circa res istas aut quascunque alias istic typis mandanda et in lucem edenda, quae nostrae notitiae digna judicaverit." Haec ibi.

(92) Hic (ut obiter dicam) excusatur Sedes Apostolica quod, quas vellet, Iberniae Confaederatis suppetias non transmisisset. Reque ipsa Urbanus VIII. circa idem tempus, quo hoc bellum in Ibernia geri caepit, primo ducem Parmensem deindeque alios Italiae Principes et potentatus, qui cum Parmensi faedus percusserant, bello adorsus est. Cum quibus non nisi paulo ante mortem anno 1644 pacem contraxit. Quare factum ut Pontifex haud juxta ac vellet Iberniae Catholicis adfuerit. Litteris tamen ad Cardinalem Grimaldum hoc anno 1643 16 Decembris ex Urbe
622 in Galliam datis scripsit | Cardinalis Barberinus Pontificem,
v patrum suum, ea Iberniae Confaederatis transmisisse subsidia, quae per temporis injuriam liceret. Quod etiam in actum Scarampo a Confaederatorum secretario circa inducias contrahendas traditum et in Scarampi responsionem quadrare vidimus. Quanta porro illa subsidia fuerint me latet.

(93) Ad inducias illas redeo, ad quas in Ibernia contrahendas

vel rejiciendas illa deliberatio pontificia Scarampo notis arcanis in Iberniam missa nihil conduxit, quod negotio jam in Iberniam peracto posterior esset. In medium tamen afferendam duxi ut posteritatem non celarem quid Pontifex et Cardinales de illis induciis senserint. Circa quas in ipsa Iberniam atque Angliam pro partium varietate et studiis inter se multum distantibus sententiae variarunt, Parlamento Anglicano ab illis abhorrente ne earum occasione Rex ex Iberniam suppetias reciperet, Rege vero eandem ob causam armorum cessationem anhelante, et ipsis Catholicis diversa sentientibus. Quorum aliis cum Scarampo inducias causae Catholicae patriis immunitatibus obfuturas alii profuturas contenderent. Id omnino certum est ita Angliam bello intestino fuisse tunc implicatam et partibus ibi regiis ac Parlamentariis tam capitale odium atque inimicitias mutuis vastationibus et vasta cruoris profusione jam alte radicatae secum invicem intercessisse, ut nec vires nec viros suis in Iberniam haereticis transmittere valerent, proindeque Deus Opt. Max. congruentissimam tunc Confaederatis Iberniae Catholicis plenissime triumphandi occasionem, si ipsi eam arripere voluissent, subministrasse videatur. Accessit et victoria dum de induciis contrahendis utrinque ageretur a Catholicis reportata, quae ipsis ad palmas ultteriores viam sternebat. Si quidem Eugenius O'Nellus, copiarum Ultoniensium | imperator, quem anno superiori ex Belgio in patriam insulam remigrasse vidimus, quemque in variis exinde velitationibus, quarum exacta ratio mihi tradita non est, nunc vicisse nunc Scotorum in Ultoniam inundantium viribus longe superioribus victoriam jam inchoatam imperato suis recessu prudenter subtraxisse, nunc impari congressum providentissime declinasse invenio, hoc anno 1643 mense Septembri ad Portlestriam Lageniae Castellum cum hostibus prospere dimicavit. Nam Carolus Morus, Vadiponti Vicecomes et gubernator, ad duos annos proxime superiores saepius memoratus, dum cum Ormonio de induciis illis contrahendis ageretur, collectis viribus haereticis eidem Ormonio in Lagenia parentibus, et advocatis ex vicina Ultonia in auxilium Scotis cum magno fastu in Catholicos, praesertim in Eugenii copias, movit. Quod factum creditur ut Eugenii, qui cum fautoribus inducias tanquam patriae nedum Ecclesiae | Ibernicae exitiales abominabantur, exercitu deleta, lata deinde alteri Catholicorum parti Ormonii praestigiis fascinatae ad illam armorum cessationem, deindeque pacem perniciosis conditionibus absque offediculo cum ipsorum Ormonio absolvendam janua pateret. Quam sane praesumptionem satis validam plurimae

623

623

v

624

earundem partium Catholicarum machinationes et artes pessimae, de quibus postea evidentius constitit, haud mediocriter roborant. Sed his artificiis et haeticorum immanitati defuit Dominus exercituum. Nam praecedentibus nonnullis praelii prolusionibus et tormentis bellicis utrinque tonantibus, Eugenius jussit suum tormentarium ut in quendam aequitatus hostilis globum, in quo praecipuos hostium duces conglomeratos esse credebat, collinearet, et globum tormentarium exploderet. Nec desunt qui ipsum Eugenium tuba Hollandica prospectantem collimasse et id effecisse ut tormentum | bellicum longe melius libratum fuerit, dicant. Sed quicquid de hac pugnae circumstantia sentiendum sit, Morus, exercitus haetici tunc praefectus, machinae illius bellicae globo medium corpus trajectus, ac in duas partes dilaniatus periit, et barbarus atque inhumanus carnifex tot tantisque crudelitatis in Catholicos ad biennium pene integrum exercitae maculis notatissimus, justissimam haere eos aliorumque horrendorum scelerum paenam dedit. Hac victoria (nam hostilis exercitus tunc confusus, fugatus, et ex parte profligatus locum cessit) erectis Catholicorum et dejectis ibi haeticorum animis, quis crederet futurum ut Supremum Confaederatorum Concilium in inducias illas amplius consentiret, sed potius Eugenio ad conficiendum usquequaque in universa Lagenia triumphum vires et animum suapte natura ardentissimum adderet. Verum Ormonio inter Confaederatos Iberniae Catholicos non defuerunt, qui ejus praestigiis fascinati, et suis privatis commodis in Ecclesiae Ibernicae bonique publici praejudicium addicti, | infaustas illas inducias ad ipsius votum accelerandas curarunt.

(94) In Ibernia enim alii Confaederatorum erant aborigines, seu veteres indigenae, quorum majores ex Hispania oriundi insulam a tribus circiter annorum millibus occupaverant, ex quorum sanguine tot tantique ante et post Christum natum regni monarchae, provinciarum reges, et inferiores principes ac nobiles prodierunt, et ex quorum progenie natio Scotica ante multa jam saecula in illam Britanniae partem, quam hodie Scotiam vocant, transmigravit. Cujus reges et principes et antiquissima nobilitas, etiam Stuartorum domus hodie in Anglia, Scotia, et Ibernia regnans, a veteribus Ibernis jam dictis originem traxerunt. Alii Confaederatorum ex Anglia descenderunt, quorum majores sub Henrico secundo, Angliae Rege, qui Iberniam pene quintigentiis annis jam elapsis invaserat, et sub aliis posterioribus Angliae Regibus | et Reginis in Iberniam irrepserunt vel irruperunt, ejusdem Coronae potestate in perenne veterum Ibernorum

praejudicium apud Iberniam aucti etiam cleri (post haeresim introductam) possessionibus, quae bona Ecclesiastica non omnes, nec eorum plerique, sed multi ab eadem corona impetrarunt. Denique ex utroque Ibernorum genere sed longe magis ex veteribus Ibernis plurimi magnates et nobiles ita haereticos Angliae principes fidei et patriae libertatis vindicandae causa subinde bellaverant, ut eorum atque aliorum plurimorum vastissima patrimonia fisco adjudicata vel per alias haeticorum artes pessimas extorta iidem Angliae principes in Anglos, Scotos, et aliquot suae factionis Anglo-Iernos sibi adhaerentes distribuerint, quorum Anglorum recenti memoria in Iberniam propagatorum filii vel nepotes, jam natione Iberni et magna ex parte ad fidem in Iberniam conversi, magna etiam ex parte huic ultimo faederi Catholico nomen dederunt. | Itaque cum aborigines et Iberni ex Anglia citius ac tardius oriundi pene omnes in unum corpus coaliti hoc bellum pro fide Catholica, Rege, et patria in haereticos Anglicos et Scoticos numerosissimis gregibus in Iberniam propagatos hactenus gesserint, succedit ut Anglo-Iernorum non paucorum fervor nimis cito deferbuerit, substituta in ejus locum antiqua antipathia, invidia, et perdendorum eorum agrorum male partorum metu atque infinitis suspicionibus de aboriginum mente conceptis et Ormonii aliorumque malignorum artificio suggestis, quasi metuendum omnibus Anglo-Iernis esset ne haeticis Anglicis ac Scoticis Iberniam semel deturbatis, aborigines, excusso prorsus Coronae Anglicanae jugo, antiquam libertatem recuperarent, et ipsos Anglo-Iernos quantumvis Catholicos, patriotas, et plurimis atque arctissimis | necessitudinibus sibi conjunctis sensim sine sensu deprimerent, ac demum prorsus extirparent. Quae suspensiones et animorum alienationes magis dominatae sunt in recentiores Anglo-Iernos bonorum Ecclesiasticorum et aliorum vastissimorum latifundiorum, Iernis ab introducta haeresi extortorum possessores, in Iberniam quoque civitates et oppida faederi Catholico adhaerentia, nec non in *Coloniae Anglicanae* aliquot in Lagenia comitatus continentis Anglo-Iernos in nationem Anglicam plus caeteris propensiores. Haec Ormonio patuit via ad Anglo-Iernos, non omnes, sed primum multos deindeque (ut in narrationis progressu videbimus) plures clanculariis machinationibus et falsissimis suggestionibus a veteribus Iernis alienandos, et demum ad utramque partem suis nequissimis artificiis pessundandam. |

(95) Haec factio ab hoc Anglo-Ierno haeretico copiarum haeticorum in Iberniam praefecto generali, demum Ormonica

(ut videbimus) vocitata ad primos belli Ibernici annos adeo occultis machinationibus serpsit, et suis perniciosis moliminibus speciosos boni publici colores praetendit, ut sinceris omnibus fucum fecerit, qui tardius quam par esset, eorum molitiones in suspicionem vocarunt, nec nisi re ipsa veritatem pandente illis locum dederunt. Sane Ormonium diluculo in ipsius Concilii Supremi gremio sui fautores habuisse, eosque ab illa perniciosissima factione ex industria in Concilii Supremi membra cooptatos fuisse fortissime praesumendum est ex iis, quae illi postea in fidei et patriae praejudicium perpetrarunt, usqueadeo ut in ipsis primis Confaederatorum Comitibus generalibus anno 1642 celebratis pestilentissimi totius nationis Ormonistae, etiam Geraldus | Fenellus, Medicaster, et Richardus Bellingus, Supremi Concilii albo ascripti fuerint. Ex quorum Ormonistarum numero Vicecomes Taaffus, ubi aliquot menses in Anglia Regi adversus Parlamentarios militasset, deinde in Iberniam regressus se Ormonio ad has inducias promovendas instrumentum praebuit tanquam Ibernus et Catholicus, quibus titulis nationi fucum fecit. Hominis genium vel ex epistola ab ipso hac ipsa aestate dum induciae in motu essent ad sanguinarium haeticum et Confaederatorum hostem, Fredericum Hamiltonum, Equitem auratum natione Scotum, data colligere est. “Plerique (inquit) hujus gentis Ibernii, quo suum vindicent facinus, Regis nostri potestatem se habere praetendunt. Quod manifestum est commentum. Tantum enim abest ut eos in ipsorum progressibus vindicet, ut etiam hostes esse censeat, et | rebelles destructionem gentis Anglicanae, ejusque regiminis tantum machinantes.” Et paucis interjectis : “Ex quo (inquit) in hanc patriam veneram, infudit se in comitatum Roscommanensem eorum (Confaederatorum Catholicorum) acies. De ejus multitudine te monere non possum. Intendunt autem in comitatu illo expugnare praesidia eosque, qui de exercitu regio ibi resident, perimere. Ex inquilinis meis plurimi mihi conquesti sunt Dominationem vestram ipsos devastasse. Hoc illos fuisse meritos persuasum habeo ab iis excaecatos qui, quo sua privata promoveant jura, destruunt publica. Eorum nonnullos reformare conatus sum. Cum autem huic mihi recedendum sit, eos tuo committo patrocinio. Deinceps enim nunquam se male gerent, nec vestra impediunt molimina. Vestra praestolabor mandata, quae me fideliter observaturum polliceor.” Haec ille, Bullimota 12 Julii 1643.

(96) Itaque hac Ormonistarum factione in | Concilio Supremo praevalente, 15 Septembris 1643 cum Ormonio, ex Comite in

627

v

Doctor
Enos.
Just.
Cap. 21.
Num. 8.

628

628

v

Marchionem recens induto et Regis autoritate ad pactionem illam tractandam munito, ita induciae in annum integrum conclusae sunt, ut medium victoriarum Catholicarum cursum interruperint, Eugenio O'Nello atque ejus exercitu jusso in suam Ultoniam remeare, ubi illo induciarum anno otio languentes a bello requieverunt.

(97) Parlamentum Anglicanum, quo haereticorum omnium odium Regi conflarent, illas inducias ab eo in Catholicorum Iberniae commodum initas falsissime propalarunt. Rex vero se hac invidia deoneraturus sincere professus est tantum abesse ut id verum esset, ut etiam haereticos ope in Ibernia destitutos excidio liberaturus eam armorum cessationem contraxerit. Quod per litteras Ormonio significavit et in suo libro *Regis Imagine* memoriae mandavit. | Cujus sui operis cap. 12. pag. 89 629
exempli latini: "cum (inquit) in Ibernia Protestantibus praevalente efferatorum hostium numero oppressis et nova indies strage cumulatis omnia auxilia vel negata essent, vel interclusa id mecum sedulo agebant et enixe hortabantur omnes fere in illis locis Protestantium primarii ut armorum aliqua cessatione facta spatium illis respirandi efficerem, sine quo vix credebant absque miraculo, quae superfuerunt, reliquias conservare. Deus novit quam tenero animo et quam sollicite hoc negotium curaverim, idque per viros honorabiles et spectatae integritatis, ut nec rebellibus (*Confaederatis Catholicis Iberniae*) cresceret audacia, nec qui in officio manebant Protestantium fides et potentia frangeretur." Haec Rex, Carolus primus, quae ejus verba docent quanto haereticorum bono et Catholicorum damno, nec non quo fine induciae illae pactae fuerint.

(98) His etiam induciis contractis Parlamentarii | Regi objectabant eam fidem violasse datam acto Parlamentario quod anno 629
v
1642 ratum habuerat, quo decretum erat bellum in Iberos processurum donec Parlamentum Iberniam omnino subactam esse declarasset, nullamque prorsus pacem aut armorum cessationem cum Ibernis celebrandam, nisi utraque Parlamenti domo consentiente.

(99) Sed illis rebellibus responderit Rex ipsos potius in hoc et in aliis millenis fidem violasse. Nam Rex saepissime institerat ut Parlamentum, cui bellum Ibernicum prosequendum parum providus reliquerat, haereticis in Ibernia animam agentibus et agonizantibus subveniret. Verum Parlamentarii immensam pecuniae vim partim a populo Anglicano in bellum Ibernicum pensam, partim ex anticipata agrorum Ibernicorum velut con-

630 fiscatorum venditione coactam, et non nisi Rege senatus consultis eo | spectantibus subscribente coacervatam in sua potius rebellionem Anglicana bellis civilibus firmanda collocarunt. Quare Rex non tam ipsorum amplius voluntati res Ibernicae credere quam decreta illa fraudis et nequitiae Parliamentariae plenissima totumque (si posset) ipsum Parlamentum iisdem senatus consultis ad colla appensis igni cremare tenebatur, praesertim cum Parlamentum suos commissarios Edinburgum in Scotiam miserit, qui Scotos in Angliam adversus regem invitarent, oblati centum librarum *sterlingarum* millibus ea lege ut Scoti 21000 peditum equitumque sibi in regem subministrarent. Quod pactum ita utrinque conclusum est ut Parlamentarii faedus Puritanicum a caepito bello apud Scotiam in Catholicos Regemque percutsum confirmarint et a se secundandum jurarint.

630 (100) Contractis induciis Confaederati Iberniae Catholici Regi
v triginta librarum *sterlingarum* | millia subministrarunt, et se ad pacem cum eo per legatos pangendam accinxerunt. Interea induciarum articulis vel saltem eorum compendio et aliquot scripturis, quae ad eandem rem pertinebant, a Cardinale Grimaldo Lutetia Parisiorum ad Urbanum VIII. in Urbem transmissis, responsio ad Cardinalis litteras 16 Decembris 1643 facta est, ex qua nec non ex alia scheda ad Scarampum, Ministrum Apostolicum, notis arcanis eodem die in Iberniam a Cardinale Barberino scripta colligo inducias Romae non arrisisse, et Pontificem laetentulisse quod eas Scarampus non probasset. Postea vero induciarum articulos latine versos et a Scarampo cum totius tractatus relatione ac litteris 4^o Octobris 1643 ex Ibernia in Urbem datis missos Pontifex recepit. Ad quae acta Cardinalis Barberinus Italice et notis arcanis 6^o Januarii 1644 ad Scarampum in |
631 Iberniam directis suae Sanctitatis nomine respondens: "Non (inquit) indicatur expedire ut Dominatio vestra contractos inter Regem et istius regni Catholicos inducias expediendas curet, sed desideratur ut religionis Catholicae causam in pacis tractatu stabiliendam procuret, quo Iberni eam maiore libertate, quam nunc gaudent, exercere, et sua devotionis exercitia publice et maiore cum securitate absque ulla pecuniarum solutione obire valeant." Haec ille. Qui etiam ad aliam Scarampi schedulam notis arcanis 28 Octobris 1643 ex Ibernia exaratam 2^o Aprilis 1644 cyphis respondens: "Dominatio (inquit) vestra ita se gerat ut in ipsa ne minima quidem induciarum jam contractarum aversio observetur, nec se perturbationum et rerum novandarum amicum ostendat, cum nos ad principalem Catholicae religionis

in isto Regno libere exercendae articulum attendere quidem debeamus, sed malentes ut | per inducias et pacem quam per bellum succedat." Haec Italice Pontificis nomine Cardinalis. 631
Ex quibus colligendum videtur Scarampum consuluisse suam v
Sanctitatem nunquid induciis illis velut causae Catholicae praejudicantibus intercedere deberet. Porro paulo post contractam armorum cessationem Confaederatorum Concilium Supremum binas ex Ibernia litteras ad Urbanum VIII. et Cardinalem Barberinum litteras dederunt hic sequentes :

" Beatissime Pater.

(101) "Cum is sit Sanctitatis vestrae in nos, causamque nostram affectus, ut licet bello in ipsa Italia gravetur, nostris tamen, qui tanto terrarum tractu distamus, rebus intenso prospiciat studio, nos etiam sanctissimi Patris nostri favore recreati non erubescimus illa, quibus | indigemus a tanto et tam propitio 632
Patrono exorare. Missus est ad nos Sanctitatis vestrae Minister Illustrissimus Dominus Petrus-Franciscus Scarampus, qui infesssa cura et industria se totum in rebus nostris promovendis adhibet. Et quia siquod dissidium aut siquae controversiae in clero vel populo exorirentur Sedis Apostolicae auctoritate facile sopiri possent, obnixè rogamus ut in tam prudentem virum et tam bene de nobis meritum Nuncii nomen et potestas transferatur. Qua auctoritate si quos hoc induciarum tempore fluctuare contingeret, faeliciter in viam possit revocare. Nobis quis sit ad propagandam fidem Catholicam animi affectus, quantum illam hactenus propagaverimus et majori regni parte ac plerisque civitatibus in integrum restituerimus, et quo pacto, quibusque de causis hanc armorum cessationem admiserimus, nostro nomine referet | Sanctitati vestrae R. P. Lucas Waddingus, ordinis 632
Sancti Francisci de Observantia religiosus, cui ut fides adhibeatur v
obnixè rogamus.

Cassiliae 1^o die Octobris 1643.

Sanctitatis vestrae ad pedum oscula provoluti humilissimi filii :

Hugo Ardmacanus. Montgarret. Thomas Cassiliensis. Castelhaven Audley. Joannes Clonfertensis.

Emerus Dun-Conerensis. Netterville. Nicolas Plunkett. Lucas Dillon. Torl. O'Neill Ric. Bellings."

(102) Ad Cardinalem autem Barberinum haec epistola scripta fuit :

“ Eminentissime Domine,

633 “ In dies occurrunt plurima, quae nos ad agendos Eminentiae vestrae gratias agunt et excitant. Ita se gerit Illustrissimus Dominus Petrus-Franciscus Scarampus, Eminentissimae Dominationis vestrae cura huc ad nos missus, ut in omnem occasionem paratus, rebus nostris | promovendis totus incumbat et laboret. Conclusis jam unius anni induciis videmus conveniens imo rebus nostris necessarium esse ut apud nos sit qui Nuncii nomine et autoritate polleat ac fruatur. Quare a Sanctissimo Patre nostro humiliter petimus ut potestatem illam in optimum hunc suae Sanctitatis Ministrum conferre dignetur, rogamusque ut hoc nostrum postulatum Eminentia vestra benigne promoveat, illudque innumeris antehac beneficiis pro Ibernica praestitis adjiciat. Eminentiae vestrae manus deosculantur

Cassilia 1^a die

Octobris 1643.

Eminentissimae Dominationis vestrae observantissimi :

Montgaret. Hugo Ardmachanus. Castelhaven

Audley. Netirville. Emerus Dun-Conerensis.

Joannes Clonfertensis. Lucas Dillon. Nic.

Plunkett. Ric. Bellings. Torl. O’Neill.”

633 (103) His epistolis haud obtentum ut Scarampus | ex Ministro
v Apostolico in Nuncium Apostolicum cooptatus sit, licet Pontifex ampliorem priore ipsi fecerit potestatem.

634 (104) Vidimus ad annum 1642 Thomam Desseum, episcopum Midensem, huic bello Catholico et Catholice gerendo intercessisse, eamque ob causam a suo Metropolitano et Concilio provinciali 22 Martii eodem anno coacto ab officio suspensum fuisse et declaratum ut talis haberetur, nisi intra tres septimanas resipisceret. Verum Midensis tantum abest ut tunc se submisit, ut etiam post faedus Catholicum ritu magis solemni deinde a cleri populiue Comitibus Generalibus Kilkenniae eodem anno percussus, etiam a Sede Apostolica per Brevia a Pontifice directa et per amplissimas indulgentias militibus atque aliis Catholicis eidem causae suffragaturis concessas, nec non per publicam ministri Apostolici missionem | approbaturum et post erectum Concilium Supremum perfracte recalcitravit. Quare Scarampus per litteras 27 Augusti 1643 ex Ibernica in Urbem ad Cardinalem Barberinum datas supplicavit “ *ut delegaretur causa episcopi Midensis ab Archiepiscopo Ardmachano suspensi, quod cum*

quatuor Regni Archiepiscopis atque aliis Ecclesiasticis et Catholicis ad bellum concurrere *noluerit*." Quam ejus petitione Romae agitata, "respondetur (inquit Cardinalis Barberinus) causam istam delegari non posse, donec authenticum Appellationis, quae ab episcopo Midensi interposita fuisse supponitur, instrumentum visum fuerit, et nisi idem episcopus instantiam faciendam curaverit ut mandato speciali causa delegetur. Ubi autem appellationem et episcopi instantiam viderimus causa juxta sacrorum Canonum dispositionem *delegabitur*." Haec Cardinalis sed Italice, sicut et Scarampus. Verum | licet Cardinalis Barberinus 634
Midensem appellasse supponat, mihi tamen nullam illius conjecturae fundamentum certum occurrit. Sed et ejusmodi Appellatio nugatoria et notorie frivola fuisset, praesertim episcopo Midensi illam hactenus non prosequente. Ex quibus circumstantiis colligere est quam impie et audacter hic episcopus praesenti bello Catholico se opposuerit, et quam pertinaciter per biennium pene integrum in illa perversa sententia perstiterit. Verum paulo post illam epistolam 27 Augusti 1643 a Scarampo scriptam Midensis faederi Catholico nomen dare caepit. Quare Cardinalis Barberinus ad alias Scarampi litteras 4^o Octobris 1643 ex Ibernica datas respondens: "retractatarum (inquit Italice) ab episcopo Midensi suarum opinionum nuncia haud mediocrem nobis animi oblectationem attulerunt. Dominationis vestrae erit id efficere ut caeteris regni | praelatis cohaereat." 635
Sic ille. Porro cum Scarampus 27^o Augusti 1643 de Midensi tanquam in sua perversa animi sententia obstinato ad Cardinalem Barberinum scripserit, et induciae die mensis proxime secuti 15^o conclusae fuerint, et Scarampus per litteras 4^o Octobris 1643 ad eundem Cardinalem ex Ibernica datas Midensem palinodiam cecinisse significarit, fidem habet Midensem non nisi induciis illis jam contractis faederi Catholico adhaesisse, eique non fuisse adhaesurum nisi contractae fuissent, quibus utique Ormonius, militiae haereticae praefectus, ejusque inter Confederatos Ibernicae Catholicos factio latam sibi straverint viam ad peragendum ut nec Ibernici nec Ecclesia Ibernica illo bello triumpharent, sed pax nationi (exceptis Ormonii fautoribus) et fidei Catholicae apud Iberniam perniciose intruderetur. Ex quibus circumstantiis, atque aliis suo loco referendis, colligere est quam male ille episcopus causam Catholicam in hoc bello tractarit. |

(105) Idem Cardinalis Barberinus 16 Decembris 1643 Scarampo 635
Italice scribens: "Fr. Dominici (inquit) de Burgo, Dominicani, v
qui apud Clanricardiae Comitem continuo se tenet, actiones

(sicut intelligimus) magnum istius regni non solum laicis Catholicis sed etiam ecclesiasticis scandalum pariunt. Quare Cardinalium Congregatio rebus Iberniciis praeposita decrevit ut Dominatio vestra patrum Dominicanorum Provinciali mandet, quatenus Fr. Dominicum ad se advocatum a Comitibus domo procul faciat, eumque in ea regni parte collocet, quam Dominatio vestra judicaverit idoneam ut malis, quae patrat, obviet. Si autem Fr. Dominicus Provinciali non obtemperaverit, Dominationem vestram velut Delegatum Apostolicum in eum, quo ad obedientiam se accommodet, severe animadvertere oportebit, et quis huic negotio eventus erit significare non gravetur," Haec Cardinalis, cujus et Scarampi, nec non Nuncii Apostolici postea in Iberniam missi, vigilantia non assecuta est ut | P. Dominicus resipuerit, vel saltem ita resipuerit ut postea in pejus non profecerit.

(106) Induciis jam contractis et stabilitis, generalia Confederatorum Iberniae Catholicorum Comitibus Waterfordiam coacta fuere ut de mittendis in Angliam ad pacem cum Rege contrahendam legatis, deque postulatis interponendis et aliis regni negotiis ex communi deliberatione ageretur. Ad quem generalem consessum quatuor regni Archiepiscopi alique nonnulli Iberniae Praelati confluxere, quibus ibi mense Novembri 1643 in unum convocatis Minister Apostolicus, P. Scarampus, proposuit ut Concilium Tridentinum reciperent et suo exemplo in Comitibus Generalibus recipiendum curarent. Ejus rationes praelatis propositas in medium affero ex autographo, quod manu propria scripsit Latine, excepto titulo, quem Italice exaravit.

Ad Archiepiscopos et Episcopos in Congregatione Ecclesiastica Waterfordiae tenta dum Comitibus Generalia mense Novembri anno 1643 celebrarentur.

636

v

(107) "Redigitur ad mentem Illustrissimorum et | Reverendissimorum Dominorum praelatorum propositio acceptationis Sacri Concilii Tridentini in hisce Comitibus Generalibus. Quoad ipsos certum est ex collatione dignitatis episcopalis et ex professione Fidei Catholicae jam ad illius observantiam esse constrictos. Sed si in hoc conventu suo particulari Ecclesiastico et in totius regni conspectu nunc se observaturos, quantum in iis est, et tempora permittent, aperte declaraverint, manifestum suae in orthodoxa fide inconcussae constantiae testimonium praebebunt, nec tantum quod per se ipsi nunc praestant, sed quod per successores in posterum observabitur, Sanctissimus

Dominus noster D. Urbanus Papa VIII. et Sancta Sedes Apostolica perpetuo iis tribuet.

(108) "Ex hac Illustrissimorum et Reverendissimorum Dominorum Praesulum acceptatione non etiam juramento firmata, sed simplici tantum et unanimi decreto asserta, nullum est dubium quin sacerdotum omnium saecularium consensus, sive tacitus sive expressus, subsequetur. Illi enim nec suae dignitati sacerdotali, nec piae suorum pastorum et justae | simul voluntati 637 ullo modo refragabuntur.

(109) "Hos sequentur Regulares, qui ex suorum fundatorum praecipuo instituto et ex praesentium ministrorum generalium singulari vigilantia, nihil magis habere debent in animo quam obedientiam Romanis pontificibus et eorum per oecumenica concilia statutis, quibus suarum Religionum privilegia aut non auferuntur aut honestantur.

(110) "Post ecclesiasticorum consensum credendum quoque est conventum generalem consensurum si pietatem, si religionem, si fidem, si reverentiam erga Sanctam Sedem Apostolicam, quam corde profitentur, ore etiam proferunt Iberni, opere et re ipsa testatam velint. Sed quicquid agant caeteri, nulla videtur esse causa, quae acceptationem Illustrissimorum et Reverendissimorum Praesulum impedire valeat aut retardare debeat, cum praesertim ipsi legibus vivant pontificiis et Ecclesiasticis contra quas, si hujus regni consuetudo vel observantia vel necessitas aliquando invaluit, id erit tolerandum. Nec tam *caeterarum* | observantiam impediunt, per quam plurimum a Deo Opt. Max., 637 nec modicum apud summum Papam et Sedem Apostolicam mereri poterunt.

torsan
caeter-
orum

(111) "Sed nec a saecularibus detrectanda existimatur haec acceptatio. Nam in civilibus non obest quin suis legibus vivant, et si quae sunt adversantia in spiritualibus, aut cedit piorum reverentia sanctionibus Pontificiis, aut scrupulorum timor ab ipsis praesulibus sedabitur, aut aliquarum mentium durities a vehementi eaque invincibili apprehensione excusabitur. Demum nihil Sancta Romana Ecclesia per summos suos Pontifices, Christi vicarios, a suis fidelibus exposcit quod debeat aut illaqueare animos aut turbare publicae rei quietem, sed post devotam ad omnia sua praecepta generatim in Concilio contenta animi praeparationem, dum ad particularia et individua descenditur propter qualescunque circumstantias, transgressiones singulares materna benignitate et affectu tenerrimo dimittit.

(112) "Sane Reipublicae multum proderit, si | haeretici 638

audiant Iberos palam profiteri non tantum eam fidem, pro qua jam arma susceperunt, sed et ejusdem publicum cultum et formam quam Summi Pontifices post Christum Dominum successive statuerunt. Et quod in hoc Ecclesiasticorum conventu et in Comitii Generalibus definietur, caeteros etiam reluctantes paulatim trahet. Saltem ad posteros hanc optimam voluntatem et observantiam proprio exemplo quasi haereditario jure transmittent, et, si non aliud, habebunt quod plurimum et optimum est, Deum tam exactae obedientiae, quam prae omnibus sacrificiis amat, largum remuneratorem, nec non sanctissimi Domini nostri Papae Urbani et Sanctae Sedis Apostolicae uberiores indes ad omnia hujus Regni incrementa proportionem :” Haec P. Scarampus.

638

v

(113) Illa regni Comitata Generalia Concilium Tridentinum recepisce non invenio. Quin imo rem ipsis propositam fuisse non comperi. Praelati autem instrumento propria (nam apices internosco) Emeri Mac-Mahonii, tunc episcopi Dunensis et Conerensis vel (ut ipse uno verbo ex duobus composito scribit) Dun-Conerensis manu exarato, 15^o | Decembris 1643 subscripserunt, ad cujus Waterfordia Kilkenniam postea transportati calcem episcopus Ossoriensis appendicem 23 Januarii anno 1644 stylo novo, seu 1643 stylo veteri, manu senili Kilkenniae scripsit subscripsitque. Actum illud et appendicem hic ex autographo legas :

(114) “ Nos infrascripti fidem facimus, notificamus et declaramus nostro subditorumque nostrorum nomine Concilium Tridentinum receptum in nostris territoriis, prout simul congregati etiamnum nos recipimus unanimi consensu quoad ea omnia quae status temporum praticari patientur. Datum Waterfordiae hac die 17^a Decembris anno 1643.

Hugo Ardmachanus. Fr. Thomas Dubliniensis.
Thomas Archiepiscopus Cassiliensis. Malachias Archiepiscopus Tuamensis. Joannes Clonfertensis. Fr. Patricius Waterfordiensis et Lismorensis. | Joannes Laonensis Episcopus. Emer. Dunconerensis. Robertus Barry Vicarius Apostolicus Rossensis.

639

(115) “ Visa et lecta praesenti declaratione subscripta et approbata a tot archiepiscopis et episcopis, libenter eam approbo et confirmo meo nomine. Datum Kilkenniae die 23 Januarii

anno 1643 stilo veteri. Et hanc meam confirmationem atque approbationem intelligo meo et cleri mei diaecesani nomine.
David Episcopus Ossoriensis "

(116) Hujus acti apographum illam Ossoriensis appendicem et subscriptionem non continens, sed alia omnia complectens, proindeque ex autographo, ante quam Ossoriensis suam appendicem adderet, transcriptum, invenio missum fuisse ad alios quosdam regni praelatos et Vicarios Apostolicos tunc instar Ossoriensis Waterfordia absentes. Quorum occasione factum ut hoc secundum actum a primo non nihil differat. Quare secundum etiam ex illo apographo ad Praelatos jam dictos in diversa Momoniae et Conaciae loca misso hic habe : |

(117) " Nos infrascripti fidem facimus, notificamus et declaramus nostro subditorumque nostrorum nomine Concilium Tridentinum receptum in nostris territoriis prout simul congregati etiamnum nos recipimus unanimi consensu, quoad ea omnia, quae status temporum praticari patientur. 639
v

" Datum Waterfordiae hac die 17 Decembris anno 1643.

Hugo Ardmachanus. Fr. Thomas Dubliniensis.

Thomas, Archiepiscopus Cassiliensis. Malachias Archiepiscopus Tuamensis. Fr. Patritius Waterfordiensis et Lismorensis. Joannes Laonensis Episcopus. Joannes Clonfertensis. Emerus Dunconerensis. Robertus Barry, Vicarius Apostolicus Rossensis. Richardus Limericensis. Mauritius Imolacensis Episcopus. Fr. Boetius Elphinensis. Tuamiae 17 Januarii 1643 (stylo veteri) ita sentio et consentio Fr. Oliverus de Burgo, Vicarius Apostolicus Duacensis. | Donaldus O'Grypha, Vicarius 640
Apostolicus Finiborensis."

(118) " Nos infrascripti visa subscripta copia approbationis Concilii Tridentini facta a plerisque regni praelatis concurrimus cum ipsis in iisdem votis.

" In Diaecesibus Aladensi et Achadensi, quibus praesunt vicarii Apostolici, Doctor Andraeas Lynch et Doctor Jacobus Fallon, receptum fuit Concilium Tridentinum a multis jam elapsis annis et in illis praticatur.

Datum Tuamiae 20 Januarii 1643 (stylo veteri)

Malachias Archiepiscopus Tuamensis."

(119) Quod in hoc acto ab initio usque ad Roberti Barri subscriptionem inclusive habetur autographi Waterfordiae 17^o Decembris 1643 scripti subscriptique apographum est. Cui caetera diversorum manibus inserta fuisse video. Nam Limericensis, Imolacensis, et Elphinensis | propriis manibus subscribere. Quae autem inter Elphinensis et Donaldi O'Grypha subscriptiones exclusive reperiuntur, P. Oliverus de Burgo, dominicanus, episcopi Clonfertensis frater, tunc vicarius Apostolicus Duacensis, quem quatuor regni archiepiscopi et septem ex episcopis per litteras ad Urbanum VIII. 20 Augusti 1643 datas in ejusdem diaecesis episcopum incassum postulaverant, scripsit subscripsitque. Donaldus O'Grypha pariter manu propria suum calculum adjecit. Illa autem verba ejus subscriptionem immediate sequentia: "*Nos infrascripti visa superscripta copia approbationis Concilii Tridentini facta a plerisque regni praelatis concurrimus cum ipsis in iisdem votis.*" Haec (inquam) verba ab alio nescio quo scripta fuere ut illis alii subscriberent, quos Andream Lynchaeum et Jacobum Fallonum fuisse conjecto, qui tamen (ut vides) postea manus non apposuerunt, sed archiepiscopus Tuamensis. Waterfordia Tuamiam | reversus eorum vices melius supplicaverit, qui ultimas acti lineas scripsit et subscripsit, atque adeo verba jam dicta, quae ejus testimonium immediate procedunt, superfluere videntur, licet usque in diem hanc in acto supersint integra. Porro illa Praelatorum, quibus Scarampus Waterfordiae proposuit ut Concilium Tridentinum reciperent, Congregatio non videtur fuisse cleri Ibernici Concilium Nationale, cum nec per se nec per procuratores ibi subscripsisse videamus, qui posterius (ut vidisti) subscriperunt. Quos propterea Congregationi illi Waterfordiensi nec interfuisse nec ad eam Procuratores delegasse conjecto. Quibus addo nec Richardum O'Conaldum, hoc ipso anno in episcopum Ardfear-tensem et Achadeoensem cooptatum, nec Guillelmum Tirraeum, episcopum Corcagiensem, nec episcopum Laghleniensem, nec Midensem, nec Kilmorensem, nec Rapotensem, nec aliquot diaecesum vacantium Vicarios | Apostolicos illi acto subscripsisse, qui tamen (ut credere par est) subscripsissent, si rogati fuissent. Caeterum ex litteris a Cardinale Barberino suae Sanctitatis nomine ad Scarampum 6^o Januarii, 1644 in Iberniam per notas arcanas scriptis colligo Scarampum paulo ante illa Comitia Generalia Waterfordiae celebrata suam Sanctitatem consuluisse, nunquid expediret ut Concilium Nationale convocaret. Cui Cardinalis jam dictus respondit (sicut inferius videbimus) monens ut nullo modo Concilium Nationale cogeret.

640
v

641

641
v

COMMENTARIUS RINUCCINIANUS

VOLUMEN I.

PARS VI.

An. 1644

[VOL. I. PARS VI. AN. 1644]

In Nomine Sanctissimae

Trinitatis Incipit

Annus 1644.

(1) Ad annum 1644 transeo, cujus mense Januario Dominicanorum Provincialis et Diffinitores ad P. Scarampum circa Concilii Tridentini receptionem litteras dederunt. Quae propria per Provincialis, postea episcopi Imolacensis et | Martyris gloriosi, manu scriptas, et ipsius atque aliorum ex diffinitorio calculis roboratas, ex autographo latino hic subdo : 642

“ Illustrissime ac Reverendissime Domine.

(2) “ Summa qua debuimus reverentia optatissimam epistolam vestram, qua sanctissimi Domini nostri eminentissimorum principum Francisci et Antonii Cardinalium Barberinorum Regis magnae Britanniae dominiarum respective protectorum, et vestrae Illustrissimae Dominationis desiderium de recipiendo sacrosancto et oecumenico Tridentino Concilio in hoc regno, utpote necessarium ad debitum Dei cultum et perutile ad consonum Reipublicae stabiliendum gubernium significat, accepimus, eamque congregatis in unum cunctis patribus vocalibus hujus provinciae in hoc nostro Capitulo praesentibus legendam curavimus. Qui unanimi voce et voto adjudicarunt suae Sanctitatis nutibus, Eminentissimorum Cardinalium monitis, et Illustrissimae Dominationis vestrae piis suasionibus | obtemperandum. 642
Subindeque nobis injungunt ut acceptationi factae per Illustrissimos et Reverendissimos cleri saecularis praelatos consentiamus, et subscribamus nostro et suo nomine. Imo sese et suam operam libenter offerunt et laetanter exhibebunt ad promulgandam, persuadendam, et praedicandam eandem acceptationem incolis Ecclesiasticis et saecularibus hujus regni, prout pro rerum ratione et temporum qualitate vestrae Illustrissimae Dominationi seu Regni praelatis nobis injungendum videbitur expedire. Restat igitur infinitas agere gratias vestrae Illustrissimae Domin-

ationi pro benignissima expressione sui affectus, suaeque erga nos nostrumque ordinem humanitatis, cujus beneficii titulo continue rogabimus ut Deus Opt. Max. vestram Illustrissimam Dominationem diu nobis et huic Regno conservet incolumem. Datum Kilkenniae dei 23 Januarii 1644 in Comitibus Provincialibus.

“ Vestrae Illustrissimae Dominationis humiles et indigni servi.

643

Fr. Albertus O'Brien Prior | Provincialis Ordinis Praedicatorum per Iberniam. Fr. Oliverus Darcy, Prior Kilkenniensis et primus diffinitor. Fr. Dominicus O'Connor, Prior Roscomanensis et secundus Diffinitor. Fr. Thadaeus Moriarti, Prior Traliensis et tertius Diffinitor. Fr. Hubertus Delphinus, Prior Sradensis et et quartus Diffinitor.”

(3) Eodem anno mense Augusto strictioris Observantiae Franciscani Iberniae celebrato Capitulo Provinciali, litteras ad eandem rem spectantes Scarampo scripserunt, quas ex autographo, cui nec dies nec annus nec locus apponitur, hic in medium produco :

“ Illustrissime Domine ac Reverendissime.

643
v

(4) “ Visum fuit circa ea, quae in hac nostra Congregatione gesta sunt, aliquam vobis rationem reddere. Celebratum est Capitulum Provinciale 4^o Augusti, in quo praeter quinquaginta novem vocales, lectores viginti quinque cum concionatoribus centum viginti quinque inventi sunt. Ex quo facile colligi poterit quam multos operarios | in vinea Iberniae indies desudantes habeat Ordo S. Francisci. Mirum quantum desiderabatur vestra Illustrissima Dominatio, cujus singularem erga nos animum et benevolentiam facile agnoscimus. Proposuimus quae de Concilii Tridentini receptione voluistis, et unanimi consensu responsum est omnibus pro viribus rem istam promoturos, modo episcoporum consensus procedat. Concionatores valde idoneos (prout Illustrissima Dominatio vestra postulavit) ad Catholicum exercitum destinavimus. Sed necessum fuit intimare non posse ipsos sine aliquali sustentatione ibi consistere. Quod obnixè rogamus ut Supremo Concilio significare dignemini. Interim

valeat Illustrissimus Dominus ad Ecclesiae bonum et nostrum omnium solatium, quod semper orabunt

“ Vestrae Illustrissimae Dominationis ac Reverendissimae servi.

Fr. Bernardus Connus Minister Provincialis. Fr. Josephus Everardus Sacrae Theologiae Lector Jubilatus et Provinciae Pater. Fr. Petrus Darcy deffinitor. Fr. Laurentius Byrne Custos. Fr. Antonius | de Burgo Diffinitor. Fr. Thomas 644
Makiernan, diffinitor. Fr. Valentinus Browne, Commissarius Visitator. Fr. Antonius Geogheganus, Ex-Provincialis. Fr. Mauritius Ultanus, Provinciae Pater. Fr. Boetius Eganus definitor.”

(5) Eodem caractere in harum litterarum autographarum margine scripta leguntur haec verba : *Defuncti sunt ab ultimo Capitulo et suspensi centum et supra*. Suspensos autem haud alios intelligo quam quos haeretici suspenderint. Porro quid Iberniae Missionarii ex Societate Jesu circa recipiendum Concilium Tridentinum diffinierint ex P. Roberti Nugentii, qui tunc illi Missioni Apostolicae in Ibernia praeerat, litteris autographis ad Scarampum datis hic habe :

“ Illustrissime Domine.

(6) “ Hesterna nocte litteras a Patre Sant-Legero accepi, quibus intellexi Illustrissimam Dominationem vestram aegre tulisse meum Kilkennia discessum, priusquam (ut muneris | mei erat) vos salutarem. Id certe officii (ut decuit) statui 644
praestare ante meum inde discessum, monuique Patrem Sant-legerum ne domo abesset, ut mihi socius foret, et cum jam domum vestram adiremus, significatum fuit Illustrissimam Dominationem vestram Waterfordiam abiisse. Quod sane male me habuit. Quare Patri Guillelmo mandavi ut Illustrissimae Dominationi vestrae scriberet defectum illum casu contigisse, et omnino praeter intencionem, et meam nostrorumque omnium operam et obsequium offeret. Quod vero ad negotium ab Illustrissima Dominatione vestra propositum attinet, illud (ut promisi) patribus nostris cum meo Illustrissimae Dominationi vestrae responso proposui. Quod omnibus, nemine contradicente, placuit. Meum vero responsum (si bene memini) hoc fuit : Societatem nostram v

semper fuisse et fore suae Sanctitatis et Romanae Ecclesiae voluntati obedientissimam, et quicquid ea in re praelati et Regulares caeteri egerint, nos id libenti animo amplexuros.

645 Damus ergo | hoc responsum, quod non dubito Illustrissimae Dominationi vestrae satisfacturum. Caeterum si quid a me peccatum sit, quod hoc citius vel verbo vel scripto illustrissimae Dominationi vestrae non significaverim, libenter veniam peto, et meum omniumque nostrorum obsequium lubens offero, meque suis precibus et sanctis sacrificiis ex animo commendo.

18 Septembris 1644.

Illustrissimae Dominationis vestrae humillimus in Christo servus,

Robertus Nugentius."

(7) Quid Minister Apostolicus P. Roberto deinde scripserit ex epistolae ab ipso scriptae apographo sua manu exarato hic communico :

(8) "Novi ex litteris Paternitatis vestrae Patrem meum Guillelmum dedisse causam excusationibus pro discessu suo Kilkennia me non salutato, sed hae superfluae sunt, nec ego quaerebam salutationes illas aut cupiebam has excusationes,

645 sed expectabam | responsum negotii quod secum egeram. Gratias tamen ago Paternitati vestrae pro sua benevolentia, a qua
v responsum propositioni meae et forte promissioni suae congruum recipere mihi non videor. Petii a Paternitate vestra et per ipsam a suis patribus tunc congregatis Kilkenniae, declarationem acceptandi sacrum Concilium Tridentinum, in iis quae observari haec tempora patiuntur. Et sane id non petiissem nisi probe nossem Societatem Jesu, tum ex suo instituto, tum ex voto, tum ex proprio studio esse Sanctae Romanae Ecclesiae obedientissimam. Respondit Paternitas vestra id se communicaturum suis patribus, tum responsum daturum. Nunc in suis hisce litteris ne verbum quidem de Sacro Concilio Tridentino, sed tantum de Societatis obedientia (ut praedixi) et de oblatione amplectendi quicquid Praelati et Regulares caeteri egerint. Nemini dixisse, et satis notum est, jam Praelatos hic convocatos

646 sacrum Concilium | Tridentinum acceptasse, et plerosque hujus Regni acceptationi subscripsisse cum proxime adjecta reservatione, imo et cum iis aliquos regulares, qui hoc anno convenerunt, sed si recusassent aut recusarent alii, nunquid et Societas Jesu

recusabit? Equidem nil tale de ipsa unquam cogitavi, imo nec concepi de Paternitate vestra et de aliis patribus, quorum pietatem et zelum vidi meis oculis, hausi auribus, conversatione sum expertus. Unde in hoc negotio maluissem patres Societatis Jesu proponere caeteris speculum et exemplum, quod imitarentur, quam ipsis caeteros. Tamen quia secus Paternitati vestrae visum est, tantum Deum Opt. Max. cuncta disponere ad majorem sui gloriam humilis precor, et paternitatis vestrae manus ex animo deosculor, et sacris ac precibus enixe me commendo. Waterfordiae die 11 Octobris 1644."

(9) Invenio Romae displicuisse quod PP. Jesuitae | Concilium Tridentinum non receperint positive, sed praefatum responsum dederint. Circa quos Archiepiscopo Firmano, postea ad Confaederatos Iberniae Catholicos Nuncio Apostolico, privata nomina data fuere, sicut in litteris ad Scarampum datis lego. Cui etiam Scarampo Cardinalis Barberinus ex Urbe significavit futurum ut Iberniae Carmelitae discalceati ad Concilium Tridentinum observandum praecepto compellerentur. Ex quibus illos Concilii in Iberniam receptioni non subscripsisse colligo. Idem etiam Cardinalis Scarampo 9 Aprilis 1644 per notas secretas Italice in Iberniam scribens: "Concilium (inquit) Tridentinum ut obliget et ligandi vim habeat, non indiget in provinciis Catholicis receptione, imo nec publicatione, exceptis illis partibus, in quibus expresse praecipitur ut promulgetur. Requiritur ergo ut Dominatio vestra non utatur termino *recipere*, sed ut sint prompti ad obediendum sacri | Concilii Tridentini decretis et ad ea observanda, nec non ad efficiendum ut observentur." Sic Cardinalis.

(10) Diximus induciis cum Rege haeretica ejus apud Iberniam parte contractis in id incubuisse Confaederatos Regni Catholicos, ut ab induciis ad plenam pacem cum Rege pangendam transirent. In hunc finem utrinque conatus adhibiti fuere. Quorum ultimus ex Regis parte non fuit quod Duumviris, Regni Justitiariis saepius memoratis, quorum velut merorum tyrannorum et Parlamenti Anglicano clam studentium imperium Catholici detrectabant, abdicatis, Ormonium, antea copiarum haereticarum in Iberniam praefectum generalem, in Iberniae proregem cooptarit. Cui 21^o Januarii 1644 ritu solemni ministratum fuit verbis Anglice conceptis hoc juramentum: "Jurabis quod serenissimo Domino nostro, Regi, in proregis et praecipui gubernatoris hujus regni Iberniae loco atque autoritate fideliter et sincere pro viribus |

647 obsequeris. Dei et fidei Christianae leges defendes et promovebis.
 v Non solum suae Majestatis pacem in ejus populo, quantum poteris, fovebis, sed etiam ut ejus officiales et ministri in justitia exequenda atque administranda persistent, efficies. Suae Majestatis castra, praesidia, dominia, et hujus Regni populum ac subditos defendes, eique rebelles et hostes reprimes. Non consenties ut suae Majestati, haeredibus aut successoribus damnum inferatur aut exhaerentur. Non patieris ut Coronae jus ulla ratione deperdatur, sed omni conatu ne id succedat, satages. Quod si impedire non poteris, suam Majestatem clare et expresse de ea re certiores reddes. In Regiae Majestatis utilitatem vere et mente integra consilium dabis, suaeque Majestatis Consilium omnes celabis. Caetera omnia ad suae Majestatis Regnum Iberniae servandum et ad pacem in ejus | populo alendam praestabis, et justitiae executionem juxta suae Majestatis leges et secundum hujus Regni sui usus ac consuetudines toto nisu perficies peragesque." Hactenus illud Juramentum, quod ille praefata die ritu solemniter suis haereticis ministrantibus et assistentibus Dubliniae suscepit.

Just. (11) De Ormonio jam prorege doctor Enos: "Postquam
 Cap. 12. (inquit) jam factus erat Majestatis *locum-tenens*, prae caeteris
 Num. 2 omnibus Dublinii horum usus est consilio, Guillelmi scilicet Parsoni ex Supremis totius Regni Justitiariis nuper alterius, Joannis Temple, tabularum publicarum in curia Cancellariae Magistri, Adami *Loftus*, Iberniae quaestoris, et Roberti Meredith in Concilio sanctiori Consilarii. Qui omnes de mandato regio Dublinii carceribus fuerunt mancipati et laesae Majestatis postulati. Illos autem carceribus circumscripsit amaenissimis ipse | Ormonius forensium scilicet hospitio, vulgo *Inns Court*, olim fratrum Praedicatorum conventu, ad quem locum e Castro Dubliniensi alternis diebus sua rheda proficisci solebat eosdem rebelles consulturus. Praeter hos alios ascivit consiliarios, Baltonum, Regni Cancellarium, et Gerardum Louth, Curiae causarum civilium supremum Judicem, qui anno 1641, ante inchoatum in Ibernia bellum, in Parlamento ejusdem regni fuerunt laesae Majestatis damnati suisque officiis exuti et in vincula traditi." Haec Doctor Enos.

648 ipse | Ormonius forensium scilicet hospitio, vulgo *Inns Court*,
 v olim fratrum Praedicatorum conventu, ad quem locum e Castro Dubliniensi alternis diebus sua rheda proficisci solebat eosdem rebelles consulturus. Praeter hos alios ascivit consiliarios, Baltonum, Regni Cancellarium, et Gerardum Louth, Curiae causarum civilium supremum Judicem, qui anno 1641, ante inchoatum in Ibernia bellum, in Parlamento ejusdem regni fuerunt laesae Majestatis damnati suisque officiis exuti et in vincula traditi." Haec Doctor Enos.

(12) Haec prima regiminis Ormonici specimina hominis animum indicabant. Porro juramentum illud ab eo susceptum specie quidem nihil prae se ferebat quod proregem vere Christianum non redoleret. Verum re ipsa in Catholicorum et fidei Catholicae perniciem tendebat. Nam ille Dei et fidei Christianae leges, in quas eum jurasse vidimus, haud aliae fuere quam haereticorum

articuli falsae religionis, quos fidei Catholicae in plurimis ad-
 versari liquet. Per *rebelles* | etiam, quos a se pro viribus 649
 reprimendos juraverat, Confaederati Iberniae Catholici si non
 ante alios certe cum aliis intelligebantur. Denique (ut brevitati
 consulam) totum juramentum juxta legum haereticarum fidei
 Catholicae et Catholicis exitialium scopum suscepit, proindeque
 nec id Catholicum nec Christianum erat, sed crudele, impium,
 et haereticum, cum ea tamen moderatione quod Catholici magna
 ex parte sibi ab ipso, quia Ibero, et plurimis regni magnatibus
 ac nobilibus orthodoxis necessitudine conjuncto, minus quam
 a Duumviris, ejus decessoribus, earundem legum executionem
 metuerent, imo eorum non pauci ei clam studentes illum velut
 solem orientem, et futurum patrem patriae, ac tanquam a Deo
 destinatum suae suorumque faelicitatis instrumentum paulo
 minus adorarent. Confaederati tamen ejus jam proregis, perinde
 ac antea duumvirorum, imperium in pacis inter ipsos et Regem
 aequis conditionibus contrahendae expectationem detrectarunt,
 haud dubitantes quin ille, homo utique haereticus, causam 649
 Catholicam pessundaret, et | suam haeresim atque haereticos
 in Catholicorum damnum et depressionem promoveret. Quin
 v
 etiam ipsi haeretici, Angli, Scotique, quorum hi in Ultonia, illi
 vero etiam in aliis regni provinciis praesidia sparsim possiderent,
 ejus praescriptis parum vel nihil obtemperabant (exceptis qui
 in Lagenia se tenebant) licet regio diplomate totius Iberniae
 prorex renuntiatus inanem illum titulum usurparit.

(13) Interea in Anglia a Parlamentariis alia ejusdem farinae
 juramenta haeretica suscipiebantur, sed quibus illi rebelles
 impudentia et audacia armati se absque larva fidei Catholicae
 et Catholicorum hostes esse manifestius profiterentur. Ante
 enim quam Parlamenti seditio in bellum omnino apertum erupit,
 ab utraque Parlamenti domo nonnulla edicta in Catholicorum
 et fidei extirpationem lata fuerant, sed a domo inferiore in
 omnes Angliae partes Rege domoque superiore inconsultis missa
 quo executioni mandarentur. Quale est statutum sanguinarium
 5^o Maii 1641 latum, quod superius ad suum locum in medium
 attuli. Seditione autem late gliscente, | Parlamentarii Regi insol- 650
 enter supplicabant ut leges paenales in Catholicos antea latas
 renovaret et exequendas curaret. Quorum ille postulatis sub-
 scripsit, ne jam a seditiosis Catholicismi vel propensae in Catholicos
 voluntatis apud vulgum insimulatus, novam haereticis in se
 debacchandi occasionem subministraret. Licet autem Rex primi
 generis edictis non obviaverit, et secundae classis statutis sub-

scripserit, nihilque Parlamento ter barbaro in Catholicorum ruinam arte male politica, qua Dei iram sibi conciliavit, non concesserit, postea tamen, ubi seditio in manifestam rebellionem degenerasset, Regique opus esset ut in rebelles militiam conscriberet, Parlamentum ejus vires *Papisticum exercitum* vocitabant, ejusque scopum *Papisticam et proditoriam machinationem* esse vociferabantur, partim ut eum populo haeretico detestabilem redderent, partim quod in Catholicos impotenti odio debaccharentur tanquam ejus obsequentissimos, non obstantibus malis omnibus, quae ipsis ejus nomine atque autoritate illata essent. Hinc tertii generis decreta juramento et rebelli faedere ubique |
 650 firmanda a Parlamento solo jam in Regem armato exierunt. Quale hic ex Anglico Latine transfero.
 v

Votum et pactum a proceribus et communibus in Parlamento congregatis praestitutum, et ab omnibus suscipiendum in urbibus Londini et Westmonasterii, in suburbiis quoque et earundem civitatum districtu, nec non per universum Regnum.

(14) "Cum proceres et communes nunc in Parlamento congregati declaraverint fuisse et nunc esse Papisticam et proditoriam machinationem in verae Protestanticae ac reformatae Religionis et subditorum libertatis excidium, nec non ad id consilii prosequendum fuisse contractum et impraesentiarum in armis stare in diversis regni hujus partibus *papisticum exercitum*, ulterius quoque solemniter ritu patefecerint noverintque et faedere celebrarint se, quo veram et Protestanticam Religionem et subditorum libertatem sartam tectam redderent et in tuto ponerent, nunquam armis destitutos, quamdiu Papistae nunc aperto bello
 651 Parlamentum impetentes, | vi et armis adversus ejus autoritatem protegentur. Praeterea cum proceres et communes palam fecerunt nuper magna Dei benedictione et speciali providentia detectam fuisse perfidiam et horridam multorum conjurationem, quibus esset decretum copiis militaribus a Rege contractis coalescere, vires a magnatibus et communibus in Parlamento congregatis conscriptas pessundare, urbes Londinum et Westmonasterium cum suburbiis occupare, proindeque armis Parlamento vim inferre, dictique proceres ac communes constanti experientia compertum habeant haud paucas arte et Marte continuo tentari vias ad Parlamentum, regnum, et utroque chariorem veram et Protestanticam Religionem suprema ruina et destructione delendam. Propterea, quo dictum infortunium praeveniant eique occurrant, aequum duxerunt ut omnes, qui corde sincero Patriae

bonum cupiunt, mutuum inter se faedus se percutiant sacro voto et pacto ad modum et formulam hic sequentem :

(15) " Ego A. B. cum humilitate et divinae Majestatis reverentia meam meorum juxta ac | hujusce nationis peccatorum, quae calamitates et quibus nunc afflictaur flagella meruerunt, ex animo paenitentiam profiteor et sincere apud me statuo, Dei gratia opitulante, operam navare ut me ad meliorem frugem recipiam. Protestor etiam me abominari et horrere sceleratam et perfidiae plenam jam dictam molitionem recens resectam, nec me unquam in eam exequendam consensisse nec consensurum, sed ei potius et aliis omnibus ejusmodi consiliis pro facultate et vocatione obviam iturum et restitutum. Quin etiam, si quae id genus alia machinatio ad meam notitiam pervenerit, totam opportune operam sicut ad malum praefocandum maxime profuturum judicavero. Praeterea cum in constantia credam militiam ab utraque domo Parlamentaria coactam fuisse et haecenus sustentatam in justam sui et verae ac Protestanticae religionis nec non subditorum immunitatis defensionem adversus vires a Rege scriptas. Hinc coram Deo omnipotente declaro, voveo, et spondeo me pro virili *et vocatione* viribus | ab utraque Parlamenti domo dilectis et continuatis adversus vires utraque domo inconsulta a Rege contractas opitulaturum. Omnibus etiam aliis, qui hoc ipsum dejuraverint, in iis quae ad id prosequendum gesserint auxiliabor, nec directe nec indirecte adhaerebo, nec sciens prudensque assistam exercitui a Rege citra utriusque domus Parlamentariae consensum coacto. Et hoc votum pactumque in Dei omnipotentis, cordium omnium scrutatoris, praesentia nuncupo sincera mente standi promissis sicut rationem reddam in die magna, qua cordium arcana erunt nuda et aperta." Hactenus illud juramentum.

(16) Postea vero rebelles Parlamentarii, multis cladibus et praeliis a Rege male multati et in justissimam persecutionis Catholicis illatae paenam a Deo flagellati, eo se nequitiae praecipitarunt ut anno 1643 Scotiae Calvinistas in auxiliares invitarint, percusso inter utriusque regni rebelles faedere et suscepto in Anglia a conjurato juramento omnium nequissimo ea verborum formula praesertim ad exordium concepto, quae idonea esset ut haereticis in Iberniam grassantibus et ad conjurationem illicitis ministraretur. Ad quos re ipsa mox clanculariis molitionibus in Iberniam | transmissum fuisse reperio. Faedus illud et juramentum quale fuerit hic ex Anglico habe :

(17) " Nos, nobiles, Barones, Equites, generosi, cives, municipales, Evangelii Ministri et communes omne genus in Angliae, Scotiae, et Iberniae regnis per Dei providentiam sub uno rege viventes, et unam atque eandem *reformatam* religionem profitentes, Dei gloriam, regnum Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi propagandum, Regiae Majestatis et suae posteritatis honorem ac faelicitatem, et, quae etiam privatam singulorum conditionem concernit, publicam hujus regni libertatem, incolunitatem, et pacem ob oculos ponentes, et in memoriam revocantes proditorias ac sanguinarias machinationes, conspirationes, molimina, et molitiones inimicorum Dei adversus veram Religionem ejusque cultores ubique gentium usque a Religionis reformatione praesertim in tribus hisce regnis. Considerantes etiam quantopere eorum rabies, potestas, et insolentia nuper et usquemodo increverit et in exercitium prodierit, cujus rei praesentia eaque publica praebet testimonia Ecclesiae et regni Iberniae status deplorabilis, Ecclesiae et regni | Angliae status intricatus, et Ecclesiae regnique Scotiae status periculosus, hinc nunc demum (post alia supplicationis, demonstrationis, protestationis, et perpeussionum tentata media) quo nos et Religionem nostram ab extrema desolatione et excidio praeservemus, laudabilem horum regnorum pra xim anteriorum temporum imitantes et populi Dei in aliis nationibus exempla sequentes, praevia matura deliberatione decrevimus et diffinivimus ineundum nobis mutuum et solemne faedus ac conventionem, cui omnes subscribimus, et unusquisque nostrum pro se manibus ad Deum omnipotentem elevatis juramus.

(18) " 1° Quod per Dei gratiam sincere, efficaciter, et constanter conabimur in suo quisque gradu et professione reformatam Religionem apud Ecclesiam Scoticam in doctrina, cultu, disciplina, et gubernio adversus hostes communes conservare, et Religionem in Angliae atque Iberniae regnis doctrina, cultu, disciplina, et regimine juxta Dei verbum et ad quarumvis Ecclesiarum optime reformatarum imitationem reformare, Deique Ecclesias in tribus regnis ita revocare ad proximam | conjunctionem et uniformitatem in Religione, fidei confessione, Hierarchiae norma, et cultus ac Catechismi modo, ut exinde nos et nobis successuri posteri instar fratrum in fide et charitate vivamus, et Dominum delectet in medio nostri habitare.

(19) " 2° Pari modo sine acceptione personarum incumbemus in extirpandum Papismum, praelaturam, (Ecclesiae scilicet

gubernium per Archiepiscopos, Episcopos, eorum Cancellarios et commissarios, decanos et capitula, archidiaconos, et reliquos ab illa Hierarchia dependentes ecclesiasticos officiales) superstitionem, haeresim, schisma, prophanationem, et quodcumque sanae doctrinae et pietatis spiritui dissonum judicabitur, ne peccatorum alienorum simul participes, proindeque communibus impetamur plagis, et ut nobis sit Deus unus, unumque sit ejus nomen in tribus regnis.

in
pseudo-
Episcop-
atismum
insur-
gunt.

(20) " 3° Eadem animi integritate, efficacia, et constantia in professione quisque sua, cum vitarum et facultatum profusione incumbemus mutuo ad asserenda Parlamentaria jura et privilegia, regnorumque immunitates, et ad conservandam ac | tuendam Regiam suae Majestatis personam ac auctoritatem in vera Religione regnorumque praerogativis vindicandis et defensandis, ut nedum conscientiae nostrae sed et mundus universus de nostro obsequio testimonium perhibeat, neminique non constet ne minimam quidem nobis esse cogitationem aut mentem imminuendi justam suae Majestatis potestatem et auctoritatem. 654

(21) " 4° Summa fide operam dabimus iis omnibus explorandis et retegendis, qui fuerunt vel erunt incendiarii, malignantes, et perversa instrumenta, impediendo Religionis reformationem, disseminando discordiam inter regnum et populum, aut inter unum regnorum et alterum, aut concitando factionis vel in populo partium studia contra hoc pactum et conventionem, nullumque non movebimus lapidem, ut hi ad judicia publica raptentur et condignas luant paenas, sicut suorum criminum qualitas postulaverit et meruerit, aut sicut supremi utriusque Regni respective judices, vel alii ab ipsis in eum finem delegandi, expedire judicaverint. |

(22) " 5° Cum beatae pacis inter haec regna (Angliam et Scotiam) antegressis temporibus progenitoribus nostris denegatae faelicitas nobis per paternam Dei Providentiam concessa sit, ac nuper ab utroque Parlamento (Scotico et Anglicano) conclusa fuerit et stabilita, nemo nostrum secundum uniuscuiusque conditionem et facultates eo nervos non contendet ut eadem regna firmae pacis et concordiae ad posteritatem omnem transmittendae vinculo connexa remaneant, et modo praesentibus articulis praestituto in eos, qui scientes prudentesque quidpiam in contrarium egerint, animadvertatur. 654 v

(23) " 6° Secundum cujusque nostrum locum et hac communi Religionis, libertatis, hujusque Regni pacis causa officium, eos

omnes, qui in hoc faedus et conventionem nomen dederint, adjuvabimus, et ipsos in eo faedere sustinendo et prosequendo defendemus, nec directe nec indirecte commitemus ut ulla combinatione, persuasione vel terrore disjungamur, aut ab hac benedicta unione et associatione divellamur sive ad deficiendum
 655 ad partes adversas, sive ad | amplectendam detestabilem indifferentiam aut neutralitatem in hac causa, quae ad Dei gloriam, regnorum commodum, et Regis decus tantopere spectat. Sed omnibus diebus vitae nostrae in hoc faedere contra omnes adversarios studiose et constanter persistemus, eandemque conventionem in cunctos obices et cujuscunque generis obstacula totis nervis observabimus et prosequemur, et quicquid emiserit mali, cui supprimendo vel superando ipsi non fuerimus pares, id quo tempestive avertatur et removeatur revelabimus et palam faciemus. Quod totum exequemur tanquam in Dei conspectu ambulantes.

(24) "Et quia haec regna multarum iniquitatum et transgressionum in Deum et in ejus filium, Jesum Christum, patratarum rea sunt (sicut earum fructibus, praesentibus scilicet angustiis et periculis nostris plus nimio demonstratur) profitemur et declaramus coram Deo et mundo nos sincero desiderio in votis
 655 eo quod minoris fecimus ac debuimus pretiosissimum | Evangelii
 v beneficium, nec pro ejus puritate et imperio propagando laboravimus, nec id studuimus ut Christum in corda nostra receperimus, vel ita viveremus ut ipso digni evaderemus. Ex quibus causis alia peccata et delicta inter nos tantopere abundantia originem trahunt. Profitemur etiam et declaramus, non solum nostro ipsorum sed etiam aliorum omnium sub nostra potestate et authoritate constitutorum nomine, verum nostrum omnique fuco purgatum propositum, desiderium, et conatum eo tendere ut perinde in publicis ac in privatis functionibus, in omnibus denique, quae Deo et proximo debemus, obsequiis vitas emendemus vel genuinae reformationis exemplo, alter alterum praecurramus, quo Dominus iram et gravem suam avertat indignationem, et has ecclesias ac regna in veritate et tranquillitate confirmet. Porro hoc faedus capessimus in Dei omnipotentis, qui omnium corda scrutatur, praesentia cum integra ejus praestandi voluntate, sicut in die illa magna, qua omnium cordium abdita reserabuntur, nos responsuros haud ignoramus, humillime Deum precantes ut in hunc finem suo nos Sancto Spiritu corroboret,
 656 et vota nostra progressusque | ea cumulet benedictione et suc-

cessu, qui populo suo non minus libertatem et incolumitatem quam aliis Christianis Ecclesiis sub anti-Christianae tyrannidis jugo vel certe in ejus discrimine gementibus pariat incitamentum aggregandi se eidem vel consimili faederi pactoque ad Dei gloriam, regni Jesu Christi propagationem et Christianorum regnorum ac rerum publicarum pacem et tranquillitatem." Hactenus illud juramentum.

(25) Quantam hoc atque aliis juramentis et faederibus publicis susceptis ac late propagatis illi regicidae hypocrisim, malam fidem, rebellionem, et astutiam exercuerint, et quot ac quam infamibus se (inter tot impia juramenta impudentissime suscipienda) perjuriis contaminarint, lectorem rerum exitus docebit. Porro hoc *Puritanico* Scotiae et Parlamenti Anglicani faedere cum quadam ejusdem Parlamenti declaratione in Ibernia recepto Supremum Confaederatorum Catholicorum ibi Concilium illi pesti antidotum adhibuerunt per actum Anglicanum, quod hic Latine legas. |

"*Concilii Supremi admonitiones omnibus fidelibus subditis in tribus Regnis propositae adversus conventionem (Puritanicam) juxta ac adversus Parlamenti Anglicani declarationem typis mandata Waterfordiae 26 Januarii, 1644.*" 656 v

(26) "Cum post ultima Comitia Generalia Waterfordiae celebrata viderimus faedus a maligna Parlamenti Anglicani parte cum quo ab iis, quos in Anglia et Scotia seducere potuerant, suscipiendum curarunt, quodque in quasdam hujus regni partes ut alios inficerent transmiserunt, continens deliberationes generaliter quidem Catholicis sed specialiter Protestantibus atque huic nationi adeo exitiales ut collocatam in nobis fidem proderemus, nisi eam rem Confaederatis tempestive notam faceremus, quo suae plenae extirpationis a dicta maligna parte pro viribus propositae praemonerentur, hac mente praefatam solemnem ligam et faedus prelo supponendum curavimus, in quo omnes principes Christiani, eorumque boni | subditi rebellium incendi- 657
ariorum jam dictorum insolentiam observent, qui semetipsos debito obsequii jugo subtrahere et in Regem adeo clementem rebellare non satis habent, sed etiam fidelium subditorum, quibus alii principes praesunt, animos sua perfidia atque illo faedere constuprare conantur, illius rebellis pacti praefationi haec verba (*in memoriam revocantes proditorias ac sanguinarias machinationes, conspirationes, molimina, et molitiones inimicorum Dei adversus*

657 *veram religionem ejusque cultores ubique gentium*) inserentes, nec
 se intra haec tria regna cohibentes, et in ejusdem faederis fine
 addentes haec verba (*humillime Deum praecantes et in hunc finem*
suo nos Sancto Spiritu corroboret et vota nostra progressusque ea
cumulet benedictione et successu, qui populo suo non minus liber-
tatem et incolumitatem, quam aliis Christianis Ecclesiis sub Anti-
Christianae tyrannidis jugo vel certe in ejus discrimine gementibus
pariat incitamentum aggregandi se eidem vel consimili faederi
pactoque) ex quibus mundo patet eorum conjurationem in Mon-
 archiam latissime diffundi per illud et similia | faedera ac malignas
 658 *machinationes. In aliis juramenti partibus ad trium regnorum*
limites restrictis jurant se religionem in Anglia atque Ibernia
(ut aiunt) reformaturos, et conaturos ut Dei ecclesiam in his
regnis ad religionis et confessionis fidei uniformitatem redigant,
seque pariter operam daturus ut sine acceptione personarum
Papismus et Praesulatus extirpentur. Quare trium regnorum
Catholici manifeste praesagiant, quae ipsis crudelitas impendiat
et quo pacto praemonentur, ut ad bellum defensivum et offen-
sivum in dictam partem malignantem gerendum se preparent,
secus ad eum redigendi statum quo, quicquid in Anglia, Ibernia,
et Scotia suum dicere possunt, derelinquant. Quam inane est
nostris subditis Catholicis ut ab illa parte misericordiam expectent
cum verbis generalibus (sine acceptione personarum) nulli ex-
emptionem faciant reliquam, sed absque personarum dis-
crimine et conditionis differentia contra jus gentium cunctos
delere cupiant, eoque profundi intumuerit eorum malitia, ut
 658 *regiam sibi | arrogant authoritatem, eamque tantam ut nobis,*
qui optimis quibusque eorum fidelitatis atque obsequii temporibus
non nisi illorum consubditi fuimus, bellum indicare praesumant,
idque nulla habita ratione voti suae Majestatis, adeoque nullam
nisi ipsis ad obsequium redactis pacem expectemus, cum suae
Majestatis atque ejus subditorum tam Protestantium quam
Catholicorum potestatem et rem in tribus regnis adeo despectui
habeant, ut archiepiscopos, episcopos, praelatos, et omnes alios
cujuscunque religionis dignitarios una cum stirpe evellere de-
creverint. Nos ergo cum ex faederis juramento a nobis solem-
niter suscepto ad nostram religionem vindicandam, ad Regis
praerogativas et legitimae ejus jura tuenda, et defendendas patriae
immunitates obstricti simus, colligentes ex sinistris et sceleratis
dictae partis malignae machinationibus nefaria eorum consilia
in unum illum scopum tendere, ut religionem Catholicam ejusque
cultores in tribus regnis extirpent, Monarchiam evertant, suam

Majestatem justis praerogativis exuant, et subditos omnes | tam 658
 Protestantes quam Catholicos, qui adeo horrendis et Monarchiae
 fatalibus eorum placitis non subscripserint, exilio multent vel
 morte afficiant, in dicti juramenti nostri praestationem, in
 religionis nostrae praeservationem, in nostri erga suam Majestatem
 obsequii exhibitionem, in ejus praerogativarum conservationem,
 et instrarum apud tria regna vitarum, libertatum, ac posses-
 sionum defensionem, eos enixe rogamus ut praefato faedere
 (Puritanico) viso lectoque periculosas et turpes perversorum
 machinatorum jam dictorum mentes serio perpendant et in suam
 suaeque posteritatis incolumitatem plene ac tempestive se prae-
 parent. Omnes etiam Principes Catholicos, eorumque fideles
 subditos, quibus suae religionis tutela et supremorum principum
 suorum jura cordi sunt, obsecramus, ut quantopere eorum res
 in tam crudeli atque impia deliberatione impetitur, considerent,
 et maturum atque idoneum excogitent remedium tam contagioso
 applicandum consilio, ad quod | secundandum praefata pars 659
 maligna omnium principum Christianorum subditos sollicitare
 vellent." Haec Concilium Supremum.

(27) Eodem mense Januario 1644 quo Supremum Catholicorum
 Iberniae Concilium in impium illud faedus *Puritanicum* per actum
 praefatum insurrexit, exercitus Scotticus illud in Angliam suffulturus
 et illius Regni rebellibus opem in Regem ex scelerae conjurationis
 legibus laturus sub Leveniae Comite, Archistratego, et Davide
 Leslaeo, equitatus praefecto, Tueda, flumine, superato, ex Scotia
 in Angliam penetravit. Ex Iberniam quoque copiae haereticae,
 quae ibi sub Rege ante contractas mense Septembri 1643 inducias
 bellaverant, ad hunc annum 1644 ineuntem in Angliam magna
 ex parte trajecerunt ut Regi in Parlamentum et Scotos militarent.
 Rex etiam cum suis consilium iniit qua ratione belli flammam
 in ipsa Scotia accenderet, quo regnum illud ad obsequium cogeret,
 vel certe ita domi destinandum curaret, ut Parlamentariis Scoti
 vires posteriores in Angliam | non mitterent, sed regnum suum 659
 defensuri et necessitate domestica pressi jam missas revocarent. v

(28) Ad hanc expeditionem Scotticam melius tractandam
 Comitibus Antrimiae historia resumenda est. Ille (sicut superius
 tetigi), paucis mensibus post caeptum in Iberniam bellum, Dublinia
 in suam Ultoniae provinciam anno 1642 regressus, Culrainiae
 a Catholicis ibi obsessae opem tulit et obsidionem solvit, sperans
 fore ut haeretici exinde sibi oppidum illud gubernandum per-
 mitterent. Qua spe frustratus Dunluciam suam in Ultoniam

660 australi se recepit. Pauloque post ubi Robertus Monrous, copiarum Scoticarum in Ultonia imperator, cum suis viribus accessisset, Antrimius suos contribules, cognatos, et clientes, qui praefatum oppidum a se liberatum obsiderant, quique tunc in vicinia armati se defensionem accingebant, jussit ut in interiores Ultoniae partes ultra Boinnium flumen pergerent, ipseque velut bellum et caepti ab Iberniae Catholicis belli authores horrens atque in Regem fidelis domi suae permansit. Verum | Monrous, nullam innocentiae ab eo allegatae nec opis haereticis Culrainiae obsessis atque alias forsitan oppidum dedituris latae rationem ducens, Dunluciam obsedit, cepitque, et una Antrimium Carri-fergusiae in custodiam dedit. Eodemque tempore Dunchanus Mac-Callinus vel (ut Scoti illius familiae nomen latine vocant) Cambellus, census equestris, Iberno-Scotus, Argatheliae Comitibus agnatus, qui Ultoniam et praesertim Antrimii patrimonium invasurus paulo ante cum mille et sexcentis militibus Scotticis in Racliniam, insulam illis Ultoniae partibus Scotiae respondentibus viciniam, appulerat, in Ultoniam cum suis illis cohortibus exscendit et juxta conditiones, quibus Scoti Anglis se Iberniae Catholicis bellum ex vicinia Scotia indicturos spoponderant, proindeque juxta Parlamenti Anglicani mandatum, a Monroo in Dunluciae et latifundiorum possessionem missus est, quae ad Antrimium pertinerent.

660 (29) Antrimius, sex circiter mensibus deinde interjectis, |
v quorundam amicorum operam dilapsus, ad Regem in Angliam navigavit, eumque tunc a Rege in Iberniam cum proregis mandato destinatum fuisse auctor mihi est Jacobus Mac-Donaldus, Tribunus, ipsius Antrimii agnatus, eique singulariter familiaris, qui etiam tradit eum tunc cum celoce, apparatu bellico et armis onusta in Iberniam remeasse, sed post aliquot navigationis dies cum mare Ultoniense velis sulcaret, et *Castello-Viridi* ad quendam amicorum in Ulteina pertinenti adnavigaret, mare et novercantem auram pertaesum illic excedere statuisse, et jussisse quendam ex famulis fidiorem ut lembo procederet, signoque quod conditum erat, judicaret nunquid amici vel hostes essent globus hominum, quos ad Castellum ex navi prospexerant. Famulum autem, ubi terrae applicuisse a Monroo, virium Scoticarum in Ultonia grassantium praefecto generali jam dicto, coactum ut signum ederet, quo non hostes sed amicos esse significaret, eumque vitae consulturum baculo (nam hoc signum erat) sudarium
661 | ostentasse, et hoc viso Antrimium excensionem in terram fecisse, mox captum et secundo Carriferfusiam missum, atque

ibi iterum in custodiam datum. Ex qua tamen post nonum circiter mensem mirabiliter evasit, et rustico Ibero qui Cicestriensis, dynastae haeretici, vivarium custodiret, se credidit. Hic rara fide uxorem, liberos, omniaque sua deserens eum per hostiles Scotorum atque Anglorum in Ultonia fines sub e mentita specie pedestrem itineribus nocturnis Carolomontem, Catholicorum in eadem Ultoniae provincia praesidium, deduxit ibi laetissime receptum ab amicis, praesertim ab Ultoniae copiarum Catholicarum imperatore, Eugenio O'Nello, "cujus consilio (inquit praefatus Jacobus Mac-Donaldus) si acquievisset, suo et totius causae Catholicae bono optime consulisset. Sed quidam eques auratus Anonymus in fines privatos suis assentationibus et suspicionibus nullo fundamento nixis Antrimii ita occupavit, ut pene nihil unquam postea egerit, nisi in suum funditus atque in optimorum ex amicis | praejudicium." Sic ille in sua rerum 661
v
Antrimiensium et susceptae ab Antrimio expeditionis Scoticae Relatione Anglicana, non nisi ad primas Ibernorum in Scotia victorias tunc reportatas producta, quam postea devotionis causa Romam profectus in Urbe scripsit et mihi transmittendam curavit, eo magis fide dignam quod ipse Antrimio familiarissimus esset, et in illa expeditione Scotica chiliarchum egisset. Quare Relationem ejus in his sequor eo libentius quod multa contineat ad illius expeditionis initium spectantia memoriae digna, eaque hactenus inedita. Porro parum dubito quin ille eques anonymus, a quo Jacobus Antrimium sinistro consilio occupatum testatur, fuerit Felix O'Nellus, qui ad hujus illi initium Carolomontem occupaverat, cuique cum Eugenio haud adeo bene conveniebat quod metueret ne Eugenius sua prudentia et virtute bellica familiae O'Nellorum principatum sibi praeiperet. Quare Antrimio forsans suggererit ipsi quoque timendum ne Eugenius armis in Ultonia praevaliturus vastum ei patrimonium eriperet, quod Antrimii pater, ex Ibero-Scotis oriundus, a Rege Jacobo, ejusque avus paternus a Regina Elizabetha | principibus haeticis 662
concessum et Ultoniae Catholicis Marte extortum, obtinuerant. Ut sit Antrimius tunc Carolomonte Kilkenniam progressus, a Confaederatis Catholicis fuit rogatus ut ipsorum faederi nomen daret, ad principalem provinciam obeundam deinde inter Iernos assumendus. Verum ille ante omnia Regem conventurus, ad eum iterum in Angliam navigavit. Antrimio in aulam regiam appulso cum in deliberationem (quod jam tetigi) venisset, qua via regii Scotis non minus impio quam perfido faedere cum Parlamento Anglicano conjunctis in ipsa Scotia negotium facerent,

demum cum insulae in mari Scotico sparsae, mediaque circiter ipsius Scotiae pars ab Ibero-Scotis Ibernorum amantissimis habitaretur, et inter hos Mac-Donaldorum, vel (ut alii scribunt) Mac-Donellorum familia, ex qua Antrimii avus paternus in Iberniam majorum patriam prodierat, fundatissima esset, in eam itum est sententiam ut Confaederati Iberniae Catholici vires in Scotiam transfunderet, quibus in Ibernica Scotiae parte Antrimius praeficeretur, Ibero-Scotos in ejusdem belli socios asciturus. Eodemque | tempore decretum ut Marchio Montrosanus, Anglo-Scotus, in Anglo-Scotica Scotiae regione bellum in Regis obsequium concitaret, et copiis regiis ibi cogendis praesesset. Rex etiam Antrimio pollicitus est futurum ut in Argatheliae Ducem apud Scotiam assumeretur, modo Argathelium in Ibernica Scotiae parte potentem et Parlamentariis adhaerentem debellaret.

(30) His in aula decretis Antrimius in Iberniam redux cum Concilio Supremo et cum P. Scarampo de expeditione Scotica in nationis Ibernicae et Ecclesiae utilitatem suscipienda egit, et Scarampum, ut a Pontifice ad id bellum suppetias postularet, vel ante tunc ab eo rogatum fuisse colligo ex Cardinalis Barberini litteris ad ipsum Antrimium hoc anno 1644 datis, quibus Cardinalis: "A P. Scarampo (inquit) in magnam animi mei oblectationem intellexi quanta ab illustrissima Dominatione vestra in Iberniae regno praestentur in religionis Catholicae progressum, et quam dignis ducatur cogitationibus in bello adversum Scotos prosequendo. Quamobrem sicut particulares suae divinae | Majestati gratias egi, sic non possum quin Dominationi vestrae gratias agam et ipsi protester, quod ultra meritum, quod sibi apud suam Sanctitatem acquisivit, me ipsum speciali strictae obligationis vinculo devinctum habet. Sua Sanctitas ad illas, quas Dominatio vestra desiderat, suppetias in communem Catholicorum regni causam suppeditandas prompta foret, nisi eventus satis noti ei illius rei impresentiarum praecluderent facultatem. Si meliores occasiones oblatae fuerint, Dominatio vestra potest esse secura de paterno affectu suae *Beatitudinis*, quae interea tenerrimo animi studio ipsi benedictionem impartitur." Sic Italice Cardinalis. Ex alia etiam epistola 8^o Maii 1644, ab eodem Cardinale ad Scarampum notis privatis et Italice data, colligo Antrimium praetendisse quadraginta librarum sterlingarum millia suae Sanctitatis nomine permissa fuisse, quam tamen pollicitationem intervenisse Cardinalis ibidem non concessit.

(31) Concilium Supremum Antrimii mentem ultra modum

probavit. Verum haud adeo facili negotio a se secundandam respondit, quod | ipsa Ibernica militibus indigeret, nec pecunia ad exercitum instruendum (sic respondebant) suppetere, nec milites nisi res numaria in numerato daretur, ad periculosum adeo bellum proficisci vellent. *Sed* (inquit Antrimius) *ne ego meam fidem suae Majestati datam non liberem, vos tantum arma et naves in transportationem, ego milites suppeditabo.* Concilio ergo hanc ejus conditionem ratam gratamque habente, Antrimius suos clientes, tractus Antrimiensis et Clanaboiæ indigenas, qui jam in castris Ibernica sub eorundem tractuum ducibus pulverulenti se volutaverant, acciendos curavit. Quibus Concilium tesseram hospitalem usque ad navium conscensionem praebeuit.

(32) Eo tempore Antrimius Jacobo Mac-Donaldo, Relationis, quam a me sequendam dixi, auctori, qui tunc apud sororem Vicecomitis Maioensis fratri Davidi de Burgo nuptam in Conacia inter inducias oscitabatur, scripsit instans ut pariter accederet. Quod et factum. Alexandrum etiam Mac-Donaldum, Colli | cognomento Sinistri filium, alterum Judam Machabeum. accersivit, ambosque Dubliniam destinavit Regis suoque nomine Proregem, Ormonium, rogaturos ut bellum illud Scoticum Regi tantopere profuturum et suae Majestatis jussu inferendum, quoad ejus fieri posset, secundaret. Quibus Dubliniam quanto-cyus profectis Ormonius se pro viribus adfuturum pollicitus est. "*Fecit* (inquit idem Jacobus) *nobis protestationes omnium, quae fieri possent, maximas, futurum ut a die, quo nos in Scotiam excendisse auditurus esset, peragendum curaret ut subsidia nobis subministrarentur, etiam si oporteret ut eo fine suam suppellectilem, toreumata, et aurea atque argentea vasa pignori daret.*" Haec Jacobus. Itaque ambo spe ab Ormonio facta summopere contenti ad Antrimium Waterfordiam, conductum conscendendi locum, redierunt. Commissarii autem, quibus navium procurandarum provincia a Concilio Supremo mandata esset, Antrimio responderunt vires omnes una in Scotiam non transportandas, quod Confaederati navibus haud abundarent, proindeque non nisi tres naves cum celoce praesto essent. In eam ergo ex communi | consensu itum est sententiam ut naves illae militibus onerarentur atque in Scotiam praemitterentur, deindeque ipse Antrimius, vel certe germanus frater Alexander Mac-Donaldus, cum reliquis ex quinque millibus (nam hic militum numerus decretus fuerat) intra sex septimanas eodem sequerentur.

(33) Hac ergo conditione naves illae militibus oneratae 24 Junii, nativitati S. Joannis Baptistae sacro, 1644. sinu Water-

fordiensi solverunt. Verum intra viginti quatuor navigationis horas turbulentissima tempestate coorta parum abfuit quin naufragium fecerint. Quare in eundem portum redierunt, ita inclementissimae aurae et procellae furore jactatae ut quadraginta circiter vel sexaginta ex militibus jam morti vicini in terram excenderint, aliique multi male se haberent.

665 (34) Hoc audito Concilium Supremum ursit Antrimium, et Antrimius milites, ut iterum quocunque modo praecipites ventis se committerent. Quod (ea milites animi magnitudine erant) ita mox successit ut ventus eorum votis aspiraverit, dieque navigationis tertia ad | Iberniae septentrionem inciderint in navem Scoticam trajicientem ex Scotia in Ultoniam, Iberniae provinciam, cum quinquaginta circiter pseudo-ministris Scoticis publica suae nationis auctoritate destinatis ut Scotis in Ultonia praefatum faedus Puritanicum inter Scotiam et Angliae Parlamentarios initum ministrarent, illudque in Ibernia inter haereticos propagarent. Itaque et pseudo-ministros et eorum mandata et navem ceperunt, secumque abduxerunt. Quinta autem navigationis die ad sinum pertigerunt, qui Insulam Scotiae continentem alluit quam Jacobus Mac-Donaldus *Ilam* vocitat, quamque fuisse affirmat in qua Sanctus Columba degerit, ab aliis aliter et variis nominibus indicata. In hoc sinu variis insulis olim ad Sancti Columbae Monasterium pertinentibus destinato ita naves suas anchoris firmarunt, et se mercatores esse simularunt, ut militibus catastromata interdixerint, accessuros ante omnia percontaturi de Scotiae statu, praesertim de illa regni vicinia, 665
v
cujus indigenae essent. Ibero-Scoti, iique magna ex parte | Mac-Donaldorum familiae in illa Scotorum vicinitate splendidissimae studiosi, licet nimio Argathelii imperio et potentia terrefacti eam voluntatis propensionem profiteri non auderent. Caeterum sicut Mac-Donaldi ita etiam Mac-Callini, cujus familiae pariter Ibero-Scoticae et fundatissimae princeps Argathelius erat, ex Ibernia in Scotiam antiquitus descenderant, quorum illi ex Erimone ante tria annorum millia Iberniae Rege, hi vero ex Lugacho ejusdem Erimonis patruale genus paternum trahunt. Porro illius Argathelii, qui hoc anno 1644 in Scotia vivebat, pater adeo fidei Catholicae tenax fuerat, ut ejus causa sub Rege Jacobo exilium passus sit. Sed homo sagacissimus et perversissime politicus, filius haeresim amplexus est. De quo Jacobus Mac-Donaldus : “hic (inquit) Argathelius ad tantam fortunam provectus est suggerendo regi et ministris Regiis quantopere Ibero-Scoti in Religionem Catholicam propenderent, et quo

pacto cum veteribus Ibernis Iberniam incolentibus animorum studio atque indole conspirarent, proindeque | ad res in Regis et Reipublicae perniciem quam possent maxime novandas essent aptissimi. Quare eos fortunis et patria multaturus primum arte aliqua divexabat, deindeque eos apud Regem aut Ministros regios rebellionis insimulabat. Quo fiebat ut ad eos proscribendos regni potestate uteretur, eodem plane modo quo Angli nobiscum in Iberniam agebant. Qui tamen haud ea nos tyrannide, qua ille Ibero-Scotos exagitabant. Nam audiri ne potuit magis detestanda atque abjecta Religionis Catholicae persecutio quam sua, qui in Ibernica Scotiae parte atque in adjacentibus insulis omnes gallos gallinaceos et pullastros abdicandos atque enecandos curavit, audito innocuos indigenas juxta antiquam consuetudinem uti solitos galli cantu velut horologio ad surgendum media nocte, quo devotionem exercerent et Deum orarent, sicut eorum majoribus familiare fuerat, antequam Mac-Callinorum nomen inclaruit. Id etiam effecit ut omnes cruces | et sanctorum monumenta, qui in insulis reperiri possent, confracta atque eversa sint. Verum ubi in Ilam, insulam, in qua Sanctus Columba inhabitaverat, venisset, ibi tunc degebat monacha saltem nonaginta quinque annos nata ex Mac-Lannorum familia. Cumque Argathelius optima quaeque Monasterii monumenta atque altaria diripuisset aut rupisset, jussit ut magna campana ibi a Sancti Columbae diebus pendula demitteretur, ea mente ut in templo a se apud Ceanntriam constructo attolleretur. Quod ubi bona vetula, monacha, rescivisset, eum convenit obtestata ut se ab eo, quod suum non esset, abstineret. Quo audito Argathelius excandescens nolam demitti jussit. Quod et mox factum. Sed bona monacha flexis genibus Argathelio maledixit, et post fusas aliquot preces eum allocata: Exere (inquit) quicquid potes malitiae. Ego vero tibi assevero nec te nec tuos omnes id | assecuturos ut campanam asportetis. Quibus auditis Argathelius eam in custodiam dari jussit, nihil dubitans quin vita multandam curaret, postquam ipse ex insula discessisset. Interea qui ei assistebant, in eo toti erant ut nolam auferrent. Verum quo majorem asportandae operam dabant, eo insuperabiliores patiebantur difficultates, usqueadeo ut nunquam mota fuerit quin magis desederit. Argathelius ad hoc inexpectatum eventum prope furibundus ligones et sarcula adhiberi praecepit, quibus campana effoderetur, sed conatu irritum. Nam quo altius foderet, eo profundius nola subsidebat. Denique praevalendi animum despondens id omne quod sanctae monachae precibus

666

666

v

667

et firma ejus apud Sanctum Columbam fide gestum erat Magiae ascribendum juravit, et sic ex Insula discessit, libertate bonae monachae restituta, ne si eam offenderet, Mac-Lannorum tribus odium sibi conflaret, cum illa ex illius familiae primoribus descenderit. Hunc | in modum adversus eos, qui religionem nostram profitentur procedere solet, quos nunquam magis vexaverat quam anno qui nostrum appulsum in Scotiam praecesseret." Haec Jacobus Mac-Donaldus.

(35) Ad naves redeo, ad quas intra biduum in praefato maris sinu transactum duces mercatorum speciem ementiti nonnullos indigenarum ibidem piscantes invitarunt, ut eorum pisces pecunia et tobacca mercarentur. Illi nihil aliud dubitantes accesserunt. Cumque vino exhilarati non alios quam sibi charissimos Iernos esse et ad se suosque ab Argathelii jugo asserendos advenisse didicissent, mox laetabundi viciniae statu citra fucum relato, inter alia nunciarunt duo fortia castella non nisi intra diei navigationem distare, et ab aliud agentibus custodiri. Quo explorato Ierni, velis vento datis intra viginti quatuor horas navigia in portu illis | castellis respondente anchoris firmarunt et militibus noctu in terram exponendis adeo operam dederunt, ut omnes ad horam post mediam noctem exscenderint. Quos viritim recensos constitit haud fuisse plures quam mille quadringentos et paucos excurrentes, licet commissarii in Iernia a Concilio Supremo ad militiam illam transmittendam destinati in vulgus sparserint duo militum millia tunc ex Iernia solvisse. Caeterum his ab Antrimio in Iernia duces praepositi fuerant Alexander Mac-Donaldus, Colli cognomento sinistri filius, saeculi nostri Machabaeus, in Legatum generalem haud injuria cooptatus, et duo chiliarchi, nempe Jacobus Mac-Donaldus, Relationis a me subinde citatae author, nec non O'Cahanus, praeter Thomam O'Lachnanum, qui ducebat legionem missam nomine alterius Alexandri Mac-Donaldi, Antrimio fratris, quem tamen suam legionem secutam fuisse non invenio.

(36) Ex his Alexander Mac-Donaldus, Colli *sinistri* filius, ad annum 1640 ante caeptum | in Iernia bellum in Argathelium tunc Regi refragantem apud Scotiam bellaverat. Bello autem in Iernia ad annum 1641 inchoato, cum sexaginta suorum graviter armatis ex Scotia in Ultoniam trajecit, ubi Gillaspicus Stuartus anterioris pacis tempore ab Antrimio in sui patrimonii dispensatorem ascitus, bello jam in Iernia calente atque Antrimio necdum Dublinia domum reverso, in omnes ejus clientes tyrannidem exercebant impatiens cum Jacobo Henrici, viro praeclaro,



quem ex Mac-Donaldis fuisse coniecto, in quinque vel sex centuriones Scoticos a Gillaspico coactos irruit et, quatuor eorum caesis, aperto exinde Marte Scotos atque Anglos in Iberniam adorsus, atque Antrimii clientibus ipso semel atque iterum (sicut praelibavi) capto continuo bellantibus ibidem adhaerens, se ita in | bello Ibernico usque ad contractas anno 1643 inducias exercitaverat, ut ad has vires Ibernicas in Scotia jam anno 1644 ducendas esset singulariter idoneus, quia non solum disciplinae militaris prudens et eximia animi magnitudine praeditus, sed etiam suis nobilissimis in Scotia contribulibus eorumque clientibus atque aliis necessariis longe charissimus etiam notus, adeoque ad eos in belli societatem allectandos aptissimus. 669

(37) Militibus (ut dictum est) post mediam noctem in terram expositis, Alexander, ubi omnes pulvere nitrato, fomite, glandibus plombeis, et sclopiis instruxisset, jussit ut O'Cahanus cum quadringentis alterum castellorum, quod minus atque expugnata facilius erat, aggrediretur, ipseque cum reliqua militia in aliud movens inter viam sibi de fascibus in occasione adhibendis procudit. Indigenae autem, cum naves in eum portum advenisse vidissent, id egerunt ut vicinia rustici ac mulieres magnis gregibus in castellum | se receperint, metuentes ne futurum esset, quod 669
v de facto successit.

(38) Iberni castellum aggressi, post trium horarum insultum et succensam igni portam exteriorem, observarunt magnam cratem ferream, ad quam dissolvendam necessarii erant ligones aliaque ferramenta ex navibus advehenda, quae dum per duas circiter horas insultu intermisso expectarentur, paupercula mulier castello egressa atque a stationario obsidionis milite ad Alexandrum tracta fontem in eo intra primam obsidionis horam exaruisse, adeoque praesidiarios ante meridiem aquae defectu ad deditionem cogendos dixit. Quare author fuit ut obsidentes insultum incassum non iterarent.

(39) Totum haud secus ac muliercula dixerat, successit, pacta ad meridiem deditione, ea lege ut castellanus et sex inter praesidiarios gladiis et bombardis instructi, sed omnes alii inermes exirent bonis atque aliis armis in castello relictis spoliati. | Quibus aggressis Alexander castellum fido centurione et valida militum cohorte munivit. Nec silentio praetereundum est eum biduo antea duas magnas naves parlamentarias tritico onustas Londino Londonderiam, Ultoniae emporium, haereticis Anglicanis a Rege Jacobo concessum tendentes pugna navali cepisse, militibus, praesertim novis castelli expugnati praesidiariis, peropportunas: 670

Eadem quoque die declinante O'Cahanus, Tribunus, cum suis ad Alexandrum regressus retulit se alterum castellum facili negotio expugnasse atque in eo centurionem cum cohorte collocasse, quibus annonam militarem competente copia ibidem repertam reliquerit.

(40) In his duobus castellis expugnandis Ibernorum non nisi novem desiderati et octo vulnerati fuere. Peremptis superstites Christiane parentarunt et vulneratos fraterne curarunt. Ex occisis turmae equestris dux petra castelli cacumine demissa caput contusus in fascium struem a suis castello recens adhibitam ac deflagrantem sui tunc parum compos decidit, suaeque turmae | instructor seu (ut vulgo loquuntur) *major* et miles eum extrac-
 670 | turi summa fide in rogum penetrarunt, tantumque abest ut
 v eum extraxerint, ut etiam igni succubentes cum ipso deflagrarent. Vulneratorum duo, nempe primae cohortis in Jacobi Mac-Donaldi legione centurio et bellator honorarius, erant ex Mac-Donaldis, quorum secundus, Donaldus Mac-Donaldus nomine, ut convaluit Ducibus equestribus annumeratus, toto deinde illo bello Scotico, quoad vixit, praeclare se gessit. Quem demum (ut obiter dicam) Argathelii laqueo tollendum curavit ipsa die qua Alexandri pater, Collus cognomento *sinister*, cum filiorum altero post vitam illis pacto militari promissam contra fidem publicam sublatus fuit. Quorum mortem aliaque faeda hostium facinora Alexander magna Scotiae populatione et Scotorum occisione vindicavit.

(41) Alexander castellum illud et puteum antea arefactum purgari iussit. Nec id nisi labore improbo milites praestiterunt, projecto | deinde in puteum dimidiato tritici Londinensis pugna
 671 navali nuper parlamentariis erepti sacco tam proinde ut victoribus postae interiores Scotiae partes etiam Anglo-Scoticas ferro flammaeque populantibus, adeoque longe gentium distantibus et Argathelii viribus ob occasionem adeo congruam interea per sex menses terra marique castellum magno sumptu et labore obsidentibus, nunquam aqua aut praesidii virtus bellica defecerit, in maximum obsidentium damnum et obsessorum commodum ac gloriam, quorum hos sui demum viribus Argathelii profligatis obsidione liberarunt. Ex hoc liquet Ibernis perutile fuisse quod in Scotiam recens advecti illa duo castella expugnarint et praesidiariis vallarint.

(42) Alexander his duobus castellis bene munitis ex consultatione militari naves in portu satis bono anchoris firmavit, resciturus nunquid Montrosanus, juxta spem Antrimio factam,

in rebelles Scoticos bellabat, et an Ibero-Scoti sibi suisque adversum Anglo-Scotos ex parte longe maxima in Regem Parlamento Anglicano | adhaerentes coalescere vellent. Secus enim in mandatis a Rege datis habuit ut mox cum suis omnibus in Iberniam remearet. Itaque ne verbo quidem circa ullum bellum Marchionis Montrosani industria in Scotia concitatum (neque enim id ille concitaverat) audito, Jacobus Mac-Donaldus, Tribunus, ejusque subtribunus ad plures Ibero-Scotos mittuntur, qui eorum sensa percontentur, sed conatu irrita, principibus illarum familiarum respondentibus se consilium adeo desperatum et tanti periculi plenum haud amplexuros, cum non nisi tantulae vires ex Ibernia accesserint. Quare parum aberat quin nostrates in Iberniam redire decreverint. Verum dum animis penderent, Angliae Parlamentarii pyratice exercentes eorum naves ceperunt.

(43) In hoc deposito rerum statu parum temporis effluxit cum ad Iberos relatum est Marchionem Montrosanum, audito eorum appulsu, se in viam dedisse ut ipsos conveniret, quod nuncium laetitiam nostratibus creavit singularem expectantibus ut Montrosanus juxta spem antea Antrimio | factam cum magnis viribus sibi cohaesuris accederet.

(44) Hic Montrosanus vel (ut alii latine reddunt) Montrosius, patria Scotus et religione haereticus, nec generis splendore, nec avitis possessionibus, nec clientela, nec agnatorum, cognatorum, aut affinium potentia comparandus erat praecipuis Scotiae satrapis, quos tamen si non omnes, certe plerosque judicii perspicacia, sagacitate, atque animi magnitudine plus superabat quam haud assequebatur, optimis naturae dotibus imbutus, omnium horarum homo adeo ad conciliandos sibi amicorum atque inimicorum animos natus, et eorum geniis ingeniisque ita per omnia se accommodans, ut nemo eum vel minima ambitionis aura impelli existimaret donec plenam fere auctoritatem adeptus esset. Inter motus Scoticos Regi adhaeserat eique aperuerat obliquas Ducis Hamiltoni molitiones in ejus praejudicium. Quare Duce in aulam Anglicanam accito atque hoc anno 1644 in custodiam dato, Montrosanus a Rege in | Marchionem assumptus est ac jussus in suam Scotiam penetrare, ut ibi omnes Regi studentes in rebelles armaret, Antrimii (cum quo tunc in aula regia illam belli Scotiae rebellibus inferendi societatem coivit et amicitiam contraxit) viribus ex Ibernia transportandis ea lege coaliturus ut Antrimius nedum suis Ibernis sed etiam Ibero-Scotis, Montrosanus autem Anglo-Scotis praeficeretur. Verum

Montrosanus, licet nullum lapidem non moverit quo factionem in Scotia in Regis favorem maturaret, in eo tamen penso operam et oleum perdidit. Quare jam spei irritus pedem referebat. Sed audito parvas illas vires Ibernicas in Scotiam advenisse et nonnullum jam progressum fecisse, sub ementita specie totam pene Scotiam emensus Iberos (sicut dixi) animi dubios convenit, non exercitum (sicut Iberni expectabant) ducens sed a duobus circiter asseclis cohonestatus.

673 (45) Iberni in Antrimii, quem in singulos dies praestolabantur, adventum consenserunt | ut se militare imperium Montrosanus exerceret, rati eum futurum olim et Scoti nativi conditione et tituli splendore et Regis autoritate jam tacta aptum, qui factionem inter ipsius Anglo-Scotos auctitaret. Praefecturam ille ratam gratamque habuit. Cumque per exploratores rescivisset rebelles magnis gregibus ad S. Joannis fanum Edinburgo, Scotiae civitate principe, duodeviginti millibus passuum distans, convenisse ut copias, partim in Angliam contra Regem partim in Iberniam adversus Catholicos, destinarent, mox consultationem habuit militarem, qua decretum ut vires illas Scoticas antequam fortiores evaderent, aggressuri, eo omnes moverent. Ubi autem ad metam ventum est, duri atque imparis certaminis vel fugae necessitas incubuit. Nam ibi in exercitum illum Scoticum jam coactum armis, equis, vestibus, et rebus aliis ad bellandum necessariis ornatum, atque octo peditum millibus nec non mille equitibus constantem inciderunt numero jam mille et octingenti, | proindeque (sicut ex subductis rationibus colligo) aliquot nuperis in Scotia centuriis aucti, qui viso exercitu hostili tot numeris superiore metuebant ne Montrosanus haud alia mente accesserit et tunc dimicaturus esset quam perfida, ut se ilicet se ipsos hostibus proderet. Qua tamen suspitione non obstante dimicandum statuerunt, illeque (ut eventus docuit) alia mente erat, qui etiam ad Iberos succinctam sed nervosam orationem habuit, exhortans ad praeclare vel moriendum vel triumphandum. Illi vicissim solo Dei brachio confidentes se ei non defuturos responderunt. Itaque ut partes utrinque classicum cecinerunt, ad manus ventum est tanta Ibernorum laude, ut post unius horae pugnam equitatus Scotici praefectus praeter alios occubuerit, exindeque equitatus confusa acie tergum verterit, peditatus cunctis pariter ruptis, et toto demum hostium exercitu dissipato.

674 (46) Hac insigni victoria reportata milites Ibernici se rebellium manubiis affatim vestierunt, | armarunt, saginaruntque, et eorum terrore hostes late hebetante, non pauci Ibero-Scoti, qui animis

pependerant, ejusdem cum ipsis belli societatem coierunt adeo ut hic exercitus postea aliquot etiam Anglo-Scoticis viribus auctus, Scotiam triennio deinde secuto praeliis, velitationibus et populationibus gravissime affligerit, licet non transmissae fuerint copiarum Ibernicarum superius memoratarum reliquae, eo forsitan quod naves, quibus transmitterentur, in Iberniam non remissae sed a parlamentariis captae fuerint. Tradit equidem Jacobus Mac-Donaldus Ormoniae Marchionem, tunc Iberniae Proregem, non obstantibus magnificis pollicitationibus sibi atque Alexandro Mac-Donaldo Dubliniae (sicut superius dixi) prolixè factis, nunquam Antrimio ad bellum illud in Scotia prosequendum adfuisse, imo Antrimio prosperum illius expeditionis successum et Regis favorem antea semper magnum sed tunc maximum invidisse, numerosque ejusdem Ormonii | inter Confaederatos 674
Iberniae Catholicos factionem, proindeque potio-rem Concilii v
Supremi partem ex eo fermento compactam, illud bellumoticum non, sicut par erat, secundasse quod eadem, qua suus Ormonius, aemulatione Antrimium prosequerentur, et non omnibus, sed illi Concilii parti, atque Ormonio se in ejus depressionem clandestinis molitionibus convenisse. Metuere enim poterant, ne Antrimius, apud Regem adeo magnus, in Iberniae Proregem assumeretur, et sic eorum factio cum Ormonio ejus coryphaeo privatorum commodorum, quibus publicum Ibernicae et Ecclesiae et nationis bonum posthabebant, spe frustrarentur. Qua maligna mente eos postea fuisse res ipsa in medio posita docuit, adeoque eodem animorum tubo in hoc negotii aliisque multis etiam ad primos belli annos occultius laborasse praesumptio est validissima.

(47) Haec belli ab Ibernis in Scotia concitati adeo | illi regno 675
domi suae negotium facessivit ut propterea Scotia exinde copias in Iberniam adversus Catholicos, vel in Angliam adversus Regem, praeterquam longe minores, quam secus successisset, destinare non valuerit. Exercitus tamenoticus mense Januario hoc anno 1644 sub Leveniae Comite in Angliam missus ita Parlamento adversus Regem suppetias venit, ut secus Rex Parlamentum (ut credere par est) debellasset. Siquidem vires illae Scotiae copiis Parlamentariis a Manchestrío et Farfaxio ductis auctae Eboracum obsiderunt. Ad quam obsidionem solvendam Princeps Robertus ingentem regionum exercitum ex austro duxit, et obsidione jam soluta cum Levenio, Manchestrío, et Farfaxio ita praelium ad ineuntem Julium commisit, ut multo sanguine ex utraque parte fuso Scoti et Parlamentarii victoriam reportarint, exindeque civitas Eboracensis in gravissimum Regis damnum

675
v Parlamenti viribus ad obsidionem cum exercitu Scotico regressis
dedita fuerit. Nec solum sed et partitis copiis Levenius cum
suo exercitu Scotico in Boream reversus | opulentissimum oppid-
um, Novum-Castellum, obsidione satis obstinata demum ex-
pugnavit, praeter alia aliquot oppida atque arces, quas antea
ex Scotia recens appulsus in potestatem receperat, ita ut exinde
vires illae Scotiae per aliquot annos Parlamento stipendiariae in
Angliae pedem fixerint, regnum illud in rebellione foventes et
latrociniis infestantes, dum suum Iberni depopularentur.

(48) Ex altera parte princeps Robertus cum exercitus regii
reliquiis et aliis copiis subitariis magna diligentia conscriptis
Essexium, florentissimi exercitus Parlamentarii Imperatorem,
progressus, hostes annonae inopia laborantes et ducum discordia
enervatus, eo angustiarum redegit ut Essexius ad diem Septem-
bris 2^m victoriam sibi despondens inter noctem mari Plimotham
aufugerit. Quo viso, ejus equitatus ea, quam desperatio parere
solet, animi ferocitate non sine suorum jactura viam sibi per
676 medias copias regias ad fugam stravit, relicto | regionum miseri-
cordiae universo peditatu, qui vita pacta discessit derelictis Regi
triginta sex tormentis bellicis, decies mille militum armis et
universo apparatu bellico cum campo certaminis et triumphii
gloria.

(49) Praeter has victorias multae aliae minores utraque ex
parte hoc anno 1644 in Anglia ita reportatae fuere ut pene
partes in equilibrio positae sint et Rex triumphum confecisset,
nisi exercitus Scoticus Parlamento adfuisset. Porro Reginam
recens filiae partu levatam praefatus Essexius mense Junio
summa inhumanitate intercipere conatus, id tantum assecutus
est ut illa multum debilis cum aliquot Regis, mariti, celocibus
et duabus Batavorum navibus bellicis in commeatum additis
saluti per fugam consultura in suam Galliam navigarit, perse-
quente Parlamenti viceadmirallo, qui crebris tormentorum
bellicorum fulminationibus navem, qua Regina portabatur, petiit,
sed (Deo specialiter providente) adeo incassum ut navis agilitas
rebellium rabiem deluserit, et in Britanniae Gallicanae locum |
676 Brestae vicinum Reginam incolumem exposuerit, inde progressam
v Parisios ubi ab Anna Austriaca, Regina regente, ejusque filio,
Ludovico decimo quarto, Galliarum Rege tunc pupillo, totaque
aula Gallicana, clero quoque et populo honorificentissime recepta,
multis deinde annis suam liberorumque et exulum Anglicorum
magno numero secutorum infortunium singulari suae nationis
Franciae humanitate ac libertate sublevavit. Nec hic silentia

praetereundum est praefatam ejus filiolum, Henrieta Stuartam, in Gallias quoque transvectam fuisse, Patre misericordiarum, qui lucem ex tenebris splendescere facit, jam ambarum persecutionem permittente in filiolum bonum quae illa occasione in Galliis sub Reginae, matris, disciplina pie et Catholice educata fidem Orthodoxam ita professam est ut postea cum decimum septimum aetatis annum ageret, Duci Aurelianensi, praefati Regis Christianissimi germano unico, nuptum data sit, instar aliorum | liberorum regiorum (ut credere par est) haeretice educanda et alicui principi haeretico elocanda, nisi Deus illam modo jam dicto in domum suam, Ecclesiam Catholicam, *compulisset intrare*. “O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et quam investigabiles viae ejus? Quis enim cognovit sensum Domini?”

677

Rom.
II

(50) Mentionem superius fecimus Joannis Hothami, census equestris, qui mense Aprili 1642 Hullae portis Regi audacter oclusis primarum partium in hac rebellionis Parlamentariae scena actor fuit. Sed cum filio in Turrim Londonensem anno 1643 a Parlamento conjectus est, amboque postquam anno integro et quod excurrit, in ea custodia squaluissent, hoc anno 1644 mense Decembri securi percussi sunt, quod praeter alia ipsis objecta de Hullae Regi permittenda cum regiis consilia iniissent.

(51) Armorum cessatione mense Septembri anno 1643 cum partibus haeticis Regi in Iberniam adhaerentibus a Confaederatis ejusdem regni | Catholicis inita, iidem Confaederati in Generalibus regni Comitibus Waterfordiae celebratis mense Novembri eodem anno 1643 Donochum Mac-Cartium, Muscriae Vicecomitem, Nicolaum Plunkettum, Fingalliae Comitum fratrem, juris municipalis Angliae consultum, Alexandrum Mac-Donaldum vel (ut alii scribunt) Mac-Donell, Antrimiae Marchionis fratrem, Dermidium O'Brien Tribunalum, Corneli Simoniae Comitum ex Thadaeo filio nepotem, Zepherinum Brounum et Richardum Martinum, duos (credo) jurisperitos, in Angliam ad Regem mittendos decreverunt, qui suae Majestati regni gravamina et intolerabiles populi Catholici sub aeruscatoribus Anglicanis concussionem inter ultimam pacem patratas et maligna eorundem nebulorum artificia et crudelitatem ab incepto bello in nationis excidium pro parlamenti Anglicani nutu adhibitam exponerent, et remediis obtentis nec secus, pacem cum Rege contraherent. Hujus legationis atque aliarum deinde | a Confaederatis Iberniae Catholicis ad annos posteriores decretarum princeps plerumque

677

v

678

fuit Muscrius in hoc bello ante tunc et postea (ut videbimus) nominatissimus, quem etiam Nuncius Apostolicus anno 1648 in Iberniam missus totius factionis, quae inter Confaederatos Ormonio, haeretico Iberniae Proregi, studebat, quaeque propterea factio Ormonica vocitata fuit, principem fuisse haud semel tradit. Quare hic haud extra callem erit Muscrii delineatio.

(52) Itaque filiorum Regis Hispaniae, qui tribus circiter annorum millibus jam elapsis Iberniam expugnaverant, nominatissimos fuisse Eberum et Erimonium nostri antiquarii, et post hos Cambrensis, alique exteri memoriae produnt. Ex Ebero autem amborum primogenito semper duarum regni provinciarum nempe binarum Momoniarum, reges prodierunt, quorum non pauci nedum in utraque Momonia sed etiam in Leah-Moia, quae mediam regni partem contineret, et alii in tota Iberniam Monarchae dominabantur. Horum principum primus, qui Christo nomen dedit, | fuit Aengusius Leah-Moiae nedum Momoniarum Rex, ante mille ducentos annos jam elapsos a S. Patricio gloriosissimo Iberniae Apostolo, sanctitatis prodigio, baptizatus. Quanta autem pietate ipsi posterique Principes fidem Catholicam professi sint in re historica est notorium. Porro hujus Aengusii patrum, Manium Lamhnum, in Scotiam Britannicam, seu Albaniam, trajecisse, ibidemque ita suam posteritatem gloriose propagasse ut ab eo Stuarti, postea solius Scotiae, nostraque memoria etiam Angliae atque Iberniae Reges, genus paternum traxerint, author est Ketingus in antiquitatibus Iberniciis et Scoticiis optime versatus. Eodem quoque Aengusio prognatus et linea recta masculina ab eo decimus septimus Carrachus, seu (ut quidam dolant) Cartius vel Cartaeus, Momoniae Rex, is erat quo circiter regnante nomina gentilitia et familiarum distinguuntur excogitari caeperunt, exindeque factum ut ejus posterii, usque in diem hanc, | Mac-Cartiorum familiam conflarint et conflent ab ejus nomine et praefixa particula Ibernica *Mac*, quae filium significat. Porro hujus Cartii ex Muredo, filio, nepos fuit ille Momoniae Rex, Cormacus Mac-Cartius, cujus sanctitatem S. Bernardus in S. Malachiae vita tantopere celebrat, ejusdemque Cormaci filius, Dermitius Mac-Cartius, ad prima Anglorum invasionem circa annum 1170 Momoniae Australis Rex erat, sicut vel ex ipsis scriptoribus Anglicis et nominatim ex Silvestro Geraldo Cambrensi, auctori contemporaneo et teste rerum tunc Ibernicarum oculato, liquet, Iberniae expugnatae lib. I. cap. 31. lib. 2. cap. 13. 34. 35. et alibi. Quid autem Cambrensis per Desmoniam vel Momoniam Australem ibi intelligat, quaestio esse

potest? Etenim ex quinque olim regni provinciis duas fuisse Momonias, Australem unam et Borealem | alteram, est notorium, 679
et praeter has duas (ut antiquis limitibus terminabantur) v
Momoniarum provincias tractum olim Conaciensem, quem Tomoniam vocitamus, jam a pluribus saeculis Momoniam Borealem nuncupatum fuisse, hodieque nunc nuncupari manifestum est, usqueadeo ut vox Ibernica *Tua-Mhumhain*, ex qua corrupte vox latina Tomonia fabricatur, Borealem Momoniam significet. Itaque juxta Cambrensem illud Desmoniae, vel Momoniae Australis regnum, cujus Dermitius Mac-Cartius ad Anglorum ingressum more majorum sceptrum tenebat, haud erat Momonia Australis quatenus duarum antiquarum provinciarum Momoniensium alteram conficit, sed ambae antiquae provinciae simul sumptae, quas Momoniam Australem seu Desmoniam vocitat Cambrensis respectu Tomoniae, quam earundem respectu ipse et omnes *Momoniam Borealem* nuncupant. Quae Cambrensis mens constat ex eo | quod duas Momonias in Australem et 680
Borealem dividens dicat fluvio Sineno hanc ab illa disjungi. Topogr. Ibern. dist. 1. cap. 6. et duas Momoniarum provincias antiquissimas respectu Tomoniae a Cambrensi Desmoniam, seu Momoniam Australem nominari liquet ex altero loco, quo dicit quod flumen Suirense Desmoniam a Lagenia ab oriente disterminat. Ibern. expugnat. lib. 1. cap. 13. Quare juxta Cambrensem Dermitius Mac-Cartius ad primum Anglorum irruptionem binarum Momoniarum quatenus a Tomonia distinctarum, quas uno nomine Desmoniam vocitat, more majorum, Rex fuit, excepta urbe Limericensi, cujus nec non Tomoniae Regem tunc fuisse tradit Duvenaldum O'Brien, suae regiae familiae et Mac-Cartiorum trunco excisae, sed natu minoris principem, quam ille nunc Tomoniae nunc Limerici Regem appellitat.

(53) Hujus Dermitii Mac-Cartii per rectam | descendentium 680
principum lineam masculinam trinepos Cormacus Mac-Cartius v
tres habuit filios, Donaldum Desmoniae, Dermitium Muscriae et Eugenium Cosmangiae principes, quorum primo caeteri posteriores Desmoniae principes prognati fuere usque ad Donaldum, ejus trinepotis filium, qui a Regina Elizabetha in Clancartiae Comitem inauguratus filiam reliquit unicam, Evelinam, cujus, quia suae uxoris jure Florentius Mac-Cartius Mac-Cartii *fusci*, Carbriae principes, filius, ejusque ex ea susceptus primogenitus haereditatem repetierunt ex lege non antiqua Ibernica (quae nedum ante semper, sed et toto Comitibus tempore viguerat, et

filias ad successionem nunquam vocaverit) sed ex Anglica, qua filiae, deficientibus aliis, ad haereditatem vocantur, quamque Elizabethae successor, Rex Jacobus, omnium primus in illum principatum intrusit. Porro ex Dermatio, trium fratrum jam dictorum secundogenito, | Muscriae Principes, viri domi militiaeque praesertim in asserenda ab iniquissimo Anglorum jugo avita libertate celeberrimi descenderunt, nempe ejus filius, Cormacus, nepos Thadaeus, pronepos Cormacus, abnepos Cormacus *Junior*, cognomento (quod inter alia magnalia lectissimum Jacobi Desmoniae Comitis potentissimi, exercitum in praelio Monamorensi profligasset) *fortis*, adnepos Thadaeus, trinepos Dermatius, trinepotis filius Cormacus, trinepotis nepos Cormacus cognomento *junior*, et trinepotis pronepos Donochus Mac-Cartius, ad hujus belli initium Muscriae Vicecomes in eo exinde nominatissimus, qui patri, anno 1641, pauculis mensibus ante caeptum hoc bellum Ibernicum, Londini ab haeresi (ad quam contra majorum omnium ritum ore profitendam rationibus pollicitis se induci permiserat) converso et pie ac Catholice defuncto, ita ibidem magnificissime parentavit ut, cadavere Catholice sed clam sepulto, feretrum lapidibus clam repletum et palam in sepulturam haeticam fuerit ingenti pompa | funebri et maximo haeticorum Anglicorum confluxu arbitrantium Cormacum haetice decessisse et se eum extulisse, cum tamen nihil nisi capulum lapidibus onustum sepelierint. Quod totum mihi postea Lutetiae Parisiorum retulit P. Ciprianus Gamachensis, Capucinus Franciscus, Capucinorum Gallicorum familiae a Regina Angliae Londini stabilitae ascriptus et Cormaci in morbo extremo Confessarius.

(54) Donochus Mac-Cartius, Cormaco, patre, Londini mortuo, Muscriae Vicecomes ab intestato salutatus exindeque in Iberniam regressus, magnam pecuniae vim, quam praeter lautissimum patrimonium avitum aeri alieno haud obnoxium, reliquamque hereditatem filius unicus adjuverat, in bellum Catholicum liberaliter erogavit, ab haeresi, quam ob rationes politicas saltem ore et (credo) solo professus fuerat, conversus, matre Margarita Donochi O'Brien, Tomoniae Comitis haetici, qui illa animorum lue generum et nepotem infecerat, filia unica natus, Helenae Butlerae Ormonii, in hoc bello | proregis, sorori primogenitae, pietate et tota Christianae probitate conspicuae matrimonio copulatus, homo singulariter perspicax, ad animos sibi conciliandos aptissimus, popularis, sagax, nullius deformis vitii maculis notatus et dotibus omnibus cumulatus, quae in hominem ad turbatae Reipublicae navem pro nutu dirigendam idoneum

quadrent, caeterum plerisque totius Momoniae et aliarum provinciarum non paucis proceribus et nobilibus agnatione, cognatione, vel affinitate adeo conjunctus ut ambae regni factiones ipsi ab initio studuerint, licet in belli progressu cum eum ad Ormonistas defecisse constitisset, multorum alias addictissimorum animos a se alienarit. In quem autem scopum inter hunc ludum politicum suas cogitationes collinearit, solus Deus scit, qui renes et corda scrutatur, quam vero ei vulgus metam ascripserit, quid tangere nocet?

(55) Siquidem Clancartiae Comite, hujus regiae familiae Principe, Reginae Elizabethae diebus citra prolem masculam sibi superstitem fatis | functo, non defuere qui ex eadem Mac-Cartiorum tribu ad succedendum idonei essent, ac praeter alios 682
1° Florentius Mac-Cartius, Comititis gener. 2° Daniel Mac-Cartius, ejusdem Comititis filius naturalis. 3° Daniel Mac-Cartius Desmoniae Tanistius, nempe proximus post Comitem ramus. 4° Cormacus Mac-Cartius cognomento caecus, Muscriae Princeps. 5° Dermittius Mac-Cartius, Duhalliae Princeps, dignitate Ibernica Mac-Donochus. 6° Mac-Cartius *Fuscus*, Carbriae Princeps. 7° Donaldus Mac-Cartius, dignitate Ibernica Mac-Fininus, Gleanoruochtae Dynasta, aliique plurimi ex primaria, media atque infima ejusdem familiae nobilitate. Ex quibus tres tantum fuisse reperio, nempe praefatorum primum, secundum, et quintum, quorum alii breviori alii longiori temporis intervallo *Mac-Cartii Magni* (nam hic familiae Principi titulus Ibernicus erat) dignitatem usurparunt, primo demum praevalente, quia ab Anglis secundato, in | juris Anglicani, quod illi intrudere percupiebant, favorem. 683
Nec defuere qui dicerent devolvendam potius haereditatem ad quartum, nempe Cormacum cognomento caecum, Muscriae Principem.

(56) Hunc enim praefatorum trium primo praeferendum affirmabant quod primo non competeret titulus nisi jure paterno vel uxorio. Atqui nec uxorio secundum leges Ibernicas, quae solae a tribus annorum millibus in eo principatu usque ad Comititis mortem, multosque deinde annos viguerant, quaeque filias successione aeternum excludebant, nec valere contendebant jure paterno, tum quod Muscrii ramus (sicut ex genealogia constat) ex trunco recentius descenderit, tum quod primus, si jure paterno succedere voluisset, ab aliis ex suo Mac-Cartii *Fusci* ramo excludendus esset, quam quatuor fratrum legitimorum tertio geniti filius superstitibus primogeniti inter quatuor illos legitimis haeredibus masculis. Nec solum praefatorum trium primum

683 hoc modo, sed etiam secundum et tertium excludendum | allega-
 v bant, quod secundus notorie filius illegitimus esset et secundi
 ramus recenti tunc memoria similem maculam contraxisset.
 Quare his extra viam factis addebant Cormacum, Muscriae
 Principem esse proximum et legitimum haeredem masculum
 caeteris omnibus ramis praeferendum. Mihique ex ejus filio
 nepos Donochus Mac-Cartius, Muscriae Vicecomes, in hoc bello
 Ibernico quod tracto nominatissimus Parisiis anno 1659 retulit,
 alique etiam mihi tradiderunt, ex Desmonia ad Cormacum illius
 contestationis tempore missos fuisse, qui eum velut haeredem
 verum et legitimum invitarint ad vastam Mac-Cartii Magni
 haereditatem adeundum, et ut in Mac-Cartium Magnum ac
 Desmoniae Principem antiquo patriae ritu inauguraretur. Verum
 (sicut dixi) Anglorum intererat ut primus, nempe Florentius Mac-
 Cartius, jure uxorio, proindeque non Ibernico sed Anglicano, suc-
 cederet, quem et ipsum illi barbari in custodiam dederunt, et
 pene tota haereditate velut laesae Majestatis reum excusserunt.
 684 Nec dubitandum est rationum, ob quas eum atque ejus filium
 haeredis loco | tenendum decreverint, haud ultimam fuisse, ut eo
 in haeredem admisso latum sibi ad Principatum illum Coronae
 Anglicanae prorsus subjiciendum viam munirent.

(57) Itaque in hoc bello, quod mihi scribendi messem praebet,
 non defuere, qui sibi atque aliis persuaserint, Donochum Mac-
 Cartium, Muscriae Vicecomitem, Cormaci jam dicti ex Cormaco
 filio, nepotem, eo animum intendisse ut praeter alia armis et
 industria non solum suam luculentam Muscriae dynastiam
 servaret, sed etiam totum Mac-Cartii Magni principatum et
 jus, quod plures avo iniquissime denegatum affirmabant, re-
 peteret, et se in totius familiae Principem indueret. Addebantque
 eum (praeter alios plurimos Ormonistas aliis privatis commodis
 ductos) anno 1643 inducias cum Ormoniae Marchione, suo
 sororio, Regis commissario, et copiarum haereticarum Regi in
 Ibernia adhaerentium imperatore, ad annum contrahendas
 684 curasse ut Ormonio ad | Proregis munus a Rege assequendum
 v viam sterneret, idque efficeret ut idem Prorex in pacis cum
 Confaederatis Iberniae Catholicis contrahendae commissarium
 a sua Majestate destinaretur, ac demum rebus in Ibernia com-
 positis suam proregis jurisdictionem in totum regnum exerceret.
 Indeque fieret ut Muscrius per Ormonium et Ormonius per
 Muscrium triumpharent.

(58) Quod ad Florentium Mac-Cartium ab Anglis (ut dixi)
 in Mac-Cartii Magni haeredem Jure uxorio agnitum spectat.

Is ab Anglis captus in Anglia undecim annos carceri municipatus, ac demum anno 1599 a Regina Elizabetha in Iberniam dimissus, deindeque anno 1601 in Iberniam a Momoniae Praeside haeretico et Anglico iterum captus, atque eodem anno, mense Augusto, quod Reginae in Catholicos militare nollet, et in haeticos fidei causa bellaret, in turrim Londinensem denuo compactus, ibi triginta circiter annos postea | squaluit, deinde novem annos 685 et quod excurrit, urbem Londinensem jussus habere pro custodia, in quo martyrio lento et prolixo piissime confectus diem obiit 13 Decembris 1640 triennio tantum centenario minor, ejusque filius primogenitus, Donaldus, vel Daniel Mac-Cartius, Londino ad inchoatum in Iberniam hoc bellum in patriam insulam regressus atque ibi antiquo Ibernorum ritu in Mac-Cartium Magnum splendidissimae familiae Principem creatus est, sed ab haeresi jam conversus, quam favoris ab Anglis assequendi studio ita patre invito male providus ad aliquot retro annos simulaverat, ut tamen corde semper fuerit Catholicus et in ipsis haeticorum synagogis solitus sit clanculum invocare Sanctos et Deum corde orare atque adorare juxta omnes fidei Catholicae articulos, etiam ab haeticis repudiatos, sicut ipse mihi postea retulit, ingenti paenitentia ductus quod (sic enim loqui solebat) *tenebrionum* | 685 et *nebulonum haeticorum gratiam aucupaturus* haeresim praestulerit, licet illam coram Deo semper horrerit.

v

(59) Hic in Iberniam redux cum dotibus ad causam suam bene tractandam pace et bello idoneis careret et ea adversarii esset potentia ut patrimonii recuperandi animum desponderet, Muscrio (sicut ipse et Muscrius mihi postea in Gallia singulatim retulerunt) mediocribus conditionibus totum suum jus obtulit quo Muscrius ad repetendum patrimonium magnopere idoneus totum recuperaret. Verum Muscrius conditiones ab eo oblatas sprexit. Idemque Muscrius mihi retulit se tunc in Iberniam inter hoc bellum ab O'Sullevano Magno, cui more majorum illud in creandis Mac-Cartiis Magnis officium competeret, quale ad alios in coronandis Regibus pertinet, fuisse antiquo veterum Ibernorum ritu salutandum | in Mac-Cartium Magnum si ipse 686 consensisset, sed se ejus instantiis acquiescere noluisse, licet Richardus O'Conaldus, Episcopus Ardfeartensis et Achadeoensis, Mac-Cartii Magni cliens haereditarius, apud eum institerit ut in commune familiae bonum cum praefato Daniele Mac-Cartio concordaret, seque pro haerede et familiae Principe gereret velut ad vasta domus jura vendicanda aptissimus. Quam amborum concordiam dictis conditionibus ineundam cum idem

686 praelatus utriusque amantissimus quadam dierum Helenae
 v Butlerae, Ormonii Proregis sorori primogenitae, Muscrio nuptae,
 proposuisset, respondit illa tam liquidum suo marito competere
 primogeniturae per lineam masculinam jus ut nec Danielis nec
 alterius transcriptione aut tituli cessione indigeret. Itaque non
 defuere qui censuerint Muscrium id occultis moliminibus stud-
 uisse ut praeter alia hoc jus velut suum haereditarium repeteret,
 proindeque ipsum et alios plurimos ex Confaederatis Catholicis
 Ormonio clam | studentes, et privatorum commodorum ejus
 autoritate et favore assequendorum rationem plus nimio ducentes,
 procurasse per inducias et suggestiones politicas Regi insinuat-
 ut Ormonius in Proregem cooptaretur, deindeque per legationem
 apud Regem obitam effecisse, ut tota pacis contrahendae autho-
 ritas (sicut successisse videbimus) in eundem Proregem trans-
 ferretur, quo ipsi per Ormonium et per ipsos Ormonius ad fines
 privatos pervenirent.

687 (60) Sive autem praefatae circa Muscrium conjecturae veritati
 consonent, sive dissonent, omnino certum videtur ipsum et
 Confaederatorum Catholicorum multos alios, eosque ex parte
 longe maxima majoribus Anglicis prognatos, occultam conjurat-
 ionem cum Ormonio coiisse, et illam machinationem, saltem
 antequam Muscrius in Angliam anno 1644 legatione jam dicta
 apud Regem functurus trajiceret, Romae innotuisse. Quod
 aliaque ad res Ibernicas tunc spectantia te docebit Cardinalis
 Barberini responsio eodem anno ad | Scarampum notis arcanis
 in Iberniam transmissa. "Cum multa (inquit Italice) dis-
 plicentia audivimus de tepiditate in istorum Catholicorum
 Ibernorum nonnullos circa liberum Catholicae Religionis exer-
 citium per pacis articulos promovendum dominante, et quo
 pacto a Marchionis Ormoniae potentia atque autoritate permis-
 erunt et permittunt se trahi juxta ejus desideria. Nec parum
 molestiae nobis peperit, quod intelleximus, nempe electos ad
 pacem cum Rege in Anglia tractandam oratores ab ejusdem
 Marchionis nutu funditus dependere et ipso particeps conditas
 fuisse eorum instructiones. Verum quia jacta est alea et forsitan
 ante receptam hanc epistolam pax vel conclusa vel exclusa erit,
 non aliud nobis superest quam ut Deum Opt. Max. oremus
 quatenus suae causae juxta sit et religionis Catholicae inimicorum
 artificia frustretur, quo illa in isto regno stabiliri queat. Quare
 Dominatio vestra episcopo Dunensi et Plunketto, nec non Barrono
 admodum prudenter respondit ipsorum instantias semper esse
 687 debere fixas in liberum fidei Catholicae | exercitium, et tempera-
 v menta proponenda esse a Rege vel ejus ministris. Porro cum

nosse cupiat quo pacto se gerere debeat, si pax conclusa vel bellum proseguendum fuerit. Respondeo certum ipsi super hoc re prescribi non posse monitum nisi prius cognitis causis ob quas pax conclusa non fuerit. Interea generalibus monitis ipsi antequam Roma discessit datis utatur, et juxta casus successuros ita se gerat ut semper sibi in scopum designet fidei Catholicae propagationem et liberum ejus exercitium. Quod ad rei numariae subsidia a D. Eugenio O'Nello et Comite Antrimiae, nec non ab aliis rei militaris praefectis generalibus et ducibus petita spectat, Dominatio vestra probe novit eorum, qui contra Sedem Apostolicam faedus percusserant, bellum ad quas angustias nos redegerit. Sane si pace contracta respirare valuerimus, haud negligemus praestare quicquid poterimus. De reliquo nobis videmur hactenus bonum dedisse experimentum propensae voluntatis suae Sanctitatis | in istud regnum, licet minus quam vellemus. Interea sicut usque modo haud neglectum est Nunciis Apostolicis juxta duas Coronas (Gallicam et Hispanicam) residentibus scribere ut illos Reges ad opem istis Catholicis ferendam adducerent, ita apud Dominos Cardinales, Panzirolum et Mazzarinum, iterum instabo et jam Nunciis novis nec non Archiepiscopo , Nuncio ad Imperatorem, propositum fuit, ut saltem Tribunis et aliis ducibus Ibernis procurent licentiam redeundi in Iberniam ubi, etiamsi pax contraheretur, instructo tamen opus erit exercitu contra Scotos, qui in Ultonia se tenent. Quamobrem licet Concilii Supremi Agentes (sicut Dominatio vestra scribit) absque ullo mandato Hispanis milites promiserint, exindeque successerit ut Galli, et prae illis Rex Angliae, milites Iberos petant, omnes tamen excludi poterunt allegando quantopere ipsi militibus indigeant, quamdiu armorum cessatio durabit. Fieri enim potest ut pax non contrahatur, et licet contraheretur, necessarii erunt contra Scotos. | Difficultates, quibus nunc implicantur, ipsos doceant quam debent imposterum esse parci in eo aliis promittendo, quod sibi opus esse et Galliam vel Hispaniam offendere potest." Haec Cardinalis Barberinus. Parumque dubitandum est quin illa Ormonistarum atque Ormonii conjuratio ab ipso Scarampo, qui occulta partium arcana in Iberniam facile explorare poterat, suae Sanctitati et Cardinali Barberino, ejus nepoti, significata fuerit, qui etiam Cardinalis in alia epistola notis pariter arcanis et Italice ad eundem Scarampum 8 Maii 1644 scripta: "Dominatio (inquit) vestra cum bonis admodum et solidis rationibus respondit. Nam licet verum sit regnum istud ad publicum et liberum Catholicae religionis exercitium obtinendum praestare debere

688

688

v

quantum potest, haud tamen se adeo debilitare debet ut non sit resistendo hostibus exteris et (quod majoris momenti est) Ministris Regiis, si pactis stare nollent. Quod eos si non nunc
 689 in principio, certe cum tempore facturos | esse dubitetur, nam si Rex Parlamentarios superaverit necessario ab ejus voluntate dependendum erit. Si autem cum illis ad concordiam redierit, illi perfidi semper ei sedulo suggerent consilia Catholicis exitialia. *Puritani* et *Protestantes* inter se discordant, sed ubi de Catholicis pessundandis et de fide Catholica évertenda agitur, sunt inter se unitissimi. Ex altera parte hic consideratur istius regni defensionem et religionis Catholicae in eo profectum ex partium regiarum conservatione deperdere. Itaque haud spernenda Regi subsidia subministranda sed non extrahendus venis totus sanguis, nec regnum usquequaque enervandum." Haec ille prudentissime.

(61) Consuluit P. Scarampus suam Sanctitatem per litteras nunquid ipse cum Confaederatorum Iberniae Catholicorum oratoribus ad Regem in Angliam allegandis in idem regnum ex Ibernia trajicere deberet, effecturus ut non alia pax quam
 689 Ecclesiae profutura inter eosdem Catholicos aut eorum | Oratores et regem contraheretur. Circa quod aliaque ab eo proposita
 v Cardinalis Barberinus respondit per schedam cyphris Italice exaratam et 6° Januarii hoc anno 1644 datam, quam hic latine verto.

(62) "Non (inquit) judicatur expedire ut Dominatio vestra contractas inter Regem et istius Regni Catholicos inducias impediendas curet, sed desideratur ut religionis Catholicae causam in pace tractanda stabiliendam procuret, quo Ibernii eam majore libertate, quam nunc gaudent, exercere, et suas devotionis functiones publice, majoreque cum securitate absque ulla pecuniarum solutione obire valeant. Porro jam per alias litteras Dominationi vestrae significavi non convenire ut pacis tractui assistat, velut Minister Apostolicus. Nam ad eum forsitan velut talis non admitteretur, vel nimiam parti contrariae suspicionem procrearet. Sed si judicaverit fieri posse ut in Harcourtiae Comitiss (Legati Gallici) vel Reginae (Angliae) Aulam se insinuet, quo
 690 oratorum Ibernorum negotiationi majorem ex propinquo calorem addat, | in eam itum est sententiam, ut hac via uti possit, modo juxta Comitess Harcourtiae non offendat impedimentum propter obsequium, quod Dominationi vestrae necessitudinem conjuncti praestant Regi Hispaniae. Quam circumstantiam optime ponderet, ne suspicionem pariat et alicujus injuriae

recipiendae periculo se exponat. Sed nec ut rerum Ecclesiasticarum confusionibus occursurus Concilium Nationale convocet approbatur, cum eas ad aliquem ordinem redigere queat alia ratione, nempe privatis episcoporum et archiepiscoporum synodis, in quibus sicut rerum status postulaverit deliberari poterit. Nimum crearet rumorem congregatio generalis, et quotquot perversa mente ducuntur, eam possent in malam partem interpretari atque in vulgus spargere, synodum coactum fuisse in alios fines et particulariter ad res belli novandas." Haec ibi.

(63) Harcourtiae Comes, de quo hic mentio habetur, a Gallo in Angliam orator missus est, ut se Parlamentariis Regi reficendis immisceret. Quo cognito Urbanus VIII. paterne operam | dedit ut Regina regens Christianissima eidem Oratori commendaret, Confaederatis Iberniae Catholicis in rebus apud Angliam tractandis studeret, eorumque causam apud Anglum ageret. Idemque Pontifex vel (quod idem est) ejus nomine Cardinalis Barberinus 20 Februarii 1644 notis secretis et Italice ad Cardinalem Grimaldum Parisios scribens: "Auditur (inquit) Batavos declarasse truculentos Ibernorum hostes et in eorum naves multa uti hostilitate ad refrenandam eorum rabiem haud potentius excogitemus remedium quam istius Reginae pietatem, apud quam Eminentia vestra strenue instare dignetur ut ejus Oratori Hagae Comitum residenti imperet, ut cum Batavorum magistratibus de hoc negotio agat, ipsisque persuadeat ut desinant molestiam exhibere Iberniae Catholicis, qui nullam eis unquam procrearunt, impensurus in hoc auctoritatem Principis Aurasiani, qui cum sua intersit ut Rex (Angliae) prosperetur illorum Catholicorum causae favere deberet." Sic ille. Qui etiam | ad eundem eodem modo scribens 2^o Aprilis 1644: "Vestra (inquit) Eminentia opportune institit apud istam Reginam (Galliae) ad impetranda Iberniae Catholicis subsidia sicut ex sua scheda 4^o mensis superioris cyphris exarata colligimus. Propositae ab Eminentia vestra rationes solidae sunt et prudentissimae. Sed quoties de Dei et religionis Catholicae obsequio agitur, obices non desunt. Quodque plus dolemus est quod cum subsidia Catholicis suppeditanda essent eorum loco istic antequam cum Scotis confaederationem confirmare velint et horum quam Catholicorum faedus pluris faciant, Eminentiae tamen vestrae negligenda non est occasio iterum de ea re loquendi et excitandi Reginae (Galliae) pietatem, quae licet in *negotiis status* se suis conciliariis gubernandam permittat, potest tamen suam in illos

690
v

691

Catholicos auxilio destitutos voluntatis propensionem ostendendo Ministrorum animos flectere, ut nisi eorum causae faveant, eam certe non pessundent adjuvando Scotos : ” Haec idem Cardinalis
 691 | Barberinus, ex quibus colligere est quam paternam rerum
 v Ibernicarum rationem Pontifex duxerit. Porro eodem tempore quo a Regis Christianissimi Ministris opera dabatur ut veterem cum Scotis confaederationem renoverent, Monerius Rupella in Iberniam navigavit, a jam dicta Galliarum Regina Regente ejusque filio tunc pupillo, Ludovico decimo quarto, Rege Christianissimo, ad Confaederatos Iberniae Catholicos in Oratorem allegatus, qui 13^o Januarii hoc anno 1644 in Waterfordiae sinum maritimum appulsus, et exinde Kilkenniam progressus, mox procerum et nobilium animis ad sui principis partes sollicitandis adeo solertem operam dedit, ut ipse meo auctori, viro fide digno, ejusque aliquandiu in Ibernia interpreti ac navigationis comite, tunc retulerit se ipsa prima venationis, ad quam cum ipsis ivit, die Comitem Portu-Castellanum aliosque nonnullos factionis Ormonicae primores Catholicos haud operose suos effecisse.

(64) Interea Muscarius, alique superius nominati, quibus legationem Anglicanam a Confaederatis Iberniae Catholicis decretam fuisse vidimus, publica Regis fide hoc eodem anno 1644
 692 magna | nobilitatis patriae etiam suis impensis cohonestantis
 v caterva stipati in Angliam navigarunt. Cum quibus etiam ex parte cleri trajecit Robertus Barry, tunc Vicarius Apostolicus Rossensis, qui contrahendis pacis articulis ad Ecclesiam Ibernicam et religionem spectantibus invigilaret. Ad Regem autem Oxoniam profecti, ibique a sua majestate clementer excepti ei legationem exposuerunt, praesentatis Ibernorum sub iniquissimo magistratus haeretici jugo gravaminibus et petitis remediis. Quae interposita ab ipsis postulata postea Waterfordiae in Ibernia typis Anglice mandata fuere, et ego hic ex acto Anglico Latine traduco :

“ Propositiones Romano-Catholicorum Iberniae suae Sacrae Majestati humiliter praesentatae in proseguenda sua gravaminum Remonstratione eidem Remonstrationi annexae mense Aprili anno 1644.

(65) “ 1^o Ut statuta omnia in fidei Catholicae Romanae
 692 professores lata, quibus cuicumque Catholico Romano in Iberniae
 v Regno ulla restrictio, | paenalitas, mulcta, aut incapacitas inunitur, refigantur, iidemque Catholici Religionis Catholicae Romanae libertate impertiantur.

(66) " 2° Ut dignetur tua Majestas liberum in illo Regno Parlamentum convocare, celebrandum et continuandum sicut in praefata Remonstracione exprimitur, quo Parlamento pendente statutum anno Regis, Henrici septimi, decimo conditum, quod actum Poyningianum nuncupatur, cum omnibus sanctionibus id explanantibus et ampliantibus suspendatur (ut praesentia negotia melius expediantur) et in eodem Parlamento ejusdem acti abrogatio in deliberationem veniat.

(67) " 3° Ut omnia acta et ordinationes in praetenso nunc Parlamento illius Regni a 17° die Augusti anni 1641 latae et approbatae prorsus nullae et vacuae declarentur et tabulis publicis expungantur.

(68) " 4° Ut omnes dilationes, evictiones, proscriptiones *in subsellio Regio*, vel alibi a jam dicta die Augusti 17^a an. 1641 cusa, omniaque diplomata, concessiones, chartae redemptionis, *custodiae* | obligationes, recognitiones, et omnes alii libelli memoriales, actum vel acta exinde dependentia, quae in Catholicorum vel cujusvis eorum praejudicium vergant, publicis Regni commentariis subtrahantur, antiquentur, et inania pronuncientur primum publico tuae Majestatis edicto, deindeque placito in iisdem comitiis liberis confirmando.

693

(69) " 5° Quandoquidem praescriptionum et evictionum titulo, quae Catholicis creditoribus debebantur, concessa, exacta, vel in alium usum conversa sunt, et vicissim quae Catholici deberent iis, qui ab adversa parte steterunt, exacta et in publicum usum impensa fuere, propterea omnia debita per actum Parlamenti utrinque relaxentur, vel omnia stent in statu quo prius, non obstante quacunque concessione vel dispositione.

(70) " 6° Ut nupera officia recepta vel inventa, subnixaque fictis vel antiquis titulis ab anno 1634, ad acquirendum tuae Majestati jus in diversa territoria in Conacia, Tomonia, et in comitatibus Tiperariae, Limerici, Kilkenniae ac Wickloae frustra sint et publicis Regni | scriniis detrahantur, et possessores in antiquis patrimoniis Parlamenti acto stabiliantur ac securi reddantur, et quo subditorum securitati de suis possessionibus in illo Regno provideatur, tale actum limitationis circa tuae Majestatis titulos ejusdem Parlamenti calculis muniatur, quale fuit receptum anno vigesimo altero nuperae suae Majestatis in hoc Regno.

693
v

(71) " 7° Ut quaelibet illius Regni indigenis inusta nota inhabilitatis ad comparandas vel acquirendas terras, locationes, officia, aut haereditates revocetur acto Parlamenti extendendo

ad reddendas securas acquisitiones, locationes, et concessionem jam factas. Et in juventutis educationem statuatur in proximo Parlamento ut una vel plures Juris Anglicani scholae, liberae universitates, et communes bonarum litterarum Academiae erigantur.

694 (72) " 8° Ut officia et loca imperii, honoris, utilitatis et fiducia in illo Regno conferantur in indigenas Catholicos Romanos perinde ac | in alios suae Majestatis subditos.

(73) " 9° Ut intolerabilis subditorum tuorum oppressio quam curia tutelae pupillorum et . . . parit auferatur, ejusque loco status ac fixus tuae Majestati solvatur redditus citra diminutionem emolumenti tuae Majestatis.

(74) " 10° Ut procerum, qui in illo Regno nihil possident vel ita possident ut non resideant, nemo per procuratorem, vel secus in dicto Parlamento suffragandi jure gaudeat et in comunium domum non admittatur, nisi qui possessiones simul et domicilium in Regno habeat.

694 (75) " 11° Ut in proximo Parlamento statuatur et declaretur Iberniae Parlamentum esse in se liberum, adeoque nec ab Angliae Parlamento dependere nec ei subordinari, proindeque Iberniae subditos immediate subjici tuae Majestati vel jure tuae Coronae, membraque illius Parlamenti Iberniae et reliquos omnes Iberniae subditos ab Angliae Parlamento esse independentes, ac propterea | ab eo nec dependendos nec dirigendos, sed eos in illo Regno manere solum tuae Majestatis, et gubernatorum ibi constitutorum vel constituendorum nutum et imperium, ac esse regendos secundum ipsius Regni Parlamentum et patriae leges.

v

(76) " 12° Ut assumpta a *Concilio Tribunali* potestas et omne causarum forensium genus decidendi jurisdictio ad *materias status* restringatur et omnia diplomata, codicilli, ac concessionem ibi vel alibi illegitimo et extrajudiciali modo evacuatam relinquuntur in statu quo prius, sicut et partes laesae eorumque haeredes et assignati, usque ad legitimam evictionem.

(77) " 13° Ut lata anno undecimo, duodecimo, et decimo tertio Reginae Elizabethae statuta ad merces nativas spectantia refigantur, tuaeque Majestati legitimus et justus census reservetur, et ex utraque (Parlamenti Ibernici) domo delegantur aequi rerum arbitri, qui stabiliant librum pretiorum omnium mercium.

695

(78) " 14° Quandoquidem longa continuatio praecipui | Gubernatoris vel gubernatorum illius Regni in illo tantae eminentiae et potestatis loco, praecipuam nimiae illius Regni subditos exercendae tyrannidis et oppressionis occasionem subministravit,

eapropter Majestati tuae placeat dictos imposterum Gubernatores, non nisi ad triennium continuare, et nemo illo officio semel defunctus, nisi sexennio mox post dictum triennium plene interjecto, ad idem resumatur, et insuper sanciat ut idem gubernator vel gubernatores durante praefectura nequeant directe vel indirecte usu, fiducia, vel aliter quocunque modo comparare aut acquiescere praetoria, latifundia, tenementa, aut haereditamenta in illo Regno, nisi a sola tuae Majestatis haeredibus vel successoribus.

(79) " 15^o Ut in proximo Parlamento actum suffragatorum calculis probetur de militum turmis intra diversos illius Regni comitatus conscribendis, disponendis, et instruendis, tam ad cavendam externam invasionem quam ad ipsos efficiendos | idoneos et expeditos in tuae Majestatis occasiones, sicut res postulaverit.

695

v

(80) " 16^o Ut in proximo Parlamento libero condatur actum amnestiae extendendum ad omnes praefatos tuae Majestatis subditos Catholicos et adhaerentes pro omni genere offensarum capitalium, criminalium, et personalium, et ad omnes facultates, res reales et personales, vectigalia, proventus principales, navium capturas, et reliquias reddituum sumptorum, receptorum, aut contractorum ab horum tumultuum exordio.

(81) " 17^o Cum praefati Majestatis tuae subditi Catholici multarum immanium crudelitatum nunquam ab ipsis patratarum insimulati fuerint, eapropter antedicti tuae Majestatis postulatōres se a calumniis vindicaturi et toti mundo palam facturi quantopere cupiant ut ejusmodi enormium criminum paena detur, eorumque authores justitiae severitati subjiciantur, supplicant ut omnia notoria homicidia, pactorum militarium violationes et inhumanae crudelitates ab utraque partium | commissa (si tua Majestas expedire judicet) in eodem Parlamento ad legum trutinam discutiantur, et quotquot deliquisse constabit praefato oblivionis acto excludantur pro demeritis puniendi.

696

(82) " Quandoquidem tremende Monarcha libertas recurrendi ad tuam Majestatem pro impetrandis gravaminum remediis hucusque nobis fuit interclusa, sed nunc demum (quae tua in nos clementia, gratia, et favor est) aperta manet, in dictae *Remonstrationis* persecutionem haec postulata humiliter praesentamus, quibus concessis dicti subditi tui sunt parati ad suppeditanda dena militum millia (sicut in eorum *Remonstratione* continetur) ad impiam nunc in hoc Regno rebellionem restinguendam et ulterius tuae Majestatis obsequio vitas ac fortunas consecrabunt, sicut occasiones postulaverint." Haec ibi.

(83) His legatorum postulationibus annexa Regique (ut hic indicatur) praesentata fuit gravaminum *Remonstratio*, quam
 696 conjecto fuisse illam, quae 17^o Martii 1643 Regis | commissariis
 v Trimmiae apud Iberniam a Confaederatorum Catholicorum
 syndicis tradita, Regique tunc missa suo loco superius collocatur,
 ideoque hic depraecandae prolixitatis ergo a me non repetitur.
 Porro haeretici Anglici et Scotici et his nati ac prognati per
 Iberniam in variis regni praesidiis et tractibus dispersi licet
 sectarum haeticarum diversitate, partium studiis, voluntatum
 propensionibus et rei augendae viis inter se discordarent, in
 Catholicos tamen ipsis inter se optime convenit, et juxta Regis
 Jacobi antiquae Britonum Anglorum et Scotorum antipathiae
 occursuri legem, qua cautum ut Anglia, Scotia et Wallia uno
 Magnae Britanniae nomine significarentur, se unionis stringendae
 causa Britannicos Iberniae incolas vocitabant, et ad Regem
 eodem tempore procuratores, Guillelmum Ridgewaium, Fran-
 ciscum Hamiltonum, Equitem Baronettum, Michaellem Jonium,
 centenarium, nec non Fentonum Parsonum allegarunt, ac per
 697 libellum supplicem 18^o ejusdem Aprilis anno 1644 Regi prae-
 sentatum, | nec non multorum haeticorum jam dictorum
 calculis munitum, Catholicos caepti in Ibernia belli malorumque
 omnium in bello natorum ac praesertim suis partibus illatorum
 velut tot latrociniorum et homicidiorum voluntariorum accusar-
 unt, rogantes ut sua suorumque damna Catholicorum expensis
 resarcirentur et Catholici paenas severas darent. Cui libello
 supplici alios tenebriones subscripsisse ferendum est. Sed
 Georgium Geraldinum, Kildariae Comitem, familiae in Iberniam
 tam celebris ex Anglia quidem ante aliquot saecula oriundae
 sed Catholicae coryphaeum, non solum se illinebulonum colluvioni
 associasse, sed etiam omnium primum manum apposuisse quis
 non doleat? Sic ille haeticorum laqueis irretitus et eorum
 dogmatibus imbutus a contribulium virtute miserandum in
 modum degeneravit.

(84) Inter Confaederatorum Iberniae Catholicorum oratores
 et praefatorum haeticorum procuratores, Rex velut aequus
 697 ambarum partium arbiter pro tribunali sedens, improbo labore
 v in eo desudavit, ut eorum postulata ex diametro | opposita com-
 poneret. Sed demum haeticorum artificii ac violentia occu-
 patus adduci non potuit ut justissimis et plus nimio sobriis
 Catholicorum votis acquiesceret. Quare Muscrius, aliique ejus
 in ea legatione obeunda collegae superius nominati, postquam
 Martio, Aprili, et Maio Oxoniae in Aula regia Iberniae causam

incassum egissent, mense Junio ita ex Anglia in Iberniam remigrarunt ut Rex per mandatum die ejusdem mensis Junii 24 anno 1644 Bukingamiae datum proregi Ormonio pacis cum Confaederatis contrahendae fecerit potestatem, ratus illas tricas ab eo quam a se et Iberniam quam in Anglia melius expediendas. Porro Comitis titulum Muscrio a Rege tunc fuisse oblatum sed Muscristum recusasse tradunt.

(85) Sincera Catholicorum Iberniae pars, ubi hujus legationis eventum perpendisset, plus solito persuasum habuit Ormonicam inter Confaederatos factionem per hanc legationem in id praesertim animum intendisse, ut Rex praefata pacis in Iberniam tractandae | autoritate ipsorum Ormonium muniret, haud dubitantes quin his clandestinis molitionibus fieret ut ipsi et eorum Ormonius magis magisque dominarentur. Hujus conjunctionis tam speciosis praetextibus foris velatae et tam perniciosas conatibus clam contentae nonnullam nobis praebet notitiam S. Walterus Enos, S. Theologiae Doctor, in illis suae patriae rebus versatissimus.

698

(86) "Eodem (inquit) anno 1644 idem Ormoniae Marchio ad Majestatem regiam ex Iberniam scripsit eam rogans ut si legati Faederatorum, qui tunc in Anglia cum eadem Majestate de pace ineunda tractabant, in quas libuerat, non descenderent conditiones, ad ipsum in Iberniam eos remitteret, ad quas vellet ipse Ormonius ipsos pertracturum conditiones. Quod in se suscepit. Insolens sane subditi praesumptio, qui sibi quam Rex ipse plus in subditos assumpsit potestatis. Epistolam hanc in musaeo Digbaei, qui tunc Regi a secretis erat, legati Faederatorum reperientes ad Concilium Supremum in Iberniam miserunt, ut futuras Ormonii ex praesenti praevidens | machinationes sibi Faederatisque Catholicis praecaveret. Ex bauili autem incuria factum ut cadens epistola prius ad ipsius Ormonii quam Concilii manus pervenerit. Quam ut perlegerat Ormonius ad Concilium Dublinio Kilkenniam misit cum hac superciliosa animadversione: *ex inclusis jam video legatos vestros evasisse politicos. Vos quo caepistis, pergite gressu. Ego insistam meo.* Haec perillustris D. Nicolaus Plunkettus ex legatis unus. Quod ante cum auctario scripsit ad Stephanum Hore, civem Dubliniensem, Doctor expertissimus, olim ipsi excellentissimo D. Ormonio Medicus (Edmundus Meara). Haec in consiliariis Faederationi Catholicae parum fidis Ormonii confidentia basis erat et memoratae jam praesumptionis fomentum. Quod autem temerarie susceperat per omne nefas effectui dare sategit, nec spem ejus

Just.
cap. 12
num. 10698
v

quantumvis exorbitantem fefellit infaelix illa Concilii pars laica, quae ei vel cognata, vel mercenaria, vel mancipium fuit. Ejus
 699 enim vestigiis, | documentis, et moliminibus pertinaciter insistens Dei gloria, religionis restauratione, Summorum Pontificum monitis, Regis restitutione, et patriae incolumitate postpositis penitusque rejectis, unius Ormonii, haereticorum coryphaei et fidei Catholicae hostis identidem jurati consiliis obsecuti sunt et mandatis, de cujus partis inconcussa erga ipsum observantia et fidelitate aequae ac de sua erga seipsum certus fuit et securus, ut anno 1642 in ipso sanctiori Concilio Dublinii publice praedicaverat, sicut testantur illi, qui tunc Concilio aderant pro
 loqui videtur de
 Archiepiscopo
 Dubliniensi,
 Franciscano et
 Baronis
 Slanensis filio.
 suis captivis amicis libertatem implorantes. Hoc perspiciebat religiosus zelosissimus, natus D. Baro de Slane, ingenti
 dixit: Perimus, actum est, et de Dei causa omnis mihi jam excidit Religionis restaurandae spes, dum tales in collegium Supremi Concilii cooptantur, qui Ormonio serviliter et despotice famulantes, omnia ad ejus nutum agunt et peragunt.

(87) "Hinc est quod licet jam eadem pars laica Concilii ex epistola Ormonii supralibata ejus molimina intellexerat, et ipsum apud suam Majestatem, ne Faederatorum Legati cum
 699 ipsa | Majestate legationem absolverent, remoram posuisse, v ipsosque legatos tot in Anglia subiisse pericula quot inibi commorati sunt horas, pro comperto habuerat, licet porro ex ore legatorum totum Concilium Majestatis monita, redeundi scilicet in patriam pugnandique tam pro Rege quam pro se ipsis, superatoque armis utriusque partis hoste suas tandem instituendi et firmandi pro religione et libertate conditiones, intellexerat, nihilominus neglectis Regis monitis, contemptaque injuria illata, futurum periculum minime praecaventes, cum eodem Ormonio pacis tractatum infaelici omine renovarunt viri consulares, continuataque et iterata armorum cessatione, omnia ad religionem, Regem et patriam spectantia pessunderunt." Haec ille.

Just.
 cap. 9.
 num. 12.
 700 (88) Idem etiam author: "Rex ipse (inquit) anno 1644 Faederatis Catholicis illatas non valens vindicare injurias (jam enim comitiales perduelles omnibus dominabantur) legatis eorundem Faederatorum ex Ibernia in Angliam missis aperte dixit (testantibus iisdem legatis | nominatissime vero Nicolao Plunketto) ite, redite in patriam vestram, pugnate pro me et pro vobis ipsis, superatoque utriusque partis hoste vobis ipsi pro religione et subditorum libertate praescribite leges. Siquidem penes me non est aut injurias vobis illatas resarcire aut securi-

tatem vobis a grassantibus in me ipsum et vos praestare." Haec ibi.

(89) Observa, lector, quibus gradibus Ormonius sua inter Confaederatos Iberniae Catholicos factione fretus eadem Confaederatione Catholica usus est tanquam medio, quo ipse totius Iberniae clavum Regis mandato teneret. Nam 1°. Belli anno 1641 Rex eum, tanquam ad eam factionem sollicitandam maxime idoneum, in suarum apud Iberniam copiarum haereticarum imperatorem cooptavit. 2°. Factione illa deinde clandestinis machinationibus ab Ormonio constuprata, Rex ei cum Faederatis Iberniae Catholicis inducias ad annum contrahendi fecit anno 1643 potestatem, per quas tunc (factione illa inter Confaederatos suis occultis molitionibus speciosissimarum rationum farraginem praetendente) contractas stetit victoriarum catholicarum cursus, et Ormonius | atque Ormonistae viam sibi ad factionis scopum valentius assequendum straverunt. 3°. Rex experientia compertum habens quanta apud illam numerosissimam et potentissimam Confaederatorum Iberniae Catholicorum factionem Ormonius autoritate polleret, extincto duumviratu Ormonium ad ineuntem annum 1644 in Iberniae Proregem ascivit. 4°. Rex auditis Confaederatorum oratoribus Ormonium pacis cum Confaederatis in Iberniam contrahendae mandato die 24^a mensis Junii anni 1644 dato munivit. Sic ille suae inter Catholicos factionis opera regis afflicta conditione atque indigentia abusus totam regni autoritatem Anglicis aerscatoribus paulatim extorsit, tanquam Regi in Iberniam maxime profuturus, cui tamen re ipsa plurimum nocuit, praestigiatorum omnium a mundo condito coryphaeus. Nec Ibernis, nec Anglis, nec Scotis, nec Wallis, nec Protestantibus, nec Presbyterianis, nec Independentibus tanquam scopo principali (ut videtur) addictus, sed omnibus usus et abusus ut rebus suis consuleret. Porro ex iis, quae jam | vidimus et in narrationis progressu videbimus, constat praefatae legationis Principem, Muscrium, Ormonii sororium, aliosque ejus collegas sed non omnes Ormonio studuisse, proindeque parum dubitandum est quin Regem pro virili ad Ormonium nova illa autoritate muniendum induxerint, idque a sua Ormonistarum factione in monitis secretis habuerint.

(90) Legatis re infecta in Iberniam reversis et legatione Concilio Supremo relata convocatisque Kilkenniam Generalibus regni Comitibus ab his mense Julio Faederis Catholici sacramentum reformatum et renovatum est. Quod mihi ex Anglico latinum occurrit his verbis:

700
v

701

"Juramentum Associationis renovatum in Comitii Generalibus die 26 Julii 1644.

701 (91) "Ego A.B. profiteor, juro, et voveo coram Deo, ejusque
v Sanctis et Angelis, quod durante vita mea veram fidelitatem
et observantiam praestabo augustissimo Domino meo, Carolo,
Dei gratia Britanniae, Franciae, et Iberniae Regi, ejusque haeredi-
bus et legitimis successoribus, et quod | durante vita mea,
quantum potero, defendam, fulciam, et asseram ejus et eorum
justas praerogativas, fortunas et jura, potestatem et privilegia
hujus regni, leges fundamentales Iberniae, liberum exercitium
Romano-Catholicae Fidei et Religionis per universam hanc
Regionem, salutem, justas libertates, possessiones, fortunas
et jura omnium qui emiserunt aut emittunt hoc juramentum
et observabunt, quae in eo continentur. Et quod obsequar et
rata habebo omnia statuta et decreta facta et facienda a Supremo
Concilio Confaederatorum Catholicorum hujus regni spectantia
ad dictam causam publicam, et quod non petam directe aut
indirecte ullam condonationem aut protectionem pro aliquo
acto, facto aut faciendo, spectante ad hanc causam generalem
sine consensu majoris partis dicti Concilii, et quod non faciam
ullum actum aut acta directe aut indirecte in praejudicium
dictae causae, sed hanc eandem cum periculo vitae fortunarumque
mearum adjuvabo, prosequar, et sustentabo. Sic me Deus
adjuvet et sanctum ejus Evangelium."

702 (92) In iisdem etiam Comitii eodem die decretum ut hoc |
Juramentum ab omnibus Iberniae Confaederatis susciperetur.
Eodemque acto declaratum fuit perjurium esse faederis jura-
mentum cum aequivocatione aut mentali reservatione suscipere.
Quare Comitii decreverunt ut omnes sic acturi vel docturi
tanquam perjuri punirentur. A quibus etiam Comitii 20 Julii
et 10 Augusti decretum ut legatis antea ad Regem missis atque
in Iberniam reversis, Archiepiscopus Dubliniensis, Antrimius,
Montgaretti Vicecomes, Richardus Everardus census Equestris,
nec non Patricius Darcus et Joannes Dillonus, Armigeri, associa-
rentur, omnesque Dubliniam destinarentur, ibique cum Ormonio
Prorege de pace contrahenda agerent, vel inducias prorogarent.
Cumque pacis negotium haud expeditu adeo facile esset et
induciarum mense Septembri 1643 contractarum finis imminerat,
illae cum Ormonio protractae sunt. Cui tamen in hoc pacto
non nisi sua Lageniae praesidia adhaeserunt, caeteris haereticis
apud alias regni provincias Parlamentum Anglicanum in Regem
secundantibus.

(93) Insequinnius enim, qui haereticorum praesidiis in Momonia praeerat, quique induciis anno superiori celebratis subscripserat, armorum cessatione tunc anno 1643 pacta, cum vires haereticas in Angliam trajecit, Regi in Parlamentum militaturas, inter alia sperans futurum ut ipse a Rege in Momoniae Praesidem assumeretur. Quod officium ejus socer ad primos belli annos mortuus obierat. Rex Insequinnii fratrem, Henricum O'Brien, in tenella aetate germani atque aliorum haereticorum artificii haeresi contaminatum, quem Insequinnius viribus illis Anglicanis praefecerat, cuidam in Anglia praesidio praeesse jussit, sed ipsi Insequinnio nec Momoniae praesidis Provinciam nec alia spei ejus respondentia decrevit. Rumor etiam valida presumptione nixus percrebescebat illud Praesidis officium Muscrio, cujus avus maternus, Tomoniae Comes, id proxime ante Insequinnii socerum tractaverat a Rege et Ormonio fuisse destinatum, Confaederatis etiam Iberniae Catholicis, praesertim Ormonistis, illud munus Insequinnio hosti haeretico et tam degeneri invidentibus, sed id Muscrio affectantibus, proindeque vix pacem contracturis | nisi ea lege ut Muscarius praeferretur. Qua forsane spe nedum aliis incentivis lactatus Muscarius Ormonio et Ormonistis tantopere cohaesit. Itaque Insequinnius illius officii a Rege assequendi spe dejectus, et tanto tantique competitoris favore ac praevalendi viis ejus undique apertis ad plenam illius magistratus a Rege obtinendi desperationem actus, parumque dubitans quin pace inter Regem et Iberniae Catholicos semel contracta, ad quam propediem celebrandam currebatur, ipse etiam praefectura militari, quam nulla autoritate publica sed privata ambitione tumultuaria militum haereticorum pene coactorum ratihabitione, et iniquissimorum temporum favore in aliquot Momoniae praesidiis usurpaverat, abdicaretur, ac suo patrimonio vix ad sustinendum suum Baronis locum sufficenti contentus esse juberetur, avaritia et dominandi aestu flagrans ad Parlamentum Anglicanum, a quo ambabus ulnis exceptus est, defecit, illaque Momoniae praesidia eorum obsequio ea lege dedicavit, ut ipse in illis sub eorum imperio dominaretur, | effecitque ut frater illud Angliae praesidium, cui a Rege praefectus fuerat, iisdem rebellibus prodiderit. Quam Insequinnii defectionem paulo ante adoratus Coppingerus, praetor Corcagiensis, arrepto gladio regio Dubliniam profectus Ormonio, illud praeturae insigne, sibi ac decessoribus a lictoribus praeferri solitum et si quos alios magistratus sui fasces habebat, tradidit, apertisque ei imminenti defectionis Insequinnianae argumentis institit ut tantum malum in ipso partu praefocaret. Quem

702
v

703

703
v

Ormonius in censum equestrem retulit, et Joannem Rochaeum, sanguinis senatorii civem Corcagiensem, Coppingero in ea praetura suffecit. Cujus vigilantia flocci facta Insequinnius, sicut Coppingerus Ormonio retulerat, ad Parlamentum transitionem fecit.

(94) Interea Muscrius operam dedit ut civium Catholicorum interventu Corcagiam stratagemate occuparet. Quam suam mentem R. P. Francisco O'Mahonio, Franciscano Corcagiensi, aperuit, rogato ut haereseos Corcagia eliminandae et civitatis ab haereticorum tunc rebellium et Puritanorum jugo in primaevam libertatem Catholicam asserendae studio tam sanctum
 704 opus | sua apud concives fide atque industria secundaret. Muscrii ergo et aliorum Confaederatorum Catholicorum votis, dum P. Franciscus magna in Deum, Regem, et patriam fide impulsus adesse conaretur, Insequinnius consilium illud expiscatus eum in vincula et carcerem contrudi jussit. Qui postea ad iniquissimum rebellium et Puritanorum tribunal raptatus, artificiosissime agitatus, atque inhumanissime tortus, ut ei veritas aliis e clero populoque Corcagiensi nocitura extorqueretur, ingenue fassus est suum Deo, Regi, et patriae in ea causa obsequendi studium, ob quod immani carnificina pedetentim dilaniatus, millena in uno martyrio martyria constantissime et gloriosissime pertulit Corcagiae, urbe nativa, hoc anno 1644. Quin etiam in cives Catholicos tantopere coronae Anglicanae fideles ut ipsius Insequinnii socero Momoniae Praesidi haeretico ejusque viribus pariter haereticis et Anglicanis Corcagiae portas ad hujus belli initium suapte sponte aperuerint, nec alia via quam hac factum ut hactenus sub eorundem haereticorum tyrannide gemuerint, adeo crudeliter saeviit. Tunc Insequinnius, ut nequid in Confaederatorum Iberniae Catholicorum aut Regis favorem molirentur, eorum, | praesertim primorum, quina circiter millia urbe deturbarit, expilatis magna ex parte illorum bonis et aedibus in colluvionem militarem ex Anglia advectam atque haeresi infectam distributis. Ex quo tempore Religio Catholica Corcagiae succubuit haeresi, quae ibi nunquam antea triumphum confecerat. Porro Corcagienses partim in vicinas Momoniae urbes atque oppida Catholica se receperunt, partim Mocromiam, Muscriae emporium, refugerunt, ubi eos Muscrius humaniter et liberaliter tractatos ad posteriores belli annos protexit, eorumque non pauci Killarniae atque in aliis comitatus Kierriensis locis pedem fixerunt. Denique Corcagienses pene omnes partim ante, partim tunc, partim paulo post, illa urbe sua exularunt.

(95) Dixi subsidiorum ab Insequinnio post inducias anno 1643 contractas Regi transmissorum exitum. Jam ad Ormonium deflectat narratio. Qui illa armorum cessatione anno 1643 pacta et ipse vires sub se apud Lageniam in praesidiis ei morem | gerentibus stipendia facientes magna ex parte in Angliam trans-
misit castra regia secuturas duce Munko, qui cum suis militibus a Rege ad obsidionem Nantvici amandatus hoc anno 1644
“*voluntariam* (sunt Doctoris Enos verba) passus est cladem a suo contubernali chiliarcho Jones, quem Ormonius ita ex sua legione dimisit ut ejus tamen salvo conductu munitus fuerit, postmodum a comitatibus benigne exceptus et ejusdem civitatis Nantvici constitutus Gubernator. An Ormonius in hac militum ac ducum electione et in Angliam traiectione in Regem peccaverit judicent qui arcana illa magis penetrarint. Quis enim non videt eosdem in subsidium Regis remittere in Angliam milites et duces, quos ab ipsis Comitialibus acceperat, a quibus tam ipse quam milites ipsi et Duces stipendium acceperant, aliud nihil esse quam ad Comitiales re ipsa eos mittere, quos ad Regem mittere simulabat.” Haec ille.

705

Just.
cap 11.
num. 5.

(96) Quod ad Scotos in Ultonia late dominantes | attinet, illi, rejectis illis Iberniae induciis suae Scotiae et Parlamentariis Anglicanis quia cum Scotia faedere conjunctis adhaerentes, in Regem pariter atque in Iberniae Catholicos bellarunt et rebellarunt. Praeter has, quas dixi, haereticas partes in Ibernia positas, fuere et aliae sed viribus inferiores, nempe Londonderii, frequentis in Ultonia emporii, municipes Anglicani, nonnullaque ejusdem nationis apud eandem provinciam et Conaciam praesidiola, quorum alia citius alia tardius ad Parlamentum Anglicanum similiter defecerunt.

705

v

(97) Ex his (quae vidimus) colligere est quanto causae Catholicae damno induciae mense Septembri anno 1643 in Ibernica contractae fuerant. Nam Faederati Iberniae Catholici triginta amplius librarum sterlingarum millia tunc Regi seu potius Ministris regiis, meris aeruscatoribus, numerarunt, secus non numeranda sed in haereticis apud Iberniam debellandis utilissime collocanda. Deinde pendente induciarum anno legati ad Regem in Angliam maximis regni sumptibus missi sunt in eodem triumpho Catholico faelicus | conficiendo secus ponendis et in eam legationem haud alio pene Catholicorum emolumento impensis, quam ut Ormonius et Catholicorum factio ei clanculum studens machinis ex utraque parte sagaciter adhibitis eo loci negotium traherent, ut Rex tanquam proprii commodi rationem

706

ducens Ormonium in Iberniae Proregem et pacis cum Confederatis paciscendae commissarium cooptaret. Quod totum ad Ormonii et Ormonistarum votum quidem successit, sed in causae demum Catholicae excidium. Praeterea ille induciarum annus latum Ormonio et Ormonistis stringendae arctius conjurationis januam hostilitate continuata occludendam aperuit. Denique (ut alia plurima damna per illas inducias Catholicis illata per singula capita non recenseam) ea armorum cessatione factum ut Catholici gravissimam fecerint jacturam anni longe pretiosissimi, quo haereticos in Iberniam animam agentes magna ex parte domassent praesertim minimam vel omnino nullam interea recepturos opem a Rege, Parlamentariis, et Scotiae Calvinistis, quod hae tres partes ingenti hostilitatis aestu alternantibus belli domestici vicibus se invicem interibi dilaniassent. Porro similes rationes demonstrant inducias etiam postea Ibernis plurimum nocuisse.

(98) Haereticis illis in Ultonia rebellibus suos fratres, |
 706 Calvinistas Batavos haud parum adfuisse colligere est ex Calvi
 v epistola 19 Januarii 1644 Amsterodamo Londinum ad Guillelmum
 Basilium missa, quorum duorum Guillelmus Londini et Calfus
 in Hollandia praefatorum haereticorum in Ultonia rebellantium
 res procurabant. "Scias (inquit Calfus) non esse nobis liberum
 nostra negotia aliis communicare quam commissariis Parlamenti.
 Propterea non possum ita tuae expectationi morem gerere si
 tibi commissa sunt negotia Iberniae ab iis, qui praeficiuntur
 gubernio. Londonderiae, Deputati pro rebus Ibernicis possunt
 te instruere de potestate nobis data. Non defuimus officio
 nostro, sed afflictis fratribus transmisimus pecunias statim
 atque collectae sunt. Res grandis est quae pro iis fit. Deus
 in misericordia faciat eos gratos. Hujus nuncius te certiore
 facio, nos hic et nunc habere duas naves onustas victualibus
 optimae conditionis quae grandes sunt naves singulae ut minus
 300, 350 *tunнарum*. Destinantur Londonderiam. Deus in
 misericordia eas salvas conducat. Nullum perdidimus tempus
 ad eas expediendas et speramus brevi eo perventuras ad solandum
 desolatos ac pauperes fratres. Subsidia antea data splendida
 707 erant. Etiam nova subministrabuntur | brevi. Placuit Deo
 aperire corda hujus populi ad exercendam magnam liberalitatem.
 Est opus Dei et cupio Deo grates agantur . . . subsidia data
 excedunt quindecim millia librarum sterlingarum atque adhuc
 sperantur magna." Haec ille, quae mihi hunc in modum
 communicata sunt. In hos haereticos apud Ultoniam grassantes

conscriptus fuit maximis regni impensis exercitus, sed detestandis adeo Ormonii artificiiis ut expeditio ad nihilum recederit, de qua re Doctor Enos : " Anno (inquit) 1644 inita Ormonium inter et Laicos consiliarios conspiratione mittitur Comes *de Castellhaven* (Portu-Castellanus) in Ultoniam contra rebelles Scotos, suspectus in rebelles Anglus, qui ne tesseram quidem militarem Ibero exercitui (lingua Ibernica) dure poterat et ad rem militarem minime aptus, acceptis a Comitibus (Parlamentariis) in Anglia documentis, ineunte bello in Iberniam redierat, et ubi jam armenta sua omnia et bona mobilia Dublinii perduellibus legaverat, fugam inde simulans, re tamen ipsa ab Ormonio ut explorator, seductor et Faederatorum proditor, missus, ad regiones faederatas pervenit, ab Ormonistis, consiliariis, honorifice exceptus magna | et magnifica promittit. Quae omnia in horrendas demum resolvuntur proditiones. In hac expeditione utrumque Scotum et Anglum perduellem contra quem exercitus movebat protexit et Faederatos, quorum exercitum ducebat et a quibus honorarium diurnum accipiebat, aggrediens Carolomontis propugnaculum, cui praeficiebatur Felix O'Nellus, eques auratus, Faederatis extorsit, et ubi jam sexaginta librarum Anglicanarum millia in illius exercitus sumptus exacta essent, fugiens nemine persequente Eugenium O'Nellum Ultoniae Generalem et Gubernatorem, cum suo militum manipulo intra hostium fauces reliquit devorandum. Laesae post Majestatis et Faederationis Catholicae ab eodem Eugenio O'Nello in Comitibus regni Generalibus dilatus, et in publica audientia maxime vero ob Carolomontis propugnaculi ad faederatos pertinentis expugnationem convictus, (inquit Vicarius Generalis exercitus Ultoniensis) supremum evasit supplicium iis justitiam ministrantibus, qui proditionum fuere authores | et concionatores. Habuit Ultonia milites si qui in orbe terrarum praestantissimos. Habuit Generalem excellentissimum D. Eugenium O'Nellum, a tota Provincia electum et per Comitibus Generalia plena constitutum potestate, militem militari experientia et fidelitate paucis Europaeis secundum. Unde ergo, quave autoritate adventitius ille stratiotes aequae infidus atque imperitus in locum Eugenii fuerit suffectus. Imprudentiam Ultoniensium talem proditorem admittentium nunquam satis demiror. Ob praestitum tamen Ormonio caeterisque hostibus haereticis hoc anno obsequium anno insequenti copiis in Momonia Faederatis, cervus leonibus, praeficitur." Haec ille.

(99) Ad pacis cum Ormonio contrahendae negotium redeo.

Just.
cap. 12.
num. 12.

707
v

708

Cui haud leve obstaculum creare poterat intricatus latifundiorum Ecclesiasticorum, partim a multis Catholicis ante caeptum bellum antiquis titulis a Corona Anglicana in haeresim lapsa derivatis possessorum, partim hoc bello Catholico haereticis ereptorum, nodus quem, quo pacto Urbanus VIII. ad annum superiorem solverit, | ibi tradidimus. Nunc autem superest ut hic addamus aliam eodem spectantem ejusdem Pontificis decisionem Scarampo Ministro Apostolico notis arcanis 4^o Aprilis hoc anno 1644 a Cardinale Barberino Italice significatam: "Censetur (inquit) pariter necessarium ut monachis Benedictinis et Canonibus Regularibus nec non omnibus aliis regularibus interdiciatur usurpatorum ante ab haereticis monasteriorum recuperatione, quae ipsi sibi vindicare cupiunt. Quos propterea omnes Dominatio vestra monebit ut antequam istam praetensionem moveant, ejus movendae licentiam obtenturi ad Sedem Apostolicam recurrant, non obstante quocunque privilegio eorum Ordinibus concessa, cui sua Sanctitas hac ex parte derogat, eidemque Dominatio vestra poterit autoritate Apostolica derogare omni casu, quo necessitas ei incubuerit, ut cum ipsis procedat per viam monitionis judicialis." Haec ille.

(100) Itaque pacis conclusio hac ex parte videbatur | facilior, quae tamen ex altera parte eo difficultatem patiebatur, quod nec Catholici bonorum Ecclesiasticorum possesores suapte sponte illa restituerint, nec Pontifex ea illis transcripserit, sed sententiam in cleri favorem distulisse et congruam ejus exequendae occasionem expectasse videretur, quo factum ut possesores multos Ormonistas causae Catholicae per vias occultas haud parum praejudicasse fidem habeat Ecclesiae Ibernicae restitutionem in integrum et plenam haereseos extirpationem retardantes, quia metuentes ne ipsi triumpho Catholico confecto bonis illis excuterentur. Quare meo judicio non solum conscientiae legibus sed etiam prudentiae politicae dogmatibus Confaederati ab initio melius satisfecissent, si praedia Ecclesiastica (exceptis quae Cardinalis Polus iniquis possessoribus confirmaverat, quorum titulos hic in medio relinquo) plane omnia Monachis aliisque Regularibus, et Canonicis Regularibus ac e clero reliquis, quorum essent, restituenda curassent. Hac enim | ratione laici possesores forsitan Faederi Catholico nomina non dedissent, proindeque vel exulassent, vel Dubliniam ad suum Ormonium refugissent, vel neutrales se ita domi tenuissent ut ad publica Reipublicae munia non assumendi, minus, imo nullo modo, causa communi per vias clandestinas obfuissent.

Verum aliter per eorum atque aliorum Ormonistarum instrumenta Sedi Apostolicae significatum fuit, illaque velut pia mater postulantium votis si non ex toto certe ex parte (sicut vidimus) acquievit, persuasum habens sic futurum ut sic ipsi etiam bonorum Ecclesiasticorum possessores causam Catholicam strenue promoverent, et secus in ejusdem causae praejudicium discordarent.

(101) Ubi Commissarii a Comitibus Generalibus anno 1644 celebratis ad pacem cum Ormonio contrahendam electi Dubliniam ea mente perrexissent, easdem propositiones Oxoniae in Anglia Regi praesentatas Proregi praesentarunt, aliasque quatuordecim addiderunt. Quarum quatuordecim septima Confaederati "*postularunt* (sunt verba Doctoris Enos) ut gens Scotica | et alii, qui in regno Iberniae armorum Cessationi ab ipso Ormonio cum Faederatis initae morem non gesserunt, aut *qui pactum sive Presbyterianum Juramentum* praestiterunt, denunciarentur perduelles et ut tales Majestatis autoritate armis impeterentur, ut etiam comitatus et municipia eidem armorum cessationi se non submittentia juxta Majestatis mandatum nullos ad Parlamentum (in Iberniam celebrandum) permitterentur delegare deputatos. Respondet Ormoniae Marchio potestatem concludendi pacem ei a Majestate concessam non se extendere ad postestatem tale contra perduelles promulgandi edictum aut eos (paenis) prosequendi ut postulatum est. Ad ultimam propositionis partem respondet talem prohibitionem minime consistere cum conditionibus liberi parlamenti. Nugatoria sane (absit veritati injuria) ne dicam proditoria responsio illis unis satisfaciens, qui cum Prorege pari in rebelles haereticos favore feruntur et in Majestatis ruinam omnia machinantur. Quasi vero de | ratione liberi parlamenti esset ut contra Majestatem rebelles, ejusque fidem Faederatis armorum cessatione datam violantes (quales tunc fuerunt Scoti in Ultonia, Edmondus in Lagenia, et Insequinnius in Momonia) vel in Parlamento aliquo sederent vel ad illos deputatos legarent, qui potius velut Majestatis et Parlamentorum hostes rejiciendi et ultimo supplicio afficiendi essent. Sed habuit Ormoniae Marchio (jure vel injuria) potestatem ejusmodi rebelles sub induciarum et pacis tutela protegendi, illos autem easdem inducias aut pacem et consequenter Majestatis fidem temerantes puniendi potestatem non habuit. Has propositiones exhibuerunt Faederati Ormonio anno 1644, quo tempore et Proregis et regii pacis tractandae commissarii munere fungebatur. Si ergo in

710

Just.
Cap. 12.
Num. 7.710
v

711 qualitate regii commissarii tale edictum contra rebelles publicare non poterat, in qualitate certe Proregis poterat, cui a Majestate regia | plena et perfecta concedi solet potestas quot-quot in toto regno sint delinquentes pro delicti gravitate puniendi. Sic enim factum est temporibus retroactis non tantum a Proregibus sive vicegerentibus Regum sed ab ipsis Deputatis generalibus, qui quandoque subsunt hujusmodi proregibus. Sed et factum post inchoatum bellum a primariis Justitiariis, Parsono et Burlacio, oculis nostris vidimus, injectisque vinculis persensimus, ipsaque illorum mandata et edicta cruenta contra Catholicos non tantum ab ipsis justitiariis sed ab ipso etiam Ormonio subscripta vidimus et legimus suis locis publicanda. Sed forte hujusmodi mandata suum habent vigorem contra Catholicos duntaxat, qui fidelitatis juramentum erga Majestatem praestiterunt, non vero contra rebelles haereticos, qui de facto pro Presbyteriano Parlamento (Angliae) contra Regem praestiterunt juramentum. Sic enim volunt haeretici et Caco-Catholici, qui omnia inverso ordine volentes, omnia susque deque evertunt. |

711 (102) "Nec meliorem reddidit idem excellentissimus D.
v Marchio responsionem octavae huic Faederatorum propositioni, qua postularunt, ut qui in Anglia arma contra Majestatem sumpserunt vel parti malignae armis Majestatem inibi insequenti adhaeserunt et in Ibernia latifundia aliosve possessiones habebant, alique quorum nomina faederati Majestatis postularentur processuque juridico ad capitis damnationem et bonorum ac possessionum in Majestatis commodum et usum confiscationem impingerentur. Ad haec respondit idem Majestatis *vicegerens*: Quando horum nomina exhibebuntur, ea quae videbitur, ratio habebitur. Bella equidem et gerentis vicem Majestatis digna responsio, cum ipsemet et personas et personarum nomina perduelles eorumque perduelliones assidue et publice patratas non minus noverit quam ipsi Faederati Catholici, quas propterea laesae Majestatis postulas coram Majestatis Justitiariis sive iudicibus in sub-
712 selliis Regis prosequendas sub paena laesae Majestatis | curare tenebatur. Verum dum expectat nomina aliorum eia Faederatis danda, quare in reliquos tribus regnis notos et aperto Marte aequae in Ibernia ac in Anglia contra Regem pugnantes aut malignae parti adhaerentes non animadvertit? Sed qui fieri posset ut in hujusmodi taliter animadverteret, qui iis non tantum favebat, sed ad rebellionem etiam concitavit ut supra ostendimus. Longe aliter se gesserant ipse Ormonius, Parsonus, Barlacius, caeterique Dublinium incolentes, qui se Ministros regios vocarunt,

quando de processu juridico contra Faederatos instruendo agebatur. In id omnes tam justitiiarii quam iudices advocati (qui se regios vocarunt) graphiarii, officiales omnes incumbabant, ut Catholici omnes laesae Majestatis damnarentur, damnatique (eorum bonis et possessionibus fisco regio addictis) ultimo afficerentur supplicio. Illud perlepidum erat videre justitiiarios, iudices, advocatos, graphiarios, caeterosque rerum forensium officiales, qui reipsa a comitialibus Angliae stabant, Majestatis tamen nomine, quam horrebant, | ejusque autoritate, quam rejecerunt, eosdem Catholicos laesae Majestatis (ad belli initium) criminantes postulantes et condemnantes, adeo ut Majestatis perduelles regium tribunal usurpantes Catholicorum et fidelium subditorum facti sint iudices, lictores, et carnifices, et quibus ipsismet utpote nocentes et perfidi plectendi essent suppliciis, iis plexerint innocentes et fideles Majestatis subditos. Et tamen a pseudo-Faederatis (Ormonistis) *Laudatur peccator in desideriis animae suae et iniquus benedicitur*. Ormonii enim facinora quantumvis turpissima summis efferunt laudibus." Haec Doctor Enos. Quibus ex eodem addo ipsum Ormonium in sua tunc ad tertiam Faederatorum Catholicorum propositionem responsione anno 1644 data pactum seu faedus praesbyterianum tanquam Monarchiae et pseudo-Ecclesiae etiam *Protestanticae* perniciosum damnasse, et agnovisse fuisse tanquam tale anno 1641 a mutilato Dubliniae Parlamento damnatum et prohibitum. Quare Ormonius, cum hoc anno 1644 ad Catholicorum postulationes jam dictas in haereticos Anglicos ac Scoticos apud | Iberniam Parlamento Anglicano adversus Regem et Catholicos militantes vel in Anglia rebellantes, sed in Ibernia latifundia possidentes, animadvertere noluerit, multis titulis jure merito culpandus est, cum iidem rebelles praefatum pactum seu faedus presbyterianum etiam juramento solemniter a se confirmatum susceperint, superius suo loco collocatum. Porro vel ex his ejus praestigiis cujus Confaederato Catholico colligendum erat eum illo animum intendisse non ut aequas cum Catholicis pacis condiciones contraheret, sed ut moras nectendo illos ea spe lactaret et millenis artificiis haereticos etiam in Regem rebelles servaret ac Catholicorum conatus enervaret. Reque ipsa ad alias eorum propositiones dedit responsiones similium technarum plenissimas, ad quas illi pariter ita replicuerunt ut negotiatio in prolixam ac contortuplicatam disceptationem iverit, cujus ille nodos a se dixit non expediendos nisi Rege consulto, a quo ut responsum acciperetur, pacis tractandae disceptatione intermissa, Faederatorum commissariis ea iterum Dubliniae 10 Januarii 1645

712
vPsal.
9.ibid.
Num. 4.

713

- 713 resumenda erat. | Interea Rex 15 Decembris 1644 ex Anglia
 v in Iberniam ad Ormonium Anglice scribens : " Molestè (inquit)
 fero relatam mihi a tribuno Barrio luctuosam, ad quam tua
 ipsius fortuna redacta est, conditionem, cui nec melius nec
 praesentius possum applicare remedium quam Iberniae pacem,
 cum illa pariter designata sit ad componendas istic res maximas.
 Quare tibi *praecipio* ut eam clam absolvas, ad quod praestandum
 mea (credo) mandata publica te sufficientibus monitis et facultate
 munient. Nihilominus te in hoc opere necessario magis anima-
 turus hanc adjunctam mea manu propria scribendam duxi.
 Quod ad actum Poyningianum spectat, te ad aliam meam episto-
 lam remitto. Quod autem ad Religionis negotium attinet, licet
 haud expedire judicaverim ut chartae, quam Brounus tibi tradidit,
 notitiam caperem, nihilominus tibi mando ut ob eam ipsi, nec
 non Vicecomiti Muscriensi et Plunketto, gratias agas singulares,
 eosque reddas certos nullam pacem absque illa concludendam
 et, modo ei insistant, illorum nationem generaliter et specialiter
 714 ipsos ex eo quod praestiterunt confortandos. Utque | liqueat
 hoc esse plus quam verba, per praesentes eis polliceor futurum
 ut (quod te praestare jubeo) leges paenales in Romano-Catholicos
 latae, modo pax contracta fuerit illique debitam obedientiam
 praestiterint, executioni non mandentur et ulterius fore ut in
 earum abrogationem lege firmandam consentiam, ubi Ibemi
 eam mihi, quam ad hanc rebellionem suppressendam polliciti
 fuerant, opem tulerint, et ad mea jura restitutus fuero. Verum
 leges contra Appellationes ad Sedem Romanam interponendas
 latae et lex *praemunire* vigeant. Hoc totum, quod cypris
 exaratum est, nemini praeterquam tribus jam nominatis com-
 municabis idque injungendo ut severas secreti leges observent.
 Iterum Iberniae pacem et suppeditandam mihi istinc opem tuae
 curae (sicut in ultima mea epistola privata tibi scripsi) acceler-
 andam commendo, et sic finem facio." Haec Rex, quarum
 litterarum, nec non aliarum ab eo ad ineuntem annum inferiorem
 circa idem negotium scriptarum et ibi inserendarum, fructus
 714 quam ipsi Regi nedum | Catholicis inutilis fuerit, rerum exitus
 v docebit. Eodem mense Decembri sed die 28 Regina Angliae
 (litteris a Supremo Confaederatorum Iberniae Concilio in Gallia
 acceptis) respondit per epistolam eodem spectantem Concilio
 Parisiis scriptam, quam hic Latine verto :

"Domini Consilarii.

(103) "Consolationem recepi singularem ubi ex litteris vestris
 intellexi generalem quam profitemini propensionem in regis

obsequium et in pacem cum protestantibus ejus partes sequentibus contrahendam. Porro vos reddere possum securos fore ut hac ratione nihil perdatis, nec non paeniteat quod hunc in modum processeritis. *Mandatum amplissimum* quod satisfactorius votis vestris Rex meo cognato, Marchioni Ormoniae suo proregi, miserat, vobis debet esse pignori securo sui desiderii Iberniae faciem tranquillandi et vos protegendi in pacifica fruitione *rerum omnium*, quae ad quietem vestram stabiliendam sint necessariae. D. Harteganus, vester in hac Aula (Gallicana) *Agens*, vobis | testificari poterit quanto ego animi zelo amplexa sim vias, quas 715 ille ad vestras discordias terminandas proposuerat. Quod si de eorum quae jam dictus cognatus meus, Ormoniae Marchio, vobis promiserit, firmitate quam desideratis evasuri sitis magis securi per Dominae et fratriae meae, Reginae Regentis, fideiusionem, hanc ego nunc vobis offero. De caetero mihi pergratum erit vestras subinde recipere litteras et audire quod semper magis magisque ad concludendam pacem et ad rem regiam promovendam, a qua bonum vestrum pendet, propendeatis. Et sic finem faciam Deum rogans ut vos conservet Domini consilarii. Parisiis 28 Decembris 1644."

(104) Hanc Reginae epistolam ab ipsa (credo) Gallice scriptam P. Scarampus, Minister Apostolicus, schedula notis arcanis Waterfordiae 17 Februarii 1645 data ex Ibernia ad Innocentium X. recens Pontificem Maximum in Urbem direxit, et Cardinalis Pamphilius Italice traductam alia schedula 8 Maii | 1645 ad 715 Archiepiscopum Firmanum, Iberniae Nuncium destinatum, Roma v Parisios direxit, quo factum ut ex ipsa Italica lingua a me Latine translata sit. Porro Scarampus tunc suae Sanctitati per Cardinalis Pamphilius manus tradenda notis pariter secretis eidem epistolae annexuit Italice, quae hic sequuntur :

(105) "Mitto (inquit) hanc epistolam ob duas causas. 1^o ad observandum Reginae animum omnino in pacem ita propensum ut de nulla conditione ad religionem quidem spectante agat, sed in dogma proponat quod totum Catholicorum bonum a pace cum Protestantibus celebranda dependeat. Quod autem ad me pertinet. Id mihi persuadere non possum cum futurum sit ut ea ratione hi de novo rerum omnium dominium arripiant. Hic Reginae animus in pacis tractatu promovendo perpendendus est, nempe ut sua Majestas quantocyus in Iberniam veniat. Nam hic strenue procurabit ut pax succedat. Suam et Reginae

716 Franciae fidem in securitatem offert. Quod magis probat eam ita pacem percipere ut ejusmodi cautiones, quam invalidae et brevi tempore | duraturae sint, non consideret. Quae si suae Sanctitati non arrideant (sicut Eminentia vestra mihi scripsit ipse non arridere) facile poterit efficere ut interveniatur et Reginae, quo se illi negotio non immisceat, Supremoque Iberniae Concilio, quo illam securitatem non admittat, rationes proponantur. 2^o ad ostendendam mentem primo Concilii Supremi deindeque Legatorum, qui, sicut se Oxoniae in Anglia ad contrahendam pacem invitatos fuisse dicebant, sic modo affirmant Protestantes suam Majestatem rogasse ut Comitem Ormoniae in Commissarium delegaret, cum tamen (sicut scripsi) verum sit Catholicos fuisse primos, qui pacem poposcerint. Interea autem inducias contraxerunt. Jam vero ex hac epistola liquet mandatum fuisse (Ormonio) missum non ut Protestantium sed ut Catholicorum (Ormonistarum) votis acquiesceretur. Ex quibus observationibus et ex paritate, cum qua in propositionibus praelo suppositis, quae (sicut Decembri superiori significavi) in monitis secretis restringuntur, potest intelligi illorum voluntas ad pacem valde propensa et | perpendi modus dandi suppetias *Catholicis* quidem sed non Protestantibus profuturas. De hoc ultimo articulo cum Ormon-
v
istis. Domino Secretario (Bellingo) agi poterit. Sed Eminentiam vestram obsecro ut suae Majestatis (Reginae) epistolam ipsum celet. Nam mihi a Concilio Supremo secreta communicata fuit. Sed mihi non communicavit apographum litterarum a sua Majestate (Regina) ad P. Hartegani instantiam et dictamen Regi Angliae scriptarum, quibus eum exhortata erat ut cum Catholicis pacem iniret." Hactenus Minister Apostolicus.

(106) Hoc anno 1644 cleri congregatio Kilkenniae habita decrevit nonnulla, quorum frustum ad meas manus pervenit his verbis.

"Ex decretis Congregationis habitae Kilkenniae 3^o, 4^o, 5^o, 6^o, et 7^{mo} Novembris 1644.

(107) "1^o loco ponitur decretum pro colligendis ex singulis diaecesibus immanissimis haereticorum facinoribus adversus Catholicos Iberniae perpetratis.

717 (108) "2^o Si quis clerus aut Regularis commiserit crimen laesae Majestatis apprehendi poterit ab officialibus et lictoribus Supremi Concilii, | si sit periculum fugae aut in mora, praesertim si suum ordinarium aut superiorem tempestive capi aut corrigi

nequeat. Talis tamen clerus, tam saecularis quam Regularis, sic apprehensus et detentus sistatur coram suo ordinario et superiore pro causa audienda, dicenda et diiudicanda.

(109) "5° Suadeant et publice doceant omnes praedicatores, tam saeculares quam Regulares, totius Regni praesens bellum adversus venenatos Puritanos et hostes fidei Catholicae pro religione, patria, et Regis juribus tuendis susceptum, justum ac licitum esse, et contravenientes praesumentesque contrarium praedicare aut proferre publice aut privatim habeantur pro infamibus, seditiosis, protervis Ecclesiasticae potestatis contemptoribus, reipublicae perturbatoribus, Puritanorum fautoribus, et de haeresi suspectis, plectanturque censuris Ecclesiasticis juxta ordinariorum ac superiorum discretionem. Similiter quicumque illi sint ecclesiastici aut laici, qui se opponunt Congregationis generalis Iberniae aut Supremi Concilii ordinibus, statutis, aut mandatis pro republica tuenda et regenda sancitis et cum Canonibus et sanctionibus Ecclesiasticis non pugnantibus, habeantur pro factiosis, reipublicae perturbatoribus, | contra legitimam potestatem murmurantibus, et seditiosis, et pro ratione delicti puniantur graviter juxta ordinariorum et superiorum discretionem.

717
v

(110) "8° Acceptationem Concilii factam per Archiepiscopos et alios Praesules.

"Actum Kilkenniae 8° Novembris 1644. Quatuor Archiepiscopi. Laonensis. Waterfordiensis. Clonfertensis. Dunensis. Ossoriensis. Procurator Episcopi Limericensis. Vicarius et procurator Immolacensis. Robertus Barry, Vicarius Apostolicus Rossensis. Donaldus O'Grypha, Vicarius Apostolicus Finiburensis. Andreas Lynche, Vicarius Apostolicus Aladensis. Jacobus Dempsey, Vicarius generalis Kildariensis. Cornelius Gafney, Vicarius generalis Ardachadensis. Fr. Joannes Henry, Provincialis Ordinis Eremitarum S. Augustini. Nicolaus French, Procurator Fernensis. Congregationis Secretarius." Hactenus illud frustum.

(111) Haud injuria clerus (ut hic vides) decrevit ut Catholicorum perpressiones in fidei odium ab haereticis illatae in tabellas publicas referrentur, quae tamen mihi suppeditatae non sunt. Porro inter has tolerantias haud ultimum locum | sibi vendicarunt Catholicorum civium, qui in haereticorum praesidiis magno numero se tenerent, persecutiones ubi locorum haeretici civium Catholicorum substantia magnam partem videbant tanta crudelitate ut Catholicorum vita lentum esset martyrium. Caeterum

718

P. Marco Rocforto, Dominicano, ex Iberniam in Urbem profecto et persecutiones suis Dubliniensibus ac Vadipontanis Catholicis illatas recensente, Urbanus VIII. hoc anno 1644 cum eo in Iberniam redeunte duo Brevia Apostolica consolatoria ad Dubliniae et Vadiponti Catholicos dedit. Quorum primum hic sequitur :

“ Dilectis filiis, clero, nobilibus et populo Dubliniensibus Urbanus Papa VIII.

(112) “ Dilecti filii, salutem et Apostolicam Benedictionem. Catholicam Iberniam gentem paterno semper affectu persecuti nunc sub gravi haereticorum iugo aegrius ingemiscenti ex animo compatimur, multisque modis oppressae pro nostri muneris debito condolemus. Spes aliqua nuper effulsit Christianae libertati fore restituendam. Sed dum aliquibus susceptum pro fide Christi certamen prospere successit, aliis majorem innoxiam calamitatem. Vobis | praesertim datum est graviora pro Christo pati quibus malorum cumulus accessit et injuriarum nihil non est crudeliter irrogatum. Armis spoliati, bonis omnibus exuti, vectigalibus passim oppressi, calumniis impetiti, in crimen saepe vocati, constanter omnia tolerastis, inde majorem concipientes dolorem quod pastore animarum vestrarum procul effecto, angustiat, afflicti interdictus sit cultus divinus, neque arescentes animas sacrosanctis Ecclesiae Sacramentis licuerit refo-cillare. Sed qui virtutem dedit fortiter sufferendi et tolerantiam indidit passionum ipse dixit : Beati eritis cum maledixerint vobis homines et persecuti vos fuerint ; gaudete et exultate, quoniam merces vestra multa est in caelo. Omne itaque gaudium existimate, dilecti filii, cum in tentationes varias incideritis, scientes quod probatio fidei vestrae patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habet. In nullo proinde terreamini ab adversariis. Quae enim illis est causa perditionis vobis erit salutis a Deo ministrata. Quia vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini. Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod | potestis, sed faciet cum tentatione proventum ut possitis sustinere. Nos interim incessanter orabimus ut Dominus misereatur vestri et benedicat vobis finemque faciat malorum. Confidite in ipso quod tristitia vestra convertetur in gaudium, et constantiae vestrae, quae per omnes praedicatur Ecclesias, gloriosam dabit consummationem. Porro (quantum Nobis licuerit) vobis auxiliari et paternae erga vos charitatis viscera aperire non omittemus. Interim omnibus et singulis Apostolicam imper-

timur Benedictionem. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 14 Maii 1644, Pontificatus nostri anno vigesimo primo.

Felix Cantelorius "

(113) Breve Apostolicum ad Catholicos Vadipontanos iisdem pene verbis scriptum fuit. Caeterum Pontifex aequo si non potiori jure similia Brevia ad Catholicos Corcagienses, Kinsalienses, Yeoghellensis, et alios dedisset, si P. Marcus perinde eorum ac Dubliniensium et Vadipontanorum causam egisset. |

(114) Idem P. Marcus Cardinali Barberino litteras a Thoma 719
Prestono, copiarum Catholicarum in Lageniae Provincia prae- v
fecto generali, 20 Octobri 1643 ex Iberniam scriptas tradidit, ad quas Cardinalis respondit, Prestono de magno promovendae causae Catholicae zelo congratulatus, eique omnem in occasione favorem pollicitur et gratias agens quod Sedem Apostolicam in P. Scarampi persona honorasset. Quales etiam litteras idem Cardinalis Comiti Portu-Castellano in Iberniam scripsit. Qui etiam Scarampo per epistolam 8^o Maii 1644 significavit curam habendam ut Joanni Ambrosio, Prestoni filio, Collegii S. Audomari in Flandria tunc alumno, de aliquo beneficio (sic enim Scarampus postulaverat) vel pensione provideretur, qua vitam in illis partibus juxta conditionem sustentaret. Addiditque dignatione pari efficiendum ut sua Sanctitas F. Claudium Namurcensem, cujus sororem, mulierem Belgicam, Prestonus in uxorem duxerat, favore prosequeretur, quo inter Equites Melitenses promoveretur. |

(115) Hoc pariter anno 2^o Aprilis Cardinalis Barberinus P. 720
Scarampo significavit Concilium Supremum ex Iberniam apud Urbanum VIII. instituisse ne in eo regno episcopos multiplicaret, et ex altera parte factas fuisse ab aliis instantias ut P. Jacobus Everardus, strictioris Observantiae Franciscanorum in Iberniam aliquando Minister Provincialis, ad episcopatum Fernensem recens vacantem promoveretur. Itaque Cardinalis Scarampum consuluit quid agendum? Quicquid autem Scarampus responderit, certum est non P. Jacobum, licet ibi multis titulis eo gradu dignissimus fuisse dicatur, sed Nicolaum French, sacerdotem saecularem, ad eas infulas paulo post esse cooptatum. Caeterum haud ita diu post illas litteras in Iberniam scriptas Urbanus VIII. 29 Julii 1644 expiravit, electo in successorem 15 Septembris 1644 Innocentio X., ante Cardinalem Pamphilio, ad quem recens in Christi Vicarium ascitum Confaederatorum Iberniae Catholi-

720
v corum nomine D. Richardum Bellingum, Concilio Supremo a Secretis, hoc eodem anno allegatum fuisse reperio, sua factione Ormonica ita in Iberniae ruinam | praevalente, et ipsius hypocrisi ac malignitate adeo sinceram cleri populique partes tunc latente, ut ad eam provinciam obeundam assumptus fuerit. Sed postea summa ejus malitia Iberniae et Catholicae in eo regno Ecclesiae (ut videbimus) exitialis effecit ut quis fuerit et quo pacto ad belli initium ab Ormonio in larvatum exploratorem ad Confaederatos missus Dublinia venerit, examinaverint, et saltem orta censurarum anno 1648 fulminatarum controversia pro-

Just. Cap.
30. Num. 5 palaverint. Quam tractans Doctor Enos: "De D. Bellingo (inquit) nimis nota dicebantur quod pessimi carnificis peior sit filius, qui tota vita sua, quibus reclinaret caput ejus non habens circulatorum egit. Ante ejus ex Dublinio per Ormonium ad Faederatos emissionem, ad mensam modo Ormonii, modo vicinorum Dubliniensium demensum mendicans ad Faederatos per *Angelum malum* emittitur ut machinati schismatis diduceret vulnus: *Lupus rapax, qui mane comedens praedam, vespere divisit spolia*. Dublinio Kilkenniam immigrans pervenit *Thomas-towne* sexto a Kilkennia lapide nec bene | nummatus nec honeste vestitus. Quibus symbolum solveret et iter perficeret quinque a Jacobo Daffo, viro perillustri, mutuatus est florenos. Ante octennium adeo se locupletavit cum ruina Faederatorum (quam procuravit) ut, unum atque alterum equum auro atque argento, aliisque gazis onustum Kilkennia Limericum abduxerit. *Mane comedit praedam* male parta bona decoquens. Vespere divisit spolia ex Faederatorum substantia eviscerata, cui facta esset ultra meritum gratia si ad familitium duntaxat Supremi Concilii assumeretur. Non est inter Faederatos exortum dissidium, cujus ipse seminator non fuit." Haec ille. Et tamen Ormonii et Ormonistarum machinationibus factum ut hic Bellingus ab ipsis primis Confaederatorum Comitibus Generalibus in Concilii Supremi Secretarium assumptus sit. Et nunc anno 1644 Legatio Romana ei decreta fuerit. Quam ille in Ormonii et suorum Ormonistarum scopum | (ut suo loco videbimus) nequiter et fraudulenter obiit, retulitque ipso Innocentio X. ejus hypocrisi decepto.

72I
v

(116) Ad annum 1643 Indulgentiam seu Jubilaeum ab Urbano VIII. Confaederatis Iberniae Catholicis in haereticos bellaturis juxta conditiones ibi memoratas concessum in medium produxi. Quam Indulgentiam ubi minister Apostolicus, Scarampus, in Ibernia communicasset, missus est vir Ecclesiasticus qui Anglice

redditam Comitissae Clanricardiae in suo Augustali Portumnensi
 praesentaret. Atqui Comitissa eam respuit natu Anglica sed
 ita Catholica ut Comititis, mariti, vestigia premeret pariter Angli
 et Catholici atque in Anglia et Anglice educati, sed patre Anglo-
 Ibernico et Catholico de causa Catholica in Iberniam sub Regina
 Elizabetha pessime merito et matre Anglica ita nati ut, licet ma-
 jores ejus ex Anglia oriundi per plures lineae masculinae gradus
 Iberni fuerint, et praeclarissimam ac numerosissimam Boorkorum
 vel de Burgo familiam in Iberniam propagarint, ille tamen natu,
 moribus, et | studiis Anglum induerit, Essexiae Comititis, pestil- 722
 entissimi haeretici et nedum in Regem inter hoc bellum Anglicum
 rebellis sed etiam virium rebellium praefecti generalis frater
 uterinus, Walsinghami, profligatissimi Reginae Elizabethae
 secretarii, et in extirpanda fide administri nequissimi, ex filia
 illi Essexio Elizabethae jam vetulae diebus securi percusso
 primum nupta nepos, multorum in Anglia et vastissimorum in
 Iberniam praediorum etiam Ecclesiasticorum ita possessor, ut non
 obstantibus avi materni et patris, si non aliorum majorum,
 malis artibus atque impiis aeruscationibus ad rem familiarem
 augendam inique adhibitis, tantoque principum haereticorum
 favore obsequiis pessimis comparato, aere alieno obrutus et
 creditoribus hypothecariis in utroque regno supra modum
 obnoxius fuerit, Deo justissime dissipante illud patrimonium,
 quod si non totum inique certe iniqui huic | Clanricardio pat- 722
 rissanti quia in causam Catholicam iniquissimo reliquerant. v
 Qui ad primos belli annos haereticis in Conacia Iberniae Pro-
 vincia adversus Catholicos pro virili opitulatus demum cum
 non esset superando, neutralem e mentitis sub hac larva plus
 nocuit. Interea haereticorum in ea vicinia refugium, qui eum
 atque uxorem in nationem Anglicanam ex animo propendere
 non ignorantes Portumnae sub ejus alis ita debebant ut etiam
 praesto esset ministellus haereticus eos juxta impura Puritanismi
 dogmata subinde instruens, una Comitissae sacellanus et confes-
 sarium ibidem agente quodam Eduardo Shelleio, provectae
 aetatis sacerdote Anglico, olim collegii Anglicani Duacensis
 alumno, et ab anno 1614 in Missionarium Apostolicum assumpto,
 qui ad Comititis et Comitissae ipsorumque haereticorum genium
 in praefatam Indulgentiam ab Urbano VIII. Confaederatis
 Iberniae Catholicis haereticos deturbaturis communi-
 catam insurrexit. Quo viso Episcopus Clonfertensis,
 Joannes de Burgo, ipsi Clanricardio contribulis | operam dedit 723
 ut Shelleius scelus luerit et animadversionum una esset ne amplius

confessionibus in Iberniam, praesertim in ea diaecesi, excipiendis aurem praeberet. Haec controversia calente Shelleius Scarampo suas rationes altera Clanricardii domo 2^o Kalendas Octob. 1644 scripsit his verbis :

(117) “ Indulgentia sic incipit : *Zelum fidei orthodoxae quo accensi*. Sic habent omnia exemplaria. Indulgentia haec missa est Portumnam ad publicationem et allata in domum Comitis et in vernaculam versa mense Novembri 1643 tempore cessationis (armorum). Multum perterrituit *Protestantes* ita ut cogitarent quid facto opus ad incolumitatem. Postmodum pervenit ad proregem et Concilium Dubliniense, ut patet ex ipsorum litteris Martii 8^o 1644. Venit etiam Oxoniam ubi ore regio exprobrata est Iberniam. Mirum est vos ita nescire. In Portumna annuntiata est | militibus praesidiariis Comitis et uxoribus eorum, et prae reliquis commendata est Dominae Comitissae, quae cum renueret, et diceret ad se non spectare, reclamat qui commendaverat clericus, asseritque non posse quenquam esse Catholicum veraciter, qui non velit fieri particeps tanti thesauri. Bone Deus? Quanta hinc verbositas et loghamachia, qualis tandem altercatio ! Tunc temporis aderant Lutherani, minister parochiae et secretarius Proregis et cum ipsis numerus eorundem sectae. Inter quos non nunquam audiri erat ejusmodi ejulatum : Hiccine fructus pactae cessationis ! Haecine quies expectata ! Nunquid non sufficit sanguis nuper barbarie effusus ? Novas insuper jubet Papa machinari perfidias et extirpationem mandat ? Aderant etiam plures Catholici exules ab Anglia, qui passim praedati ab Iberniam illuc confugerant (sicut et alii) ad subsidium et misericordiam. Aderat quoque Stanleus, Miles partis regiae, qui mense | Januario impatiens Iberniam secessit Oxoniam juratus praesentare Indulgentiam secretario Regis, quod et praestitisse verisimile est. Quis jam miretur Indulgentiam incidisse in manus supradictorum, scilicet Regis et Proregis ? Quod exinde natum est scandalum, penitus praepedire non erat. Sedulo tamen cautum est, extenuetur quam possit maxime. Quod attinet ad Papam. In primis suasum est credere quod hanc concessionem fecerit specialiter in gratiam ipsius Regis, arbitratus scilicet eos omnes, quos extirpari cuperet, quos et *haereticos vocat et operarios iniquitatis*, attonsos esse et suae Majestatis hostes apertos, alios vero, quos debellari solum vellet (et alios fidei hostes appellat) excommunicatos omnes opinatus est. Et merito excommunicati essent si hostes fidei apparerent.

Repeto quia video quod obscurius me applicuerim, et *canis festinans caecos parit catulos*. Dico igitur clarius putabat sua Sanctitas nullos omnino adversari Confaederatis Iberniae Catholicis, nisi qui hostes essent Regis aequae ac fidei. Et eosdem omnes | esse Puritanos et malos Catholicos iis adhaerentes. 724
 Voluit igitur Pontifex illos extirpari, hos autem expugnari. Et v
 utrumque tam in gratiam Regis quam fidei. Jam progredior. Pro assessoribus Supremi Concilii qui videbantur primo acceptare conditionem Indulgentiae, responsum est Regi in Anglia juxta praescriptionem ejusdem Concilii habitam in scriptis. Sic saltem mihi dictum est a fide dignis. Et quidem credibile est. Quoniam certissime constat Vicecomitem de Muskry ante discessum suum et caeterorum ex Ibernia vehementer sollicitum fuisse quomodo respondendum in Anglia, si quid forte objiceretur contra praefatam Indulgentiam, quam verebatur transmittendam ad Regem. Iterum pro clero et populo responderi potest quod unius in toto regno inveniatur promulgationis author, quodque is non promulgaverit (quantum intelligere possum) nisi in unico totius regni comitatu eodemque jurisdictioni Comitum Clanricardii subdito. Addito quod in oppido Galviae in dicto comitatu sitae promulgata non sit, et dicta qualiscunque publicatio | non placuit Supremo Concilio, ut fassus est unus illorum. Haec 725
 quidem in occursum scandali.

(118) "Petit Dominatio vestra quod scrupuli involvat et dicit satisfactum iri. Precor omnipotentem Deum ut satisfaciamus eis, qui foris sunt, quibus offendiculum poni non debere docet Apostolus. Interim dico, salvo meliori judicio, Indulgentiam hanc adversari et aperte contradicere protestationi Confaederatorum universali, ut videre est in supplicatione eorundem data Kilkenniae 1^o Augusti 1642, quae et tunc temporis transmissa est ad Carolum Regem per manus Ormoniensis. Contrariatur etiam singulis cujusque sigillatim provinciae manifestationibus, quae cum apologeticae sint, extirpationis meminisse non debere censentur. Opponitur quoque et repugnat Concilio Kilkenniensi nationali Ecclesiastico (quod mendaciter fertur Romae confirmatum esse) similiter et decretis et Ordinibus conventionis generalis, Anglice *the modell of Government*. Insuper derogat praerogativae Regis in quam sancte juratum est. Addo quod, rebus sic stantibus, tyrannidem sonet | et injustitiam 725
 maximam contra conventiones speciales et pactas condiciones, v
 quas nec scivit nec scire potuit sua Sanctitas. Caeterum Orthodoxos dominiorum Regis Magnae Britanniae ex malitia

adversariorum suspectos reddet de fidelitate politica ; et misericordia Dei est, quod Dublinienses et aliarum partium Catholicos non induxerit in detrimentum, cum animalis homo velit plerumque deteriora suspicari et iis male machinari, a quibus ipse se malum formidare praetendit. Plura quidem occurrunt super hoc argumento. Sed non vacat pro tempore in plura verba calamum protrahere. Reliquum est ut in omnibus honorificetur Deus et in nobis glorificetur sive per infamiam sive per bonam famam, et ut exhibeamus nosmetipsos tanquam Dei Ministros, ut non vituperetur ministerium nostrum. In idipsum Dominus dirigat corda et corpora nostra in charitate et patientia Christi. Vale in Domino.

Ex Castro Lougherensi

2° Kal Oct : peregre.

Addictissimus

Ed. Shelley." |

- 726 (119) Nonnulla mihi circa hujus sacerdotis Anglicani causationes plane nugatorias notanda sunt. 1° Quod habet, Indulgentiam scilicet induciis fuisse oppositam, falsum est. Nam Indulgentia 15 Maii 1643 Romae data fuit, bello undique inter Catholicos et haereticos apud Iberniam flagrante, et induciis non nisi mense Septembri proxime secuto contractis. Sed nec illa Indulgentiae publicatio mense Novembri 1643 Portumnae facta induciis jam anteriori Septembri contractis praejudicavit, cum nec Pontificis, nec Scarampi, nec cleri Ibernici, nec ordinarii diaecesani, nec Concilii Supremi mens fuerit ut eam Indulgentiam lucrarentur qui haereticis contra inducias vel alia pacta publica bellum indicerent, sed qui in illos haereticos, quibus illa non suffragarentur, vel qui inducias amplecti noluissent et ad Parlamentum Anglicanum (sicut in Momonia ab Insequinnio et Insequinnianis, in Ultonia a Scotis et Anglis, et alibi ab aliis | ante scriptam a Shelleio suam epistolam arrogantiae plenissimam praestitum erat) defecissent, bellum prosequerentur, vel induciis finitis et non iteratis prosecuturi essent. Manifesteque ex iis, quae Pontificis nomine a Cardinale Barberino 6° Januarii et 2° Aprilis 1644 scripta fuisse superius vidimus, liquet quantopere Pontifex cordi habuerit ut Scarampus illis induciis non intercederet, nec earum leges convellendas curaret, licet contractas fuisse doluerit tanquam causae Catholicae praejudicantes, quales de facto eas fuisse nemo dubitet. 2° Quod Shelleius dicit Pontificis mentem fuisse non ut illi, qui contra haereticos Regi obsequentes, sed qui adversus haereticos in Regem juxta ac in

Ecclesiam Catholicam rebelles praesertim Puritanos seu *attonsos* (sic enim cognominabantur quod capillos attondere solerent) bellarent, Indulgentiam illam participarent, pariter falsum est. Nam bellum ante in ambas haereticorum partes caeptum et continuatum, | quo tempore Indulgentia Romae dabatur et post durabat, nec Faederati anno 1643 mense Septembri exindeque in ipsum Ormonium et haereticos alios sub ejus praefectura Regi adhaerentes bellare desiissent, nisi induciae intervenissent, quas ut Puritani ubi locorum non erant resistendo participarent, Lutheranos ementiebantur, et se regios esse profitebantur tempori servientes et utentes foro, sicut postea eorum defectio probavit. 3^o Dubitandus allegat Indulgentiam non nisi in uno tantum comitatu fuisse promulgatam, quod non est verisimile. 4^o Dicit Jubilaeum publicis Confaederatorum actis repugnasse, quod non minus falsum est, cum certum sit illorum omnium actorum scopum, mentem, et metam fuisse ut Regi non nisi salva Dei, fidei atque Ecclesiae causa obtemperaretur. Nam qui dixit: *Reddite quae sunt Caesaris Caesari*, addidit *et quae sunt Dei Deo*. Quare quoties contigit ut Caesar subditos ad detrectandum Dei imperium compellat, non Caesari in hoc sed Deo obedire oportet. Denique sacerdos ille suae in Indulgentiam insurrectioni | praefatas larvas praetendisse videtur, ut venenatam mentem Faederatos Iberniae Catholicos maligne celatam et aliqua justitiae specie velatam fortius exequeretur, quam ipsius litterae ex Iberniamense Maio 1644 Parisios ad suos Anglos, nempe ad episcopum Calcedonensem, vel ad Paulum Harrisium, sacerdotem Anglum, vel ad collegii ibi Anglicani Praesidem, vel ad Milonem Carrum, Monialibus Anglicanis Lutetiae a confessionibus, disjunctive directae sed Parisiis interceptae, atque illinc ab Ibernis in Iberniam remissae, et hic ex propriis verbis Anglicanis latine redditae te docebunt :

" Domine.

(120) " Opto ut aliqua ineatur via, qua Anglicanae in Iberniam facultates confirmentur. Haec verba (*ab omnibus censuris in Bulla Caenae reservatis*) cum restrictione applicantur. Quare te rogo ut transmittantur hunc in modum : *Ab omnibus censuris etiam in Bulla Caenae reservatis*. Huic excommunicationes in S. Albani Comitem eique adhaerentes (ex quorum numero ego sum) quod | suae Majestatis mandatis obtemperamus nuper fulminatae fuere Ordinario, Olivero Broorko, Dominicano, ita

reservatae, ut nulla (sicut nonnulli autumnant) sit sub caelo potestas qua citra ejus licentiam tollantur. Facultates nostras in Iberniam extendi negant et exigunt ut instrumentis manu sigilloque munitis contrarium probemus. Quod pauci praestare possunt. Cumque praestitum fuerit Ordinarii approbatio postulanda erit, quae nonnullis denegata vel ad certas domos contracta fuit. Dominus Nuncius (Scarampus) super his difficultatibus consultus hunc in modum scribit : *De confessionum a te auditorum validitate ego, quem tuae facultates latent, nihil statuere possum. Te scire oportet episcoporum partes esse ut eorum, qui in ipsorum diaecesibus sacramenta ministrant, nisi ab illorum jurisdictione exempti sint, facultates videant.* Responsum fuit facultates nostras esse quae seminaristarum Anglicorum sunt communes. Scarampus hoc non intelligit vel forsán intelligere non vult. Petrus Franciscus Scarampus, Sedis Apostolicae ad Ibernos | Nuncius et (ut fertur) Legatus a Latere ; hominem nunquam vidi. Sed ad me scripsit circa populi Indulgentiam, quam Papa concessisse dicitur in Protestantium extirpationem ex regno Iberniae. Ego illi indulgentiae hactenus refragatus sum et usque modo refragor, nec eam a Papa nisi falsa rerum relatione occupato concessam credo. *Sed perinde mihi est. Nam regis mei praerogativam sustinebo, nec concedam talem Papae esse auctoritatem aut potestatem.* Rogo ut Archiva Romana perscrutanda cures. Indulgentia sic incipit : *Zelum fidei orthodoxae quo &c.* Datum 15 Maii 1643. Protestor contra. Hinc hae lachrimae ; antea meae facultates validae, sed nunc invalidae sunt. Romae se tenet quidam Franciscus Barberinus, cui una tantum est auris eaque sane valde sinistra, multis etiam repleta relationibus ab Hugone de Burgo, fratre Franciscano, et mendace, qui ante in Flandria claruit. Hic Frater Antonio Copo, cujus germanus Lutetiae Parisiorum degit, rationibus falso | allegatis dispensationem obtinuit ut ad praesbyteratum promoveretur. Antonius equidem vir est honestus et illo loco multis aliis dignior. Episcopum Calcedonensem saluto. Parisiis Capellanus agit D. Bartholomeus Archerus, cujus frater Thomas Archerus Kilkenniae degit et per suum proximum ; D. Greenum, litteras ad me dirigere potest. Mallem tamen ut eas mihi mitteres Dublinia vel certe Galvia ad Richardum Blakum vel Robertum Lynchaeum, Equites, dirigendas. Sum Domine
Ex aedibus Comitum Tuus humilis servus.
S. Albani. Eduardus Shelleius.
mense Maio, 1644. olim Whitbeus.

728
v

729

(121) Multae hujus sacerdotis absurditates vel ex hac sua epistola nobis constant, quas perstringam, additis nonnullis, quae in variis litteris inter ipsum et Scarampum nec non episcopum Clonfertensem scriptis mihi occurrunt. Itaque rogatus ut ostenderet in qua potestate apud Iberniam Anglus confessiones sacramentales exciperet, misit ad episcopum Clonfertensem quasdam facultates, quas | missionariis Angliae sacerdotibus peculiare esse dixit, sed nullo acto publico aut testimonio praeter quam suo probavit, quarum prima linea haec est: *Facultas absolvendi ab omnibus peccatis et censuris in Bulla Caenae Domini reservatis in Regnis Angliae, Scotiae, et Iberniae.* Cumque Clarricardio, quem ille hic S. Albani Comitem (nam hoc titulo in Anglia, illo in Ibernia Comes erat) appellat, per Iberniae clerum, quod Confaederatis non coalesceret sed haereticis in causam Catholicam studeret, excommunicato (ut ipse testatur) adhaereret, illa linea, eaque Ordinario, non probata non solum ad confessiones in Ibernia excipiendas sed etiam usus videtur ad absolvendum a censuris ab Iberniae clero in publicum Ecclesiae bonum et haereseos extirpationem fulminatis, et ordinario suae diocesis Vicario Apostolico reservatis, licet certum sit meminisse ejusmodi linea talem competere absolvendi potestatem. Quod ille (credo) non ignoravit cum eo processit dementiae ut, tametsi simplex sacerdos et alienigena esset, per praefatam suam epistolam Parisios scriptam rogavit, | quatenus praefata facultatum linea reformaretur hunc in modum: *Facultas absolvendi ab omnibus peccatis et censuris etiam in Bulla Caenae Domini reservatis in Regnis Angliae, Scotiae, et Iberniae.* Quae potestas si concessa fuisset, ille censuras omnes ab universo Iberniae clero etiam in synodo nationali congregato et ab ipso Ministro Apostolico Scarampo, quem Nuncium et Legatum a Latere joculariter nuncupat, et secus vellicat, in Catholicos haereticorum fautores latas aut ferendas absolvendo evacuasset, ut *Regis*, imo suorum haereticorum Anglicorum, *praerogativam sustineret*, in notorium Faederis Catholici tam manifeste justi et sancti adeoque in fidei atque Ecclesiae praejudicium et haereseos propagationem. Nec ille hanc potestatem petiit, nisi ut perversam mentem occuleret, pene susque deque habens eam obtinere, vel secus et ea non obtenta haud propterea caeptis destitutus, cum ea fuerit protervia, ut Indulgentiam per ministri Apostolici manus missam vel nullo modo, vel certe non nisi a Pontifice | sinistra rerum Ibernicarum notitia deluso, concessam fuisse contenderit, unaque occultum venenum apud suos confidenter

729
v

730

730
v

73I spirans : “ Sed (inquit) perinde mihi est nam Regis mei prae-rogativam sustinebo, nec concedam talem Papae esse authoritatem aut potestatem, concedendi scilicet Indulgentiam Confae-deratis Catholicis adversus haereticos etiam Regi in fidei atque Ecclesiae perniciem, adeoque in haeresis propagationem et animarum jacturam militantes bellaturis.” Quod ejus dogma nedum falsum, temerarium, et scandalosum, sed etiam est plane haereticum. Quare minus admiretur quod ibi Cardinalis Barberini, quem contemptim Franciscum Barberinum vocat, aliorumque famam lacerarit. Porro hac Shellei epistola Parisiis in Iberniam remissa, ibique palam facta, atque ab ipso in suam agnita episcopus Clonfertensis, P. Oliveri Dominicani et P. Hugonis Franciscani, quos ille in dicta sua epistola spernit, frater, eum anno 1645 pressit ut praeter alia paenitentiam ageret et eorum, quos traduxerat, famam resarciret. Ille vero quo pacto responderit, | te docebit data postea ad eum ab Episcopo epistola, quam a Shelleio ad Scarampum missam habes hic ex ipsa ejus charta Latina :

Responsio Episcopi 5° Aprilis 1645.

(122) “ Domine Shelleie, tuas epistolas, unam 2° Martii et aliam 4° Aprilis hujus anni scriptam accepi. In harum neutra videris satisfacere tibi objectis. In una respondes satis callide quaestionibus minoris momenti, praeteriens reliquas magni ponderis. In altera praedicas charitatem singulos debere amplecti. Verum est, et eam ego libens amplector, non remittens tamen aut Reipublicae aut privatae tertiae personae jus. Promittis te ulterius rebus saecularibus non distrahendum. Bene consultum. Sed praeteritis offensis satisfacias, necesse est, et sic mando. Facultatum copiam mihi satisfactoriam non vidi. Assertam a te talem non admisi, nec admitto. Non enim singulis prophetarum fides habenda est. Mandata observa et vale in Domino, ut optat

Vester in Christo
Joannes Clonfertensis.”—

73I

. v

(123) Duas Shellei epistolas episcopo scriptas, de quibus hic loquitur, habeo, reque ipsa (ut Clonfertensis recte notat) Shelleius omnia in suis litteris Lutetiam Parisiorum anno 1644 missis perverse scripta, quorum atque aliorum Episcopus ab eo palinodiam exegisset, ibi callide silentio praeteriit, excepta P. Hugonis de Burgo traductione, quam ita tetigit ut minus aequae satisfecerit.

Quare Clonfertensis malae notae dicto fratri sua a Shelleio inusta impatiens, eum hac ultima epistola jure merito magis ursit. Hac autem illa accepta Scarampi etiam a se offensi misericordiam imploravit, ad quem misit contestationis seriem et acta eo pertinentia, excepta illa epistola ab ipso Lutetiam anno 1644 directa, cujus tantum mentionem perfunctorie fecit, haud ignorans illam epistolam habendam a Scarampo haeticam et multifariam damnabilem. Porro litteris ad eum Idibus Aprilis 1645 una directis, "quod (inquit) velit Reverendissimus Episcopus abstinere me ab audiendis confessionibus (praesertim post rationem redditam privilegiorum) ut litterae insinuare videntur. Vere non licet id agere sine gravi scandalo. Exempli gratia, | hac ipsa die, dominica in Albis, publice in capella praesentavit 732 se mihi ad confessionem Illustrissima Domina patrona mea, quam sane repellere non poteram sine offensione tam ipsius quam circumstantium. Domine mi, hodie, heri, et nudius tertius commendavi Deo successum harum litterarum in sacrificiis et precibus meis, et commendabo quotidie. Incertae cogitationes hominum et timidae providentiae. Non quod volunt hoc semper agunt bonum, sed saepius quod volunt malum. Rogo et attestor Illustrissimam Dominationem vestram ut aequi consulat et vitio non vertat. Ego quidem cuncta suspicor et omnia timeo et, sicut natator in undis, imperitus natandi, sic paveo, sic trepido. Adsit Deus ad cujus gloriam haec scribo." Haec Shelleius. Cujus ultima verba animum pene deploratum spirant. Quare Scarampus ejus misertus, ad eum etiam Clonfertensi reconciliandum postea incubuit. Nec scio quam bene operam posuerit. Et haec quidem sunt, quae de illo turbine dicenda habui ad annos 1643, 1644 et 1645 ita spectantia, ut uno narrationis filo | perstringenda duxerim. Caeterum hujus 732 sacerdotis aliorumque quorundam Ecclesiasticorum Anglicorum et Anglo-Ibernicorum, qui Ormonistis faederis Juramento obnoxiiis sed pacem iniquam anhelantibus et Catholicis neutralibus nec non ipsis haeticis sibi charioribus studebant, protervia et prava dogmata, mirum quantum ad primos belli annos causae Catholicae obfuerint, quam demum (ut videbimus) pessumderunt. De neutralibus et Ecclesiasticis eorum causam sustinentibus D. Carolus-Franciscus Invernitiis, Mediolanensis, S. Theologiae et utriusque Juris doctor, Ecclesiae Ambrosianae Mediolanensis Archipraesbyter, et Scarampi Ministri Apostolici assessor, ex Iberniam ad Innocentium X. hoc anno recens inauguratum allegatus, eidem Pontifici suam aperuit sententiam hunc in modum:

733
 Doctor
 Enos Just.
 Cap. 28.
 Num. 3.

“Nihil (inquit) Faederatis Catholicis magis nocuit quam quorundam Catholicorum neutralitas et a nostris dissensio, qui, despecto Catholicae Religionis incremento, terrenis | tantum commodis et honoribus inhiantes, Deum, patriam, et semetipsos prodiderunt, et specie integritatis et fidei erga Regem delusi Regem ipsum non mediocriter laeserunt, atque in discrimen totius Angliae amissionis adduxerunt. Cui equidem hominum generi perditio et execrando non defuerunt Ecclesiastici quidam suis sentiis eorum pessima gesta comprobantes, viri (ut in genere loquar) ambitiosi, pleni rixarum, dissentionum faecundi, cupidi conspirationum, quos episcopi primum blanditiis, precibus, lenibus suasionibus, admonitionibus severis, et salubribus consiliis frustra ad bonam frugem reducere conati sunt, et demum sordescentes in scelere, suis sepultos iniquitatibus, diris devoverunt et a communione fidelium segregarunt,” Haec ille, plura illa de his causae Catholicae turbinibus dixisset si in Iberniam rediisset, et malorum Iliadem ad ultiores belli annos hoc fonte natam litteris mandasset.

733
 v

(124) De Capucinis Ibernis Sedanum, Galliae urbem, introductis, superius mentionem fecimus. Qui | ab anno 1639 quinquennium circiter in illo frequentissimo municipio et Principatu haeresi purgando atque in Catholicismo et morum probitate ibi restituenda adeo praeclaram operam collocarunt, ut hoc anno 1644 Illustrissimus et Reverendissimus D. Leonardus d’Estampes de Valencoy, Archiepiscopus Rhemensis, suae Sanctitatis autoritate et Regis Christianissimi brachio suffultus, Sedanum perrexerit, ibique pompa publica honorificentissime exceptus beneficia Ecclesiastica et praedia monastica, haereticorum furore per universum principatum clero ante multos annos superiores extorta, parochis et monachis pene omnia restituerit, et mundum ab immundo separarit, plurimis ordinatis, quae ad tollendam confusionem ab haereticis introductam et diu atque altissime radicatam essent necessaria, relictis Calvinistarum gregi ibi semper numeroso tribus tantum templis, uno in urbe Sedanensi ab ipsis sub suae sectae principibus jam pridem extructo et duobus aliis in | vicinia aedificatis, eo consilio tunc (Regis Christianissimi mandato) permissis, quo minora tolerantur mala ne nascantur majora, aut majori bono obex ponatur. Hoc triumpho Catholico sic reportato Capucinis nostratibus ibi stabilitis Deus latam aperuit portam ad maximum animarum lucrum in ea vinea procurandum, quod etiam ad annos inferiores strenue procurarunt.

734

COMMENTARIUS RINUCCINIANUS

VOLUMEN I.

PARS VII.

An. 1645

[VOL. I. PARS VII. AN. 1645.]

In Nomine Sanctissimae

Trinitatis incipit

Annus 1645

(1) Exordior hunc annum a supremo pseudo-Archiepiscopi Cantuariensis, Guillelmi Laudi, supplicio, qui 18^o Decembris 1640 a Parlamento Anglicano in Turrin Londinensem coniectus, quadriennium integrum et quod excurrit in custodia squaluit, vix ullam nactus quietem, justo iudice statuente ut, qui haereticorum gratiam aucupaturus Catholicos persequendos curarit, ab iisdem haereticis divexaretur, saepius octoginta circiter dies ex carcere, ut in Comitio causam diceret, Westmonasterium raptatus, | ac demum tanquam manganizatae a Rege haereseos author, proindeque belli caepti instigator, mense Januario 1645 securi percussus, senex eo maxime miserabilis quod ante incarcerationem Romam pergere, ibique fidem Catholicam profiteri distulisset, quanquam id praestiturus, si Urbanus VIII. annuam pensionem superius memoratam ei decrevisset.

734

v

(2) Interea in Anglia hoc anno 1645 magni tam a Rege in Parlamentum quam a Parlamento in Regem apparatus bellici fiebant, ut tamen ad pacem per delegatos utrinque mense Februario missos contrahendam conatus Uxbridgae adhibitus fuerit, sed demum irritus, quod Parlamentarii non alias admittere vellent conditiones, quam quibus obtentis Regem autoritate spoliarent, dicentes: *Nolumus hunc regnare super nos.* Qui quanto ipsorum damno Ibernii induciis anno 1643 cum parte regia contractis Regi opem tulerint, experti, sibi que ab ulterioribus viribus Ibernii in Angliam transportandis ac Regi ibi constantissime militaturis ultra modum metuentes, sanguinario acto 24 Oct. 1644 lato decreverunt, quotquot ex Iberniae Catholicis in Anglia, Wallia, vel mari | caperentur, trucidandos, et conditionibus, quibus alii regiarum partium milites dedititii vitam pacturi essent, prorsus excludendos. Quod cruentum actum eo spectabat ut Ibernii ab ope Regi apud Angliam aut Walliam ferenda deterrendi in Angliam ulterius non trajicerent. Quis horum

735

carnificum barbariem, nequitiam, et fraudulentiam non abominetur? Nam ex una parte in tuendam Regis auctoritatem jurabant ut suam perduellionem millenis perjuriis palliantes Regem et regios valentius deprimerent, et ex altera eodem tempore Iberniae Catholicos a Rege stantes dedititiorum pactis militaribus excludebant eo (ne illis quidem, qui ante in Ibernia Regi adversus Confaederatos adhaeserant, exceptis) contrucidandos, quod in castris regiis mererentur. Hoc Sphingis Parlamentariae enigma tot rebellionis, perjuri, crudelitatis, inhumanitatis plus quam Scythicae atque impudentiae nodis implicatum quis vel Oedipus ita solvat ut eorum infamiam in confesso non ponat. Sed quid decreto immorer? Nam ad ipsam ejus executionem ventum est, tredecim militibus Ibernis, qui sub Rege in Anglia stipendia facientes, non | nisi vita pacta deditionem fecerant, contra fidem publicam eadem vita multatis. Quo cognito copiarum ibi regiarum imperator, Princeps Robertus, in totidem milites Parlamentarios a se captos generose animadvertens legem talionis exercuit. Quare virium rebellium praefectus generalis, Essexius, haeretice coaxans sui Parlamenti jussu ad Principem Robertum Anglice dedit hanc Epistolam.

735
v

“Celsissime Domine.

(3) “Ambabus Parlamenti domibus significaturum est tredecim Protestantes Anglos, qui vitam pacti a tuis officialibus capti fuerant, nihilominus tuo expresso mandato ex plena deliberatione trucidatos occubuisse, teque decrevisse eadem ratione imposterum procedere, quod commissarii ad Parlamenti consultum his annexum tredecim rebelles Iberos in hostilitate adversus Parlamentum captos Salopiae ultimo supplicio afficiendos curassent. Haec relatio et animi sententia adeo stupenda est, ut de ejus veritate jure merito ambigeretur, nisi per litteras ab illis commissariis Prolocutori | domus communium 24 Martii superioris scriptas, et per epistolam tuo mandato ad eosdem commissarios 28 Martii transmissam, constaret. Quare binae domus Parlamentariae crudelibus ejusmodi trucidationibus in suos fratres, Protestantes, quorum vitas non minoris quam suas faciunt, exercitis graviter exacerbatae me jusserunt tuae Celsitudini notum facere indubitata probatione liquere Iberniae rebelles (quicquid sit de eo quod cis hanc maris partem praeseferre videntur) re ipsa per illam odiosam rebellionem in eum scopum suas collineasse cogitationes ut in plenam Regis suaeque posteritatis exhaeredationem regnum illud Coronae Anglicanae aeternum extorquerent, et nationem Anglicam ac Protestantium

736

religionem extirparent. Eo consilio per ipsorum oratores operam dedisse ut ex regionibus exteris potentes vires, a quibus indestinata eorum expugnatione secundarentur, illo transportarentur. Insignia Hispanica tam Waterfordiae quam | Galviae palam explicuisse. Id egisse ut sui duces, officiales etc. coram *titulari* eorum clero jurarint, se non commissuros ut Anglorum aut Protestantium ullus in illo regno degat. Eos hoc horrendum consilium prosecutos fuisse trucidando, suspendendo, vivos comburendo, et fame enecando in una Provincia paucorum mensium spatio centum quinquaginta millia innocuorum protestantium Britannicorum virorum, mulierum, et infantium, nulla habita sexus aut aetatis ratione absque ulla causa. Regem primo per edictum suo regio chirographo et sigillo privato attestatum eos pronunciasse proditores et rebelles; ab illo tempore et Regem et Parlamentum quatuor diversis Parlamenti actis eos pari modo proscripsisse, et eandem ipsis notam inflixisse. Denique suam Majestatem per Parlamenti actum consensisse ut omnis amnestia ipsis vel eorum ulli antequam rei peragerentur concedenda evacuaretur. Itaque quod id genus viri cruenti, barbari, infideles, Deo et hominibus invisi, adeo lege | et paenis etiam ex ambarum partium sententia obnoxii ex Ibernâ, ubi nunquam deditionum pacta nec concesserunt nec receperunt, accedentes, hoc regnum sicut in illo praestiterunt, incensuri et depopulaturi, post haec omnia ad dedititias pactiones hic participandas admittantur, et (quod consecutaneum est) cum natione Anglica et Protestantibus in permutationibus aequentur, Parlamenti Angliae Proceribus et communibus nullo modo per religionem, honorem, et justitiam consentire licet, mihi prae-scripserunt ut tuae Celsitudini et aliis omnibus istarum partium ducibus significarem, si imposterum Ibernâ rebellibus in illius justî decreti prosecutionem vita multatis, officiales, milites, aut nautae Parlamento obsequentes ullo injusto praetextu ex plena deliberatione mactati fuerint, binis domibus decretum esse, easque hisce declarare se affecturos ut pro quolibet duce, milite, et nauta sic citra causam perimendo | totidem bello captorum pariter in necem dentur, tametsi non sine magno animi dolore et renitentia. Quare Celsitudinem tuam aliosque omnes tuos duces inferiores instanter rogant ut per ejusmodi prodigiosam crudelitatem nationi Anglicanae desistatis inurere maculam, quam sibi persuadent aegre ferendam etiam ab istis Protestantibus Anglicanis impraesentiarum ad bellum religioni Protestanticae et Angliae Parlamento inducendum seductis, quibus paratae

736
v

737

737
v

sunt ad concedenda deditionum pacta et aequalem permutationem sicut ante, etc. Westmonasterii 4^o Aprilis 1645.

Tuus humilis servus.

Essexius."

(4) Princeps Robertus ad hanc epistolam Essexiana et Parliamentaria rabie, inhumanitate, saevitia, mendaciis, atque haeresi refertam respondit Anglice hunc in modum :

" Illustrissime Domine.

738

(5) " Datam ab Illustrissima Dominatione vestra 4^o | hujus mensis epistolam accepi die ejusdem undecimo, nec possum quin admirer binis domibus videri paradoxum, quod milites in bello adversus suam Majestatem depræhensos modo et mensura tractandos curarem, quam fideles suae Majestatis subditi inter suas partes actu obeundas capti tractantur ab iis a quibus capiuntur. Illi mei milites post vitam pacto militari ipsis Salopiae promissam ea plena deliberatione barbære enecti haud alii fuere quam qui, dum in Iberniam essent, suae Majestati in illius regni rebelles strenue, constanter, et fideliter militaverant, induciis ibi contractis suae Majestatis jussu huc advecti, quo sub ejus vexillis in hoc regno bellarent, in quo militum partibus honeste responderunt." Haec Princeps, qui etiam addidit se praefectura sua militari futurum indignum, si secus se gessisset. Caeterum Deo crudeles immanissimi Essexii conatus non prosperante, factum ut ab illo nefario Parlamento, cui se ab inchoato bello tot scelerum instrumentum praeberat, hoc ipso anno exauctoratus sit, | translato virium non solum ejus signa sequentium, sed etiam aliarum omnium Anglicarum in Anglia rebellium imperio in Thomam Farfaxium, Baronis Farfaxii filium, ipso Essexio crudeliorem, adeo ut observatum sit suo nomine Anagramma in eum quadrans contineri litteris ne ordine quidem mutatis, sicut hic cum Epigrammate legas

738

v

Farfaxius

Far, Fax, Ius.

Inter *far* et *Ius Fax* est Farfaxius. Illa hinc populi *far*, hinc Regina jura cremat.

(6) Ad hunc Regicidam saevitiae et rebellionis aestu famosum inferius redibit narratio. Interea observo mihi nusquam occurrere Confaederatorum Iberniae Concilium Supremum decrevisse ut in praefati acti a Parlamento Anglicano barbære conditi et partim executioni mandati paenam longe justissimam

haeretici juxta ac rebelles Anglici bello sanctissimo capiendi legem talionis subirent ac morte plecterentur. Nec hic extra callem | erit semel tangere quantopere Confaederati millenis aliis modis inter hoc bellum causam Catholicam eo enervarint, et hostibus in Deum ac Regem rebellantibus inolescendi sibi que insultandi viam straverint, quod in eos per omnia saltem legem talionis non exercuerint. Sed haec Ormonistarum ignavia fuit per quos stetit quin Iberniae Catholici vel hoc solo titulo haeresim et haereticos Iberniam deturbanint, et apud ipsam Angliam reddiderint illis praedonibus *septuplum in sinu eorum*. Unde mendaciorum farrago est quicquid Essexius Principi Roberto scripsit his quae dixi contrarium. Reperio equidem faederatorum Iberniae duces maritimos suorum nautarum et militum a Parlamentariis in pugnis navalibus captorum ac (juxta praefatum actum anno 1644 a Parlamento inhumanissime conditum) caesorum carnificina provocatos Parlamentariis pariter mari captis vicem rependisse, proindeque Parlamentarios suo damno edoctos ac flagellatos sententiam mutasse. "Etenim (sunt verba Doctoris Enos) quemadmodum olim | Hollandi simile in Dunkerka nos editum decretum ob nimiam suorum sanguinis effusionem revocare coacti erant, eos ad hoc impellentibus defunctorum, occisorum, submersorumque viduarum, liberorum, et consanguineorum ejulatibus, ita comitiales Angliae non absimile populo Britannico obveniens ex classe Faederatorum damnum cementes et graviter sentientes, cruentum illud anno 1644 inconsulto editum decretum vertente anno consulto revocarunt. Ceperunt enim suorum jam jactura, caede, et excidio edocti rem maturius discutere, discutiendoque didicerunt potuisse Faederatorum celoces sive fregatas facili negotio et exigui temporis intervallo e portibus Waterfordiensi, Wexfordiensi, aliisque locis maritimis inopinato vela dare, littoraque Britannica circum agentes millenos Angliae et Scotiae piscatores quasi in ictu oculi in orcum detrudere, incolasque maritimis depredationibus, incendiis, et caedibus infestare. Dexteras itaque Faederatis Catholicis dare, suorumque vitas et fortunas ab interitu praeservare satius duxerunt, abrogatoque decreto sanguinario pro vitarum utrinque | securitate pacisci. Ad unicum Wexfordiae municipium pertinebant 21 celoces sive (ut vulgo vocant) fregatae, ducentaeque pene naves onerariae. Hae celoces sexennii spatio ex navibus Parlamentariis trium regnorum Britannicorum mille et nongentas ceperunt, captivosque mille et quingentos, illis in supputationem non deductis, qui in variis pugnis

739

Ps. 78.

739

v

Just.
Cap. 26.
Num. 14.

740

navalibus aut submersi aut trucidati fuerunt. Longe plures pacta jam vitarum securitate captivos duxerunt, quorum nonnullos viatico instructos dimiserunt. Ad tam faciles tamen conditiones nunquam fuissent pertracti Angliae comitiales, si (ut commiscuntur libellistae et laicorum Consiliarium proximetarum) mari Britannico imperassent. In Ibernica durante bello unam tantum contra Faederatos instruxerunt haeretici celocem anno 1643, infausto tamen omine. Nam quo die e portu Dublinensi solvit, eodem in Ostio Wexfordiensi per capitaneum Doranum, capta est." Haec ille, testis eo locupletior quod ipse sua | Dublinia post vincula et carceres fidei causa ab haereticis ad belli initium pulsus Wexfordiae pedem fixerit.

740
v

(7) Rex hoc anno antequam de pace inter se et Parlamentarios concludenda ageretur, veritus ne pax non succederet, litteris ad Reginam uxorem in Galliam missis pressit ut a Principibus Catholicis, et nominatim a Gallo et Lotharingo, auxilia sibi in Angliam transmittenda curaret. Regina autem eum monuit ne Catholicos reliquosque ei obsequentes unquam desereret, illeque se nunquam fautores deserturum pollicitus iterum ursit, ut illa suppetias ex continente festinaret. Cujus votis Regina pro virili respondere conata est, sed praecipuam secundum Deum Rex in copiis Catholicis ex Ibernica advehendis spem ponebat. Quare antequam in Anglia ad locum conductum destinarentur, qui de pace inter ipsum et rebelles Parlamentarios contrahenda mense intercalari agerent, ad Ormonium, Ibernicae Proregem, litteras 7^o Januarii 1645 Oxonia datas Anglice scribens: "Rebelles (inquit) | hic consenserunt ut pacem tractarent, et certissime ex primis ac praecipuis articulis, quibus insistent, erit ut bellum in Iberos continuetur. Cui articulo, ut non subscribam et propterea tractatus interrumpatur, haud suadet popularitas. Qua consideratione duobus modis usus es: 1^o. Maturandem istic equis velisque pacem, cujus tempestiva conclusione auferetur illa *inconvenientia* cui alias obnoxius essem, si ob quamcunque aliam rationem illi articulo subscribere nollem. 2^o. Ad persuadendum cum dexteritate Ibernis periculum ipsos favoribus a me destinatis prorsus et aeternum excludendi, quod illis impen-deret, si rebelles hic aequis conditionibus pacem mecum contra-herent ea lege ut ipsos solos excluderem, quam forsitan prudentia mihi dictaret, non respuendam, si non alia nobis esset discordandi ratio quam pax Ibernica antequam istic concluderetur. Hae (credo) rationes tibi sufficiunt, quibus Iberos ad pacem legibus non iniquis diligenter expediendam inducas, quos reddes securos

741

futurum ut, si semel ipsis in pace absolvenda meam | fidem 741
 prorsus obstrinxeris, haud effecturus sit mundus universus ut
 eam non praestem. v

(8) "Sed non dubitans quin pax (cum Ibernis) absolvenda sit, iterum tibi a me inculcandum est ut Iernos urgeas, quatenus praesentaneam mihi hic et suis in Scotia amicis opem ferant, cum mihi decretum sit, pace semel cum Ibernis celebrata, meos subditos Protestantes armis instructos quam potero plurimos istinc in Walliam attrahere, et cupiam ut Iberni exercitum quam possunt maximum mittant exscensurum e navibus circa Cumberlandiam, quo fiet ut illi comitatus septentrionales ad egregium statum redigantur. Quare prompta tibi ineunda est via procurandi omnia, quae possis, navigia tam Dunkerkana quam Ibernica. Perpende autem vires post mensem Martium nonnisi maxima cum difficultate ex Ibernica in Angliam transportandas, cum rebelles in mari dominantur. Sic sedulam et exactam rationem in hujus epistolae responsionem expectans, finem facio." Hactenus Rex, qui etiam paulo | post, nempe 16 Februarii 742
 1645, ad eundem et indidem Anglice scribens. "Si (inquit) is esset quorundam arbitratus, ut pax Ibernica juxta factum tibi jam a me potestatem contrahi nequiret, aequum judicavi tibi hanc ulteriorem, quae (credo) superflua erit, facere potestatem renovandi in annum armorum cessationem quam, nisi melioribus conditionibus obtinere potueris, promittas Ibernis te ipsis coalitum adversus Scotos et Insequinnium." Haec ibi Rex, quibus addenda est alia Regis epistola eidem Ormonio 27 ejusdem mensis Februarii 1645 scripta. "Cum (inquit) meos subditos Protestantes in Ibernica per belli continuationem servandi impossibilitas me ad te illis facultatibus et mandatis, quae ante dedi, prae pacis istic concludendae studio instruendum induxerit, eaque indies evadat multo major, illa sola ratio mihi sufficeret ad ampliorem tibi faciendam potestatem, et ad injungenda mea praecepta in puncto magis positivo. Sed cum praeter has considerationes nunc manifestum sit Angliae rebelles (quantum in eorum potestate situm erat) Iberniam | Scotis disponendam 742
 reliquisse, eorumque scopum esse plenam Religionis atque
 v
 autoritatis Regiae subversionem, et nihil aliud ipsis satisfacturum aut effecturum ut pax concludatur, ex conscientiae legibus me teneri existimo ad non committendum ut istius Regni (si fieri potest) ad meum obsequium prorsus redigendi vias negligam, aut ope, quam a meis subditis Ibernis obtinere queo, frustrer prae tali conscientiae scrupulo, qui in rerum statu minus urgente

haud injuria a me sperni posset. Quare in eorum satisfactionem tibi *praecipio ut cum Ibernis pacem quanticunque constet concludas*, dum mei istic subditi Protestantes in tuto collocentur, et mea Regia autoritas sarta tecta maneat. Quo tamen non obstante pacisceris mihi, quam poteris, utilissime, nullique nisi necessitate cogente aperies ampliorem tibi factam esse potestatem. Porro tametsi hoc magnum ac necessarium negotium tibi prorsus gerendum committam, nihilominus haud possum quin tibi dicam quod, si non per aliud steterit quominus absolvendum sit quam per acti Poyningiani suspensionem quoad illas Parlamenti actorum formulas, de quibus inter vos | istic convenerit, et per praesentem legum paenaliū in Papistas latarum abrogationem statuto roborandam, hanc ego *haud duram arbitrabor pactionem*, modo se obligaverint ad me liberaliter et strenue adjuvandum adversus meos Angliae et Scotiae perduelles. In quem finem nullae conditiones possunt esse nimis durae, quae conscientiae et honori non adversentur." Haec Rex.

(9) Quatuor Regis epistolas ad Ormonium, Proregem, circa hanc pacem accelerandam scriptas, quarum primam 15^o Decembris 1644 exaratam ad exeuntem annum superiorem in medium produxeram, et tres posteriores 7^o Januarii, 16 Februarii, et 27 Februarii hoc anno 1645 datas hic tetigi, Walteros Enos, S. Theologiae Doctor, quatenus a me latine redditas, suorum librorum Anglicanorum contra pacem Ormonicam anno 1646 proscriptam in Iberniam tunc editorum secundo propriis verbis Anglicis in medium attulit pag. 22. 25. 26. et 27. Quarum epistolarum ultimam 27 Februarii 1645 datam ita pagina 23 finit ut eam usque ad praelium Nazabiense 14^o Junii hoc eodem anno 1645 inter vires regias et Parlamentarias in Anglia commissum delituisse, | sed ejus tunc apographum a Parlamentariis victoriosi in scriniis regiis ibidem inter alias manubias interceptis repertum, Londini typis mandatum et in Galliam, exindeque in Iberniam mense Julio vel Augusto eodem anno transmissum fuisse tradat. Quod etiam de illis aliis epistolis intelligendum esse crediderim. His autem Regis mandatis Ormonius morem non gessit, sed suis praestigiis effecit ut pacis tractatus in longum iverit, proindeque Rex viribus et subsidiis ex Iberniam in Angliam alias transmittendis frustratus rebellibus Anglicis et Scoticis demum succubuerit in Monarchiae et domus regiae excidium, atque ipsius Regis caedem horrendam suo loco delineandam. Quae Ormonii culpa eo gravior censeatur quod pace cum Ibernis non contracta et Rege Ibernorum viribus sic destituto, nemo sanae mentis illarum litterarum scriptarum

tempore non judicaverit illam malorum Iliadem successuram, quam, etiam ipse Rex alias secuturam saepius praesagierat, et Ormonio per praefatam suam epistolam 27 Februarii 1645 datam indicavit. Denique ipsa res in medio posita toti | Europae ante
scriptas illas epistolas demonstraverat, et tunc demonstrabat
dictos regicidas eo animum intendisse ut suas manus jam contam-
inatissimas novo illo iniquitatum diluvio conscelerarent.

(10) Ormonius tamen ita Iberniae Catholicos pacis conditionibus juxta potestatem ipsi a Rege factam concedendis frustravit, ut Regem et Catholicos ejus indies absolvendae spe millenis suis ludificationibus diu alita inescarit. Quare Iberni, sicut induciae eo fine in annum integrum mense Septembri 1643 cum Ormonio pacti erant et eosdem Comitiorum Generalium mandato 23 Augusti 1644 dato protraxerant, ita aliam earundem continuandarum datam 5^o Aprilis hoc anno 1645 invenio factam esse potestatem, aliamque eodem die et anno contrahendae cum Ormonio pacis factam tredecim personis, Montegaretto, Muscrio, Archiepiscopo Dubliniensi, Antrimio, Alexandro Mac-Donaldo, Nicolao Plunketto, Roberto Talbotto Equiti, Richardo Everardo ejusdem ordinis equestris, Dermotio O'Brien, Patricio Darcio, Zepherino Brouno, Joanni Dillono et Richardo Martino, Armigeris. Verum | nec ab his tunc pacem cum Ormonio celebratam
fuisse liquet, illo nunquam nisi moras nectente et condiciones
iniquissimas offerente. Quare ortae circa conventionem difficultates effecissent ut Confaederati inducias illas et pacis tractatum prorsus desinerent et Ormonio nedum in patriae et causae Catholicae sed etiam in ipsius Regis obsequium armis Dubliniam aliaque praesidia ei morem gerentia eriperent quod Angliae et Scotiae haereticis ita domi distractis ut ei opem ferre non valerent facillimo negotio successisset, nisi factio Ormonica in ipso Catholicorum sinu ejus machinationes secundasset. Quare Laurentius Esmond, Baro *de Lymbrek*, Duncananiae, munitissimi propugnaculi ad portus Waterfordiensis fauces siti, Gubernator haereticus, quamdiu Ormonio adhaesit sibi a Confaederatis non metuit, sed ubi rejectis induciis inter Confaederatos et Ormonium contractis ad Angliae Parlamentarios defecisset, copiae Catholicae sub Prestoni imperio ita Duncananiam obsederunt ut spreto hyemis rigore et classis | Parlamentariae, quae Esmondo in Regem et Catholicos rebelli suppetias venerat, conatu frustrato, illud tanti momenti propugnaculum 19 Martii hoc anno 1645 sibi deditum expugnarint. Nec ita quin Doctor Enos Esmondum ante ipso Ormonio clam sollicitante ad Parlamentum a Rege descivisse, et Concilium Supremum, seu potius Ormonistas in

744

744
v

745

Just.
Cap: 11.
Num. 7:

Concilio praevalentes, ad sui Ormonii suggestiones et vota Prestonum ut caepta obsidione supersederet, jussisse, sed Praestonum conjurationis technas odoratum caeptis desistere noluisse tradat, licet Ormonistae postea pro solita sinceris imponendi libidine ut se inducias in Confaederatorum utilitatem anno 1643 contraxisse, deindeque eadem mente protraxisse demonstrarent, Duncananiae expugnationem illarum fructum fuisse asseruerint, quem tamen non Ormonistarum menti nec induciis sed Deo, qui malis in bonos fines utitur, Faederati acceptum tulerint.

745 (11) Dum Comitia Generalia Kilkenniae hoc anno 1645 celebrarentur, clerus ibidem tenebat Congregationem in id incumbentem ut | inter pacem negotiandam publico Ecclesiae Ibernicae bono consuleretur. Ibi tunc mense Maio laborem illum exinde usque ad absoluta Comitia suscepisse invenio quatuor Regni archiepiscopos, nempe Hugonem O'Rellium Ardmachanum, Thomam Walshaeum vel (ut alii usurpant) Valesium Cassiliensem, Thomam Flemingum Dubliniensem et Malachiam O'Quelaem Tuamensem, praeter episcopos novem, scilicet Ossoriensem, Midiensem, Waterfordiensem, Clonfertensem, Laghleniensem, Corcagiensem, Laonensem, Clogherensem et Ardfeartensem, quorum penultimus, Emerus Mac-Mahonius, ab episcopatu Dunensi et Conerensi ad Clogherensem recens translatus fuerat. Alios tunc in regno episcopos extitisse comperio, nempe Limericensem, Imolacensem, Rapotensem, et Kilmoreensem ita rei Catholicae zelo flagrantibus ut primus decrepita aetate et secundus gravi paralisi praepediretur, et tertius a Calvinistis Scotticis apud suam Ultoniam in carcere detineretur. Eidem quoque 746 Congregationi interfuere quinque | Vicarii generales, nempe Dubliniensis, Ossoriensis, Kildariensis, Limericensis et Rossensis, multique alii e saeculari et Regulari clero dignitarii, ecclesiarum episcopalium Procuratores, parochiarum Rectores, S. Theologiae Doctores, Dominicani, Strictioris Observantiae Franciscani, Augustiniani, Jesuitae, Capucini, nominatim P. Barnabas Barnevallus, vir nobilis, doctus et religiosissimus, Capucinorum tunc in Ibernia tertio Commissarius generalis. Huic Cleri Congregationi 17 Maii 1645 proposita fuit Anglice haec quaestio diffinienda.

"Quaestio vel Casus quinque articulorum."

(12) "1° Me per totum vitam supremo Principi meo, Regi Carolo, obtemperaturum et sinceram fidem praestitutum juravi. Iste est primus mei juramenti articulus isque absolutus absque ulla limitatione.

(13) “ 2° Posteriores juramenti faederis articuli sunt intelligendi eo sensu, qui cum praecedente ejusdem articulo stet. Secus absurdum mihi | fuisset jurare me obtemperaturum omnibus jussis Concilii Supremi, qui sunt homines et errare possunt. Quamobrem non obstante illo juramenti articulo, si quid mihi praeceperint alicui priori articulo contrarium, credo me debere eorum mandato non obtemperare in trangressionem prioris articuli, in quem etsi nunquam jurassem, imo si in ejus violationem jurassem, nihilominus ad eum observandum tenerer ex Dei et Regni lege.

746
v

(14) “ 3° In articulorum reliquos primum illum sequentes juravi cum hac limitatione, nempe me illos observaturum pro viribus. Quae illae sunt nisi licitae subditi vires ?

(15) “ 4° Nullus cujusque conditionis subditus ullam habet legitimam potestatem gerendi bellum contra sui legitimi Regis auctoritatem.

(16) “ 5° Rex noster censi non potest nisi legitimus noster Rex, cum a sua Sanctitate nec fuerit excommunicatus nec declaratus haereticus, sicut fuit Regina Elizabetha.” Hactenus quaestio.

(17) Congregatio Ecclesiastica hanc quaestionem, quae | genuina Ormonistarum dogmata spirat, decidendam commisit Edmundo O'Reillio, Vicario generali Dublinensi, Thomae Rotho, Vicario generali et Decano Ossoriensi, Waltero Lynchaeo, Sacrae Theologiae Doctori, Nicolao French, Procuratori Fernensi, Olivero Darcio et Josepho Lanctono, Dominicanis, Petro Darcio, Strictioris Observantiae Franciscano, Guillelmo Salengero, vel a S. Leodegario, et Joanni Mac-Egano, Jesuitis, Barnabae Barnevallo, Franciscanorum Capucinatorum Commissario generali, Credano, S Theologiae Doctori et Procuratori Limericensi. Qui 20 Maii 1645 responderunt Anglice quod hic sequitur :

747

“ Ad primum.

(18) “ Ille juramenti faederis articulus primus ad nostram in Regem fidem spectans, licet in terminis (ut jacet) videatur absolutus et absque ulla limitatione, includit tamen essentialiter tacitam conditionem, videlicet hanc, modo ex illo faederis juramento mihi non | praescribantur, quae juri divino et naturali repugnant. Eo enim casu fidelitatis Regi praestandae juramentum in conscientia non obligat et (quod consectaneum est) eo casu ad primum juramenti fidelitatis articulum aut ramum tenetur nemo. Exempli gratia si Rex ex meo fidelitatis juramento requireret et me juberet ut Christum in Eucharistiae

747
v

Sacramento realiter esse negarem, *suprematus* juramentum susciperem, innocentem occiderem, aut ad Romano-Catholicam fidem persequendam arma sumerem, tantum abest ut Regi obedire tenerer, ut etiam in hoc casu mihi incumberet obligatio obtemperandi, insistendi, et defendendi jus divinum et naturale, nec non fidem et verum Dei cultum.

“ Ad Secundum.

748 (19) “ Ille articulus verus est servatis servandis juxta sensum nostrae responsionis ad primum articulum, nempe ut jus divinum et naturale semper praeferantur. Et quod ad Concilium Supremum attinet : Ex meo faederis juramento haud omnibus ejus mandatis obtemperare | teneor, nisi cum hac limitatione, scilicet illis mandatis, quae ad causam publicam pertinent. Quare semper eorum jussis morem gerere debemus, cum eo ut jus divinum et naturale observare et defendere jubeant.

“ Ad Tertium.

(20) “ Potestas, quae per associationis jusjurandum intelligitur, re ipsa est legitima subditi potestas, qua quilibet subditus, quoties, juxta primae responsionis exempla vel similia, necessitas urget, potest, tenetur, et obligatur ex conscientiae regulis ad legem divinam et naturalem, nec non ad religionem et verum Dei cultum tuendum et asserendum.

“ Ad Quartum.

(21) “ Toti illo articulo subscribimus modo in subditorum jura non involetur contra jus divinum aut naturale.

“ Ad Quintum.

748 v (22) “ Respondemus casum esse adeo planum ut quaestio potius malitiam quam religiosum conscientiae dirigendae desiderium sapiat, | et in subdito bono veram religionem ac fidem in Principem semper inter se concordare.” Hactenus responsiones.

(23) Die ejusdem mensis Maii 25 ex parte diversorum laicorum, qui Comitiorum Generalium membra agebant, tacitis nominibus Anglice proposita fuit cleri Congregationi haec quaestio :

(24) “ Supposito, agnito, et approbato quod hoc Catholicum bellum sit justum et legitimum, quaeritur utrum inter pacis, quae, ut nostrorum Confaederatorum Catholicorum vitae, liber-

tates, et bona in tuto ponantur, ex speciali suae Majestatis mandato inter nos et alias partes (Protestanticas) etiam suae Majestati adhaerentes nunc concludenda est, tractatum, iidem Confaederati Catholici ex faederis juramento vel alia conscientiae regula teneantur expressum obtinere articulum a partibus *Protestanticis* de servandis penes nos illis ecclesiis, Abbatiis, monasteriis, et sacellis, quae nunc possidemus et in veram Dei venerationem | recuperavimus. Circa quod observandum est suam Majestatem, (sicut suggeritur) si quis ejusmodi articulus interpositus fuerit, ineundis pactis destitutam et in magnum totius partis nostrae vitarum, bonorum, ac libertatum periculum nulli paci inter nos et praedictas partes pangendae subscripturam, sed (sicut ulterius urgetur et suggeritur) concedendam a sua Majestate religionis permissionem modo ejusmodi articulus (sicut jam dictum est) expressus non postuletur." Hactenus illa quaestio, quae a clero exinde per aliquot dies ita operose agitata fuit ut demum data sit Anglice haec responsio :

749

(25) " Nos, invocato Spiritus Sancti auxilio et praevia circa eandem quaestionem atque ejus circumstantias matura deliberatione, ex unanimi nostro in dicta Congregationis domo pariter sedentium assensu et consensu respondemus, declaramus, et concludimus Faederatos Catholicos jam dictos juxta tenorem et genuinum sensum juramenti faederis, nec non secundum legum et sacrae Theologiae placita, teneri in conscientia ad | specialem articulum praefato pacis tractatui absolute expresse et clare inserendum in scopum per quaestionem significatum. Quo articulo non concesso si Faederati Catholici circa alia temporalia conventionis capita, verbi gratia, circa eorum bona et ad concordandum processerint, declaramus eos fore juramenti faederis violatores et legis Divinae transgressores."

749

v

Rationes Congregationis ad disceptationem spectantes, quibus praefata declaratio et decisio nixa fuit, ab ipso clero Latine traditae, vel saltem sic mihi communicatae.

(26) " 1a Ratio. De Fide est necessarium esse templa et loca sacra a Catholicis destinari ad cultum Dei. Ergo non possunt Catholici Faederati dicta templa sacerdotibus auferre et Protestantibus vel ipsi Regi restituere.

Suares.
T. 3^o in 3^{am}
part. 9.
18 Sect. 1.
concl. 1^a

(27) " 2a. In saecularibus nullum est jus aut dominium in ecclesias, quia hoc dominium est jus spirituale aut spirituali annexum, ergo neque possunt Catholici ecclesias restituere, nec

750 Rex auferre, neque possunt praelati et ecclesiastici Regi dare ecclesias, quia | eorum potestas est in aedificationem non destructionem. Probatur ex S. Paulo, 2 Cor. 10. St. Ambrosius recusavit tradere vel unam basilicam Valentiniano Imperatori, asserens ecclesiam esse jus Dei et non Caesaris. *Solvimus* (inquit S. Ambrosius) *quae sunt Caesaris, Caesari, et quae sunt Dei Deo. Tributum Caesaris est. Non negatur. Ecclesia Dei est. Caesari itaque non debet addici, quia jus Caesaris esse non potest Dei templum.* In Orat. contra Auxentium. Et alibi dicit idem Sanctus: *ad Imperatorem pertinent palatia, ad sacerdotem ecclesiae.* Ep. ad Soror. Idem fecerunt S. Basilius et S. Chrisostomus. Ergo et nostri praelati tenentur basilicas non tradere vel ipsi Regi.... Catholici saeculares Mediolani exposuerunt vitam periculo pro basilica retinenda adversus armatos Valentiniani milites et Gothos destinatos ut basilicam raperent, et id fecerunt approbante S. Ambrosio. Ergo tenentur Confaederati Catholici Iberniae non tradere basilicas. Imo potius tenentur pugnare pro ecclesiis defendendis.

750 v (28) " 3a. Tradere ecclesias haereticis pro pace | habenda via pacti esset ingentissima infamia genti Ibernicae, nulla aetate delenda. Quid enim turpius in oculis Dei et hominum quam nos, qui Christiano Orbi persuasimus bellum a nobis praecipue ob religionem tuendam et ecclesias vindicandas susceptum esse, ecclesias in nostra potestate positas et consecratas iterum Protestantibus et habitatoribus Canaan restituere, idque hac tempestate cum sumus numero, viribus, armis, et numis hoc regno parte Protestantica longe superiores.

(29) " 4a. Scandalum inde passivum progignetur quod Ibernica gens Catholica, et ubique terrarum et titulo et nomine celeberrima, pro suis possessionibus temporalibus, dominiis, praediis, vita, libertatibus paciscatur, et articulos securitatis ac indemnitate proponat, neque in pacem inclinet aut consentiat, nisi omnia illa in tuto fiant et tamen pacisci omittat pro religione et ecclesiis.

751 (30) " 5a. Jurarunt Confaederati Catholici se defensuros et asserturos liberum et publicum exercitium Romanae Catholicae fidei et religionis per totam Iberniam, et justa | jura omnium, qui se eodem juramento astrinxerunt aut astringent. Sed templa et ecclesiae sunt jus sacerdotum. Ergo tenentur Catholici vi juramenti ecclesias tueri pro sacerdotibus. Insuper illud juramentum interpretandum est et sumendum juxta litteram sine ulla aequivocatione aut mentali reservatione, uti dicit appendix consensu Comitiorum publicorum addita. Ergo et putandum est

mentem omnium in juramento unionis praestando fuisse liberum religionis exercitium in ecclesiis et templis (uti fieri assolet ubi fides et religio Catholica praevalent). Non in domibus privatis debere celebrari. Ipsi melius norunt emisere. Objicitur : ecclesiae non sunt de essentia religionis. Ergo non tenemur vi juramenti illas retinere. Respondetur negando consequentiam, quia propter rationes supra datas tenemur eas retinere, licet non sint de essentia religionis et vel propter hanc rationem.

(31) "6a. Ratio quia repetuntur a nobis ecclesiae in odium religionis, ergo tenemur eas non restituere." Hactenus cleri rationes. |

(32) Ex quodam loco colligo quaestionem praefatam 25 Maii propositam diebus subsecutis ita fuisse agitatam ut nonnisi 31 Maii ad vesperam clerus in praefatam sententiam iverit, subscribentibus triginta duobus ecclesiasticis, et inter hos Regni Primate cum tribus aliis archiepiscopis et septem episcopis, sed abnuentibus tribus, qui (inquit author meus) *vel intra vel valde prope terminos factionis adversae resident et nati sunt*. Porro Ormonius ex altera parte haud se in pacem consensurum affirmabat, nisi ea lege ut ecclesiae haereticis restituerentur, quae ejus instantia Comitibus Generalibus Kilkenniae proposita effecit ut sequens actum Anglice conditum fuerit :

9^o Junii, 1645.

(33) "Unanimi consensu ab his Comitibus decernitur quod circa postulationem a D. Marchione Ormoniae, Prorege, Iberniae tractandae pacis Commissariis factam, ut scilicet Protestantium clero ecclesiae restituerentur, nostri Commissarii id absolute recusabunt, et *Instructionum Commissarii* in hunc finem monita praeparabunt. Ex. per Philippum Kearneum generalem Comitiorum Clericum." |

(34) Itaque hic observemus tres partes, clerum decernentem ut pax, nisi articulo quo ecclesias haereticis non restitutum iri caveretur inserto, haud contraheretur, Ormonium Protestantium nomine instantem ut ecclesiae haereticis restituerentur, et Comitibus Generalia mediam inter utrumque extremum tenentia viam ac statuentia, non ut articulo circa ecclesias nunquam haereticis restituendas juxta cleri decisionem jam datam expresse obtinendi insisteretur, sed ut eorum Commissarii ad pacem cum Ormonio, Prorege, contrahendam de novo allegandi praefatae

ejus postulationi scribere recusarent. Rebus ergo ad hunc statum redactis *Instructionum Commissarii*, exceptis aliquot archiepiscopis et episcopis illius caetus membris, praefatam cleri responsionem et quaestionis propositae decisionem molestissime tulerunt, affirmantes fuisse malitiosam, seditiosam, perniciosam, falsis fundamentis subnixam, imperite procusam, tendentem in discordiam, eoque spectantem ut omnes conditiones, gratiae, et favores a Rege circa | religionem in pace tractanda assequendi haberentur nuda exercenda religionis Catholicae permissio aut conniventia, proindeque Congregationem ecclesiasticam suas partes potius acturam si ejusmodi decisioni regni concordiam (ut aiebant) tantopere turbanti nisi consciis ipsis *Instructionum Commissariis* non subscripsissent. Denique male eos habuit se, nisi illo circa ecclesias haereticis nunquam restituendas articulo expresse obtento, censendos juxta cleri decisionem faederis juramenti temeratores ac perjuros, adeoque statuerunt procurandam ut clerus illam suam decisionem refigeret, vel certe hoc non obtento concluderunt se, sicut expedire judicassent, in rebus gerendis processuros, nec sibi sed clero vitio vertendum si pax iniquis conditionibus contraheretur. Porro hanc eorum contentionem auxit et suffulsit illud Comitiorum Generalium decretum 9^o Junii conditum, quo Comitiae mediam viam inter duas alias priores ex diametro oppositas, nempe inter cleri decisionem | et Ormonii postulatam iniverant. Idque ita ut si non plerique certe multi, de cleri rebus minus quam par esset solliciti, causarentur per hanc viam mediam a se excogitatum perinde ac per illum articulum, quae clerus postulandum decreverat, rerum ecclesiasticarum securitati consultum iri, paceque contracta futuras penes Catholicos tot civitates, oppida, et propugnacula, ac non omne quidem sed tantum regni robur ut ab haereticis ad restituendas ecclesias cogendi non essent, etiamsi nullo expresso articulo caveretur ne iisdem haereticis redhiberentur. Quam tamen amborum conditionum aequipollentiam clerus magnaue ipsorum laicorum etiam procerum ac nobilium, qui in Comitibus suffragarentur, pars jure merito inanem et praestigiosam ac in Ormonistarum ad sui Ormonii fraudulentissimas suggestiones saepe deliberantium officina politica cusam esse asseverabant.

(35) Antequam ulterius progrediar, semel dicam | in Ibernia archiepiscopos, episcopos, et alios multos regni praelatos, praesertim quosdam abbates, non solum in Ecclesiasticis Congregationibus, sed etiam ex speciali temporum Catholicorum praerogativa solitos fuisse in regni Comitibus et Parlamentis

sedere et suffragari, fuisseque Dominos, non solum ecclesiasticos sed etiam parlamentarios. Quare si causa Catholica in hoc Faederatorum bello pro merito tractata fuisset, non solum archiepiscopi et episcopi, sed etiam alii monasteriorum praelati, quibus competeret, hoc jus sibi ab haereticis sub haeterodoxis Angliae Principibus extortum et pseudo-episcopis concessum resumpsisent. Verum ita Ormonistarum industria politica praevaluit ut Urbano VIII. sub speciosis praetextibus supplicatum sit ne episcopi in Iberniam multiplicarentur, nec praelati monastici postliminio restituerentur, quos etiam ad suffragandum in regni Comitiiis non admiserunt. Denique his technis factum | in grave causae Catholicae praejudicium ut nec dicti praelati monastici, nec diaecesum vacantium Vicarii Apostolici, sed soli archiepiscopi et episcopi, iique numero quam per esset pauciores, tanquam praefato jure recuperato in Catholicorum Comitiiis sedere, suffragari, et deliberare consueverint. Quorum alii in *Instructionum Commissarios*, alii ad alias provincias publicas obeundas, sed intermistis majore numero proceribus atque aliis laicis assumebantur. Dum ergo Generalia Regni Comititia subinde celebrabantur, praelati ibidem et interea cum aliis e clero in congregatione Ecclesiastica seorsim sedente rebus spiritualibus invigilabant, et in Comitiiis nec non in aliis subordinatis Faederatorum consessibus cum laicis puncta distribuebant et sententias in suum statum quadrantibus dicebant.

754

(36) Itaque (ut eo, unde digressi sumus, redeamus), praefata contestatione circa modum, quo inter pacem concludendam ecclesiae in tuto ponerentur, callente, illi antistites, qui cum laicis *Instructionum Commissarios* agebant, | collegarum laicorum animi molestia Congregationi Ecclesiasticae relata finem fecerunt, affirmantes *opus esse consilio*. Qua eorum legatione audita clerus, cum nihil sibi conscius esset, metum posuit. Nihilominus concordiae fovendae et regni servandi studio Robertum Barrium Vicarium apostolicum Rossensem, Walterum Linchaeum S. Theologiae Doctorem, Thomam Rothum Decanum et Vicarium generalem Ossoriensem, P. Oliverum Darcium Kilkenniae Dominicanorum *Priorem*, et Nicolaum French ipsi Congregationi Ecclesiasticae a secretis, ad *Instructionum Commissarios* allegarunt cum responsione in quam praevia deliberatione consenserant ab ultimo referendam, quam et totius Congregationis nomine cum pondere et gravitate ita ille retulit ut a Commissariis quidem laudem reportavit, sed ipsis non satisfecerit, quod responsio non esset cleri palinodia sed apologia. Quare Praelati Commissariorum jam dictorum numero ascripti cleri

754
v

755 Congregationem denuo | monuerunt Commissarios collegas suos majorem expectasse satisfactionem, et alias metuendum ne contestatio in regni ruinam redundaret. Quamobrem concordiae inter partes fovendae causa quaestionem sibi 25^o Maii propositam et responsionem a se super ea 31^o Maii datam Instructionum Commissariis miserunt, addentes de novo Anglicanam ejusdem responsionis explanationem ab eodem D. Nicolao French referendam. Quorum trium actorum duo prima superius habes. Quare ea tantum hic inchoanda, sed tertium ad longum Latine reddendum duxi.

“ Quaestio clero proposita, cleri Responsio, et responsionis explanatio.

(37) “ Cum quaestio Congregationi Ecclesiasticae proposita fuerit in haec verba : *supposito, agnito et approbato* etc. Et responsio facta fuerit in haec verba : *Nos invocato Spiritus Sancti auxilio*, etc.

755 v (38) “ Haec decisio ejusdem Congregationis Ecclesiasticae | mandato formata, sicut nobis oblata et diversis ejusdem Congregationis membris, quo proponentium conscientiae sedarentur, tradita fuerat, sic emanavit, ut nonnulla exemplaria honorabilibus *Instructionum Commissariis* communicata sint, quibus decisio visa est injuriosa, velut quae falsis fundamentis nitatur, in qua rerum etiam gravium Comitibus Generalibus decretarum ratio non habeatur, et consequenter quae (sicut ab ipsis allegatur) praesenti pacis tractatui nec non causae communi praejudicet. Quare instant ut velut talis retractetur. Ad quam eorum postulationem Congregatio Ecclesiastica respondet eandem Congregationem ad illam quaestionem, sicut ipsis proposita fuerat, directe et vere respondisse ea mente ut proponentium conscientias (sicut superius praelibatum est) pacarent et nullius bonam famam aut reputationem laederent. Quod si quaestio aliter proposita fuisset, aliter respondissent. Nec responsio illa tulit ullum, qui faederis | juramentum susceperat, sui jurisjurandi esse violatorem nec eum velut talem sugillat, nisi re ipsa juramentum violaverit. Quare Congregatio sic illam responsionis praedictae partem explanat, praedictaque omnia Congregationis Ecclesiasticae sententiam esse ego jussus fui declarare, sicut per praesentes declaro, et in rei fidem subscribo 16 Junii 1645.

Nicolaus French,

Protonotarius Apostolicus, secretarius convocationis Ecclesiasticae.”

(39) Nec haec responsionis ante a clero datae explanatio *Instructionum Commissariis* satisfacit. Quare aliquot Praelati, eorundem Commissariorum collegae, iterum apud Congregationem Ecclesiasticam institerunt ut aliam responsionis suae explanandae viam inirent, ne dissidium incresceret. Quamobrem clerus hoc aliud actum Anglice edidit :

“ Quaestio.

(40) “ Cum Faederati Catholici in eorum Comitibus | propositionem ab Ormoniae Marchione factam et postulatum ab eo interpositum, nempe ut clerus Catholicus ecclesias restitueret, absolute detrectaverint, sed dicti Catholici Faederati decreverint non postulare positivum et expressum articulum, quo caveretur ne dictus clerus Catholicis ecclesiis spoliaretur, nunc quaeritur nunquid iidem Confaederati Catholici propterea censendi sunt juramenti Faederis transgressores, praesertim cum Congregatio Ecclesiastica paulo ante declaraverit praefatos Catholicos Faederatos fore ejusdem sui juramenti associationis temeratores, si nullis ejusmodi articulis in ecclesiae favorem obtentis pacis tractatum absolvent, pactis articulis, quibus sua bona temporalia in tuto ponerent.”

756
v

“ Congregationis Ecclesiasticae Decisio.

(41) “ Supposito quod absoluta, cujus in quaestione mentio fit, detrectatio una cum favorabilibus conditionibus, quibus caveatur ut | praesidia bene vallata a nobis possideantur, leges paenales refigantur, etc., clerum de ecclesiis aequè securum reddat ac positivus et expressus articulus, cujus in quaestione mentio habetur, redderet, sicut *Instructionum Commissarii* ob rationes sibi melius notas affirmant rem ita se habere. Nos declaramus praefatos Comitiorum Generalium Catholicos Confaederatos (non obstante nostra decisione aut declaratione quacunque) haud futuros faederis juramenti violatores, licet nullum obtineant positivum et expressum articulum pro ecclesiis. Ratio nostra est quia absoluta illa detrectatio, supposito (sicut a *Commissariis* supponitur) quod non minus quam expressus articulus ecclesias in tuto ponat, evadit in substantia positivus et expressus articulus, et consequenter haec nostra declaratio in substantia neutiquam repugnat primae nostrae Decisioni, qua declaravimus praefatos Confaederatos Catholicos in conscientia teneri ad paciscendum positivum ac expressum articulum in

757

757 ecclesiarum | securitatem, et aliter facturos (modo ea lege ut sua
v bona temporalia obtinerent, pacem contraherent) fore sui iuramenti faederis transgressores. Quod non contingit cum consenserint bona (sicut supponitur) fide in absolutam detrectationem, quae in substantia (sicut supponitur) positivo atque expresso articulo aequivalet." Hactenus clerus.

(42) Sed nec hoc etiam acto pacati *Instructionum Commissarii* atqui ulterius conquesti sunt clerum per suas decisiones sibi et posteris perjuriis maculam misisse. Quare solito vehementius presserunt ut sua fama repararetur, Protestantes alias futurum ut a clero secederent, et ulterius nec bello nec paci se immiscerent. Denique Nicolaum Plunkettum et Patricium Darcium, duos armigeros, Concilii Supremi albo ascriptos, ad Congregationem Ecclesiasticam destinarunt, qui unus post alterum duas nervosas orationes ad Congregationem habuerunt, 758 enixe rogantes ut *Instructionum | Commissariis* multum irritatis aliqua via rationi consentanea satisfacerent, et ingenue fatentes ab initio quidem etiam ipsis conscientiam dictasse quod positivus atque expressus articulus, quo caveretur ne ecclesiae haereticis restituerentur, foret via securior, sed jam cum Comitum Ormonii ecclesias repetentis postulationem detrectandam decreverint, nec articulo positivo sed huic detractationi insistendum senserint, tractandae pacis Commissariis ab hoc praescripto deviandi non superesse facultatem, sed esse cur speraretur futurum ut omnia faeliciter succederent. Clerum quoque ad quaestionem falso propositam respondisse, illamque responsionem haud ad aliud profuturum quam ut Commissarii Comitum Generalium praescripto institutis in propriam et posterorum ignominiam iuramenti faederis violatio exprobraretur. Nonnullis etiam 758 rationibus politicis suadere conati sunt faelicem | tractandae pacis progressum anteriore illa cleri decisione praepediendum in ipsorum ecclesiasticorum detrimentum. Denique perorarunt coram Deo protestati metuendum ne secus fatalis Faederatorum discordia ex eo fonte pullularet, atque adeo obsecrarunt clerum ut prae Dei amore se perinde patres ac praelatos praestarent, nec minus charitatem quam auctoritatem exercerent.

(43) Cleri congregatio cum hos duos Armigeros tanquam toto consessus generalis tempore binos ecclesiae pugiles tunc magni facerent, primum rogarunt, ut aliquantisper abscederent, deindeque, consultatione absoluta, revocatis responderunt se ex conscientiae dictatis suam primam decisionem condidisse,

nec esse cur se ejus paeniteret. Eam tamen sibi esse in ipsorum integritate et probitate fidem, ut ex communi deliberatione totam controversiam ipsis, nec non uni Ecclesiasticorum pari, nempe DD. Waltero Linchaeo et Nicolao French, diffiniendam commiserint. Bini autem | causarum forensium patroni ob 759
eam de se conceptam a clero opinionem gratias egerunt, et hac cleri sententia ad Instructionum Commissarios relata iisdemque libenter probata, praefati quatuor arbitri tunc ipsum ad horam nonam pomeridianam contestationis capita et fundamenta ita discutere caeperunt, ut ad horam undecimam pomeridianam imminente media nocte in hoc actum ab ipsis Anglice cusum consenserint, Congregationis Ecclesiasticae autoritate munien- dum ejusque nomine exacerbatis laicis tradendum.

“ Per Ecclesiasticam Congregationem.

(44) “ Cum quaedam quaestio a certis personis Congregationi Ecclesiasticae proposita fuerit in haec verba: *supposito, agnito et approbato quod hoc, etc.* Haec quaestio a Congregatione Ecclesiastica decisa est his verbis: *Nos invocato Spiritus Sancti auxilio etc.*, ut supra.

“ Explanatio.

(45) “ Licet, qui quaestionem jam dictam proposuerunt, | 759
eam bona fide juxta ipsorum sententiam praesentarint, nos tamen eandem quaestionem cum omnibus circumstantiis necessariis et requisitis haud propositam fuisse, proindeque falsis fundamentis niti, et praesentium temporum ac negotiorum conditionibus haud congruere reperientes, eapropter atque ob alias graves rationes nobis constantes declaramus dictam nostram decisionem haud ita extendendam et nullatenus sic intelligendam, ut extendi possit ad Comitiam Generalia vel ad ullum eorum membrum, velut qua (sive de omnibus sive de illorum quovis quaestio sit) haberentur aut censerentur sui juramenti faederis violatores ob quodcumque actum aut causam in iisdem Comitibus conclusam circa ea quae dicta quaestio continet. Hanc esse Congregationis Ecclesiasticae sententiam ut declararem, mihi injunctum fuit, sicut per praesentes declaro. In cujus rei fidem manum appono, 16 Junii, 1645.

Nicolaus French, Protonotarius Apostolicus et secretarius Convocationis Ecclesiasticae.” |

(46) Hac explanatione postridie Congregationi Ecclesiasticae 760
communicata disceptatum fuit an quidpiam primae cleri decisioni

contrarium contineret. Conclusumque est non continere, jacto in fundamentum quod via illa media a laicis excogitata articulo positivo, quo de ecclesiis retinendis caveretur, aequivaleret. Quare cum illa explanatio Congregationi Ecclesiasticae rata esset, eam praefati duo Ecclesiastici, D. Walterus Lynchaeus et D. Nicolaus French, Instructionum Commissariis tradendam transportarunt. Commissarii autem ea publice lecta adeo contenti fuere, ut clero ob charitatem et operam velut discordiis componendis utiliter adhibitam gratias egerint. Caeterum videbimus clerum tunc deceptum postea ab hac postrema sua sententia abhorruisse et priori institisse, cum experientia compertum habuissent quam tenuem in Ormonistarum fide et illa via media ab ipsis excogitata spem collocare deberent.

760
v (47) Praeter praefatam quaestionem tantopere agitatam | aliae quoque 2° Junii clero propositae fuere, praesertim quatuor. 1°. Utrum Confaederati tuta conscientia possent ut pace semel contracta celebraretur Parlamentum in quo episcopi Catholici suo antiquo suffragandi jure privarentur. Decisum autem fuit non posse, quod episcopis ita injuria inferretur. Proximo pareretur scandalum, fidei causa in illo Parlamento a Catholicis cum prorege atque aliis haereticis magno numero interfuturis agenda periclitaretur. Perjurium in faederis juramentum committeretur, et usurpata pseudo-episcoporum in ejusmodi Parlamento substituendorum auctoritas tacite approbaretur. 2°. Utrum omnibus rite consideratis esset tunc Confaederatis Iberniae Catholicis moraliter impossibile ut bellum prosequerentur. Et responsum fuit negative. 3°. An liceret cum Protestantibus pacem inire ea lege ut praelatis Catholicis jurisdictionis fori exercendae libertas auferretur. Licere autem pernegarunt, quod talis jurisdictio praelatis jure divino competeret. 4°. Utrum Confaederatis liceret cum Protestantibus pacem contrahere ea conditione | 761 ut Catholicis quidem illae ecclesiae, quas tunc possidebant, relinquerentur, sed alias tunc a Protestantibus possessas nunquam repeterent. Cujus quaestionis decisione in diem posteram reiecta, postridie decisum fuit ultimam conditionem fore illicitam quod, contra jus divinum, Evangelii cursum sisteret et fidei propagationem impediret.

(48) Eodem 2° Junii 1645 alia clero proposita fuit quaestio, quam altius repetere licet. Nempe ad annos etiam hujus belli anteriores ille Eduardus Shelleius, sacerdos Anglicus, Clanricardii sacellanus domesticus, cujus ineptias superius tetigi, et alii ex simili Phariseorum fermento compacti, si non Anglici certe



Anglo-Iberni, in Anglo etiam haereticos quam in Iberniae Catholicos propensiores, ex quibus quendam Greenum et Salum fuisse reperio, non solum privatis colloquiis et clanculariis suggestionibus, sed etiam libellis seditiosissimis per totam Iberniam clam dispersis, operam dabant ut Iberniae Catholicis persuaderent ipsis in Regem atque ejus partes etiam haereticos bellum gerere non licere. Cumque ipsorum Faederatorum, | praesertim Anglo-Ibernorum, plurimi in gravissimam faederis Catholici perniciem Ormonio studerent, et in id animum intenderent ut in aliorum Confaederatorum ac in Ecclesiae Ibernicae damnum sed in suum ipsorum commodum iniquam cum eo pacem inirent, ea propter et ob innumera alia hujus conjurationis specimina sincerae faederatorum partes suspicatae sunt illos reipublicae tenebriones et turbines haud illis impiis dogmatibus in vulgus spargendis operam dedisse, nisi Ormonistis, praesertim illis ex ea Ormonii factione, qui in Concilii Supremi senatu praevalerent, si non instigantibus certe libentissime conniventibus quo faederatorum animis illa perversae doctrinae novitate occupatis, ipsi iniquam pacem cum Ormonio celebrandam facilius intruderent. In hujus tamen instigationis aut saltem conniventiae suspicionem vocati solitis ludificationibus se de ea purgare conati sunt, usque adeo ut non solum sincera Concilii Supremi pars, sed etiam ipsi Ormonistae Concilii albo ascripti episcopos rogarint, quatenus pernicio- | dictorum libellistarum dogmata refutanda curarent. Clerus autem in hujusmodi haereticorum fautores graviter multandos decrevit mense Novembri, 1644, sicut ex actis a Congregatione Ecclesiastica tunc Kilkenniae latis et superius positis liquet. Quae Doctor Enos in horum libellistarum animadversionem condita fuisse tradit. Quare libellistas illos non solum Protestantibus sed etiam ipsis Puritanis in Catholicos studuisse colligo, cum illa Congregationis Ecclesiasticae decreta eo spectaverint ut non solum hujus belli sancti aequitas et justitia generaliter praedicaretur, sed etiam specialiter Puritanorum fautores retusis eorum telis revincerentur. Porro clerus horum libellistarum nequitiae valentius obviaturus praefato Doctori in mandatis dedit, ut libro in lucem edito pravas eorum opiniones refutaret. De quo ipse Doctor Enos ad annum circiter 1657 mentionem faciens: "Ante (inquit) duodecim annos de mandato et auctoritate Supremi tunc Faederatorum Concilii libellum de justitia armorum eorundem Faederatorum composui contra quosdam libellistas, qui arma illa sive bellum sanctum pro | religione susceptum injustitiae insimulabant eo potissimum

761
v

762

Iust.
Cap. 32.
Num. 6.762
v

nomine, quod sine autoritate regia arma suscepimus. Contra quos sequentes duodecim propositiones edidi. 1°. Per autoritatem Principis ad bellum offensivum legitimum necessario requisitam intelligitur autoritas sive Ecclesiastici sive saecularis Principis. 2°. Bellum defensivum legitime fieri potest absque ullius Principis autoritate. 3°. Catholici Faederati licite praevenire poterant injurias et invasiones, quas illis minati sunt hostes. 4°. Ecclesia Catholica auctorare potest bellum a Faederatis Catholicis susceptum, et bellantibus indulgentias per modum jubilaei concessit. 6°. Quatenus haeretici a fide apostatae et tyranni puniri et armis impeti possunt Principum securitas per doctrinam Catholicam firmatur. 7°. Bellum a Faederatis Catholicis contra Parlamentarios rebelles eisdemque adhaerentes susceptum minime mutatur in bellum offensivum contra Regem, quamvis paci, quae in detrimentum fidei Catholicae cedat, non acquiescant. | 8°. Catholici Faederati hisce temporis et tumultuum circumstantiis, qua justitia armorum susceptorum fulciatur, neque Principis neque praelati auctoritate indigent. 9°. Stipulatio Regia, solemne juramentum in Regum inauguratione praestitum, et leges, quas vocant fundamentales, regni Angliae Regem obligant, ut illam defendat religionem, pro cujus defensione Catholici Iberniae arma sumpserunt. 10°. Dicta stipulatio Regia et juramentum a tempore haereseos violata fuerunt et mutata et gladius Regi datus, quo Ecclesiam defenderet, in ejusdem Ecclesiae ruinam exertus est, dictaeque fundamentales leges eversae sunt. 11°. Catholici Faederati sine conscientiae naufragio cum fucatis Protestantibus faedus inire possunt, quod in detrimentum Catholicae fidei non cedat. 12°. Non tamen possunt, si in detrimentum ejusdem fidei cedat." Haec Doctor Enos. Itaque Congregationi Ecclesiasticae 2° Junii 1645 propositum fuit an liber ille, cujus prima capita ex ipso auctore in medium produxi, typis mandaretur, quae 23 Junii decrevit ut liber a Waltero Lynchaeo, S. Theologiae Doctore, Thoma Rotho, S. Theologiae Doctore, Decano et Vicario | generali Ossoriensi, Nicholao French Congregationi a secretis, P. Dominico Nugent vel Stephano Langton Ordinis Praedicatorum, P. Josepho Everardo vel Petro Darcy, Ordinis Minorum, et P. Guillelmo Salingero Jesuita, examinaretur et non nisi ab ipsis approbatus publicis cleri Ibernici impensis excuderetur. Verum libro jam approbato et media circiter ejus parte typis mandata, licet Concilium Supremum ut ederetur antea praescripserit, "invalescere tamen tractatu (inquit idem Doctor) de pace cum

763

763
vibid.
num. 2.

Ormonio ineunda, ne talis liber semel editus Faederatos ab hujusmodi pace ineunda revocaret, rogarunt viri consulares ut author ad tempus saltem desisteret, donec novum ab illis reciperet mandatum. Tantum vero abest ut novum dederint, ut etiam post inita cum haereticis faedera sceleratissima iisdem pene omnibus usi sint argumentis, quibus olim usi fuerant libellistae ut illorum faederum justitiam directe et armorum Faederatorum injustitiam indirecte probarent." Haec ille, qui propterea tradit libellistas aequae ab Ormonistis atque ab ipsis haereticis excitatos, ut Catholici jactis dissidiorum zizaniis se invicem depascerent. | 4^o Julii 1645 pridie quam Comititia Generalia missa essent, cleri Congregatio jam dicta, sibi et gregibus suae curae commissis ab Ormonistarum machinationibus metuens, duos episcopos, nempe Waterfordiensem et Clogherensem, nec non duos alios inferioris gradus ecclesiasticos, scilicet D. Waltherum Lynchaeum et D. Nicolaum French, in suos cooptavit procuratores, qui Comititiis et Congregatione dissolutis usque ad proxima Regni Comititia mense Augusto indicenda Kilkenniae residerent, ibique Ecclesiae Ibernicae rebus ita invigilarent ut, si quid a laicis in ejus praejudicium concluderetur, cleri nomine contra id protestarentur. Ormonistae enim millenis artificiis ita sincere Catholicorum parti fucum faciebant ut tamen prudentioribus de eorum conjuratione et machinationibus haud parum constaret ab Ormonio, suae factionis coryphaeo, fascinatorum, et per occultas molitiones speciosis praetextibus velatas eo ruentium ut pacem iniquissimam cum Ormonio contraherent, qua fieret ut ille tanquam prorex etiam in Catholicos dominaretur, et sub ejus imperio Ormonistae non solum se et sua in tuto collocarent, sed etiam praefectarum ac dignitatum mercede ab Ormonio impertirentur, aliis depressis fidei causa male tractata, et haeresi atque haereticis contra faederis Catholici juramentum postliminio restitutis. A qua conjuratorum mente abhorrentes veteres Iberni pene omnes et ipsorum Anglo-Ibernorum plurimi se accingebant ad insurgendum in Ormonium et Ormonistas et ad haeresim bello viriliter eliminandam, si id genus pax nationi nedum Ecclesiae Ibernicae exitialis intrudenda esset. Extremum tamen remedium non nisi extremo malo adhibitori ita expectabant rerum exitum ut Ormonistae in Regni Comititiis in Concilio Supremo inter *Instructionum* et pacis tractandae Commissarios, denique inter omnes regni magistratus numerosi et a multis etiam viris sinceris sed fucorum specie circumventis secundati, adversae Catholicorum partis conatus enervare conati sint

ibid.
num. 6^o

764

764
v

765 sequenti decreto a | Comitii Generalibus vel saltem eorum nomine pridie quam soluta essent Anglice condito :

“ *Per Confaederatorum Iberniae Catholicorum Comitia Generalia.*

(49) “ Cum diversae declarationes et protestationes, quae in nostrae religionis, regiminis, et unionis praejudicium vergere possent, a quibusdam intra Faederatorum Catholicorum limites et districtum se tenentibus, circa conditiones, quibus pax, de qua nunc agitur, ab iisdem Comitii Generalibus in hoc regno concludenda vel bellum continuandum est, illicite et indebite per secretas ac sinistras molitiones et conatus clandestinos nuper obtentae fuisse dicantur, et ejusmodi se gerendi ratio fundamentalibus hujus regni legibus, quas ex faederis juramento observare tenemur, repugnet, illegitimaeque id genus protestationes ac declarationes non solum omni bono regimini et praesenti dictorum Catholicorum unioni exitiales sint, sed etiam
 765 in quovis bene instituto Principatu ac Republica | nobis imitanda
 v vindicentur, et honorabilibus, piis, ac religiosis dictorum Comitiorum, ad quorum decreta et mandata exequenda observandaque iidem Faederati Catholici omnes et singuli, eorumque partes associationis jurejurando se obligarunt, consiliis ac processibus praejudicent, dictaeque declarationes et protestationes (si obtentae sunt) non nisi commentis falso allegatis concessae fuerint a personis ignorantibus rationes inducentes dicta Comitia ad illa eorum instituta et deliberationes, quae, si recte intelligerentur, cuicumque pro Catholico in rebus ad conscientiam spectantibus et cujusvis ratione ducto beneque affecto in iis, quae ad fidelitatem Principi debitam et propriam securitatem pertinent, satisfacerent. Nos ergo praefata mature considerantes et periculosa eventa, tam in nostrae unionis dissolutionem quam in extremam hujus regni ruinam ac excidium exinde nascitura, suis ponderibus librantes, statuimus et declaramus hactenus contextas (si contextae sunt) protestationes jam dictas omnes et singulas surreptitiae et falsis fundamentis ac praetextibus fuisse obtentas, et in tumultum ac seditionem,
 766 nostraeque | associationis violationem tendere, proindeque suppressas tanquam libellos famosos, et imposterum cujuscunque dictarum protestationum aut declarationum jam cusarum publicationem delinquentibus imputandam in crimen laesae Majestatis, et siquis ejusmodi protestationes aut declarationes contexuerit, composuerit, subscripserit, aut operam dederit ut subscribatur

illis aut aliis quibuscunque id genus declarationibus, protestationibus, pacationum aut associationum juramentis imposterum condendis aut publicandis contra Comitiorum sensum in causis ad pacem vel bellum pertinentibus, id imputandum in laesae Majestatis crimen contextentibus, componentibus, instigantibus, secundantibus, subscribentibus, et procurantibus ut ejusmodi declarationibus, protestationibus, ac pactionum aut associationum juramentis subscribatur. Omnesque tales transgressus id delictorum genus imposterum patraturi per praesentes pronunciantur ad omnem Reipublicae provinciam et praefecturam, cujus concessio et collatio a Republica dependeat, obeundam inhabiles, qui etiam habebuntur et censebuntur infames et communes publicae hujus Regni pacis ac tranquillitatis perturbatores, in quos etiam tanquam tales animadvertendum erit. Postremo jubemus ut hoc actum festinatione (quoad ejus fieri convenienter potest) summa typis mandetur et diebus, quibus rerum vaenaliū forum timebitur, promulgetur inter horam decimam et secundam pomeridianam in foro mercatorio omnis municipii et emporii hujus Regni.

“Datum Kilkenniae 4^o Julii anno Domini 1645.

Nicolaus Plunkettus.”

(50) Si huic acto sinceræ Faederatorum partes morem gessissent Ormonistae pacem iniquissimam intrusissent, et Ormonium in regiminis throno quantocyus collocassent. Quibus autem viis ut id succederet institerint, et quo pacto causae Catholicae fautores eorum molitionibus intercesserint, suo loco non silebitur. Interea vel ex hoc edicto colligere est quantopere ambae Faederatorum partes tunc, proindeque ante Nuncii Apostolici mense | Octobri postea secuto in Iberniam advecti appulsum, circa ineundae pacis vel belli prosequendi modum discordarint, proindeque quam graviter in veritatem deliquerint quidam Ormonii et Ormonistarum apologistae, qui Faederatos Iberniae Catholicos ante Nuncii appulsum inter se prorsus concordēs fuisse sed Nuncium discordiae semina jactasse excogitarunt.

(51) Comitii Generalibus postridie quam praefatum edictum conditum esset dissolutis, data est iterum opera ut pax cum Ormonio, Regis ad eam absolvendam Commissario, adeoque cum ipso Rege concluderetur, quo atque alio spectans Scarampus, Minister Apostolicus, in quadam epistola 14 Julii ex Ibernia in Galliam scripta: “Comitia (inquit) Generalia dissoluta sunt die 5^o hujus mensis, conventura iterum die 7^o Augusti. Stant

766

v

767

interim proposita eorum, nempe in non dimittendis ecclesiis, in obtinenda revocatione statutorum Elizabethae, et communicatione politicae gubernationis. Omnia mordicus negant |
 767 Protestantes etsi infirmi annona et milite. Etsi publice dicatur
 v serenissimum Regem, serenissima Regina persuadente, per Dominum Fitz-Williams mandasse satisfieri Catholicis, etsi demum nimis certum sit suam Majestatem in aliquo praelio plures mille milites amisisse et Ibernorum subsidii indigere. Iverunt nudius tertius vocati Dublinium nostri agentes et hac hebdomada aliquid ultra audiemus, licet decisionem usquequo resideant Comitata, ipse non expectam. Die 18 hujus (mensis) induciae expirant. Si prorogentur adhuc vigeat tractatus pacis. In Connacia incendia rerum omnium, praedae animantium, caedes puerorum et mulierum ab 8000 peditibus et 500 equitibus Scotis et Anglis. Obsiderunt et ceperunt amissis plusquam quingentis ex his Sligoam, opportunissimam nostro malo et eorum securitati munitionem. In qua, postea quam se pactis dediderant, occiderunt barbare praesidium nostrum circa ducentorum militum, nec non omnes pueros et mulieres. |
 768 Remedium aut nullum aut tardum deficientibus mediis, utinam non animis." Sic ille, qui alia epistola indidem et eodem pridie Kalendas sextiles scripta, "quae (inquit) Dublinio feruntur, plena sunt desperationis pacis. Tamen conclusio referenda est ad Comitata Generalia, quae proximo mense iterum sedebunt." Sic Scarampus.

(52) Antequam in rebus Ibernicis memoriae prodendis ulterius progrediar, in Angliam et Scotiam aliquantisper trajiciendum duco, postea ad Confaederatos Iberniae Catholicos regressurus. Itaque dum praefata hoc anno in Ibernia succederent, bellum in Anglia inter Regem et Parlamentum calebant. Rex enim imminente expeditionum militarium tempore et conatu ad pacem inter ambas partes celebrandam ob Parlamenti pervicaciam incassum adhibito, Principem Robertum ex Wallia Oxoniam accessivit ut junctis viribus castrensem apparatus inde produceret. Ad quae Regis consilia impedienda Farfaxius, jam Essexio exauthorato, virium rebellium imperator, Cromuellum cum lecta equitatus manu misit. Qui nonnullas | Regis copias
 768 ad Islipam fudit, et captis aliquot ordinum ducibus reliquas in
 v Bukingamiam fugientes ad deditionem compulsit, ac Vaughanum cum Littletono in Saltu Bramptonensi, fuis aliquot eorum viribus, cepit. Rex vero Principum Roberti et Mauriti copias ad se receptis in orientem iter intendit ut Eliam, Insulam, sibi

in manus a quibusdam sui fautoribus traditam occuparet. Qua absentiae ejus occasione arrepta, Farfaxius, Cromuellus, alique duces Parlamentarii cum eorum copiis Oxoniam obsederunt ex Anglicorum Scoticorumque rebellium consilio, sed infausto, quod interea Rex secure boream versus cum exercitu progressus Leicestriam, magni momenti urbem, ceperit, et Farfaxius eum ulteriori ibi progressu interclusurus Oxoniae obsidionem deseruerit.

(53) Farfaxius ubi cum instructissimo rebellium exercitu accesserat, praelium prope Northamptoniam in campo Nazebiansi 14 Junii commissum est. In quo equitum alae | exercitus 769 regii frontem decorabant. Peditatus in secunda acie stabant. Principes Robertus et Mauritius cornu dextrum, Ashleius sinistrum curabat, aliis ducibus non mediocriter nobilibus partes suas sustinentibus. In rebellium exercitu ad Farfaxii mandatum pedites mediam aciem firmabant. Equites cornibus affundebantur, quorum alam dextram Cromuellus, Iretonus sinistram ducebat. Rossiterus apud Cromuellum locum cepit. Skiptono commissa est cura peditatus, qui in duas partes distributus, tessera militaris Regiis fuit *Deus et Regina Maria*, Parlamentariis vero *Deus nobiscum*.

(54) Ad praelii initium, Iretono duobus vulneribus confosso captoque, sinistra rebellium ala pulsa est, quam acerrime insecutus fuit Princeps Robertus, sinistra Regis ala interea a Cromuello disjecta ut jam res in aequilibrio posita videretur, Skiptono graviter vulnerato. Verum ingeminato a rebellibus insultu regius | equitatus effusissima fuga dilapsus, tormenta atque 769 impedimenta Regisque peditatum deseruit. Qui a rebellibus v circumfusi abjectis armis vitam pacti sunt, tractis Londinum quinque circiter captivorum millibus, captoque Regis labaro, signis militaribus centum, tormentis bellicis omnibus, praeda ditissima, praesertim magna auri argentique vi, et secretioribus (quarum nonnullas ad Ormonium circa pacem cum Ibernis accelerandam datas superius in medium produximus) Regis litteris, sed regionum non amplius quadringentis et rebellium vix centum inter pugnam desideratis, quod quorundam regionum perfidiam spirare videtur, et utilissimam quidem Parlamentariis sed ingloriam indicat fuisse victoriam non rebellium animi magnitudine sed regionum ignavia vel proditione reportatam.

(55) Farfaxius hac victoria inolescens Leicestriam paulo ante a Rege captam deditione recuperat, relictoque ibi praesidio in occidentem cum exercitu magnis itineribus progressus,

770 Tauntonam a regiis antea obsessam | et diu agonizantem ob-
 sidione liberat decretum habens Regi usque ad exitium insistere,
 ne fractas vires novis militum delectibus reparet. Interea Rex
 Leicfeildam, indeque Herefordiam pervenerat, recentes copias
 praesertim pedestres (equitatus enim magnam vim collectam
 post fugam apud se habuit) in Cambria et Cornubia conscripturus.
 Cujus demersum tunc animum erexerunt et Parlamenti atque
 exercitus Scotici in Anglia sub Parlamento stipendia facientis
 progressibus obicem posuerunt nuncia allata ex Scotia, ubi
 Iberniam illo ad annum superiorem transvecti, ibidemque hactenus
 in illius regni rebellibus affligendis occupati, et ipsis coalita
 Scotorum praesertim Ibero-Scotorum pars, quinque rebellium
 Scoticorum millibus in praelio ad Kilsitham commisso con-
 trucidatis et reliquis dissipatis, totam pene Scotiam duce
 Marchione Montrosano debellarunt. Quare rebelles Scotici,
 qui in Anglia adversus Regem Parlamento opem ferebant,
 770 victoriarum suarum ibi cursum sistere et in | septentrionem
 v redire coacti sint, ut Ibernorum et eorum belli in Scotia gerendi
 sociorum ibi triumphis occurrerent, ipseque Rex jam vires suas
 cum Montrosano jungere cupiens septentrionem versus cum
 expeditis equitibus processit juxta ac inter ipsos per internuncios
 convenerat. Verum haud ita diu post David Lesleius cum viribus
 Scoticis in Montrosanum movit, eumque ad Selkirkam in Scotia
 fugavit ea ipsa die qua Regina Angliae Parisiis *Te Deum Laudamus*
 ob Scotiam a Montrosano debellatam cantabat. Sic tota pene
 Scotia belli aleam secuta iterum ad rebelles defecit, ut nec Regi
 ad Montrosanum nec Montrosano ad Regem aditus patuerit.

hist. belli
 civil. Angl.
 pag. 138.

(56) Praecipua ergo secundum Deum Regi spes supererat in
 viribus ex Iberniam in Angliam transvehendis. Verum Ormonius
 ita spei in se a Rege positae defuerat et deerat, ut pacis quidem
 cum Iberniae Catholicis absolvendae desiderium semper prae se
 771 tulerit, sed re ipsa ex industria in | id animum intendisse
 videatur, ne pax nisi Ibernis iniquissima, proindeque ab ipsis,
 saltem a sinceris, non admittenda, adeoque (nam hoc consecutan-
 eum erat) omnino nulla contraheretur, perinde ac si Regem sub-
 sidiis ex Iberniam subministrandis frustrare decrevisset, quae
 utique nisi motibus in Iberniam per pacem ante compositis haud
 subministranda non ignorabat.

(57) Itaque illo pacis tractatu inter Confaederatos et Ormonium
 tandiu pendente et interea post tot Faederatorum conatus
 nunquam absoluto, ac demum Archiepiscopo et Principe Firmano,
 quem Innocentius X. (sicut fusius videbimus), cum subsidiis

Roma in Iberniam Nuncium extraordinarium destinaverat, jam ex Urbe Parisios ut inde in Iberniam pergeret progresso, Rex etiam ab hac ejus Legatione sibi forsitan metuens ne Iberniae Catholici eo semel appulso cervices magis erigerent, allegavit ex Anglia ad Iberniae | Confaederatos satrapam multis titulis illustrissimum, D. Eduardum Plantagenetum, alias Somersetum, Anglum, Glamorganiae in Anglia Comitem, Henrici, Vigorniae Marchionis tunc superstitis filium primogenitum ex Regia Henrici secundi, qui Anglicae Regum primus in Iberniam penetraverat, aliorumque posterorum tredecim Angliae Regum familia per lineam masculinam oriundum, more paterno ter Catholicum, ac de ipso Rege in rebelles Parlamentarios optime meritum, Margaritae quoque, Henrici O'Brien Tomoniae in Ibernia sua Comitis antiquissimis Insulae regibus prognati filiae, matrimonio conjunctum, adeoque Faederatis Catholicis duplici cum affinitatis tum religionis vinculo connexum, proindeque ad pacem illam in Ibernia eo aptum, quod Rex haereticorum metu detentus non nisi Ministri Catholici interventu aequas causae Catholicae conditiones concessurus diceretur haud in vulgum spargendas, donec, depressis Angliae Scotiaeque rebellibus, sui esset juris ad eas palam agnoscendas praestandasque. | Invenio autem tria huc spectantia hoc anno 1645 Glamorgano a Rege concessa mandata, primum 6^o Januarii, secundum ejusdem mensis 12^o, et tertium 12 Martii. Primum mandatum hic ex Anglico Latinum reddo, quod ad copias militares ex Ibernia contrahendas solum spectat, signatum: Carolus Rex.

771
v

772

(58) "Carolus, Dei gratia, Magnae Britanniae, Franciae, et Iberniae Rex, fidelissimo et dilectissimo cognato nostro, Eduardo Somersetto, Herbertiae Domino, Baroni Beaufortensi, Grismondiae et Glamorganiae Comiti, fidissimi et amantissimi cognati nostri, Henrici, Vigorniae Marchionis filio et haeredi apparenti, salutem.

(59) "Cum copiosus et rebellis exercitus sub Roberti Devereuxensis, nuperi Essexiae Comitis, imperio in nos conscriptus fuerit, qui non solum diversis vicibus nos instructa acie perimere conatus est, sed etiam eadem atque aliae vires a variis proditoriis et seditiosis personis sub Regis et Parlamenti nomine contractae, a perfida quoque et rebeli civitate Londinensi, aliisque Regni partibus fotae et | sustentatae omnia atrocitatis, rapinae, et caedis facinora in nostros bonos subditos toto Regno commise-

772
v

runt, eademque semper continuant, et ea via execrabile suum consilium exequi, nos scilicet et posteritatem nostram destruere, et praesens Ecclesiasticum juxta ac civile gubernium in anarchiam, tyrannidem, et confusionem convertere moliantur. Ad quae praevenienda, et ad Regiam nostram personam, posteritatem, religionem, Regni leges, subditorum nostrorum libertatem, et possessiones ac legitima Parlamenti privilegia tuenda Nos coacti sumus habere diversas copias militares, tam equitatum quam peditatum, bene armatum et instructum nostro obsequio impendendum, sicut ipsi praescribemus. Ideo tibi notum sit quod nos specialem in tua probata prudentia, fide, et magna nobis inserviendi habilitate spem ac confidentiam collocantes, et haud mediocri tuo in ea re zelo jam comperto ducti, considerantes etiam male affectos subditos in sua adversum nos inhumana rebellione jugiter | perseverare et persistere, idoneum judicamus concedere, et praesentium tenore concedimus tibi, praefato Eduardo Somersetto, Herbertiae Domino, Baroni Beaufortensi, Grismondiae et Glamorganiae Comiti, fidelissimi et dilectissimi cognati nostri Henrici, Marchionis Vigorniensis, filio et haeredi apparenti, plenam potestatem et auctoritatem conscribendi, deligendi, et admittendi quemlibet militum numerum, tam equitatum quam peditatum, in vel a nostro Iberniae Regno aut aliis quibusvis partibus transmarinis, sicut et in nostro Angliae Regno, eisdemque et omnibus et cuilibet eorum parti imperandi, armandi, gubernandi, ad normam militarem disponendi, et eos praeficiendi duces atque officiales, quas nostro servitio idoneos et utiles fore censueris, ubicunque inveneris nostra jussa rejecta, aut bonum populum nostrum partium Parlamenti in Deum et nos perduellium insolentia vexatum vel tortum, in ejusmodi locis invigilandi perinde civilium ac militarium rerum administratione et | ignoscendi iis, qui se nostro imperio permiserint. Ut autem melius tuo exercitui animum addere valeas, tibi que suppetat unde eos, qui majori nobis fide inservierint, remunereris, plenam tibi facimus potestatem et copiam statuendi ad libitum de delinquentium possessionibus ubicunque rerum potiaris. Et ut servitium a te nostrum efficacius atque ardentiori animorum contentione peragatur, in omnibus locis ad obsequium nostrum gubernarchas et officiales mutabis, introduces, et constitues, et ad ipsos, tuumque exercitum sustentandum attribuimus omnes et quoscunque nostros in dictis locis reditus, sive fuerint stata sive incerta, aut casualia vectigalia aliaque id genus, una cum iis exactionibus et tributis,

773

773
v

quae secundum tuam prudentiam necessaria fore judicaveris. Porro praecipimus omnibus earundem virium ducibus ac militibus ut tibi velut Praefecto generalissimo morem gerant et | audiant, 774 juxta quem locum et dignitatem tibi praerogativas, titulos, stipendia, emolumenta ex nunc et imposterum decernimus. Tu vero iis tantummodo, quae a nobis receperis, praescriptis et jussis obtemperabis. Et ulterius exigimus ab omnibus nostris officialibus cujuscunque gradus et conditionis, ut te velut eum, in quo specialem spem et fiduciam habemus, observent. Et ut praesentes tibi sufficientem praebeant auctoritatem, has litteras nostras curavimus fieri *patentes*, testibus nobismetipsis apud aulam nostram Oxoniae 6^o Januarii anno Regni nostri vicesimo et Christi 1645.

Signatum : Carolus Rex.

"Volumus et beneplacitum nostrum est ut hoc actum immediate auctoritatis vim habeat :

Locus ✠ magni sigilli.

WILLIS."

(60) Praeter hoc primum mandatum accipe | et secundum 774
quod Regis quidem manu et sigillo non magno sed privato v
munitum fuit.

"Carolus, Dei gratia Angliae, Scotiae, Franciae, et Iberniae Rex, fidelissimo et dilectissimo cognato nostro, Eduardo, Glamorganiae Comiti, salutem. Cum sufficiens et amplum probatae tuae prudentiae et fidei testimonium habuerimus, eam in te fiduciam reponimus, ut quicquid manus nostrae duntaxat aut privati sigilli auctoritate fretus praestiteris, in verbo Regis et Christiani polliceamur ratum in omnes fines et affectus a nobis habendum, non minus quam si sub magno Angliae sigillo auctoritatem a nobis recepisses. Ea vero accessione quod nos multo magis tibi devinctos existimaturi simus, cum ex animi magnitudine non ita scrupulose ac timide, quae ad obsequium nostrum pertinent, aggrediaris, quod Deo auspice remuneraturi sumus. Licet autem transcendas quicquid aut legum auctoritatem aut potestatem nostram attingit. Si tamen e re nostra fuerit, obligamus | nos ad te omni crimine (cum compertum non sit ad 775
quid forsitan necessario adigi possis) liberandum, verum etiam ad concessam tibi gratiam totis viribus et potestate tuendam. Quod si aliqua nostra diplomata casu amiseris, vel ulla alia occasione alicubi deposita relinquere visum fuerit, ita ut tibi in reditu

desint, fideliter promittimus nos eorum auctoritatem, ubi regressus fueris, ratam habituros, et quicquid illis deesse comperietur suppleturos, cum non conveniat ut ea hoc tempore ad apices juris discutiamus. Quicquid porro a nobis hic perscriptum est, omni cum fiducia, si qua fides aut auctoritas in homine reperire possit, accipias velimus. Progredere igitur alacriter, celeriter, et confidenter, et ut ita agas haec tibi sufficiens erit auctoritas. Datum in aula nostra Oxoniae sub manu nostra et sigillo privato 12 Januarii 1645."

775
v

(61) Hoc actum propriis verbis Anglicis non | vidi, quare nec ex Anglico transtuli, sed ab alio Latine translatum, et Nuncio Apostolico, in cujus scriniis mihi occurrit, ab ipso (credo) Glamorgano ad exeuntem hunc annum 1645 in Iberniam traditum, huic loco inserui. Tertium autem mandatum ibidem eodemque die et anno datum, et Regis calculo, sigilloque non magno, sed privato munitum ex Anglico Latine reddo :

776

(62) "Carolus, Dei gratia Angliae, Scotiae, Franciae, et Iberniae Rex, fidelissimo et dilectissimo consanguineo nostro Eduardo, Glamorganiae Comiti, salutem. Nos magnam et specialem in probata prudentia fideque tua spem et confidentiam ponentes, per praesentes ea in omnem effectum et propositum firmitate, quasi nostro magno sigillo munitae essent, niterentur, te autorizamus et facimus tibi potestatem tractandi et concludendi cum Confaederatis Catholicis Romanis in Regno nostro | Iberniae, si ex necessitate aliquid occurrat cui sit acquiescendum, in quo noster Prorex non tam bene potest comparare, quod utique nobis non conveniat impraesentiarum publice agnoscere. Propterea tibi ut juxta hoc nostrum mandatum procedas quam possis secretissime, et ad quodcunque ob eas magni momenti considerationes, quas ipse expedire judicaveris, te obstrinxeris, et quicquid chirographo sigilloque tuo Faederatis Catholicis jam dictis a te consessum fuerit, id nos et Regis et Christiani verbo promittimus, ratum habituros, et praestituros, ubi primum praedicti Faederati Catholici studium in nostri obsequium suis subsidiis demonstraverint. Haec porro tibi ad singula particularia sufficiens erit auctoritas. Datum in aula nostra Oxoniae sub parvo nostro sigillo et Regio chirographo 12 Martii anno 1645 Regni nostri vicesimo."

(63) Glamorganus hoc mandato fretus et aliis facultatibus

inferius suo loco inserendis | instructus, haud tamen mense 776
 Martio, quo eorum mandatorum ultimum conditum fuisse v
 videbimus, sed ad ineuntem Augustum hoc anno eodem 1645 in
 Iberniam trajecit. Quam forsā moram Rex mandato jam
 condito nectendam duxit, expectans futurum ut ipse Ormonius
 ampla ei facta potestate amplius non abuteretur, sed absque
 collega pacem cum Ibernīs iniret. Qua demum spe Rex per
 annum integrum et quod excurrit frustratus Glamorganum
 praefato hujus anni tempore in Iberniam destinavit, et Ormonio
 in accelerandae pacis stimulum perinde ac collegam adjunxit.
 Sane ultimo illo Glamorgani mandato in fundamentum jacto
 consecaneum est Regem saltem per pacta partim in lucem mox
 edenda, partim haereticos, praesertim rebelles, ad tempus celanda,
 Faederatorum Iberniae Catholicorum votis liberaliter acquiescere,
 et ipsorum deinde vires sibi fidelissime militaturos in Angliam
 quantocius advocare percipiisse, sed | Ormonium tam ampla 777
 potestate fretum et tot praeceptis regiis pressum, post tot
 Ibernorum instantias, post inducias pacis contrahendae studio
 mense Septembri 1643 contractas et hactenus prorogatas, post
 regni Comitā maximis Catholicorum impensis interea nescio
 quoties in eum finem celebrata, post tot commissariorum ad
 pacem expediendam missorum itinera, plurimosque cleri populi-
 que Ibernici strenuos conatus, labores, et sumptus Faederatorum
 postulatis non solum sobriis et aequis sed etiam aequo millies
 inferioribus nunquam ne per privatas quidem transactiones
 haereticos jam dictos ad tempus celandas subscribere voluisse,
 sed Regem et Catholicos cavillationibus fatigasse, proindeque
 Regem demum hac aestate in Anglia ejus culpa (nam his prae-
 stigiis factum ut subsidia Ibernica suam Majestatem defecerint)
 pene ad incitas redactum jussisse ut Glamorganus | in Iberniam 777
 trajiceret, et iis Catholicorum postulatis, quibus Ormonius v
 subscripturus non esset, clanculum subscriberet, et sic Ormonio
 nullam pacis ac subsidiorum amplius retardandorum viam faceret
 reliquam. Glamorganus autem in Iberniam ita solvit ut com-
 missariorum a Confaederatis Catholicis 12 Julii 1645 Dubliniam
 destinatorum et Proregis de contrahenda illa pace agentium
 congressibus interfuerit. Pactis autem solita Ormonii arte ne
 tunc quidem successum habentibus, et Muscrio atque aliis
 commissariis Catholicis Kilkenniam, ut inanem etiam illius
 legationis exitum ad Comitā Generalia iterum in 7 Augusti
 indicta referrent, Dublinia regressis, ipsoque Glamorgano pariter
 isdem diebus, ut suam ibi apud Faederatos Legationem obiret,

778 indidem Kilkenniam progresso, prrex sororio, Muscrio, | suae
inter Confaederatos factionis principi, Kilkenniam scripsit Anglice
hanc epistolam solitis ejus praestigiis non vacantem.

“ Illustrissime Domine.

(64) “ Quamvis ea, quae a te et aliis nobilibus praesente
Illustrissimo Domino Glamorgano et coram me pacta sunt,
recenti vestra memoria vigere credam, considerans tamen
momentum et pondus tempestivae executionis negotii, ad quod
maturandum tunc propendebatis, nunc esse duplo majus, tum ob
nonnulla quae nuper in Anglia obtigerunt, tum ratione vestrae
ipsorum incolumitatis, et observans vos in congressu super hac
re celebrato ratum gratumque habuisse ut ipse eodem cum
Illustrissimo Domino Glamorgano concurrerem, arbitror propterea
expedire ut Dominationi vestrae Illustrissimae in mentem
revocem, et hac via notum faciam quod ipso praesente urgere non
potui nisi laesa ejus modestia, idque cum periculo conciliandi
778 mihimet | adulatoris opinionem. Quod autem breviter dixerim
v est me non nosse in Anglia subditum, cujus plusquam ejus vel
favore et auctoritate apud suam Majestatem vel genuina atque
ingenita nobilitate nitaris et confidas nec (si quid apud vos hoc
valeat) cui ego in iis, quae in suae Majestatis obsequium obierit,
magis coner inservire, et cum quo in hujus Regni bonum plus
conveniam. Remaneo

Dubliniae 11^o Augusti 1645.

Tuus amantissimus servus
et frater,

Ormonius.”

(65) Fratrem Muscrio ad morem Anglicanum se dicit
Ormonius, quod is Ormonii sororem in uxorem duxerit. Porro
haec epistola Nuncio Apostolico a Concilio Supremo ad exeuntem
hunc annum 1645 Kilkenniae tradita est tanquam actum
irrefragabile, quo Nuncius induceretur ad habendum pro certo
futurum ut Ormonius pacta omnia cum Glamorgano a Faederatis
779 vel | absoluta vel absolvenda non solum effectu non frustraret,
sed etiam pro virili secundaret, quam tamen ille fidem in se
frustra positam fuisse experientia postea docuit.

(66) Tertia post scriptam ab Ormonio illam epistolam die,
14^o Augusti, lectae fuere in Comitiiis Generalibus conditiones a
Faederatorum commissariis Dubliniae ad pacem ineundam
Ormonio propositae et factae ab eo responsiones adeo Catholic-

orum votis parum satisfaciētes ut animo a pace concludenda nisi iniquissima alienissimo esse videretur, licet in omnes se facies verteret ut perniciose adeo mentis suspicionem a se amoliretur, et pacis in Regis ruinam tamdiu suspensae culpam in solos Catholicos refunderet. Sed qua ratione a gravissima culpa immunis fuerit me latet, cum nunquam Regis praescriptis huc spectantibus obtemperaverit, praesertim illi die 17^a Februarii hujus anni 1645 scripto et superius posito. Praeter quod et alia etiam urgentiora sed Catholicos celata ad ejus manus pervenisse valide praesumendum est, praesertim cum ex Reginae Angliae epistola | 28 Decembris 1644 ad Concilium Supremum in Iberniam data et superius collocata, nec non ex Scarampi litteris 14 Julii hoc anno 1645 in Galliam ex Iberniam scriptis et superius in medium productis, id ipsum colligendum videatur, eodemque spectet quod Regina ad Regem in Angliam scripserat, nempe “si contra Catholicos durius aliquid statuatur, nec tamen pax fiat, non posse Regem auxilii aliquid postea sperare vel a Catholicis Principibus vel Ibernis, qui se post navatam operam derelictos fore sentient. Frequenter quoque orat Regem ne episcopos Catholicos reliquosque amicos ejus, qui fidelem ei in bello navassent operam, unquam desereret. Promittit Rex se nunquam pro pace amicos 779 v pag. 109. deserturum.” Sic historia belli civilis Angliae.

(67) Cum Faederati Iberniae Catholici in pace cum Ormonio contrahenda operam toties, tamdiu, et in tantopere navatam lusissent, restabat ut cum Glamorgano a Rege ad eos allegato agerent, et cum eo illos pacis articulos quibus Ormonius subscribere | noluerat. Interea Scarampus, Minister Apostolicus, 780 tria folia latina a se apud Iberniam circa illam pacem praesentata ad Cardinalem Pamphilium, Innocentii X. tunc Pontificis ex fratre nepotem, in Urbem transmisit, et Romae mature ponderata Cardinalis ad Archiepiscopum Firmanum, ad Iernos Nuncium Apostolicum destinatum, 5^o Novembris 1645 (quo tempore Cardinalis Nuncium ex Gallia in Iberniam appulisse nesciebat) in Franciam ex Urbe direxit, sed adeo sine titulis ut non nisi ex ipsorum lectione atque aliunde conjectare valeam a quo et quibus in Iberniam praesentata fuerint. Itaque hoc actum a Scarampo Faederatis traditum puto continens conditiones quasdam, quibus rem ecclesiasticam in tuto ponendam rogavit.

(68) “1^o ut habeant liberum et publicum exercitium Catholicae religionis juxta propositiones a Commissariis nostris jam exhibitas.

(69) “2^o Ut ecclesiis earumque libera possessione stabiliter episcopi et reliqui fruantur. |

780 (70) "3° Ut ecclesiasticam jurisdictionem in suos populos et
v ecclesiasticos subditos plene habeant, et tam ipsi quam eorum
populi a Protestantis cleri jurisdictione exempti omnino sint.

(71) "4° Bonorum ecclesiasticorum proprietas penes clerum
Catholicum remaneat, qui liberaliter et libenter in Catholici
exercitus sustentationem competens subsidium annuatim sub-
ministrabit ultra quam hactenus concessum fuit, renovandum de
triennio in triennium durante bello.

(72) "5° Ut Catholici episcopi in parlamentis habeant locum
debitum.

(73) "6° Ut ecclesiastici Iberni exempti sint omnino a rigore
jurium et statutorum antiquorum, paenalia scilicet et pro-
hibitum provisiones fieri a Romano Pontifice."

Hactenus illae.

(74) Ad has autem propositiones responsum, quod Ormonistas
autores redolet, datum est his verbis :

(75) "Prima et secunda stent.

781 (76) "Tertia ut pro exercendo ecclesiasticam | jurisdictionem
v in Catholicos non puniantur aut impediuntur, et quod ipsi et
populus Catholicus a Protestantis cleri jurisdictione exempti sint.

(77) "Quarto quoad proprietatem bonorum ecclesiasticorum
non est opportunum jam ut aliqua expressa mentio fiat de illis,
sed generaliter ut disponantur proventus eorundem durante bello
annuatim in servitio Regis et patriae. Hujusmodi dispositionis
finis maxime tendit ad propagandam Orthodoxam fidem.

(78) "Quo ad quintam nondum videtur tempus, sed potius
expectandum est quod proponatur tempore magis opportuno.

(79) "Quo ad sextam includitur in prima propositione a
Commissariis exhibita." Hactenus illa responsio Scarampi pro-
positiones partim admittens, partim respuens, partim mutans,
ad quam Scarampus respondit his verbis :

(80) "Ad primam, desideratur quod prima propositio secundum
suos terminos stet, sine ulla tamen relatione ad propositiones a
Commissariis nostris exhibitas.

781 (81) "Ad quartam, quarta propositio continet duas | partes, et
v quoad primam censetur tempus praesens magis opportunum, quia
in cujuscunque manus jam pervenerint, non facile inde extrica-
buntur, et praevenietur importunitas cleri *Protestantis*, et solidius
providebitur necessitatibus suae Majestatis quam si relinquerentur
ejusmodi bona in suspensio. Deinde nullo modo in conscientia
huic propositioni assensus praeberi potest.

(82) "Secunda pars propositionis approbatur, ita tamen ut praedicta bona disponantur per Commissarios praelatorum, et quod proprietas et possessio bonorum eorundem maneat penes clerum Catholicum, servata sibi congrua portione ad suam sustentationem et ecclesiarum cultum et reparationem.

(83) "Ad quintam censetur quod si praesens rerum status id non permittat, Protestantes saltem episcopi non intersint.

(84) "Quarta sic concipietur. Quod Catholicus clerus retineat et servet possessionem suarum decimarum, aliorumque | benefici- 782
 orum respective, contentus reddere praedictarum decimarum et beneficiorum redditus et proventus ad usum Catholici exercitus per trium annorum spatium, qui durante eo tempore inservient suae Majestati in bello, et volens idem renovare per tres annos semper durante bello ad usum Catholici exercitus, qui suae Majestati inservit, ut praedictum est." Haec ibi.

(85) Tollendae confusionis ergo lectorem moneo propositionem, ad quam tanquam ad primam hic respondetur, esse illam qua alii ad tertiam Scarampo propositionem responderunt eam mitigantes et aliis verbis proponendam scribentes. Porro secundum folium a Scarampo Faederatis traditum deindeque Romam missum hic sequitur :

"Publicus rumor, qui fertur de pace cum Protestantibus ineunda gratus mihi est, supposita nostrarum ecclesiarum retentione in Comitibus Generalibus decreta, sed ingratissima illa quod jurisdictio, immunitas, iudicium, et omnia | bona ecclesiastica assignentur vel concedantur serenissimo Regi 782
 in subsidium belli contra Puritanos. Sane effectum et finem v
 laudo, qui conscius sum mentis ecclesiasticorum omnia cupidissime conferentium ad suae Majestatis defensionem. Sed modum laudare non possum, imo cogor significare illum, si talis est qualis fertur, non esse Catholicis utilem aut convenientem, imo non debere illos nec posse salva conscientia sub ea conditione concludere pacem.

(86) "Quoad jurisdictionem et judicia circa spirituales et Sacramentales causas nulla est difficultas cum sublata jurisdictione et iudicio spirituali nudum et inane maneat nomen episcopi.

(87) "Quoad praedia et decimas, aliaque jura ecclesiarum tam Cathedralium quam parochialium impotentia manifesta est ex eo quod ipsimet ecclesiastici, quacun- 783
 que fulgeant dignitate, nulla suarum ecclesiarum bona alienare possunt, si | excommunicationem ipso facto incurrere nolint. Imo neque licet ipsis sub eadem paena locare sua bona ad longius tempus quam trium

annorum, inconsulta sanctissima Sede Apostolica. Nec tamen ad id brevissimum tempus obligantur successores, locatore mortuo. Possunt quidem aliqua bona ecclesiastica valoris (ad summum) decem vel duodecim coronarum sive scutorum permutare cum aliis, quae illorum loco ecclesiastica fiant. Possunt tenuia beneficia simplicia unire seminario Cathedralis ecclesiae, et quae sunt unius parochiae in aliam transferre et unire (si justa causa subsit) et similia. Sed alienare etiam titulo locationis plus quam per tres annos nullo modo possunt, sine Sedis Apostolicae expresso consensu per Bullas obtento. Quomodo igitur tali alienationi etiam ad incertum tempus et in haereticorum possessionem consentiant? Imo quomodo expresse non contradicant et dissentiant ut | ecclesiasticas censuras non incurrant? Quod si saeculares in eo persistent ut vel invitis ecclesiasticis jurisdictiones et judicia et bona ecclesiastica tradant Protestantium possessioni, vel etiam nudae, facient quidem per vim et auctoritatem quod placet, sed censuris latis in Bulla Caenae Domini ipso facto irretientur, circa quas non insisto, cum satis clare sint et a quopiam legi possint, originem suam trahentes a vulgata illa constitutione S. Urbani, Papae et Martyris, qua decrevit bona Deo oblata non debere converti in alios usus quam ecclesiasticos et Christianorum fratrum vel indigentium. Et assignat decreti causam subdens, quia vota sunt fidelium et pretia peccatorum ac patrimonia pauperum.

(88) " Num possumus eundem effectum, scilicet Regium subsidium, tutiori via obtinere? Mens ecclesiasticorum constans erit in fine, si non turbetur per media. Ut haberent bonam et laudabilem | pacem jam contribuerunt ad bellum Ibernicum quotannis duas ex tribus partibus suorum omnium reddituum per manus Supremi Concilii. Si pax ejusmodi habeatur, non dubito contributuros plura per id tempus in quod convenient, sed bona non auferantur ab eorum possessione nec ab administratione Catholicorum, quod quidem in majus commodum serenissimi Regis redundabit. Nam bona a suis met ministris dilapidabuntur, et integri fructus non pervenient ad aerarium Regium. At si ecclesiastici Catholici promittant, id certum est ad amussim fore observandum.

(89) " Si secus fiat, haec sequentur incommoda: 1^o Alienabitur a vobis ecclesiasticos, quibus deficientibus jam causa Ibernica desinet esse pro fide et religione, tum apud Deum, tum apud homines. Et licet eorum bona apud vos manserint, tamen sialienentur spiritualis auctoritas, benevolentia, et | correspondentia separabitur facilis communis causae Catholicae studium et

charitas, inter ipsosmet Catholicos Confaederatos exorientur divisiones manifestae utinam non solis armis dirimendae. 2° Sicut res mortalium inconstantissimae sunt, ita si forte unquam rediretur ad bellum (quod Deus avertat), privaretur Ibernia illorum bonorum fructibus, quibus hactenus gavisus est, saltem usquequo recuperarentur armis. 3° Si bonis eo modo priventur ecclesiae quomodo resarciuntur et conservabuntur ab ecclesiasticis? 4° (Quod magis timendum est ac evitandum) incident saeculares in ecclesiasticas censuras, a quibus retrocedere et absolvi quantum singulis aut universis futurum sit difficile, si non impossibile, nemo est qui non videat. 5° Nunquam respicient exteri principes Catholici Iberniam ecclesiastica bona haereticis tradentem, nec dignam existimabunt | Catholicis auxiliis et subsidiis illam, quae 785 auxilia et subsidia a Deo tributa suis ecclesiis per ipsosmet fideles antecessores Iberos neglexerit et despexerit, ita ut ecclesiarum violatoribus tradere contra constitutiones ecclesiasticas non dubitaverit.

(90) "Rogo hanc opinionem ab hominibus (concipiendam) evitare, sed in primis divinam non excitare ulteriorem, et Apostolicis non contradicere constitutionibus, cum per alias justiores et utiliores vias eundem finem assequi possint. Quod et a vestra pietate ac prudentia spero, quos Deus Opt. Max. Spiritu Sancto replere dignetur." Hactenus secundum folium.

(91) Ex duobus illis foliis praecedentibus a Scarampo traditis colligere est quid ipsi in Faederatorum tractandae pacis modo ariserit, quid displicuerit. Porro ita Ormonii fautores in Comitibus Generalibus Concilio Supremo, Commissariorum ad pacem inter eundem Ormonium et | Faederatos ineundam delectorum Collegio, 785 atque in aliis praefecturis exercendis per fraudulentas machinationes invaluerunt, et tam subtilibus artificiis suam iniquae pacis accelerandae mentem velabant ut Scarampi rationes parum profecerint, licet sincera Catholicorum pars ipsi constantissime adhaeserit, exceptis non paucis insigni Ormonii atque Ormonistarum arte delusis, sicut in tanta rerum confusione et varie opinantium multitudine integerrimis quibusque viris bona fide deceptis succedere solet. Caeterum eo demum perventum est ut inter Comitibus Generalia mense Augusto 1645 convocata praelati et laici cum Glamorganiae Comite, quem a Rege missum vidimus, occultis pactis circa conditiones ab Ormonio non obtentas nec obtinendas agendum duxerint, consentientes ut pax quoad alias conditiones cum ipso Ormonio palam contraheretur. Dum autem episcopi his conditionibus occultis operam darent, Scarampus ab

786 ipsis consultus respondit per trium foliorum Latinorum | superius indicatorum tertium, quod his assuo, lectorem monens eum, quem Scarampus Herbertiae Comitem vocat, esse Glamorganum, ante quidem Herbertiae Domini titulo notum, sed recens a Rege Glamorganiae Comitis honore exornatum.

(92) "Poterant (inquit Scarampus) et possunt N.N. quibus Sancti Spiritus gratia per dignitatem uberior, et doctrina per sacra et continua studia purior, unde et conscientia clarior, et experientia per longam rerum administrationem in patria certior et integrior affluit. Poterant (inquam) libere in Deo decernere quid bonum esset circa propositiones agitatae cum Comite *Herbert*. Sed cum tenuitatis et ignorantiae meae sensum in hoc arduo negotio ex eorum potius modestia quam ex ulla necessitate habere velint, brevibus (ut soleo) et cum ecclesiastica libertate nec non sinceritate respondeo mihi non probari hunc agendi modum, quo res civiles et populares Iberniae, N.N. intervenientibus, tractentur publice et plausibiliter cum | Marchione Ormoniae, Commissario suae Majestatis, *Protestante*, per propositiones prelo datas ad universi orbis conspectum, ecclesiasticae vero clam agantur, et privati per furtivas quasi propositiones a N.N. iisdem solis cum dicto Comite Catholico. Dicetur in universo orbe non bene convenire inter ecclesiasticos et saeculares Ibernenses, cum omnes quidem juncti ad rerum politicarum concordiam et pacem per eandem publicam viam adspirent, Ecclesiastici vero soli pacem rebus ecclesiasticis per aliam viam procurent, ita ut ad illam omnes teneantur, haec vero si non obtineatur ab ecclesiasticis, nihil ad saeculares pertinere, nihil commune aut sensus aut periculi aut detrimenti habere videatur.

Comitiis
Genera-
libus.
787 Mea semper fuit opinio in hoc tractatu ut, postquam Comes vidisset et approbasset propositiones N.N., agere dignaretur vim *Concilio Generali* et cum reliquis proponerentur, deinde cum dicto Marchione Ormoniae | ut admitterentur in conclusione tractatus pacis. Si vero in his proponendis vel admittendis respective aliqua subesset difficultas, mitteret ad suam Majestatem intercederetque pro concessione, prorogatis interim induciis ad breve aliquod, congruum tamen tempus, et non retardatis auxiliis quae poterat Ibernia Regi dare. Sed nunc dum video pacem saecularium agi uno modo publice, imo statim concludi, N.N. intervenientibus, ecclesiasticorum vero clam alio tractari, et quasi divisam in longius tempus protrahi, et interim omnia pendere a
i. jura-
mento *Sacramento*, quod a multis contingentibus facile reduci potest ad

observantiae impossibilitatem et a vita unius hominis, qua nihil incertius. Dum (inquam) haec audio, fateor me non habere a Summo Pontifice instructionem aliquam circa hujusmodi inusitatam et excogitatam pacem pro rebus ecclesiasticis | disjunctim 787
a politicis ineundam, et quantum in sacris ecclesiasticis et prophanis historiis per transennam legisse aliquando memini, nullum mihi ad eam praestandum existimo consensum. Quod significare placuit hisce scriptis ad mei obsequii testimonium." Hactenus Scarampus. v

(93) Scarampus quoque ut Confaederatorum et Glamorgani pactionem sibi displicentem praepediret, alios adhibuit conatus ab ipso Suae Sanctitati ex Ibernica Kalendis Septembris 1645 ex Ibernicae Nuncio deinde ex Urbe a Cardinale Pamphilio per schedam 5^o Novembris notis archanis scriptam et inferius collocandam significatos, quibus non obstantibus, episcoporum aliis consentientibus, aliis dissentientibus, illud pactum cum Glamorgano partim 25 Augusti ante fasciculum illum Kalendis Septembris ex Ibernica a Scarampo in Urbem missum, partim postea, nempe 3^o Septembris, conclusum fuit, cujus uni exemplari Glamorganus Regis nomine, alteri Confaederatorum | nomine alii subscripserunt 788
quod pacta mutua essent, proindeque utrinque et vicissim tradenda forent, quorum exemplar, cui Glamorganus subscripsit, excepta appendice 3^o Septembris addita, Scarampus (ut aliunde colligo) 1^o Septembris ex Anglico Latinum non autographum sed apographum in Urbem Cardinali Pamphilio et Cardinalis 5^o Novembris Roma Ibernicae Nuncio misit, idemque pactum Nuncio recens in Iberniam appulso a Concilio Supremo Kilkenniae praesentatum fuit Latinitate alicubi militari, quam sensu sarto tecto tantum emendo ut hic sequitur, continens non pauca sed non omnia juxta Scarampi suggestiones superius positas inserta.

"Pacis pars cum Glamorgano inita.

(94) "Quandoquidem multum temporis consumptum fuit in congressibus et dissertationibus inter excellentissimum D. Jacobum, Ormoniae Marchionem, suae Majestatis Regni Ibernicae proregem et | Gubernatorem generalem, a serenissima Majestate 788
sua, Carolo, Dei gratia Magnae Britanniae, Franciae, et Ibernicae Rege, ad pacem in eodem Regno cum suae Majestatis supplicibus et fidis subditis ejusdem Regni Ibernicae Faederatis Romano-Catholicis tractandam et concludendam, delegatum ex una parte, et Illustrissimum D. Donochum, Muscriae v

789 Vicecomitem, aliosque a dictis subditis Romano-Catholicis
 faedere conjunctis delegatos missos et auctoritate munitos ex
 parte altera, et super ea re multae difficultates emeruerunt, quibus
 factum ut variis magni momenti et ponderis rebus in praedictorum
 Romano-Catholicorum incolumitatem necessario obtinendis prae-
 fatus suae Majestatis Commissarius non acquieverit, quod firmae
 paci concludendae et rebus in hoc Regno componendis obicem
 posuit et etiamnum ponit. Et cum Illustrissimo D. Eduardo,
 Glamorganiae Comiti, a serenissima Majestate sua | facta fuerit
 postestas et credita auctoritas concedendi et confirmandi dictis
 Faederatis Catholicis subditis gratiam et favores ultiores quos
 ipsis ea qua expectarunt latitudine idem prorex necdum impertiit.
 Ab eodem Comite serio perpensis rebus omnibus nec non debitis
 circumstantiis magnarum rerum, quae nunc sunt in motu, qualis
 est dicti Regni pax et quies ejusdemque momentum ad suae
 Majestatis causam promovendam, ad concordiam etiam et tran-
 quillitatem in aliis ejus regnis stabiliendam. Viso etiam hic
 coram eorundem Catholicorum flagranti desiderio assistendi suae
 Majestati adversus omnes, qui Regium ejus jus aut Monarchiam
 opprimunt vel oppresserint, et considerata praedictorum Catholi-
 corum alacritate, animoque libenti amplectendi honorabiles pacis
 conditiones, quibus eorum religio atque alia emolumenta sarta
 tecta maneant. Ea propter juxta suae Majestatis mandatum
 ejus chirographo et annulo signatorio roboratum 12 Martii anno
 789 Regni vicesimo Oxoniae | datum et eidem Glamorganiae Comiti
 v traditum, cujus tenor hic sequitur, videlicet :

"Carolus Dei gratia etc. ut supra.

(95) " Ideo concessum, conventum, et pactum est inter dictum
 Glamorganiae Comitem, pro et ex parte serenissimae suae Majes-
 tatis, heredum, et successorum ex una parte, et illustrissimum Do-
 minum Richardum, Montgaretti Vicecomitem, praefatorum Faede-
 ratorum Catholicorum Concilii Supremi praesidem, Illustrissimum
 D. Donochum jam dictum, Muscriae Vicecomitem, Alexandrum
 Mac-Donaldum et Nicolaum Plunkettum, armigeros, Robertum
 Talbottum, Militem Baronettum, Dermittum O'Brien, Joannem
 Dillonum, Patricium Darcium et Zepherinum Brounum, Armi-
 geros, delegatos in eo negotio constitutos per eosdem Faederatos
 Romano-Catholicos Iberniae subditos, pro et ex parte praefatorum
 Faederatorum Romano-Catholicorum subditorum ex parte altera,
 modo et tenore sequenti, videlicet : |

790 (96) " In primis concessum, conventum, et concordatum est
 per praedictum Comitem pro et ex parte serenissimae suae Majes-

tatis, haeredum, et successorum, quod omnes et singuli Romano-Catholicae religionis in hoc Iberniae regno professores cujuscunque status, gradus, et conditionis sint vel fuerint imposterum in perpetuum in dicto regno habeant et fruuntur libero et publico praefatae religionis Romano-Catholicae usu et exercitio et diversis ejus functionibus.

(97) "2° Concessum, conventum, et concordatum est per dictum Comitem pro et ex parte suae Majestatis, haeredum, et successorum, ut dicti religionis Catholicae Romanae professores teneant et fruuntur omnibus et singulis Ecclesiis per ipsos in hoc Regno occupatis, vel per ipsos ullo tempore possessis a 23 Octobris 1641 et omnibus aliis ecclesiis in dicto regno, iis exceptis, quae nunc suae Majestatis subditis Protestantibus de facto possidentur.

(98) "3° Concessum, conventum, et concordatum | est per dictum Comitem pro et ex parte suae serenissimae Majestatis, haeredum, et successorum, ut omnes et singuli Catholici Romani Iberniae subditi cujuscunque status, conditionis, gradus vel ordinis, liberi sint et exempti ab omni cleri Protestantis et ipsorum uniuscujusque jurisdictione, nec hujus Regni clerus Catholicus Romanus puniatur, turbetur, aut molestiam patiatur ob suae jurisdictionis in suos respective greges Catholicos exercitium in rebus spiritualibus et ecclesiasticis. 790
v

(99) "4° Ulterius concessum, conventum, et concordatum est per dictum Comitem pro et ex parte suae serenissimae Majestatis, haeredum, et successorum, ut in Parlamento apud hoc Regnum proxime celebrando statutum condatur, cujus tenor et scopus sit ut hic sequitur :

*" Actum pro levamine Catholicorum Romanorum suae
Majestatis subditorum in Regno Iberniae.*

(100) " Quandoquidem per statutum | Parlamento habito Dubliniae anno secundo Regni nuperae Reginae Elizabethae latum, quod inscribitur (*Actum pro pristina in statum ecclesiasticum et spirituales jurisdictione Coronae restituenda, et omni extranea eidem repugnante potestate abroganda*) et per aliud statutum in dicto Parlamento ultimo memorato conditum cui titulus : (*Actum pro communium precum et cultus in Ecclesiae uniformitate et Sacramentorum administratione*) diversae mulctae, paenae, restrictiones, et inhabilitates imponuntur et impositae fuerunt religionis Catholicae Romanae professoribus in hoc regno in, ob, et circa suae religionis usum, professionem, et exercitium, suasque in ea functiones, in magnum Catholicorum Romanorum quoad suas libertates et fortunas praejudicium, tumultuationem, et 791

791 molestiam, ac generalem totius Regni perturbationem. In quorum
v remedium et ut hujus regni Iberniae pax, concordia, et tranquil-
litas melius | firmetur, increseat, et foveatur, suae Majestati ad
humilem procerum et communium in hoc praesenti Parlamento
congregatorum supplicationem et postulationem gratiose placet
ut decerni possit et decernatur per serenissimam Regis Majes-
tatem, praelatos, proceres, et communes in hoc praesenti Parla-
mento collectos, et per ejusdem auctoritatem, ut ab et post
primam hujus sessionis Parlamenti diem liceat omnibus religionis
Catholicae Romanae cultoribus, cujuscunque gradus, conditionis,
aut status, habere, uti, et frui libero et publico dictae religionis
Catholicae Romanae exercitio et professione, et suis in ea variis
respective functionibus, nec propterea ullam cujuscunque generis
multam aut paenalitatem incurrant, nec ulli restrictioni vel
inhabilitati obnoxii sint quovis dictorum ultimo memoratorum
actorum Parlamenti, aut cujusvis alterius acti vel actorum Parla-
792 menti, aut ordinationum legis vel consuetudinis in | contrarium
militantis articulo, clausula, vel sententia nullatenus obstante.
Et ulterius decretum sit ut neque dicta statuta nec ullum aliud
statutum, acta vel ordinatio, quae Majestate tua vel quovis ex
nobilissimis Majestatis tuae Majoribus aut praedecessoribus
regnante lata fuerint, et nunc in hoc Regno vigent, nec omnia,
nec tota, nec ullus ramus, articulus, clausula, aut sententia in
illis vel eorum ullo contenta vel designata in hoc Regno valeant
aut vim obtineant, nec extendantur, nec intelligantur, nec idonea
censeantur, quae extendantur ullo modo ad perturbationem,
praejudicium, vexationem, vel molestiam dictae religionis Catho-
licae Romanae professoribus procreandam in eorum personis,
possessionibus, haereditamentis vel bonis ob rem ullam, negotium
aut causam quamcunque tangentem et concernentem liberum
et publicum usum, exercitium, et fruitiones dictae suae religionis,
792 functionis, et professionis. | Et sit etiam ulterius auctoritate
v praedicta decretum et declaratum ut Majestatis tuae in dicto
Iberniae Regno subdito Romano-Catholici a prima hujus
sessionis Parlamenti die sint, censeantur, et judicentur capaces
omnium fiduciae et fortunae officiorum, locorum, graduum,
dignitatum, et promotionum qualiumcunque in dicto tuo Iberniae
Regno, quocunque statuto, consuetudine, vel lege contraria non
obstante. Et ut alia statuta ad conventionum seu concessionum,
quae hic exprimuntur, tenorem in praefato Parlamento con-
ficiantur, intereaque praedicti subditi Romano-Catholici et eorum
quisque pleno dictarum conventionum et concessionum, et earum
uniuscujusque beneficio, libertate, et emolumento perfruantur.

(101) " 5° Concordatum, concessum et conventum est per dictum Comitem pro et ex parte suae Majestatis, haeredum, et successorum, ut nec Excellentissimus D. Marchio | Ormoniae, Iberniae prorex, nec ullus alius aut alii a sua Majestate authorizati vel autorizandi, deturbent religionis Catholicae Romanae professores in praesenti dictarum ecclesiarum suarum aut jurisdictionis possessione, et continuatione ejusdem possessionis vel quarumcunque aliarum rerum praedictarum his articulis concessarum et impertitarum per dictum Comitem, donec suae Majestatis beneplacitum significatum fuerit ad confirmandas et promulgandas concessionem et conventiones his articulis contentas, quibus et idem Comes acquievit.

793

(102) " 6° Idem Glamorganiae Comes suae Majestatis verbum Regium et fidem publicam omnibus et singulis dicti Iberniae Regni ejusdem religionis Romano-Catholicae professoribus per praesentes obstringit ad debitam omnium et singulorum articulorum concessionum et clausularum iisdem contentarum observantiam et praestationem, et ad ea, quae hic conceduntur, ipsis adimplenda. |

(103) " 7° Concessum et conventum est ut per praefatos dictorum Catholicorum Confaederatorum Commissarios publica regni fide eidem Comiti spondeatur futurum ut Generalium Comitiorum nunc sedentium praescripto et decreto publico dena hominum millia in suae Majestatis obsequium transmittantur, et Supremum Catholicorum Concilium in se recipiat in quemcunque hujus Regni portum praefatam militum manum media ex parte sclopis, altera media lanceis armatam adducere ad dicti Comitum arbitrium, et quando voluerit per ipsum navigio transportandam ad militandum suae Majestati in Anglia, Wallia, vel Scotia sub imperio praefati Glamorganiae Comitum velut praefecti generalis ejusdem exercitus, qui in una integra acie conservandus est, et reliqui omnes ejus duces a Supremo eorundem Faederatorum Catholicorum Concilio vel ab aliis similibus, quibus generalia hujus Regni Faederatorum Catholicorum Comitum ejus negotii curam crediderint, sunt | nominandi. In quorum fidem partes quae interfuerunt his vicissim chirographa et sigilla apposuerunt 25° die Augusti 1645.

793

v

794

Glamorganus.

Signatum, sigillatum, et traditum praesentibus.

Joanne Somersetto.

Zepherino Barrono.

et Roberto Barrio.

(104) " Articuli concordiae facti et conclusi per et inter Illustrissimum D. Eduardum, Glamorganiae Comitem, (juxta suae Majestatis mandatum sigillo privato et Regio chirographo munitum Oxoniae 12 Martii anno regni vicesimo datum) pro et ex parte suae Majestatis ex una parte, et Illustrissimum D. Richardum, Montegaretti Vicecomitem, Supremi Faederatorum Iberniae Concilii praesidem, Illustrissimum D. Donochum Muscriae Vicecomitem, Alexandrum Mac-Donaldum et Nicolaum Plunkettum armigeros, Robertum | Talbottum Equitem Baronetum, Dermittum O'Brien, Joannem Dillonum, Patricium Darcium, et Zepherinum Brounum Armigeros, pro et ex parte Romano-Catholicorum suae Majestatis subditorum Iberniae cleri Catholici ex parte altera.

794

v

795

(105) " In primis dictus Comes concedit, concludit, et concordat ex parte suae Majestatis, haeredum, et successorum cum praefatis Illustrissimo D. Richardo, Montgaretti Vicecomite, Illustrissimo D. Donocho Muscriae Vicecomite, Alexandro MacDonaldo et Nicolao Plunketto armigeris, Roberto Talboto milite Baroneto, Dermittio O'Brien, Joanne Dillon, Patricio Darcio, et Zepherino Brouno Armigeris, ut praedicti regni clerus Romano-Catholicus tenere et frui possit, et imposterum in perpetuum teneat, fruaturque omnibus et singulis terris, tementis, decimis, et haereditamentis qualibuscunque per ipsos in hoc regno nunc respective possessis, vel per ipsos ullo tempore a 23^o Octobris | anni 1641 occupatis, et omnibus aliis id genus latifundiis, tenementis, decimis, et haereditamentis ad clerum in hoc regno spectantibus, exceptis quae a suae Majestatis clero Protestante de facto possidentur.

795

v

(106) " 2^o Concessum, conclusum et concordatum est per dictum Illustrissimum D. Richardum, Montgaretti Vicecomitem, et Illustrissimum D. Donochum Muscriae Vicecomitem, Alexandrum Mac-Donaldum et Nicolaum Plunkettum, Armigeros, Robertum Talbotum, Militem, Dermittum O'Brien, Joannem Dillonum, Patricium Darcium, et Zepherinum Brounum ex parte Faederatorum Catholicorum Romanorum Iberniae, ut duo omnium antedictorum fundorum, decimarum et haereditamentorum quorumcunque articulo praecedenti memoratorum trientes segregandi triennio proxime insequenti festum Paschale, quod erit anno Domini 1646, impendantur et convertantur in usum copiarum suae Majestatis occupatarum vel occupandarum in ejus obsequio, alio triente dictum clerum respective relicto, et sic | pendente bello eadem depositio a praefato clero de triennio in triennium renoveretur.

(107) “ 3^o Concordatum et concessum est per dictum Glamorganiae Comitem pro et ex parte suae Majestatis, haeredum ac successorum, ut nec excellentissimus D. Marchio Ormoniae, Iberniae Prorex, nec quispiam alius, nec alii per suam Majestatem authorizati vel authorizandi perturbent religionis Romano-Catholicae professores in praesenti sua possessione vel continuatione possessionis suarum ecclesiarum, latifundiorum, tenementorum, decimarum, haereditamentorum, jurisdictionis, aut aliarum rerum praedictarum quarumcunque hisce articulis concessarum et transactarum per dictum Comitem, donec pro confirmandis et promulgandis concessionibus per hos articulos pactis et per dictum Comitem transactis suae Majestatis beneplacitum innotuerit.

(108) “ 4^o Concordatum, conventum, et concessum est per dictum Comitem pro et ex parte suae Majestatis, haeredum, et successorum, | ut in proximo Parlamento apud hoc regnum celebrando statutum juxta concessionum et transactionum his articulis expressarum tenorem condatur, et interea praefatus clerus integro dictarum pactionum et concessionum atque earum uniuscujusque beneficio, praerogativa, et commodo perfruatur. 796

(109) “ Et idem Glamorganiae Comes per hanc conventionem dicto Illustrissimo Domino Montgaretti Vicecomiti, aliisque praefatis delegatis Regia suae Majestatis sponsione et fide publica cavet de debita observantia et praestatione omnium et singulorum articulorum, transactionum, et concessionum hic contentarum et memoratarum praestandarum dicto clero Catholico Romano et eorum unicuique. In cujus rei testimonium partes, quae his interfuerunt, mutua vice calculos et sigilla apposuerunt 25 Augusti anno Domini 1645.

Glamorganus.

Signatum, sigillatum et traditum
praesentibus.

Joanne Somersetto.

Zepherino Barrono.

Roberto Barrio. |

(110) “ Cum hisce articulis bona ecclesiastica concernentibus Illustrissimus Dominus Glamorganiae Comes ex parte suae Majestatis in se receperit concessionem his articulis contentas statuto Parlamentario securas reddere. Nos arbitrantes illum modum confirmandi has concessionem quo ad bona ecclesiastica futurum difficiliorem et suae Majestati magis noxium quam si alia via id ipsum praestaretur, et eae concessionem quatenus rem 796
v

797 cleri spectantes aliter in tuto collocarentur, praefato Comite fidem suam interponente et spondente ex parte suae Majestatis, haeredum, et successorum, sicut per praesentes fidejubet dictas concessionem stabiliendas et clero atque eorum successoribus securas reddendas alia via tuta praeter Parlamentum impraesentiarum, donec idonea ad eos roborandos occasio nascatur, eidem rei acquiescimus et consentimur, et hoc instrumentum a sua Illustrissima Dominatione signatum in eum finem antequam perfectum esset, destinatum fuit quoad bona ecclesiastica juxta quod propositum huic appendici a tergo scriptae vicissim subsignavimus, et ulterius volumus ne contra horum articulorum sensum clerus Catholicus, quoad dicta bona, a Parlamento vel secus deturbetur.

Glamorganus.

(111) "Ego Eduardus, Glamorganiae Comes, protestor et fideliter juro serenissimam Regis Majestatem a me redditum in certiore de hujus Regni Iberniae zelo et studiis in ipsius obsequium, idque ad nationem ipsi reddendam charam et ad ea exacte implenda, quae ipse suae Majestatis auctoritate suffultus mea fide esse jussi fore praestanda, et praestationi deficiente me non commissurum ut exercitus meae curae creditus vel ejus pars ullius momenti se periculis exponat, donec conditiones a sua Majestate et per suam Majestatem compleantur.

3° Septembris 1645.

Glamorganus." |

797 v (112) Hujus pacis tractatum (ut ex diebus et mensibus diversis primae secundaeque ejus parti appositis conjectes) Faederati et Glamorganus non simul, nec semel, sed post plures rerum agitationes absolverunt. Porro timebatur ante multa alia ne pace usquequaque absoluta haereticus Prorex ita Regnum moderaretur, ut faedus Catholicum ante dissolveret quam pax executioni mandaretur. Quare Comitum Generalia condiderunt sequens decretum cum appendice, quae postea in Nuncii mense Octobri appulsi gratiam Latine translata, eique a Concilio Supremo tradita sunt hunc in modum:

*Per Generalia Comitum Confederatorum
Catholicorum Iberniae.*

(113) "Quandoquidem dicti Confaederati Catholici susceperunt arma tam pro conservatione suae religionis, et justarum prae-

rogativarum et jurium suae Majestatis, quam pro necessaria defensione suae | vitae, statuum (possessionum), et libertatum contra varias molitiones et aggressiones malignantis partis, quae extremam et integram illorum destructionem machinata est. Et cum dicti Confaederati Catholici pro firmiore suae unionis in praemissis conservatione obstrinxerint sese generali juramento (quod communiter Juramentum Associationis vocatur) ad conservandum liberum exercitium suae religionis, justas suae Majestatis praerogativas et jura, et mutuam sui ipsorum inter se suorum statuum (possessionum) et libertatum defensionem. Et quia sua sacra Majestas ad humilem manifestationem presurarum dictorum Catholicorum gratiose dignata est Excellentissimo D. Jacobo, Marchioni Ormoniae, suae Majestatis Locumtenenti generali et hujus Regni Iberniae generali gubernatori, concedere sub magno sigillo commissionem ad tractandum et concludendum firmam et stabilem pacem cum suis fidelibus subditis, dictis Confaederatis Catholicis Iberniae, et quia intenditur et concipitur ab hoc convento | quod durante illa pacis tractatione et post quam articuli pacificationis, super quibus jam conventum est aut conveniendum fuerint, perfecti et pax conclusa, et donec illi articuli et pax sint omnino certa, confirmata et stabilita per et in Parlamento intra hoc regnum juxta tenorem et formam dictorum articulorum, unio et associatio dictorum Catholicorum et obligatio dicti juramenti continuaretur, esset, et maneret in plena sua virtute vigore et robore. Ideo hic conventus praemissa considerans et concipiens, ac videns absolutam necessitatem conservandae dictae unionis et juramenti associationis modo supradicto, et timens ne perversa constructione (expositione) aut errore aliqui concipiant aut apprehendant dictam unionem et juramentum associationis posse terminari aut dissolvi, aut terminatum aut dissolutum esse ad conclusionem dictae tractationis et perfectionem dictorum articulorum. Quod est contra | generalem et unanimem intentionem dicti conventus ad cujus praeventionem simulque malorum effectuum, qui ex tali apprehensione procederent, dictus conventus statuit et declaravit et hisce statuit, edicit, et declarat quod tam dicta unio et associatio dictorum Confaederatorum Catholicorum, quam obligatio dicti juramenti associationis durabit, erit, et manebit firma, inviolata, et in pleno vigore in omnibus punctis et ad omnes intentiones, sicut nunc sunt, ad durationem, et donec omnes illi articuli pacificationis sic concordati aut concordandi et concludendi fuerint plene rati,

798

798
v

799

799 confirmati, validati et stabiliti per et in Parlamento intra hoc
 v Regnum eo modo et forma qua juxta dictos articulos concordatur
 vel concordabitur et concludetur per et inter suam excellentiam
 Marchionem Ormoniae aut ullos alios, qui sunt aut erunt
 authorizati ad hoc ex parte suae | Majestatis et Commissarios
 authorizatos vel authorizandos ex parte dictorum Catholicorum
 super dicta tractatione et articulis pacificationis. Et quod non
 obstante quacunque simili concordia et conclusione articulorum
 pacificationis aut tractatione aut quovis edicto ad ejusdem
 prosecutionem facto aut divulgato, vel faciendo aut divulgando
 intra hoc regnum, omnes et singuli dicti Confaederati Catholici
 durabunt et manebunt et erunt membra dictae associationis et
 unionis, et obligabuntur dicto juramento ad durationem et
 donec dicti articuli fuerint rati, confirmati, et stabiliti per et
 in Parlamento ut supra tam ample, firmiter, et plane quam nunc
 sunt ad hujus declarationem, et omnes et singuli dictorum
 800 Confaederatorum Catholicorum, et eorum qui sunt ejusdem cum
 illis | unionis et adhaerentiae, hisce requiruntur ut accipiant
 specialem praemissarum notitiam. In quibus caveant delinquere
 aut deficere sub extremis ipsorum periculis, et si volunt aut
 sperant evitare et effugere odiosam, notam, et sordidam maculam
 infamiae, perfidiae, conjurationis, fraudis, perjurii, perduellionis
 contra suam fidem, religionem, Regem, patriam, nationem.

“ Datum Kilkenniae 26 die Augusti.

Exam. per Philippum Kearny, generalis Conventus
 Iberniae Clericum.

Per generalem Conventum Confaederatorum Catho-
 licorum Iberniae.

Kilkenniae 1^o Sep. 1645.

800 (114) “ Per modum explanationis dictae declarationis statuitur,
 v stabilitur, et declaratur quod nihil quod possit dici | inconsistens
 vel incompatible cum pace per illam intendatur aut cogitetur,
 neque debet intelligi ullo modo esse medium ad faciendam inter-
 ruptionem aut impedimentum pacis. Cum illius solus scopus
 sit conservare unionem dictorum Confaederatorum Catholicorum
 in ordine ad conformitatem, et ad impletionem articulorum
 pacificationis.

“ Exam. per Philippum Kearny, generalis Conven-
 tus Iberniae Clericum.

“ Per Generalem Conventum Confaederatorum
 Catholicorum Iberniae.

“ Kilkenniae 1^o Septembris 1645.

(115) "Statuitur quod eadem declaratio et super illam explanatio statim prelo mandabitur et divulgabitur.

"Exam. per Philippum Kearny, generalem Conventum Iberniae Clericum."

(116) Timebatur etiam ne pseudo-clerus haereticus, si pax usquequaque concluderetur, populum Catholicum (sicut ante | bellum factitabat) suis falsis censuris, nequissimis legibus, judiciis, exactionibus parochialibus et diaecesanis, nec non pecuniariis vexationum redemptionibus, atque infinitis aliis id genus aeruscationibus ante inolitis jactaturus esset. Cui malo cum Ormonius Regis nomine remedium nisi ridiculum afferre nollet, ipsa Faederatorum Comitia Generalia ex clero et laicis compacta unanimi consensu et nullo discrepante 28 Augusti decreverunt Iberniae Catholicos nunquam pseudo-clero subjiendos. Quod etiam remedium Ormonistarum astutiam spirans aequè ridiculum fuit cum Regem non obligaverit. Dicta pacis pars cum Glamorgano ita conclusa fuit ut nullam, nisi altera pacis pars cum Ormonio concluderetur, obligandi vim haberet, adeo ut potius pactorum celebrandum embrio et rudimentum quam pactum absolutum dici debeat. Interea Iberniae Nuncio, nedum in Regnum appulso sed in Galliis cunctante, P. Scarampus, tunc in Ibernia Minister Apostolicus, illas condiciones, de quibus cum Glamorgano | Faederati egerant, non approbavit. Qui quod tunc Romam significavit, nempe Glamorgani mandato non solum regem sed etiam a secretis subscripsisse, fuit deceptio. Solus enim Rex manum illo mandato apposuit, nec magno Angliae sed suo privato sigillo munivit. Quod si Scarampus non ignorasset, ipse et postea Cardinalis Pamphilius gravioribus, quam superius vidisti et inferius videbis, rationum momentis ab illa pace abhorruissent. Denique quam fragilis fuerit illa araneorum tela ad Catholicos illaqueandos nata, in narrationis progressu demonstrabitur. Porro cum longe plura pacis capita ad res tam spirituales quam temporales spectantia restarent cum Ormonio paciscenda, pacis cum Ormonio ex Confaederatorum parte absolvendae Commissarii, Muscrius alique ad ineuntem Septembrem Dubliniam redierunt, ut toti operi coronidem imponerent. Verum decem hebdomadis, ibi cum Prorege de pace contrahenda ita egerunt, ut ipsis | et Proregi inter se non convenerit, Prorege pertinaciter nolente concedere nisi condiciones iniquissimas. Inter haec Scarampus Concilio Supremo ob oculos posuit modum, quo procederent, eo esse praeposterum, quod ex una parte Nuncium Apostolicum et subsidia Pontificia arden-

801

801
v

802

tissimis votis expectarent, et ex altera pacem illis conditionibus inire conarentur, quibus Nuncium aditu in regnum intercludere vel certe post appalsum explodere velle viderentur, juxta subsequencia capita ab ipso Scarampo tunc scripta :

“ Accessus Illustrissimi et Reverendissimi D. Archiepiscopi Firmani, Nuncii Apostolici, in Iberniam a sanctissimo Pontifice, Innocentio X., benignissime concessus, et a Catholicis Ibernis uno ab universa Ecclesia Catholica ardentissimis votis expetitus, tres habuit oppositiones.

802 (117) “ 1^a est Sacramentum, quod praestare compelluntur
v Catholicis Iberni serenissimo Regi Angliae, ut vocant *suprematiae*, Nam incompatibilis est residentia Nuncii | dependentis a Summo Pontifice cum Catholicis qui alium quam ipsum in Ecclesiae caput recognoscant.

(118) “ 2^a fuit dubitatio illa valde urgens quod in futura pace et pro ea habendo Dublinii Parlamento nihil auditum est de Catholicorum episcoporum in eo assistentia, sine quibus nihil visum est Catholicae religioni et Apostolico Nuncio decorum futurum in Iberniam, cum episcopi esse debeant illius quasi bases, hujus quasi oculi.

(119) “ 3^a fuit indubia certitudo futura omnia sub dominio et gubernatione Proregis *Protestantis* quando publicata pace et absoluto Parlamento, confirmatis etiam propositis pro Catholica religione Confaederatorum petitionibus, dissolvetur omnis eorundem Confaederatorum administratio cadetque illorum praesens caput, nempe Supremum Concilium, ad quod missio quaelibet et legatio a S. Sede Apostolica fuit directa.

803 (120) “ 1^{ae} quidem satisfactum videtur ex charta exhibita ab agentibus Confaederatorum | Dublinii die 11 Septembris (1645), dummodo in ea insistatur, et sine ejus impetratione pax nullo modo concludatur.

(121) “ 2^{ae} nihil est responsum, nec in ullis petitionibus aut articulis pacis ullum verbum hactenus de ea est auditum. Quod vero fertur in primo Parlamento obtinendas sedes episcoporum Catholicorum in Parliamentis subsequentibus id non modo incertum est, sed et omni verisimilitudini contrarium videtur. Nam Prorex, pseudo-episcopi ipsi, qui procul dubio aderunt, omnes Parliamenti officiales, caeterique Protestantes eorum omnimodam et perpetuam exclusionem pro viribus intendent, et facile non paucos Catholicos ad se trahent in eam sententiam.

(122) “ 3^{ae} Quia indubitata est, non satisfactio sed remedium quaeritur, quo Nuncius Apostolicus sub integro et absoluto

dominio Proregis *Protestantis*, qui serenissimo Regi tunc cessa fortalicia et arma obtinebit, queat esse tuto et | decore et non inutiliter in Ibernia. Nam venire in ditionem serenissimi Regis Angliae, etsi *Protestantis*, nihil implicat, cum Sancta Sedes Apostolica Catholicos suos Principibus, quos Deus illis dedit, aut permisit subditos et quidem fideles esse non modo non prohibeat, sed ultra hortetur, immediate vero subijci Regi et administrari a *Protestantibus* patiatur, residere tamen apud eosdem Catholicos Apostolicum Nuncium neque conveniens nec usitatum sit. Unde ex re erit indicare modum, quo, tali casu, aut probro aut periculo non subijciatur Nuncius Apostolicus." Haec Scarampus.

803
v

(123) Ex his P. Scarampi votis ter legitimis nec secundo nec tertio satisfactum fuit, factione Ormonica ardentem cupiente ut ipse Ormonius etiam Faederatis Catholicis in Proregem proficeretur. Porro quid huc spectans responsum fuerit inferius in acto Concilii Supremi et Comitiorum Generalium autoritate ad | Nuncium in Galliam die Octobris 3^a 1645 ex Ibernia destinato melius videbitur. Ante vero quam de Nuncii missione, itinere, appulsu, et rebus cum ipso post appulsum actis dicam, aequum duxi nonnulla alia ad hanc annum spectantia adumbrare, ut postea praefata cum rebus ad anni subsequenti initium pertinentibus rerum ordine connexa perenni narrationis filo resumam, et pateat in quo statu Regnum fuerit ad Nuncii appulsum.

804

(124) Itaque hujus anni expeditiones bellicae silentio praetereundae non sunt, inter quas potissima fuit Duncananiae obsidio atque expugnatio, quam superius perstrinxi. In Momonia quoque exercitus Catholicus hoc anno plura castella expugnavit, demumque Yeoghelliam, nobile oppidum, insigni portu vallatum, ita obsedit ut Prestonus Duncanania jam capta eo profectus Comitum Portu-Castellani copiis Momoniensibus vires | conjunxerit. Verum Parlamentum Anglicanum, a quo et illud oppidum et alia quaedam haereticorum Anglicorum Momoniae praesidia sub Insequinnii imperio starent, mari ita obsessis non nullas suppetias venerunt, ut demum sub hujus autumnii finem Catholici obsidionem solverint, facile ibi triumphaturi nisi Ormonius per occultas suae inter Faederatos factionis machinationes illi eorum progressui intercessisset, malens ut Parlamentarii quamlibet in Deum et Regem rebelles quam Catholici et patriotae et a Rege stantes rerum potirentur. De qua re, et de Comite Portu-Castellano, insigni Ormonista Anglico, illis copiis Momoniensibus, post quam in Ultonia ad annum superiorem simile munus

804
v

Just. proditorie exercuisset, in imperatorem praefecto, Doctor Enos :
 Cap. 12. " ob praestitum (inquit) Ormonio caeterisque hostibus haereticis
 num. 13. hoc anno (1644) obsequium anno insequenti (1645) copiis in
 805 Momonia Faederatis, cervus leonibus praeficitur. | Nemine re-
 sistente plura occupant loca. Yeoghelliam (Portu-Castellanus)
 obsidet. Caeteras munitiones hostiles obstruit. Ne tamen
 hostem paenitus deleteret, subtrahuntur a perfido Concilio
 (Supremo) militum stipendia, quae in alimentum Ormonii
 Dublinium mittuntur. Illustrissimus chiliarchus, David Rochaeus,
 ab exercitu ad Concilium missus militum stipendia postulat.
 Eo omisso (nec enim ei nefaria sua molimina communicare
 voluit Concilium) accersuntur Castelhaven (Portu-Castellanus),
 Purcellus, Locum-tenens generalis et chiliarchus, Oliverus
Stephanus (Fitz-Steeven). His aliisque de Concilii factione
 tribunis secretum ministratur juramentum de hoste non prose-
 quendo. Mens enim Concilii erat aequas quidem pro religione
 obtinere condiciones. Anglos autem aliosve hostes quantumvis
 haereticos et perduelles Regno abigere nullatenus statuerunt, ne,
 praevalentibus forte antiquis Ibernis, jus simul et regimen
 805 Anglicanum excuteretur, | Princepsque aliquis externus intro-
 duceretur. Haec commentum sunt consiliarii perfidi ut suorum
 v scelerum turpitudinem contingerent. Haec et mihi plura alibi
 referenda idem *Locumtenens* generalis, Purcellus, Limerici jam
 ab eodem hoste haeretico quem hactenus instigante Concilio
 conservaverat, ultimo afficiendus supplicio (ad annum 1651)
 revelavit. Revelarunt et alii duces qui in illa expeditione sub
 Generali perfido merebant. Atque ita in Momonia hostis per-
 duellis exanimatus vitae spiraculum accepit." Haec ille. Qui
 ibi et multis aliis in locis, in quibus Concilii Supremi proditionem
 et perfidiam taxat, non de sincera sed de corrupta Concilii parte
 intelligendus est Ormonii malignitatem secundante talibus
 artificiis ut sinceris collegis nunc absentibus, nunc deceptis,
 suffragiorum numero inter deliberandum succumbentibus publi-
 cam Concilii Supremi auctoritatem suis proditionibus etiam in
 806 acta transfusis, sed alieno colore | pictis, praetendere solerent.

(125) In Conacia, tertia regni provincia, hac aestate hostes
 illa Catholicis damna pepererunt, quae in litteris a P. Scarampo,
 Ministro Apostolico, 14 Julii ex Ibernia in Galliam scriptis et
 superius positis legeris, proindeque hic non repeto. Porro eodem
 tempore Ormonius ejusque inter Faederatos factio suis artificiis
 id assecuti sunt ut Vicecomes Taaffus, totus ab Ormonii nutu
 pendens, Anglo-Ibernus Catholicus, in virium Conaciensium

praefectum generalem assumptus sit. "Pari (inquit Doctor Enos) Ormonii et Concilii conspiratione mittitur hoc anno 1645 contra hostem perduellem haereticum Vicecomes Taaffus, Majestatis autoritate in qualitate Generalis suffultus, hac ei data cautela, nequem hostem, perduellem licet et haereticum, suis ejiceret sedibus aut possessionibus, qui a lege stare se declararet. Haec enim speciosa excogitata est machinatio, ut Faederati alendo exercitum, qui nihil omnino contra hostem patraret, sumptibus et laboribus | exhaurirentur. Ascititius Generalis gradu testudineo expeditionem aggreditur, sed duces Faederati dolum et fraudem suspicati expeditis armis tanta in hostiles munitiones insiliunt pernicitate et animositate, ut exiguo temporis intervallo septemdecim in Faederatorum potestatem redegerint. Instituta machinatione tam infaeliciter succedente stomachari caepit Ormonius, Generalemque Taaffum Dublinium advocat, ipsumque in Concilio secretiori expostulat cur Protestantes, quin et episcopum Protestantium suis ejecerat sedibus, cur munitiones aut aliqua loca armorum vi occupaverat? Respondit Taaffus se quidem fuisse constitutum Generalem istius exercitus. Sed cum duces omnes et milites fuerint de Faederatione Catholica et a Faederatis enutriti, penes ipsum non stetisse eos ab hujusmodi expugnationibus impedire. Quod autem ad episcopum ejectum attinet, dicitur dixisse: eum inveni occupantem et propugnantem munitiones et propugnacula | contra Majestatem Regiam. Illum ergo expugnandum a fidelitate Regi debita alienum minime censui." Haec ille.

(126) Taaffus ab Ormonio Parlamentarios, Regis nedum Catholicorum hostes profligatissimos, apud Conaciam succubuisse aegre ferente Dubliniam accitus fratrem dicti exercitus Instructorem generalem, eidem praefecit in suum reditum, cui tamen Ormonius redeundi in Conaciam haud fecit potestatem. Interea vires illae peditum circiter duo millia et equites trecenti Sligoam, quam antea eadem aestate haeretici occupaverant, praefato Taaffi fratre imperante 17 Octobris 1645 obsidere caeperunt, sed malo omine. Nam haereticis ex vicina Ultonia, ut praesidio Sligoensi opem ferrent, accedentibus, ita copias Catholicas aliud agentes interceperunt hostes utrinque irruentes, ut Catholici post nonnullam inter ambarum partium equites pugnam confuso modo receptui cecinerint, desideratis suorum circiter quadraginta, et inter hos Malachia O'Quelaeo, | archiepiscopo Tuamensi, cum duobus Religiosis ipsi assistentibus, nec non Brouno, Zepherini Brouni, Armigeri, fratre, ibi centurione, amissisque (si hostium

ibid.

806

v

807

807

v

relationi fides habenda est) centum et quinquaginta equis cum aliquot armis, tentoriis, impedimentis, nonnulla apparatus bellici quantitate, vexillis, aliaque tenui praeda, quae in haereticorum potestatem devenerant, captis circiter duodetriginta officialibus Catholicis, quorum praecipui fuere Morganus O'Flahertius, Richardo de Burgo, Clanricardii patrueli et proximo haeredi masculo, subchiliarchus, Joannes Gerdus, Theobaldo de Burgo, Vicecomitis Maioensis filio primogenito, subchiliarchus, Richardus de Burgo, praefati Richardi de Burgo *Major* seu legionis Instructor, et tres centuriones, nempe Guillelmus O'Seachnusius, Rogeri O'Seachnusii, Equitis aurati, frater, Geraldus Dillonus, Lucae Dillonis, census equestris filius, et nescio quis Costologus. |

808 Hanc victoriam Angliae rebelles relatione tunc Londini typis mandata tam contortuplicato verborum contextu ediderunt, ut confundendo sensui operam dedisse videantur, ne ipsi mendacii arguerentur conati efficere ut lector non Scotis sed Anglis (nam utraque rebellium colluvies Ultoniam incolebat), nec recentibus copiis auxiliariis sed paucioribus palmam adjudicaret. Caeterum Catholicis fugatis tres turmae equestres et mille circiter pedites Iberni, qui ad firmandam obsidionem accedebant, his nunciis auditis recesserunt, et haeretici, tam illi, qui ex Ultonia obsessis suppetias venerant, quam alii, qui ante Sligoae et ad Sligoam se tenebant, in unum corpus coaliti in Baroniam Tereraghensem penetrarunt, parvoque temporis intervallo tredecim castella hoc anno expugnarunt, in quibus inter alia rem frumentariam, cujus inopia laborassent, affatim repperunt. Inter hanc expeditionem haeticorum tormenta bellica |

808 v Catholicorum vehicula traxerant. Denique hostes in illis castellis ita praesidia disposuerunt ut, vicinia ad tributum pendendum coacta, ibi hoc anno Ibernorum succo et substantia vicitantes hybernarint. Nec deesse video, qui dissipatae obsidionis Sligoensis, et perditae ibi victoriae jam dictae culpam in Vicecomitis Taaffi fratrem ab eo illis copiis Conaciensibus (ut dixi) praefectum tanquam illa praefectura indignum, vel dignum, qui ad Ormonii et Taaffi Vicecomitis genium causam ibi Catholicam prodidisse censeretur. Sane Iberni Comitem Portu-Castellanum et Taaffos in suarum virium praefectos cooptando insaniisse videntur, cum ipsis non defuerint non solum (quod parum erat) digniores, sed etiam magno numero longe dignissimi. Verum sic fata tulere, Ormonistis ad sui Ormonii suggestiones patriam non moderantibus sed prodentibus.

809 (127) Joannes Vangyrishius, natione Germanus, | aliquandiu

in Anglia legionem equestrem propriis (sicut Vigorniae Marchionem 4^o Martii 1648 Galviae fidem fecisse video) sumptibus instructam sub Rege cum duxisset, demum rebus regiis ibi multum accisis hoc anno in Iberniam trajecit, ubi (sicut in ipsius litteris lego) Dubliniae Ormonium, Proregem, quinque navium, quae ad Parlamentum Anglicanum spectantes tunc in sinu Dubliniensi regiis insidiabantur, incendendarum veniam rogavit, pollicitus se facili negotio id assecuturum, quod in machinis omne genus adhibendis atque in excogitandis stragematibus haud mediocri polleret industria. Verum Prorex illam ipsi licentiam denegavit. Quare (inquit ipse Vangirishius) *ejus mentem suspectam habere caepi*. Sic ipse. Qui triduo deinde interjecto Ormonium se ad Faederatorum Iberniae Catholicorum partes recipiendi veniam rogavit, eaque lege obtinuit ut Dubliniam remearet. Quo etiam ad vigesimum deinde diem regressus, multa Proregi et Glamorgano interea in Iberniam advecto, sub quo ille ante Regi in Anglia | militaverat, in Ibernorum laudem retulit. Porro praefata virium Conaciensium praefectura Vicecomiti Taaffo decreta Vangirishius apud Glamorganum institit ut sibi cum Taaffo ad illam expeditionem proficiscendi faceret potestatem. Qua obtenta Vangirishius inter Catholicos stipendia faciens praeclare se gessit, rogatus a Taaffo ut interea generalem machinarum bellicarum praefectum ageret. Illeque ejus votis acquievit, deindeque Glamorgano per aliquot annos et post Glamorgani discessum (sicut videbimus) ipsis Ibernis in eo Regno adhaesit, quem invenio anno 1647 apud Concilium Supremum institisse ut sibi in Iberniam metallorum ibi effodiendorum et eliquandorum, quibus, ipso auctore, Insula scatet, copiam certis conditionibus statuerent. Per quem autem stetit quominus in eo negotio processum sit mihi non occurrit. |

(128) In Ultoniam, quartam regni provinciam, descendo. In qua prae tribus aliis regni provinciis Catholicorum conditionem hactenus ab inchoato bello fuisse reperio ob multas causas deplorandam. Nam 1^o. In aliis provinciis plures urbes et oppida, quod cives et oppidani pene omnes etiam ante caeptum bellum Catholici essent, indicto haereticis bello, Confaederatis Regni Catholicis cohaeserunt. Verum in Ultonia ante inchoatum bellum oppida et urbes haeretica Scotorum atque Anglorum colluvione pene refertae, vel orto bello ab iisdem sectariis interceptae aut expugnatae, suis deinde rebellibus in Catholicos adhaeserunt, excepto praesidio Carolomontano, quod Felix O'Nellus ad belli initium occupaverat. 2^o. Majorem pene

809
v

810

melioremque agri Ultoniensis partem nobilitati Catholicae in
 fidei odium extortam iidem convenae haeretici etiam ante
 caeptum bellum incoluerant, quo factum ut populus Catholicus
 810 inter diuturnam pacem superiorem sub Rege Jacobo et Carolo |
 v magnis numeris exularit, vel alia ratione fuerit haud mediocriter
 extinctus illis miseriis, quae tanquam pedisequae persecutionem
 concomitantur. 3°. Qui supererant nec nativis abundabant
 rebus ad bellum prosequendum idoneis, nec eis in sua provincia
 portus erant, nec cum exteris nisi tenuissima rerum venalium
 commercia frequentabant, nec ipsa pecunia, qua sibi aliunde de
 rebus necessariis providere possent, ipsis suppetebat, Scotis et
 Anglis ita in Ultonia praevalentibus, et Calvinistis praesertim
 ex vicina Scotia eo indies trajicientibus, ut Catholicos ibi inter
 hoc bellum partim stirpitus deleverint, partim patriis laribus
 deturbarint, partim bonis praecipuis spoliatos effecerint tribu-
 tarios. 4°. Eugenio O'Nello, copiarum Catholicarum Ultoniae
 praefecto generali, et Faelici O'Nello, equiti aurato, praecipuo
 inchoandi in ea provincia belli auctori, adeo male inter se con-
 veniebat, ut Ultoniae vires duabus factionibus enervarent, easque
 811 aliunde debiles se | ipsis effecerint debiliores. Quare Ultonien-
 sium alii sub hostium tributo in sua Ultonia male multabantur,
 alii praesertim procerum et nobilium praecipui hostili furore
 possessionibus per tot saecula avitis excussi, et nedum haeticis
 sed etiam Catholicorum non paucis, quod anceps adeo bellum
 concitaverint, odio capitali habiti, cum inter tot detrimenta
 haud forent resistendo in alias regni provincias, praesertim in
 vicinas, non solum cum militibus, quorum quam aliorum minor
 numerus erat, sed etiam cum agnatis, cognatis, affinibus,
 clientibus, obaeratis, devotis, et quibuscunque adhaerentibus
 horumque omnium uxoribus, liberis, servis, ancillis, viduis, senibus,
 aliisque personis etiam inutilibus sed caris, et denique cum
 armentis et pecuariis prope infinitis discurrebant. Qui miserandus
 eorum status effecit ut illorum plurimi etiam in remotissimas
 quasque Insulae regiones manipulatim penetrarint, et aliena
 812 misericordia, quam magnam experti sunt, castellatim ac |
 v domesticatim vixerint, usque adeo ut reperiam etiam milites
 Ultonienses in ipsa Momonia, quae sola ex regni provinciis
 Ultoniae confirmata non est, imo in remotissimis Momoniae
 partibus, atque in ipso comitatu Kierriensi hujusque baronia
 etiam Ivrahaghensi maxime occidua nonnunquam hybernasse,
 indigenis condolentibus, ad quos illis alias aditus non patuisset,
 licet non desint qui affirmant quosdam Ormonistas non ex

charitate sed ex astutia et industria politica procurasse ut illa Ultoniensibus apud Momoniam hyberna decernerentur, quo eorum ac totius causae Catholicae in ea provincia studiosissimi praesertim aborigenes, ab ipsis divexarentur, proindeque eos ulterius benevolentia non prosequerentur, sed ad Ormonii et Ormonistarum partes deficerent. Quae tamen politia successu caruit, cum sinceræ Momoniensium et Ultoniensium partes usque in finem inter se dilexerint et in bonum publicum consenserint.

(129) Inter hanc Ultoniensium exundationem non pauci ex aliarum provinciarum indigenis tanta in eos compassione et | charitate ferebantur, ut in ipsos hospitalitatem humanissime 812
exercerent, et eorum pecuariis pascua permetterent. Alii praesertim diffusa toto pene regno factio Ormonica eos paulo minus horrebant antiqua dominante antipathia, eaque novo eventorum postea secutorum praesago aucta metu, ne scilicet futurum esset ut suis atque sui Ormonii machinationibus ante alios obviarent Ultonienses, quorum optimi quidem ita honeste se gerebant, ut ab aequis rerum arbitris digni haberentur, in quos continua beneficia conferrentur, sed multitudo ad humanitatem non imbuta et beneficiorum in se collatorum haud satis memor, more id genus hominibus apud politissimas quasque nationes familiari, rapinis et concussionibus inhiabant, tanto Reipublicae malo, ut cum eorum vires ad movendum in hostes haud tantae forent, numerosissimos tamen haberent expilatorum greges, quod pene omnes etiam pastores, ad sua armenta | custodienda et ad aliena 812
etiam Catholicorum ipsis aggreganda, atque ad praedas per fas v
et nefas abigendas armarentur, quo fiebat ut plerumque, dum hostes haereticos fugerent, Confaederatis evaderent terribiles. Quare non defuere qui in ipsos apud Comitia Generalia hoc anno 1645 mense Junio querelas moverint, easque auditas, sicut ex hoc edicto Anglice condito colligas :

Per Comitia generalia 7^{mo} Junii 1645.

(130) " Decretum est ut Illustrissimus D. Primas, D. episcopus Clogherensis, Philippus O'Nellius Hugonis, Collus Mac Mahonius Briani, Rogerus Maguirius, Donellus Centurio, Turlochus O'Cuinnius cognomento vultuosus, centurio, Collus Mac-Mahonius et alii eorum, qui pecuaria sequuntur, coryphaei, coram D. Nicolao Plunketto domi suae mane crastino ad horam septimam compareant et cautionem subeant, beneque satisdent | futurum ut 813
diversis hominibus, quibus eorum armenta et armentarii damna intulerunt, debito modo sicut adjudicatum fuerit satisfiat, et

813 v
814
varios ab ipsis dependentes diversorum atrocium facinorum atque aliorum delictorum, de quibus comitatus Regii nobilitas, omnesque alii regni comitatus conqueruntur, auctores sistant, eorumque armenta atque armentarii inter remigrandum in Ultoniam nemini cujuscunque conditionis, nisi cui citra moram satisfecerint, damnum aut praejudicium pariant, et nec Illustrissimus D. Primas, nec alii jam dicti ex hac urbe absque horum Comitiorum licentia discedant. Et ulterius decretum est ut Instructor Major *Fitz-Simons*, et inferiores duces legionis Jacobi Dilloni, Census Equestris, abjecta cunctatione legionem illam congregent, et dicta armenta atque armentarios et armenta sequentes ex Regis, Reginae, Longfordiae, Midiae occidentalis, Midiae comitatibus Lageniam spectantibus arceant, | abscedere cogant et expellant, parique modo Instructor Major, Butlerus, Richardi Butleri, chiliarchi, legionem in unum convocet, et similiter ex tractu Idvoghensi et comitatu Kilkenniensi armenta atque armentarios atque armenta sequentes, iidemque Instructores Majores et omnes praedictarum respective legionum centuriones per praesentes autoritate muniuntur ad omnes Ultoniae vires vagabundas, quas huc atque illuc per regnum absque mandato discurrente repererint, exarmandas, et ad earum coryphaeos ac duces praehendendos et mancipandos carceri comitatus, in quo ejusmodi erronei invenerint. Et ulterius statutum est ut ubi de quovis damno a dictis armentis atque armentariis et armenta sequentibus illato vel inferendo querela apud praefatorum instructorum Majorum utrumlibet mota fuerit, ex armentis et armentariorum jam dictorum atque armenta sequentium bonis tantundem aequa lance sistant, idque conquerentibus et damnum passis tradant. Et ulterius | declaratur dictorum armentorum et armentariorum atque armenta sequentium accessionem nullo hujus conventus acto niti, et eandem atque eorum actiones ab his Comitibus improbari. Et ulterius declaramus partes adversas, quo eos suis finibus arceant, optimis quibusque uti posse viis, sicut expedire judicaverint. Et ulterius decretum est ut diversae personae jam dictae, atque omnes alii armentorum atque armentariorum et eorum, qui armenta sequuntur, coryphaei nunc in hac urbe se tenentes mox ad sua quisque armenta et armentarios atque armenta sequentes pergant, ipsisque conceptam a Regno de diversis et multis oppressionibus ac damnis per praefata armenta atque armentarios et armenta sequentes patris opinionem declarent, idque efficiant ut ex omnibus et singulis aliarum trium provinciarum comitatibus, in quibus nunc sunt,

in Ultoniam regrediantur. Quod si dicta armenta atque armentarii et armenta sequentes modo jam dicto regredi noluerint, gladio et quibuscunque aliis viis (quoad ejus fieri poterit) cogi et compelli debent | ut abscedant.

“Datum Kilkenniae 7° Junii 1645.

Ex: per Philippum O’Kearneum, Comitiorum generalium Clericum.”

814
v

(131) In quadam rerum Ibernicarum Relatione Anglica a Nicolao O’Birn, copiarum Ultoniensium inter illud bellum Vicario generali postea Romae scripta, lego Eugenium O’Nellum, cum in hostes moturus esset, suorum Ultoniensium Comitia provincialia Aghavoe in Lagenia celebranda indixisse, ratum fore ut ipse a suis provincialibus in ea expeditione suscipienda secundaretur, sed eventum expectationi non respondisse, quin imo suos *tunc et postea semper religioni et patriae exitiales* (sic ille) in ipsis Ultoniensibus aemules (quorum coryphaeum fuisse conjecto Felicem O’Nellum, equitem auratum, Ormonistarum suggestionibus fascinatam) id egisse ut non solum | ejus menti in eo consessu obviatum sit, sed etiam armenta et armentarii, proindeque ii, quorum essent, magnaque ex parte ipsi milites in dispersionem abierint, atque in tractus hosti stipendiarios se receperint, ubi ea conditione in Ultonia permanendi licentiam eos obtinuisse colligo, ut statum fixumque tributum haereticis numerarent. Subjungit autem idem author Eugenium misisse suum ex fratre nepotem, Briennum O’Nellum cognomento *Rufum*, chiliarchum, nec non Erimonium Mac-Guinnium, Legionis Instructorem, qui paucorum dierum numero refractarios ad obediendum compulerint, et armenta ac ea sequentes ex haereticorum finibus reduxerint, adeo ut, viribus Ultoniensibus hunc in modum iterum coactis, Eugenius in hostes Ultoniam incolentes moverit. In quos ab eo gestum fuisse invenio ad mensem Novembrem quod hic perstringo.

815

(132) Die Novembris 23° Guillelmus Colaeus, census equestris, ibi hostis haereticus a Carolo Cooto, equite aurato, hoste pariter | et haeretico, litteras recepit, quibus rogabatur ut sua turma equestris ex Ultoniae vicinia Sligoam 27 Novembris veniret, quo ipse et Carolus unitis viribus in Conaciam interiorum irrumperent, et ibi nescio quod occultum eorum consilium Catholicis dubio procul obfuturum exequerentur, Guillelmi tunc turma equestris majore ex parte in *Bava*, lacus Ernii Insula, quae ab Inniskilliniae praesidio sexdecim milliaria ad aquilonem distat, se cum equis

815
v

816 tenebant et nuncio accepto cum duabus pene peditum cohortibus ex ejusdem Guillelmi legione ibidem tunc hybernantibus, 24° Novembris se itineri accinxerunt, secutis deinde 25° Novembris ex Inniskillinae praesidio 20 circiter aliis equitibus, ea mente ut illa nocte ad quindecimum a Sligoa lapidem pernoctarent. Interea Eugenius O'Nellus copias haud tribus militum millibus constantes in duas partes divisit. Nam quingentos misit, qui
duce Rogero Maguiri praefatam | Bavae Insulam interciperent, ipseque cum duobus circiter peditum millibus et ducentis equitibus die 26 Novembris jam declinante super montis Inniskellinae uno lapide distantis cacumine se ostentavit, ne Inniskellinae praesidarii, a quibus Rogero magis metuebat, in Rogerum audita ejus invasione moverent. Rogerus enim (sicut in mandatis habuit) mane ejusdem die 26 cum suis quingentis militibus in insulam illam ad Austrum trajecit, Brieno O'Haran aliisque Ibernis, qui ibidem sub haereticorum jugo degerent, cymbarum ad ipsos hostes pertinentium duas subministrantibus.

816
v (133) In illa insula militum hostilium pecuaria et Inniskillinae armenta, arma, vestes, res annonaria et uxores velut in loco ab omni incursione tutissimo habebantur. Quae omnia, absentibus tunc (sicut praelibatum est) militum hostilium plerisque, Rogerus cum suis | ita deripuit ut, quae transportari possent, transvehenda armenta ad australem Insulae partem abigenda, ipsas mulieres vestibus, nisi quibus nuditatem tegerent, spoliandos, nonnullos milites ibi praesidiarios capiendos et caetera igni cremanda curavit tanto causae Catholicae bono ut Nicolaus O'Birn loco jam citato tradat hostes ibi antea annonam militarem et armentarium in Conaciae invasionem disposuisse, sed exinde eorum expeditionem alias in Conacienses suscipiendam evanuisse deficientibus quae ad eam proseguendam requirerentur.

817 (134) Inter haec Inniskilliniensibus (sicut dixi) ne erumperent ut Rogero negotium facerent ab Eugenio O'Nello praepeditis, illae hostium peditatus atque equitatus, quos 24° et 25° Novembris ut Sligoam pergerent movisse diximus, auditis inter viam hisce sibi funestis nunciis, sua expeditione Conaciensi (quod instar secundae Catholicorum | victoriae fuit) deserta magnis passibus redierunt, ipso etiam peditatu celeritatis ergo in equis sedente sed malo ipsorum omine quo ad aquilonarem illius insulae partem ab australi qua Rogerus cum suis invasit, evasitque, tribus milliaribus Anglicanis distantem gressus direxerunt. Quo non obstante Guillelmus Colaeus tunc in Angliam scripsit, et Parlamento Anglicani mandato typis Londini mandatum fuit, eos ita

Rogero cum praeda abeunti deinde institisse, ut 27^o Novembris ad horam primam matutinam assecuti sint et post pertinacem pugnam nostros fugarint, Terentii O'Nelli, filii Henrici, nepote cum quodam centurione et duobus subcenturionibus occisis, nennullis nostrorum captis, majore praedae parte recuperata, suis, quos in Bavae Insula captos fuisse vidimus, in libertatem vindicatis, et haereticis turmis ac cohortibus Inniskilliniam ad aquilonarem lacus Ernii partem 30 Novembris regressis. Quam eorum | victoriam tantum abest ut Nuncius, qui mense Octobri recens in Iberniam advectus, historiam in suum diarium retulit, aut Nicolaus O'Birn loco jam citato memoret, ut etiam hic addat Eugenii copias in illa expeditione multas praedas abegisse, et plures lacus Ernii insulas Inniskilliniae vicinas ab hostibus habitatas incendio delevisse. Porro Eugenius illa militari excursionem confecta in comitatum Monaghanensem se recepit cum suis copiis, quae hybernarunt apud suos provinciales comitatum, nempe Tironensis, Ardmachani, Monaghanensis, et (qui olim ad Ultoniam sed hodie ad Lageniam spectat) Louthiensis indigenas ab hoste sedibus antea pulsos, illaque hyeme agrum Monaghanensem et Louthiensem cum armentis et armentariis occupantes.

817
v

(135) Inter haec nonnulli ex praecipuis haereticis Parlamento Anglicano in Ultonia adhaerentibus undevigesimo Novembris 1645 Belfastia litteras Anglicas notis arcanis | exaratas eidem Parlamento tradendas Londinum miserunt ibidem typis mandatas, exceptis aliquot verbis nescio quod occultum mysterium continentibus, Parlamento (credo) praescribente, inter chartas in lucem editas omissis, quibus lacunis exceptis, litteras illas hic Latine verto, lectorem praemonens illos sicarios rebellium nomine intelligere Iberos.

818

“ Honorabilis Domine.

(136) “ Nonnulla sunt, quae in nostris litteris ad commissarios datis omisimus, quod ea notis adulterinis exprimenda ducamus. Nempe rebelles, ex quo res Regiae declinarunt, altiora postulata interponere caeperunt. Quo viso, nec non considerato quod in nostris praesidiis apud Conaciam expugnandis et in Anglis quorundam eorundem praesidiorum possessione deturbandis Regis . . . et autoritate abutuntur, Marchio Ormoniae adeo ira incensus est ut non nisi facultatem et opportunitatem anhelet, quo omnem cum ipsis contrahendae pacis tractatum abrumpat et in eos irruat. In quem finem non nemo ab eo ad nos missus

818
v

viam nobis aperuit, qua Britannicae | et Scoticae vires cum ipso adversus rebelles injungantur his conditionibus: 1° Ut pactum inter Angliam et Scotiam celebratum observetur. 2° Ut vires, quibus sua Excellentia imperat, ad faedus (Puritanicum) suscipiendum non compellantur et, quibus libuerit, integrum sit *uti communium precum libro* et regimine jam stabilito, donec aliud a Rege et Parlamento stabilitum fuerit. 3° Ut copiae Britannicae praecipuo Gubernatori (inter haereticos in Ibernia) pro tempore moderandae relinquuntur, dum ipsis Praefectum assignet, quem ipsae elegerint. 4° Ut omnes suis bonis et praefecturis spoliati utrinque in integrum restituantur. 5° Ut nemo ex regno nisi ambabus partibus consentientibus cum legatione destinetur. 6° Ut non nihil apparatus bellici illis, qui Dubliniae sunt, subministretur. 7° Ut in nostram securitatem Vadipontum nobis tradatur, modo satisfacemus non utendum adversus suam Excellentiam. 8° Ut ambae partes in pacta inter se ineunda jurent. | Aliquem bonum effectum ex his exordiis nasciturum supponimus, verum absque Commissariorum Scotiorum consensu nulla paciscendi facultas nobis suppetit. Quare expectamus ut in hisce rebus a vobis dirigamur, rogantes ut interea secreti sigillo obserantur. Nam si quae transactionis hujusmodi notitia rebellibus affulgeret, timendum esset ne Dubliniam et illas partes occuparent. Oblatae conditiones eo majoris sunt momenti, quod vestrae hic vires valde indigeant portu apud Lageniam in armamentarium. In eo tamen negotio, donec a vobis audierimus, nihil concludemus, nisi quod ipsos . . . cum nihil praeterea quod vobis significaremus habeamus, finem facimus.

Belfastiae 19° Novembris 1645.

Vestri humillimi servi.

Arthurus Annesleius.

Robertus Kingus.

Guillelmus Bealus.

819
v

"Si procedendum duxeritis haud dubitamus quin pacturi simus melioribus conditionibus quam quae proponuntur." Haec | illi.

(137) Die deinde ejusdem mensis 26 horum trium secundus indidem et eodem scribens: "quod (inquit) notis arcanis 19° hujus mensis vobis scripsimus minori molestia fieri poterat. Nam D. Galbrethus, qui sub severa secreti lege id nobis proposuerat, ex illo tempore idem plerisque exercitus Britannici

chiliarchis communicavit, adeo ut evidens sit fuisse machinationem, qua hic exercitus ad se Marchionis imperio subjiciendus sollicitaretur." Haec ille. Verum si Galbrethus ab Ormonio missus id dictis tribunis communicavit, non continuo sequitur quod hic conjectat, nempe Ormonium haud ea mente illas conditiones obtulisse ut eas praestaret, sed ut rebellium animos ea ratione sollicitaret. Quin imo eventus postea docuit esse cur Ormonium praefatis conditionibus in Regis et Catholicorum perniciem subscripturam fuisse credamus, licet mentem longe aliam apud Iberos praeseferebat, ne Dubliniam atque alia, quibus praeesset, Lageniae praesidia obsiderent inter tantas Regis in ipsa Anglia angustias, ut subvenire nequiret Parlamentariis hoc anno in Anglia progressum facientibus. Nam non solum (quod superius dixi) 10 Junii in praelio Nazabiensi vires regias ibi profligarunt, et mox Leicestriam recuperarunt, Tauntonamque a regii ad angustias redactum obsidione liberarunt, menseque Augusto et Septembri Bathoniae et Sherburnae oppida atque opulentissimam Bristolliae urbem expugnarunt, sed etiam exercitu in partes ob operum varietatem diviso, Wintoniam, Balsinghamque, Cromuellus, oppidumque Devisezense et Barclaum alii duces ceperunt, et Farfaxius mense Decembri in Devoniam progressus Tivertonam et Darmutham haud operose ad dedicationem coegit, et regias copias in Cornubiam pepulit, eosque insecutus Hoptonium ad Torringtonam graviter cecidit. Scotorum quoque exercitus, Parlamento Anglicano rebellionis societate conjunctus et in Anglia stipendiarius, media aestate Carleolam expugnavit, longeque majores ibi progressus fecisset, nisi Iberi et eorum in bello Scotico socii, Ibero-Scoti, ipsam Scotiam dilaniassent, cui ut subveniretur, exercitui Scotico in Anglia adversus Regem bellanti caeptis victoriis desistendum erat.

(138) Regii tamen in Anglia inter nonnullas etiam alias pugnassuccubuerunt, praesertim apud Routhenheatham, ubi Poinzius Parlamentarias aliquot vires ducens octingentos regios cecidit, menseque insequente et Copleius alique Georgium Digbaeum Baronem, mille equites regios ducentem, ad Sherburnam Eboracensem fuderunt, fugaruntque, eundemque ad Carleolam Bronus et Lesleius postea ita copiis omnibus exuerunt ut primo in Monam, insulam, exindeque mense Decembri Dubliniam in Iberniam refugerit. Et haec quidem sunt quae circa belli vices ad hunc annum 1645 spectantes perstringenda duxi. Jam ad alia propero.

821 (139) Innocentio X. 15 Septembris 1644 in Petri successorem
et Christi in terris vicarium cooptato, | paulo post P. Scarampo
ejus nomine in Iberniam ex Urbe significatum fuit quatuor epis-
copos recentiores in quatuor regni provinciis creandos, nempe
Fernensem, Aladensem, Deriensem, et Limericensem. In Fernen-
sem Nicolaus French, in Aladensem Franciscus O'Kiorrovanus,
in Episcopi Limericensis, tunc capularis senis, coadjutorem
Edmundus O'Duir, sed in Deriensem assumptus fuit nemo,
nullo in Ultonia, ubi episcopatus ille est, nec ad annum superiorem
nec ad hunc in episcopum induto, praeterquam Emero Mac-
Mahonio, quem ibi tantum ab episcopatu Dunensi et Conerensi
ad Clogherensem translatum fuisse invenio. Porro Innocentius
X. cum Edmundo O'Duir, episcopi Limericensis coadjutore, ex
Urbe in Iberniam regressuro dedit quinque Brevia Pontificia,
primum ad Concilium Supremum, secundum ad Hugonum
O'Rellium, Iberniae Primatem, tertium ad Thomam Flemingum
archiepiscopum Dubliniensem, quartum ad Thomam Walshaeum
821 vel Valesium archiepiscopum Cassiliensem, et quintum ad Mala-
chiam O'Quaelium archiepiscopum | Tuamensem, quae sicut ad
v meas manus devenerunt, hic sequuntur :

INNOCENTIUS PAPA X.

*Dilectis filiis, Concilio Supremo Catholicorum
Confaederatorum Regni Iberniae.*

(140) “ Immensa divinae ordinationis clementia non nostris
meritis ad apicem Apostolicae dignitatis assumpti, illud potissi-
mum nostri muneris esse perspeximus, ut traditae Nobis fidei
clarissimum curemus lumen ad eas diffundi gentes, quae errorum
caligine obtenebratae Evangelicae veritati misere contradicunt.
Illuc vero se nostrae sollicitudinis pars major extendit, ubi
gravior fidei jactura et lucrandarum major spes possit esse
animarum. In minoribus constituti vestram per tot annos
constantiam inter tot persecutionum procellas quoties dolentes
audivimus, toties admirantes laudavimus. Nunc vero in eo loco
constituti, ad quem omnium sollicitudo derivatur ecclesiarum,
memores operis fidei vestrae et laboris et charitatis et substantiae,
pro vobis oramus continuo ut in fide unanimes, Christianae
822 fraternitatis amatores, id ipsum sapiatis | omnes, et corde uno
pugnantes gloriosum pro fide Christi susceptum certamen faeliciter

absolvatis. Commoventur quidem erga vos viscera paternae caritatis et vobis compatimur, probe scientes quot suffertis tribulationes, angustiati, afflicti, in periculis constituti, sed in Eum speramus pro quo constanter pugnatis, quod firmiter credentes exultabitis laetitia inenarrabili et glorificata, reportantes finem fidei vestrae, salutem animarum, firmamque gentis vestrae quietem, quae non nisi ablegatis variorum dogmatum erroribus in una solidaque fide Christi consistit. Superaedificantes ergo vos sanctissimae vestrae fidei, quam ab hac Apostolica Sede ad vos immaculatam transvexit et firmiter in cordibus vestris seminavit vestrae gentis Magister, vir vere caelestis, Patricius, ab illo fundatas vindicate ecclesias, templorum ruinas resarcite, disciplinam ecclesiasticam restituite, utque inter vos prisca reflorat gloria unius Catholicae doctrinae et multiplicis virtutis, quas ad alias nationes sanctissimi ex vobis viri detulerunt, diligenter satagate. Nos autem non patiemur ut nostrum vobis | desit 822
adjutorium, sed, prout rerum et temporis occasio permiserit, v
paterne assistemus. Harum lator, vir discretus, Edmundus Duir, a vobis missus, a Nobis electus episcopus Limericensis, vobis referet pias nostras cogitationes, sincerumque explicabit affectum. Eum vobis commendamus. Quippe a vobis ipsis laudatum, a Nobis quidem per annos multos cognitum dignum judicavimus, cui vestros impendatis favores. Denique bona quaeque caelestia vobis precantes Apostolicam impertimur Benedictionem."

INNOCENTIUS PAPA X.

Archiepiscopo Ardmachano Iberniae Primati.

(141) " Redit ad vos dilectus filius noster, Edmundus Duir, a Nobis datus coadjutor venerabili fratri episcopo Limericensi nimia confecto senectute. Ab eo dolenter audivimus vestrae gentis angustias et pericula, in quibus versatur, et commota sunt paternae caritatis viscera super carorum afflictione filiorum. Cupimus quidem vobis adesse, et, quantum licuerit, curabimus ut nostri affectus in gentem Iberniam Ecclesiae Romanae per | omnia fidelem sentiat experimentum. Interim tu, venerabilis 823
frater, in omnibus labora, opus fac Evangelistae, ministerium tuum imple, tanquam primus in clero diligenter exhortans populum tibi commissum ut indutus lorica fidei et caritatis et galeam spem salutis, firmiter in sancto proposito

Catholicae fidei restituendae perseveret. Caeterum reliqua tibi praedictus noster filius enarrabit, et nos tibi benedicimus peramanter."

INNOCENTIUS PAPA X.

Archiepiscopo Dubliniensi.

823
v (142) "Dilectus filius noster, Edmundus Duir, coadjutor a Nobis electus venerabilis fratris nostri episcopi Limericensis, Nobis diffuse exposuit, quo in statu res Catholicorum Confaederatorum Iberniae versentur. Gloriosos quidem conatus stabilis-
endae per omnes Regni provincias unius Catholicae fidei digne commendamus. Sed dolemus tales esse contriti Regni angustias, ut difficile liceat inchoatum bellum proseguere, et liberum fidei exercitum ubique stabilire. Tibi etiam a sede tua exulanti
| condolemus. Atqui inde cupimus potius in te fervorem excitari, quo clarius experiris haeresum incommoda, videsque prae oculis populi tibi commissi, cui mederi non valeas, deplorandum exitium. Quanto studio Nos cupiamus vobis auxiliari, istarum referet exhibitor. Caeterum Apostolicam tibi impertimur Benedictionem."

INNOCENTIUS PAPA X.

Archiepiscopo Cassiliensi.

824 (143) "Gravi senectute in tua provincia languenti venerabili fratri nostro, episcopo Limericensi, dedimus harum litterarum latorem, virum providum et discretum, Edmundum Duir, S. Theologiae Doctorem, impraesentem adiutorem et futurum successorem. Ille tibi explicabit quanta sit nostra erga Ibernensem Ecclesiam sollicitudo, et quantis curis circumdamur in tanto rei vestrae periculo, cui sitam facile mederi possemus, quam vellemus, in tuto quidem res esset, cupientibus Nobis summopere ut nostro praesenti tempore fides Catholica nullum detrimentum patiatur. | Speramus tamen in eo, pro quo periculosum hoc subiistis certamen, quod dabit cum tentatione proventum, et non patietur vos concuti supra id quod potestis. Permanete itaque in fide fundati et stabiles et immobiles a spe Sancti Evangelii, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Qui in vobis arduum opus incepit ipse perficiet. Viriliter agite. Dominum sustinete. Ipse

pro vobis contra hostes suos, tanquam Dominus exercituum potentissime dimicabit. Nos autem, prout licuerit, vobis propitiari non omittemus. Bonorum omnium largitor diu sospitem servet fraternitatem tuam, cui Nos intimo cordis affectu Apostolicam largimur Benedictionem."

INNOCENTIUS PAPA X.

Archiepiscopo Tuamensi.

(144) "Quanto fervore et quam laudabili studio tu causam communem fidei Catholicae promovendae ab ipsis belli exordiis sis prosecutus, dilectus filius noster, | Edmundus Duir, destinatus 824
a Nobis adjutor et futurus successor venerabilis Fratris nostri v
episcopi Limericensis, Nobis enarravit. Commendamus pietatem tuam et Christianum zelum laudamus, cuperemusque ut multi tui similes in tanto rerum periculo reperientur, qui Dei causam absque humanis commodis sincere peragerent. Et quidem ubi communis imminet animarum bonorumque jactura, communis deberet esse in tanto universae perdendae substantiae periculo sollicitudo. Tu autem, quae decent sanam doctrinam, sectare et reprehensibiles redargue, suo malo dormientes exsuscita et tepescentes exacue, impendentium admone malorum, ne praecoccupati ab hostibus, frustra quaerant spatium paenitentiae. Verecundum quidem est in causa fidei Ecclesiae pastores, qui ab Ecclesia pascuntur, segnes, tepidos, et frigidos inveniri. Speramus, qui tales sunt, tuo exemplo ferventius deinceps acturos, et communi consilio gloriose inchoatum fidei opus prosecuturos. Caeterum nostrum vobis auxiliandi desiderium praesentium lator | explicabit. Nos porro tibi Apostolicam 825
transmittimus Benedictionem."

(145) Jam superest ut de Nuncii Apostolici ad Faederatos Iberniae Catholicos allegati missione, itinere, et variis rebus ab eo inter viam gestis, nec non de subsidiis cum eo missis agam. |

(146) Urbano octavo fati functo, successit in Christi vicarium 826
Innocentius X., 15 Septembris 1644 in Summum Pontificem cooptatus, quo Pontificatum exordiente Petri navicula Dei Ecclesia magnis fluctibus, turbinibus, et ventis validissimis agitabatur. Hinc enim Domus Ottomanica Christianorum caedem et sanguinem sitiebat. Illinc Christiani inter se deplorandum in modum digladiabantur. Germania, Gallia, Italia magnam partem Hispania, Hollandia, Belgio, Suecia, Polonia, Anglia,

Ibernia, Scotia ferali bello deflagrantibus, Catholici in haereticos, Catholicis in Catholicos, et haeretici solito furore in Catholicos, atque in se ipsos pro diversis nationum ex partium studiis praevalentibus. Inter hos ventos vorticosos omnia turbantes nihilque non involantes, haud deerant magni multique ex diversis Ecclesiae plagis Catholici Principes, qui Innocentio jam recens creato, ut sibi suppetias veniret, missis legatis supplicarent. Verum ille ante alios induit in Faederatos Iberniae Catholicos *animum mentemque benignam*, idque ab ipsis Pontificii primordiis. Unde apud se statuit in Iberniam cum subsidiis allegare Nuntium Apostolicum, talem qui meritis, dignitate, et autoritate ad haeresim nedum inde, sed ex vicina Anglia, atque Scotia eliminandam idoneus censeretur. Cumque Cardinales circa Nuncii electionem ad consilium adhibiti in alios ad eam provinciam obeundam consensissent, ipse Pontifex praeferendum judicavit Illustrissimum Dominum Joannem Baptistam Rinuccinum, Archiepiscopum et Principem Firmanum in Italia.*

(147) Fuit hic eximius Praelatus ex ipsa urbe Florentina Illustrissimo et nobilissimo Rinuccinorum genere oriundus, longo aulae Romanae usu et fori Ecclesiastici tritura exercitissimus, scientia clarus, eloquentia clarior et vitae probitate clarissimus, omnibus denique numeris ad id munus vitae obeundum absoluta. Cujus animum ut hac re Summus Pontifex exploravit fidei propagandae zelo ad id nedum gestientem sed et promptissimum invenit. Regresso archiepiscopo a Pontificis colloquio Illustrissimus D. Franciscus Albitius, tunc S. Inquisitionis Assessor et Congregationi rerum Ibernicarum in Urbe a secretis, nunc vero S. R. E. longe meritissimus Cardinalis, quid (inquit) respondisti? At Firmanus, respondi (inquit) superstites adhuc esse apud Florentiam aetate decrepita patrem matremque, quibus etiam archiepiscopus me filium ita debeo exhibere, ut circa hoc inter consulendos ducam, non ut non proficiscar, nisi ratum habuerint (haud enim dubito consensuros), sed ut eorum benedictione cumulatus melius proficiscar. At mox Albitius (cui antea Pontifex desiderium aperuit) quorsum (inquit) sic respondisti? Christi enim, cujus gratia patrem et matrem, imo adeo omnia ut et nosmetipsos abnegare debeamus, causa agitur, eaque suae Sanctitatis ore velut Spiritus Sancti oraculo revelata,

*Propositus fuit in Nuncium Illustrissimus D. Homedeus tunc Reverendissimae Camerae Apostolicae Clericus, nunc Cardinalis, qui libenter consensit. Sed quia Regis Hispaniae subditus erat, postea judicarunt mittendum neutrale nec Gallo nec Hispano futurum suspectum quod et factum, misso Archiepiscopo Firmano.

quare consilium, quasi prius in caelo quam in terra ratum fixumque abjecta cunctatione acceptasses. Quo illo stimulo percitus ad Pontificem regressus: Ecce (inquit) ego, mitte me, et sic cecidit sors super Firmanum. Porro quod parentes cum fratre concernit, re cognita et ipsi pari zelo aestuantes in id ipsum per epistolas ad Summum Pontificem directas libentissime consenserunt.

Isai.

6. 8.

(148) Pauculis annis tunc antegressis edidit in lucem Firmanus libellum sane aureum de P. Archangeli Leslaei, Capuccini Scoti, stupenda ab haeresi ad fidem et a saeculo ad statum religiosum conversione, juxta ac de ejus functionibus missionariis in Anglia et Scotia. Quem ille libellum, Italice primum scriptum, deinde in aliarum nationum linguas ab aliis translatum, inscripsit *Capucinum Scotum*. In hoc ergo opusculo apud omnes pretiosissimo recensens secundam P. Archangeli sibi familiaris missionem in Magnam Britanniam, tradit P. Archangelum sibi occurrisset et receptas a Sacra Congregatione ac Ministro Generali in Magnam Britanniam concedendi facultates ostendisse apud Ecclesiam Beatae Virgini Mariae sacram, tunc recens miraculis celebrem, haud procul Firmo secus mare, ubi cum P. Archangelus Firmanum valere jussisset, respondit archiepiscopus, sicut in eodem libello Italice tradit: "venit (inquit) tempus quo aperiam ea consilia, quae mihi hoc ipso loco fuerunt nonnunquam instillata. Illa jam apud prudentiae vestrae sinum volo deponere. Si unquam, pater, radii veritatis reseraverint viam ad Britanniae conversionem, mihi haec Regina Caeli inspirat quod cupiam ad id posse cooperari. Non multi elapsi sunt anni ex quo in hoc desiderio coram ejus imagine animum firmavi, quod ut obedientiae merito animarem, iis, quorum erat id dirigere, communicavi. Et quae major unquam mihi succedere posset faelicitas, quam talenta collocare in lucro aeternitatis, vel sanguinem Christi causa profundendo nobilitare? Quid ab hac misera vita expecto, quid quaero? Cum gestem haec insignia non mihi paret cogitatio temeraria quod *Pallii* lana pergat, ut in illis regnis inveniat ovem perditam, et quod se ad illum gregem incurvet aurum *Pastoralium*. Suspiro plagas Anglicanas et Scotiae miseras obtutus figo in scissuris, quas integrum fecit in veste inconsutili saeculum mendaciorum, et morerer faelix, si mihi contingeret partem ejus resarcire. Quis sciat te non esse destinatum ut hujus voti praecursorem agas? Non sine caelesti forte consilio accidit ut ubi tu, quibus impelleris, facultates, et superiorum litteras acceperis, ibi ego hauserim etiam impulsus desideriorum.

Sed (amabo) silentio totum cela terram, et precibus continuis totum aperi caelo. Porro sic non amplexor amicum, faxit ille qui nos gubernat, Deus, ut una in hoc opere foveam et collegam.

(149) "Obstupuit prima fronte Scotus, qui forsitan haud simile colloquium expectaret, sed mox laetitia affectus est quod (sicut dicebat) in personis consecratis huiusmodi cogitationes occurrerent. Cui ego confestim ostendi me in illis haud aliud habuisse | quam quod eas B. Virgine inspirante conceperim. Conversus ergo ad ipsam caepit eidem supplicare, ut si quando ita Dei gloria postulare, ipsa prosperaret mea vota." Haec Firmanus, qui paucis interjectis citans ad longum P. Archangeli epistolam Italicam sibi Liburno ab ipso scriptam, in ea refert haec (inter alia) quibus ipsum P. Archangelus alloquens: "De reliquo (inquit) spero me straturum viam vestrorum desideriorum ardori. Seminabimus in illis regnis ad fructum Dominationi vestrae referendum. Forte providentiae inscrutabilis iudicium destina-verit illis sceptris tantum periodum tenebrarum, et erit D. Vestra inter illos feciales, qui accurrerint ubi primus luci mos geri caeperit." Haec ibi, subiungens autem Firmanus: "Norunt (inquit) testes domestici qualibus affectibus hanc epistolam acceperim, et prae ceteris id testatur cor meum, quod relegendo nunquam satiebatur, inter scripturas praetiosas reposui, et usque in diem hoc utor in objectum et scopum amoris incomparabilis:" Haec omnia Firmanus ad illius libelli calcem.

(150) Haec vaticinia ante bellum illud in Iberniae exortum, proindeque ante Firmanum in Iberniae Nuntium decretum facta, demonstrare videbantur et archiepiscopum a Patre luminum, quo ad fidem in regionibus illis Britannicis propagandam se accingeret, fuisse caelitus vocatum, et tam ipsum quam P. Archangelum spiritu non proprio sed prophetico tunc praenuntiasse, quae orbis universus postea evenisse testatur. Nam P. Archangelum non ad Angliam solum, et Scotiam, sed etiam ad Iberniam hac secunda vice missum fuisse, et in Ibernia Evangelii semen sparsisse, imo inter Capucinos Iberos in hospitio Dubli-niensi moram traxisse, adeoque Nuncii praecursorem egisse constat, et Firmanum post P. Archangeli mortem in eadem Iberniae Insula Nuntium Apostolicum ita gessisse liquet, ut tam Sedi Apostolicae quam ipsi scopus fuerit princeps Iberniam primo ab haereseos iugo vindicare, deindeque Iberniam uti ad Ecclesiam Anglicanam et Scoticam restituendam, ad quam ille provinciam obeundam expressa et saepiuscule iterata (sicut inferius videbitur) a Summo Pontifice mandata accepit atque

amplius instructiones. Porro testimoniis fide dignis mihi traditum est quod suapte natura fidem meretur Innocentium X. illo Firmani libello ac praefatis praedictionibus fuisse haud medio-criter inductum ad Firmanum in Iberniae Nuncium ante alios cooptandum. Ipse autem jam ad id munus assumptus ad Eminentissimum Dominum Cardinalem Rosettum, eundemque in Italia episcopum Faventinum, antea ab Urbano VIII. ad Magnae Britanniae Reginam in Angliam allegatum, proindeque in rebus Britannicis magna cum laude versatum, scripsit inter alia percupiens eam, qua Cardinalis imbutus esset, rerum Britannicarum notitiam participare, ad quem Cardinalis epistolam dedit Italicam, quam ex autographo Latine reddo :

“ Illustrissime et Reverendissime Domine.

(151) “ O quam faustam mihi fortunam arbitrarer, si possem inire colloquium cum D. V. Illustrissima ad participanda illa ingenii lumina, quae video tanto applausu per famam celebrari. Quod si iter hac teneat, hanc ipsi domum | offero, utique eam sua praesentia dignetur, rogo constanter affirmans me exinde consolandum et D. vestra satisfactum in illarum regionum, quam desiderat, cognitione. Caeterum vidi cum oblectatione suum *Capucinum Scotum* in quo resplendet nobilis eloquentia quae charitate intellectui facem praefert, et animum rapit suavitate. O quam pulchra et devota eventa ? O quam pretiosus libellus ? De reliquo nescio quo pacto D. vestra prophetam gesserit vaticinando jam sibi injunctam a summa Pontificis Maximi sapientia provinciam. Quare cum haec vocatio caelitus infusa sit, successus expectari possunt tantae respondentis occasionis, quae late de sua virtute pervulgata est opinio, id efficit, ut omnes sperent multa exinde consecutura in Dei obsequium, et magnos progressus religionis. Copiosa messis designatur in metam suis laboribus, quibus tot liberandae supersunt animae ab haeresis iniquitate et politicorum calumnia. Sed quae suprema coronae Beatitudinis ipsum manent in caelo, et qua praeterea palma gloriae donabitur in terra ! Concedat Deus Dominationi vestrae Illustrissimae sanitatem, nec dubito ego quin suis eximiis meritis applausus praeparentur triumphi. Haec animi sententia meam praesento promptitudinem ad obsequium, ipsique prosperum iter ominor. Faventia 13 Martii 1645.

Dominationis Vestrae Illustrissimae
studiosissimus ad obsequium.
C. Cardinalis Rossettus.”

(152) Saepius autem audiui stupentes Innocentium X. destituisse tunc in Iberniam tantum et tot meritis conspicuum archiepiscopum, cum ad alias nationes celebriores haud tales Nuncios Apostolicos deputarit. Verum in regnis minoribus solent, nec raro esse iuxta rerum, temporum, et personarum circumstantias negotia tanti momenti peragenda, tantaeque spei plena ad ulterius proficiendum, ut quisquis ad ea expedienda a Sede Apostolica assumitur, rebus rite pensatis censeatur locum adipisci honoris longe plenissimum. Hoc porro ipsum in praesenti casu obtigisse archiepiscopo Firmano te non ego sed docuerit homo, tunc in aula Romana praesens, Summo Pontifici in rebus Christianorum Principum a secretis, Eminentissimus D. Cardinalis Panzirolus, qui id ipsum significavit in sua tunc epistola ad Illustrissimum D. Thomam Rinuccinum, serenissimae Magnae Ducissae Etreuriae cubiculi Praefectum, qui et ipse Religionis Sancti Stephani Eques, et Comes stabuli, eidem archiepiscopo germanus frater, aulicus longe humanissimus, sed praefatae Cardinalis Panziroli litterae tunc Florentiam scriptae, quid Italico sermone contineant, hic ex autographo Latine porrigimus :

“ Illustrissime Domine.

(153) “ Ubi rescivi Summi Pontificis animi propensionem utendi Illustrissimi Domini archiepiscopi, fratris tui, habilitate et virtute in tanti momenti negotio, qualis est ejus Missio in Iberniam, fateor Dominationi vestrae me propterea gaudium concepissem singulare partim ob opinionem, quam de eximiis Illustrissimi Domini meritis nunquam non concepi, partim ob desiderium videndi oblatam ipsi insignem adeo ejusdem opinionis confirmandae occasionem in tantum Religionis Catholicae bonum, et suam ipsius laudem. In qua etiam re Dominationis vestrae cultus (qui tantopere mihi carus es, et antiquus atque intimus amicus) suum apud me locum obtinuit. Re siquidem ipsa munus illud pro praesenti rerum statu secundum communem omnium sententiam nullo altero etiam ex sublimioribus, quae a Sede Apostolica conferri queant, est inferius, sicut et speremus futurum ut nec in fructu ulli alteri officio cedat etc. Romae 19 Februarii 1645.

Dominationis vestrae amantissimus ad obsequium.
Joannes Jacobus Cardinalis Panzirolus.”

(154) Quibus autem quantisque facultatibus Illustrissimus D. Nuntius munitus fuerit hic habe pariter ex authographo : ↓

“ Venerabili fratri Joanni Baptistae Archiepiscopo Firmano, nostro et Apostolicae Sedis in Regno Iberniae Nuntio extraordinario.

828

Innocentius Papa Decimus.

(155) “ Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam Benedictionem. Romanum decet Pontificem suos et Apostolicae Sedis ad remota procul loca Nuntios facultatibus Apostolicis cumulate prosequi, ut ipsi illis suffulti possint in functione muneris sui ejusdem Sedis benignitatem erga populos, ad quos mittuntur, cum venerit usus, liberaliter impertiri. Cum igitur Nos te ob singularem fidem, doctrinam, prudentiam, Catholicae religionis zelum, et in gravibus negotiis tractandis solertiam et dexteritatem, nostrum et Sedis praefatae in Regno Iberniae, cujus pars etiamnum haeresi, proh dolor! infecta est, Nuntium extraordinarium destinaverimus, ut mandatis et consiliis nostris instructus, ea quae ad Catholicam fidem ecclesiasticamque disciplinam in illis partibus conservandam vel restituendam, ac debitum omnipotenti Deo cultum et honorem exhibendum pertinent, sedulo provideas. Idcirco necessarium et peropportunum esse duximus te nonnullis facultatibus communire, et personam tuam amplius honorantes tibi nostram et dictae Sedis auctoritatem plenius impertiri, ut mandata nostra commodius et fructuosius exequi valeas, et Christi fideles in illis partibus adeo remotis et longinquis, unde ad Nos et Romanam Curiam propter maris interjecti vastitatem itinerumque et navigationis pericula et incommoda aliaque impedimenta, difficilis patet accessus, ad te recurrentes in variis casibus pie consolari, ac haereticos et schismaticos, aliosque ab erroribus resipiscentes benigne recipere, eisque salutis viam aperire, gratiisque tam spiritualibus quam temporalibus prosequi, et denique cunctis te utilem et benignum, ut illos in Domino lucrifacias, exhibere possis. Itaque motu proprio et ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine fraternitati tuae, ut in praefato Iberniae Regno legatione tua hujusmodi durante et intra illius fines, atque erga ejus personas

et loca ibi existentia, dumtaxat per te ipsum vel alium seu alios viros probos et idoneos, patriarchales, primatiales et alias ecclesias cathedrales, collegiatas, parochiales, monasteria tam virorum quam mulierum, prioratus, praepositorum, loca saecularia et quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, regularia, hospitalia etiam exempta et Sanctae Sedi immediate subjecta, et quocunque alio privilegio suffulta, eorum capitula, conventus, universitates, collegia et personas tam saeculares quam Regulares sive subjectas sive exemptas juxta sacros Canones et decreta sacri Concilii Tridentini, toties quoties tibi videbitur Apostolica auctoritate visitare; in eorum statum, formam, regulas, instituta, regimen, statuta, consuetudines, ritus, mores et disciplinam conjunctim sive divisim, ac tam in membris quam in capite diligenter inquirere, statuta reformare, mutare, corrigere, | et
 828 v de novo, quatenus opus sit, juxta Sacrorum Canonum et Conciliorum Generalium decreta condere, sacrisque Canonibus et Concilio Tridentino non repugnantia confirmare, publicare et executioni demandari facere. Abusus quoscunque tollere ac observantiam et ecclesiasticam disciplinam restituere. Decreta Concilii Tridentini proponere et custodiri facere et praecipere omnes supradictas personas male viventes, relaxatas, ab eorum institutis deviantes, delinquentes corrigere, emendare, punire prout justitia suaserit. Nec non contra quoscunque ecclesiasticos tam saeculares quam Regulares etiam exemptos, falsarios, usurarios, raptos, incendiarios, criminosos et delinquentes quoscunque, sive contra eorum fautores et receptores cujuscunque conditionis et dignitatis fuerint, per viam accusationis, denunciationis ex officio summarie, simpliciter et sine strepitu et figura judicii procedere, eosque ut supra debitis paenis punire juxta canonicas sanctiones vel alias, ut tibi videbitur.

(156) "Praeterea praefatorum criminum ut supra expressorum, nec non alias et quascunque criminales, civiles, matrimoniales, meras, mixtas, causas ecclesiasticas, prophanas, vel alias ad forum ecclesiasticum pertinentes, et in prima instantia, quatenus eorum locorum ordinariis introduci commode non possint, easdemque causas ut supra per appellationem ab irreparabili gravamine sententiae vim diffinitivae habentis, et tam per viam recursus, querelae simplicis, quam etiam quarumcunque appellationum a iudicibus ordinariis, delegatis apostolicis, vel alias quomodolibet devolutas cum omnibus annexis, dependentibus, incidentibus, connexis etiam summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura judicii sola facti veritate inspecta, ter-

minisque substantialibus unico contextu, vel etiam non servatis sed illorum loco praefixo termino, arbitrio tuo audire, cognoscere, et prout juris fuerit terminare, et ad hunc caeterorumque contingentium effectum quoscunque etiam per edictum publicum constituto prius etiam summarie et extrajudicialiter de non tuto accessu citare, eisque ac etiam quibusvis iudicibus caeterisque personis, quibus et quoties opus fuerit, etiam per simile edictum, ac etiam sub censuris et paenis ecclesiasticis et pecuniariis tuo vel delegatorum tuorum arbitrio moderandis et applicandis inhibere, ac contra inobedientes et rebelles, censuras et paenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravare, interdictum ecclesiasticum apponere et relaxare, et quatenus opus foret auxilium brachii saecularis invocare; seu causas ipsas alii vel aliis idoneis personis in dignitate ecclesiastica constitutis modo et forma praemissis, ac cum simili vel limitata facultate ut supra pariter audiendas, cognoscendas et terminandas delegare, quascunque personas in integrum prout juris fuerit adversus sententias rei iudicatas et contractus quoscunque restituere; quaecunque iuramenta ad effectum agendi tantum, relaxare. Praeterea ab haeresi, apostasia a fide, et a schismate quoscunque etiam ecclesiasticos tam saeculares quam Regulares (non tamen eos qui ex locis fuerint ubi Sanctum Officium exerceretur, nisi in locis in quibus impune grassantur haereses, deliquerint, nec illos qui judicialiter abjuraverint, nisi isti nati sint ubi impune grassantur haereses, et post judicalem abjuramentum illuc reversi in haeresim fuerint relapsi) in utroque foro. Nec non omnes et quoscunque delinquentes ab excommunicatione aliisque censuris et paenis ecclesiasticis et temporalibus etiam in utroque foro, injuncta paenitentia saluari; nec non ab omnibus casibus Sedi Apostolicae etiam in Bulla in die Caenae Domini legi solita reservatis, absolvere. Ac cum quibusvis super quacunque irregularitate, per eos ratione etiam homicidii voluntarii occasione bellorum contra haereticos commissi, | simoniae realis etiam retentis beneficiis, si sint parochialia et non sint, qui parochiis praefici possint, haeresis, laesae Majestatis, bigamiae, indebitae perceptionis fructuum quomodolibet contracta, injuncta aliqua eleemosyna vel paenitentia saluari etiamsi irregulares censuris sic ligati missas et alia divina officia (non tamen in contemptum clavium) celebraverint, vel alias se divinis immiscuerint, ita ut nondum promoti ad ordines etiam sacros et presbyteratus, et tam ipsi quam alii in susceptis rite ordinibus etiam in altaris ministerio ministrare, beneficiaque tam cum cura quam sine cura, quaecunque et

qualiacunque et quomodolibet qualificata recipere, et alias per eos obtenta retinere, etiamsi plura et incompatibilia sint, libere ac licite valeant. Ac insuper cum quibusvis personis, quae invicem tertio ac quarto, simplici vel mixto consanguinitatis vel affinitatis gradibus sint conjunctae, vel sese attinent, et matrimonium contrahere cupiunt in futurum, ut impedimento tertii et quarti graduum hujusmodi non obstante matrimonium inter se publice, servata forma Concilii Tridentini, contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare, et in eo postmodum remanere valeant, dispensare ; haereticos vero ad Catholicam fidem conversos, qui invicem etiam secundo simplici vel mixto consanguinitatis seu affinitatis gradu sunt conjuncti, vel sese attinent, et matrimonium de facto scienter et ignoranter de praeterito sive hactenus contraxerunt, ac etiam carnali copula subsecuta, consummarunt, ab incestus reatu et excommunicationis aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et paenis propterea incursis, injunctis tamen paenitentiis salutaribus, in utroque foro absolvere, atque cum illis, ut impedimento secundi gradus hujusmodi non obstante, in jam contracto matrimonio remanere, vel illud de novo contrahere, et in facie Ecclesiae solemnizare juxta decreta memorati Concilii Tridentini valeant ; et simili modo super impedimento publicae honestatis justitiae, ubi sponsalia dumtaxat intercesserint ; nec non super impedimento cognationis spiritualis etiam inter levantem et levatum. Ac pariter cum aliis qui per fornicationem vel adulterium se polluerint, dummodo alter tantum in mortem defuncti conjugis machinatus fuerit ut matrimonium inter se (ut praefertur) contrahere et in facie Ecclesiae solemnizare ; ac cum iis qui hujusmodi impedimentis non obstantibus, illud jam scienter vel ignoranter contraxerint, ipsos ab incestus reatu et excommunicationis aliisque censuris ecclesiasticis propterea incursis, in forma Ecclesiae consueta, injuncta eis pro modo culpae paenitentia salutari, et aliis, quae de jure fuerint, injungenda, absolvere ut etiam in matrimonio jam contracto remanere, seu illud de novo contrahere, et (ut praefertur) solemnizare, debitumque conjugale exigere libere ac licite valeant, dummodo in singulis casibus praedictis mulieres propterea raptae non fuerint, vel si raptae fuerint, in potestate raptoris non existant, dispensare, prolemque exinde susceptam et suscipiendam legitimam decernere et nunciare. Nec non quaecunque vota simplicia, si alias causa legitima subsistat, in alia pietatis opera commutare, ac cum Catholicis super fructibus bonorum ecclesiasticorum male perceptis, et cum eisdem Catholicis, ut

possint retinere bona ecclesiastica tempore schismatis occupata, et fructus ex illis percipere, accepta ab illis promissione de stando iudicio Ecclesiae circa eorum restitutionem, cum fieri poterit, illis interim admonitis, ut de dictis fructibus faciant eleemosynam iudicio confessarii in usum religionis, cujus ante haeresim et schisma erant bona, si ibi adsit religio illa, sin minus, in pauperes Catholicos, et memores sint illa bona esse revera Ecclesiae. Nec non cum eisdem Catholicis ut supradicta bona ecclesiastica tempore schismatis occupata, vel alias quomodolibet ab illis, seu eorum antecessoribus acquisita retinere, illorumque fructus percipere, nec super illis a quovis tam in foro exteriori quam in foro conscientiae molestari possint, assignata tamen per supradictos parrochis congrua portione, nec aliter nec alio modo dispensare, et cum praefatis Catholicis super praefatis bonis, ut vel ea in emphiteusim ad tertiam generationem vel in perpetuum ab Ecclesia recognoscant, soluto aliquo laudemio, nec non annuo canone, prout tibi magis expedire videbitur, reservato dominio directo bonorum ut supra concessorum ecclesiae vel ecclesiis seu monasteriis, a quibus occupata fuerunt, concordare. Ac utriusque sexus personis ecclesiasticis et saecularibus, non tamen regularibus, ut propter adversam valetudinem et infirmitatem ovis, butyro, caseo, lacticiniis et carnibus tam quadragesimae quam aliis anni temporibus et diebus, quibus horum esus est prohibitus, secreto tamen et sine scandalo ac de utriusque medici consilio, uti et vesci possint, indulgere, nec non in omnibus jejuniis de jure vel consuetudine introductis dispensare, illaque in alia opera pia, vel ut tibi in Domino expedire videbitur, commutare. Praeterea quaecunque beneficia ecclesiastica simplicia, etiam metropolitani, cathedralibus et collegiatis ecclesiis consistentia, extra Romanam Curiam per obitum illorum ultimorum possessorum vacantia, dummodo alias quam ratione mensium Apostolicorum reservata non fuerint, et dummodo beneficia praefata consistorialia et dignitates majores post pontificalem in Cathedralibus, et principales in collegiatis non sint, personis idoneis conferre. Ac ut quis plura beneficia simplicia, etiamsi alterum eorum ad congruam sustentationem sufficiat, ac sub eodem tecto existant, etiamsi uniformia sint, retinere possit. Quo vero ad residentiam requirementia, vel alias curata, vel si necessitas vel utilitas Ecclesiae emergerit tantum, dispensare. Nec non quosvis in aetate legitima constitutos et alias idoneos, qui beneficium vel patrimonium ad congruam sui sustentationem sufficiens pacifice possederint, etiamsi arctati

non sint, ad omnes etiam sacros, usque ad praesbyteratum inclusive, ordines, etiam quoad sacros ordines quibusvis tribus Dominicis vel aliis festivis de praecepto diebus continuis vel interpolatis, etiam extra tempora a jure statuta ac anni curriculo non expectato, interstitiisque a praefato Concilio Tridentino praescriptis non servatis, promovere, illisque ut ordines praefatos a quocunque quem maluerint Catholico antistite gratiam et communionem Sedis Apostolicae habente, in propria diocesi residente, vel in aliena de diocesani loci licentia pontificalia exercente (ut praemittitur) praemoveri, et in illis promoti etiam in altaris ministerio ministrare possint, licentiam concedere, atque ob penuriam operariorum cum quibusvis ut, si et quando unus annus tantum sibi de aetate ad id a praedicto Concilio Tridentino requisita defuerit, defectu hujusmodi non obstante, ad sacrum praesbyteratus ordinem servatis alias servandis, et dummodo ad id idonei reperiantur, promoveri possint, dispensare. Nec non missam quocunque in loco decenti, etiam sub dio, sub terra una hora ante auroram et alia post meridiem, ac bis in die, si necessitas cogat, dummodo tamen in prima non sumpserit purificationem nec ablutionem, et super altari portatili, etiam fracto aut laeso, et sine sanctorum reliquiis, ac etiam praesentibus haereticis aliisque excommunicatis, si aliter celebrari non possit, et non sit periculum sacrilegii, dummodo tamen inserviens missae non sit haereticus, vel excommunicatus, celebrare, ac primo conversis ab haeresi, atque etiam fidelibus quibuscunque in articulo mortis, saltem contritis, sibi confiteri non poterunt. Nec non orationis quadraginta horarum occasione, etiam plures in anno diebus tibi benevisis instituendae, omnibus et singulis | utriusque sexus Christi fidelibus contritis et confessis, ac sacra communione refectis, qui orationi hujusmodi intervenerint, et ibi pias ad Deum preces pro Christianorum Principum concordia, haereticorum conversione, et Catholicae Fidei propagatione effuderint, quibus diebus ex praefatis id egerint, si tamen ex concursu populi et expositione Sanctissimi Sacramenti nulla probabilis suspicio sit sacrilegii ab haereticis et infidelibus aut magistratum offensum iri, plenariam omnium suorum peccatorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedere. Singulis quoque Dominicis et aliis festis diebus iis, qui tuis concionibus intervenerint, quoties id egerint, decem annos et totidem quadragenas de injunctis sibi, seu quae merito injungi debuissent, vel alias quomodolibet debitis paenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxare ; et iis qui, praevia Sacra-

mentali peccatorum suorum confessione, sacram communionem in Nativitatis ac Paschatis, Resurrectionis D. N. Jesu Christi, et Assumptionis Beatissimae Virginis Mariae festis diebus sumpserint, similiter plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem in Domino concedere. Tuque ipse easdem indulgentias et paenitentiarum relaxationes consequi. Nec non singulis secundis feriis non impeditis officio novem lectionum, vel iis impeditis, die immediate sequenti, missam defunctorum in quocunque altari etiam portatili, pro anima cujuscunque fidelis quae, Deo in charitate conjuncta, ab hac luce migraverit, ita ut ejusdem Domini nostri Jesu Christi ac praefatae Beatissimae Virginis Mariae, Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus e Purgatorii paenis liberetur, celebrare; ac sanctissimum Eucharistiae Sacramentum occulte ad infirmos sine lumine deferre, illudque sine eodem retinere pro eisdem infirmis, in loco tamen decenti, si ab haereticis aut infidelibus sit periculum sacrilegii. Insuper vestibus saecularibus, si aliter vel transire ad loca curae tuae commissa, vel in eis permanere non possis, indui, illasque palam deferre. Nec non Rosarium ejusdem Beatissimae Virginis Mariae, vel alias preces si Breviarium tuum deferre non poteris, vel divinum officium ob aliquod impedimentum legitimum recitare non valueris, recitare, et per recitationem hujusmodi, obligationi recitandi divinum officium hujusmodi satisfacere. Ad haec etiam simplicibus sacerdotibus potestatem benedicendi paramenta, et alia utensilia ad sacrificium missae necessaria, ubi non intervenit unctio. Et reconciliandi ecclesias pollutas, aqua tamen prius a te vel alio Catholico antistite benedicta, et in casu necessitatis etiam aqua non benedicta ab Episcopo, delegare; olea cum quinque saltem sacerdotibus, non tamen extra diem Caenae Domini, nisi necessitas aliud urgeat, consecrare. Libros prohibitos haereticorum ad effectum eos impugnandi, et alios quomodolibet prohibitos, praeter opera Caroli Molinaei, Nicolai Macchiavelli, et libros de astrologia judiciaria legere et penes te retinere, ita tamen ut libri ex ipsis provinciis non efferantur; ac quascunque facultates quibusvis archiepiscopis, episcopis, sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus, etiam Societatis Jesu hactenus a Sede Apostolica vel a venerabilibus fratribus nostris, S.R.E. Cardinalibus, in universa republica Christiana adversus haereticam pravitatem, generalibus Inquisitoribus a Sede praefata specialiter deputatis concessas, in dicto Iberniae Regno revocare, et si in posterum concedi contigerit illas suspendere, moderari, limitare, prout in Domino expedire judicaveris;

830

v

omnibusque supradictis ne absque tua licentia speciali praefatis (ut supra) concessis facultatibus a te non revocatis vel limitatis in dicto Regno utantur, prohibere ; nec non facultates tibi per praesentes concessas | uni vel pluribus sacerdotibus, tam saecularibus quam Regularibus, nec non archiepiscopis, episcopis et aliis in dignitate Ecclesiastica constitutis, in totum vel in parte, et alias prout tibi videbitur, delegare. Atque in ecclesiis ac monasteriis, aliisque locis piis derelictis, administratores ad tempus sive in perpetuum, ubi expedire judicaveris, apponere. Et monasteria quaecunque monialium ac quorumcunque ordinum, non tamen Societatis Jesu, in Regno praefato existentium, fundare ac erigere, illisque beneficia simplicia tantum, nec residentiam requirentia, applicare ac unire. Nec non in usum belli pro Catholica religione excitati vel excitandi bona monasteriorum aut ecclesiarum, non tamen cathedralium aut collegiatarum aut curam animarum habentium, usque ad summam scutorum quinquaginta millium una vel pluribus vicibus, uni vel pluribus viris Catholicis tantum alienare. Concilium Generale nationale convocare, in eoque Nostro et Apostolicae Sedis nomine praesidere, ac decreta in eo quaecunque facere, non tamen publicare, nisi a Sede Apostolica prius fuerint confirmata. Praeterea archiepiscopis, episcopis, aliisque ecclesiasticis qui in Concilio Supremo, seu alias in causis criminalibus, etiamsi inde mors vel mutilatio membrorum sequatur, vota dare tenentur, ut id sine ullo irregularitatis incursu facere possint, dummodo per ipsosmet sententiam mortis aut mutilationis membrorum non ferant nec illam subscribant, indulgere. Nec non duodecim viros, quos videris, sive nobiles sive gradu et doctrina aliisque virtutum meritis praestantes, ac nostri ac dictae Sedis in primis devotos cleros, in Nostros et dictae Sedis notarios, auctoritate nostra Apostolica recipere, admittere et creare, ac illos aliorum nostrorum, et dictae Sedis notariorum numero et consortio favorabiliter aggregare ; illisque ut etiamsi habitum et rochetum non deferant, nihilominus omnibus et singulis favoribus, honoribus, praeeminentiis, indultis, privilegiis, exemptionibus et praerogativis, quibus alii Nostri et ejusdem Sedis notarii tam de jure quam de consuetudine utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri, et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, absque tamen nostrorum et ejusdem Sedis notariorum de numero participantium praejudicio, et citra exemptiones a Concilio Tridentino sublatas ; et facultates legitimandi, ad gradus promovendi, ac notarios creandi, aliaque similia privilegia

ejusdem notariis de numero participantium concessa, seu ab eis praetensa, quibus notarii a te creandi nullibi uti valeant; et si secus ab eis fieri contigerit, irritum et inane existat, uti potiri et gaudere possint et valeant, concedere et indulgere. Ac illos qui enorme duelli crimen commiserint, vel duellis hujusmodi interfuerint, aut quoquo modo auxilium, consilium, vel favorem praestiterint, ab excommunicationis aliisque sententiis, censuris, et paenis ecclesiasticis propterea incursis, auctoritate nostra absolvere. Et Christi fidelibus in articulo mortis constitutis Benedictionem Pontificiam impartiri, et ut concessionem, gratiae, et litterae per te vigore praesentium concedendae, sublatiis obstaculis, suum sortiantur effectum, quascunque personas ad effectum duntaxat omnium et singulorum praemissorum consequendum, ab omnibus et quibuscunque excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et paenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati fuerint, dummodo in eis per annum non insorduerint, absolvere et absolutos fore censere. Judices, Assistentes, commissarios executores pro praefatorum et litterarum tuarum executione et observatione delegare; mandata, prohibitiones, monitoria etiam sub censuris et aliis paenis praefatis caeterisque benevisis remediis, etiam appellatione postposita, discernere, et omnia, et quaecunque alia in praemissis et circa ea necessaria et quomodolibet opportuna facere, discernere, et exequi, etiam per alium seu alios possis et valeas, auctoritate nostra Apostolica praefata tenore praesentium plenam et liberam licentiam, facultatem, et auctoritatem concedimus et impertimur. Decernentes te omnibus facultatibus et concessionibus praefatis, etiam cum derogationibus, suspensionibus, indultis irritantibus, aliisque decretis et clausulis necessariis et opportunis ac in litteris Apostolicis concedi et extendi solitis, libere et licite uti posse, ac in concessionibus, dispensationibus, aliisque gratiis per te auctoritate praesentium tuique officii faciendis, soli narrativae tuae, ac etiam solis concessionibus et literis tuis absque praesentium insertionem seu exhibitionem, aut notarii testimoniove adhibitionem stari, nec ad id alterius probationis adminiculum requiri, sicque per quoscunque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores ac S.R.E. Cardinales in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicare et definiri debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit,

attentari. Non obstantibus literis felicitis recordationis Sixti Papae Quarti, praedecessoris nostri, quibus inter alia cavetur expresse quod Nuncii dictae Sedis, tam quoad beneficia conferenda quam dispensationes et alias gratias concedendas, facultatibus uti non possint, nec quaevis clausulae in literis facultatum huiusmodi appositae adversus dictas literas quicquam suffragentur, nec non defectibus et aliis praefatis ac Lateranensis novissime celebrati de certo notariorum numero, etiamsi ad illum nondum deventum sit, cui per hoc alias non intendimus derogare. Nec non piae memoriae Bonifacii Papae Octavi, similiter praedecessoris nostri, de una, et Concilii Generalis de duabus dietis ac aliis apostolicis, et in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, etiam specialem et individuum mentionem et expressionem requirentibus. Nec non cancellariae Apostolicae regulis, nullis prorsus exceptis, et quae sigillatim in quaque re exprimi et extendi possint. Statutis quoque et consuetudinibus ecclesiarum et monasteriorum, universitatum, collegiorum, civitatum, et locorum quorumlibet dicti Regni; nec non ordinum quorumcunque etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, etiam si de illis servandis, et non impetrandis literis Apostolicis contra illa et illis etiam ab alio vel aliis impetratis, seu alias quomodolibet concessis non utendo personae praestiterint eatenus, vel in posterum forsitan praestare contigerit juramentum ac quibusvis aliis privilegiis et indultis Apostolicis generalibus vel specialibus quorumcunque, etiam Cisterciensium et Cluniacensium Ordinum, quae praemissis quovis modo obstare videantur; per quae praesentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat, quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris tuisque literis mentio specialis; quae quoad hoc nullatenus cuiquam suffragari volumus. Quibus omnibus et singulis caeterisque contrariis quibuscunque, ubi et quando expediet secundum rei et casus exigentiam in genere vel in specie, ac tam conjunctim quam divisim, prout tibi placuerit, valeas derogare ac super his indulgere; quodque aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus, speciales vel generales, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, et decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus personas in quarum favorem parte de beneficiis praefatis providebitur, et alias disponetur, in eorum assecutione

831

v

volumus anteferri ; sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem beneficiorum aliorum praejudicium generari, seu si locorum ordinariis et collatoribus, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint, quodque de hujusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad illorum collationem, provisionem, praesentationem, electionem seu quamvis aliam dispositionem conjunctim vel separatim spectandam, nulli valeat provideri per litteras Apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem, et qualibet alia dictae Sedis indulgentia generali vel speciali cujuscunque tenoris existat, per quam praesentibus nec non litteris per te earundem vigore concedendis non expressam vel totaliter non insertam, effectus earum impediri valeat, quomodolibet vel differri, et de qua cujusque toto tenore habenda sit in eisdem literis mentio specialis. Volumus autem ut praesentium transumptis etiam impressis manu Regentis Cancellariae tuae et sigillo tuo obsignatis, eadem prorsus fides in judicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XV Martii MDCXLV, Pontificatus nostri anno primo.

M. A. Maraldus "

(157) Nec me pigebit ex Italica in linguam Latinam traducere quasdam instructiones die postera datas et Illustrissimo Domino Nuncio traditas, quibus veluti praevia face ad res Ecclesiae Ibernicae pie paterneque tractandas uteretur. In quibus, quod nonnulla contineantur circa praeteritum Ibernicae statum plusquam notorie falsissima, nihil mirere. Nam tunc, sicut et multis retro annis, apud Urbem pedem fixerunt, nec parva ibi valuerunt auctoritate nonnulli antiquae Ibernorum genti infensi, qui ea suggessisse videntur. |

(158) Porro sequentibus monitis D. Nuncio traditis et si non Summus Pontifex, sed ex fratre nepos, Edmundus Dominus Camillus, Cardinalis Pamphilius, calculum apposuerit, perinde tamen est, nam is Pontificis auctoritate et nomine subscripsit. Quippe (ut semel dicam) apud Summos Pontifices in more positum est ut aliquem ante alios fidissimum, plerumque nepotem vel alia necessitudine proximum, in Cardinalem, status ecclesiastici Gubernatorem et arcanorum consciuum eorum

832
v

quisque asciscat. Ad quem Nuncii Apostolici, aliique, quos Curiae Romanae methodus non latet, quidquid Pontifici Maximo communicatum vellent, scribunt, ab eodem Pontificis responsa expectant. Talis autem tunc dierum fuit Cardinalis Pamphilius, nunc Excellentissimus Princeps Pamphilius. Quae notavi ut lector non ignoret plurima acta, et literas ipsum inter et Nuncium nostrum missas remissasque soloque ejus nomine subscriptas, vel superscriptas, perinde habendas ac si ab ipso Summo Pontifice, Innocentio, vel ad ipsum datae fuissent. Sed ipsa monita ex Italicis hic Latine reddimus. |

833 “Instructiones datae D. Rinuccino, Archiepiscopo Firmano, a Sanctissimo D. nostro Innocentio X. cooptato in Regni Iberniae Nuncium extraordinarium.

(159) “Dominationis vestrae persona a sua Sanctitate ad inceptum gloriosum destinatur, ad reparandum utique et stabiliendum in Iberniae insula Catholicae Religionis exercitium, et ad subjiciendum populum illum, si non Sedi Apostolicae tributarium (qualis antea quinque saeculis elapsis fuit) certe sub suavi Pontificiae potestatis jugo in rebus spiritualibus reducendum, et innumerabiles demum animas Paradisi gloriae lucrificandas. Et sane magna cum ratione Sua in te Sanctitas oculos conjecit. Nam sicut viridioribus annis tuis in hac Curia Romana magnum vitae innocentis, virtutis, et plusquam ordinariae prudentiae speciem dedisti, et ad Ecclesiae Firmanae onus translatus vigilantis Pastoris partibus satisfaciens, ibi impressa flagrantis tuae charitatis et Apostolici zeli vestigia, nobilemque memoriam reliquisti, sic omnino sperat ille futurum ut, sibi ipsi semper similis, omnibus tuis talentis modo admirabili in illo vasto theatro utaris ad perducendum in finem nobilem adeo negotium, et ad tantum meriti apud Deum Sedemque Apostolicam reportandum, quantum longissimo annorum cursu in quocunque caepto quantumvis arduo reportare valeres.

(160) “Sed ut Dominationem vestram non lateat status, in quo impraesentiarum est res Ibernica, ad quatuor capita stylum breviter restringo, relinquens caetera copiosae relationi, quam recipere poterit a Patre Petro Francisco Scarampo, a faelicis recordationis Urbano VIII, in illud Regnum misso, et jam biennium ibi pedem figente, nec indidem nisi post vestrum appulsum discessuro.

(161) " Et primo Dominationi vestrae dicam, qua occasione Catholici nuperos ibi motus concitaverint. 2° Quae sit Gubernii Politici norma, quae nunc dierum apud insulam observatur. 3° In quo ibi statu se habet Catholicae religionis exercitium. Et ultimo, in quo Dominatio vestra ad eandem Catholicam religionem promovendam impendere debeat suum talentum.

(162) " Regnum Iberniae, quod quatuor nobilissimas provincias, Momoniam, Lageniam, Conaciam, et Ultoniam, in se continet, antiquitus fuit Sedis Apostolicae Dominium. Ad Christianam religionem currente Redemptionis nostrae saeculo quinto sub Caelestino I. conversum fuit, primitus a S. Palladio, deindeque a Sancto Patritio, Sancti Germani discipulo. Retinuit longo tempore veram religionem usque ad Danorum, gentis idolorum cultui deditae, invasionem, lapsum est magna ex parte in impiam illam superstitionem, parte illa, quae sana remansit, semper obsequente Sedi Apostolicae, nec alium agnoscente supremum Principem, quam Pontificem Romanum. |

(163) " Inter has tenebras praestitit usque ad Adriani IV. et Henrici secundi, Regis Angliae, tempora. Henricus, quo suum imperium propagaret, et, quas in Francia possidebat, provincias ultramarinas defenderet, existimavit multum conducere posse si Iberniam Insulam sibi subigeret, proindeque ad Adrianum recursum habuit, et ab hoc Pontifice, Anglo utique, manu liberali impetravit quantum desideravit. Zelus, quem Henricus praesetulit, Iberniae ad fidem convertendae, ad ejus dominium ipsi transcribendum Adriani animum impulit. 833
v

(164) " Tres conditiones inter alias tanto dono erant annexae. Prima, ut Rex quantum posset in insula Christianam religionem propagaret. Secunda, ut quaelibet ipsi subdita domus penderet quotannis Sedi Apostolicae denarium unum, postea denarium Sancti Petri vocitatum. Tertia, ut sarti tecti manerent Ecclesiae redditus, privilegia, et immunitas.

(165) " Hunc in modum factus Iberniae Dominus Henricus, mox in eadem suorum Anglorum coloniam plantavit, deviantes Iberos non modo ad civilis vitae sed et ad verae religionis cultum una reducere conatus. Paulo post gravis inter Henricum et Sanctum Thomam, archiepiscopum Cantuariensem, orta fuit controversia, unde diminuta in Henrico veneratione qua prosecutus esset Sedem Apostolicam (quae se ad Sancti defensionem accinxit) violatae fuerunt donationis conditiones. Iberniae quoque populus male tractatus et res ecclesiastica vilipensa adeo ut Joannes, Adriani successor, ea propter Eduardum

Henrico prognatum acriter reprehenderit. Conservata tamen ibi fuit in primo suo candore religio Catholica, donec post Angliam caeco et libidinoso Henrici octavi amore ab Ecclesia Romana infaeliciter separatam, Iberniam quoque magnam partem haeresi infecta fuit, et quamvis ab illo populo non fuerint generaliter admissae, sicut nec in ipsos executioni mandatae nulla cum violentia rigidae illae leges, quae in Catholicos apud Angliam ferebantur, non tamen vitari potuit quin haeretici bonorum ecclesiasticorum haud pauca occupaverint, et ecclesiae nec non monasteria profanata, in eorum perfidorum ministrorum potestatem transierint, qui ab Insulae Gubernatoribus eorum sectae participibus et sequacibus adiuti et protecti ea facile possederunt. Inter tantas afflictiones maximo divinae clementiae beneficio superstes vixit in Insula Iberniae hierarchia ecclesiastica, archiepiscopis et episcopis suos titulos retinentibus, et eosdem quando vacabant a Sede Apostolica impetrantibus et vicariorum ope jurisdictionem ecclesiasticam exercentibus. Nonnulla monasteria et abbatiae, schismatici furoris infaelices reliquiae, a Summo Pontifice commendata fuere clericis saecularibus, aliaque sub ipsorum Regularium moderamine remanserunt; sed hi et illi ritum Catholicum secreto exercentes antiquam religionem et obedientiam Romano Pontifici usque modo fovere studuerunt. Ingemiscebant quidem illi miseri sub duro Henrici et Eduardi jugo atque imperio, sed longe magis sub tyrannico Elizabethae regno. Illa enim velut furia infernalis suas faces indeque vibrans Catholicismi reliquias, quae in Iberniam conservabantur, in cineres prorsus redigere totis nervis contendebat. Unde illi infaelices velut ad desperationem redacti saepius arma capessentes operam dabant ut armis se tuerentur, plus fidei quam mundo viventes, sed occulto Dei iudicio copiis Hispanicis, quae ultra mare in eorum | auxilium transportatae, victis, fugatis, et distractis, religio Catholica sub hac ruina velut sepulta remansit.

834

(166) “Mortua Elizabetha Angliae Corona Jacobo, Scotiae Regi, cessit. Principio regni Jacobus in horum binorum regnorum (quae sub Magnae Britanniae nomine in unum coalescere voluit) Catholicos haud se crudelem ostendit, multoque minus in Iberniae Orthodoxos. Sed pulveris nitrati conjuratione, cujus machinatores sibi persuasit fuisse Jesuitas, paulo post detecta, plenus furore crudeles Elizabethae leges renovavit. In Catholicos exilii, carceris, et mortis paena animadvertere caepit. Haereticam Scotorum Anglorumque coloniam in

Ibernia plantavit, quo Catholicam religionem illis tribus regnis extirparet. Nihil intentatum reliquit, eique non minus auctoritatis vigore quam eloquentiae rabie bellum indixit. Plures enim auctores ementitus, libros fidei perniciosos excudit, et proprio nomine in lucem edidit exhortationem ad Principes Catholicos, quo Papae et Sedis Apostolicae obsequio nuntium remitterent. Tractus deinde desiderio paciscendi matrimonium inter filium, Principem Carolum, et Margaritam, Hispaniae Infantem, eum rigorem remisit, qui magis deferbuit ob conditiones, quae in religionis Catholicae apud Magnam Britanniam et Iberniam utilitatem cessere, cum Carolus Henriettam-Mariam Borboniam Ludovici decimi tertii, Regis Galliae, sororem in uxorem duxisset.

(167) "Hic erat rerum status quando Princeps Carolus jure haereditario successit in regnum, et cum regno in odium quo Jacobus, pater, illum prosequeretur haereticorum gregem, qui mera Calvinii dogmata a Protestantibus distinctos evaserunt. Eosque ille juxta religionem, quam ipse profitebatur, schismaticos, et atrocissimos judicabat illius Monarchiae, quam a Parlamenti auctoritate prorsus immunem fundare praetendit. Puritanorum ergo insolentiam rumpere cupiens ipsos ad quarundam caeremoniarum, quae Ecclesiae Catholicae ritibus similes essent, observantiam astrinxit. Et Regiam potestatem supra Parlamenti Angliae auctoritatem efferre cogitans, sine duarum camerarum, superioris et inferioris, quae illi concessui nomen tribuunt, consensu, nova populo tributa novaque imposuit gravamina, et quo Scotiam ad eandem religionis conformitatem redigeret, caeremonias in illo regno sectae calvinisticae tenacissimo stabiliendas curavit.

(168) "Nova liturgia in Scotia gravis controversiae turbinem concitavit, qui indies ingravescens, ministrorum haereticorum opera in apertam rebellionem erupit. Accurrit cum festinatione Rex, sed ubi motus edictis cohibere non potuit, nec auctoritate Magistratus *Allae Commissionis* (quae civitatum Catholicarum Inquisitionis Tribunali aequalem jurisdictionem exercet) in commotionis authores animadvertere valuit, rebellium voluntati cedere coactus fuit, qua nedum flammam ad arma recurrendum fuerit. Rex ergo in hoc negotio ab Angliae partibus Catholicis, non solum propria in Principem inclinatione, sed etiam Georgii Connaei, natione Scoti, tunc apud Londinum Ministri Apostolici officio persuasis, mirandum in modum adjutus, exercitum conscripsit, eoque instructus in Scotiam movit, sed

834
v

suis rebus male consulens in regni confinio commoratus, hostibus ex Gallia | et Hollandia suppetias procurandi et (missis Eboracum ubi Rex haereret aliquot commissariis) furibundam illam tempestatem tractatibus atque arte dissipandi opportunitatem subministravit. Puritana enim nobilitate Anglicana a Scotis in partes allecta Rex iniquis conditionibus facile inductus fuit ad conventionem, qua non apud suum modo populum, sed apud externos etiam Principes imminuit antea comparatam subitanea et bene instructa copiarum expeditione opinionem.

(169) "Pactionis mox Regem paenituit. Re enim nec ab archiepiscopo Cantuariensi nec a Secretiori Consilio approbata errorem, in quam lapsus esset, agnovit et armis emendare decrevit. Verum ignorans unde secus ad numeranda exercitui stipendia sibi de aerario prospiceret, improvide ratus obtinendum ab Angliae Parlamento id nulla interposita mora convocavit. Huic Regis deliberationi restitit sed incassum Thomas, Strafordiae Comes, Iberniae Prorex. Affirmabat enim sagax ille et perspicax Minister nullum posse esse tempus Parlamento ad Regis angustias sublevandas convocando minus opportunum quam illud ipsum, in quo se positum videret inermem et fama ac consilio destitutum.

(170) "Omnia ad amussim, juxta ac Comes opinatus erat, successere. In petitiones enim Regias contumax Parlamentum paulo post ejus convocationem ab ipso Rege fuit dissolutum. Interea rebelles Scoti, qui continuo in ipsa Anglia armati persistebant, minas fulminabant. Quare resumpto inter tantas angustias animo Rex recentem conscripsit exercitum, et sub Strafordiae Comitum, a nobis superius nominati, imperio usque ad fluminis Tuedae, quo Scotia ab Anglia dividitur, ripam movere jussit, quo inimici trajectu vadi intercluderentur. Sed haud citius agmina Regia Scotos se adorientes viderunt, quam in turpem fugam conversa liberum ipsis et vadum et campum permiserunt.

(171) "Inter haec Iberniam regiae fortunae vices spectans restabat, sed arctiores sui principis angustias animadvertens in ejus favorem denis peditum millibus constantem exercitum subito contraxit, supplementum sane opportunum, nisi denariorum inopia fuisset dimissum. Itaque, quo magis Regii vires decrescebant, eo magis Scotorum et Puritanorum Anglicanorum audacia invalescebat. Illi petitiones insolentes et exorbitantes praesentabant, hi postulabant ut Parlamentum iterato cogeretur. Regem hoc modo in angusto situm ambarum partium votis

acquiescere oportuit. Unde coacto recens Parlamento Scotorum delegati comparuerunt, et ad controversiam pro bono et aequo (ut illi praeseferebant) componendam paris numeri Anglorum deputationem impetrarunt. Sed pacis restituendae vice clandestinum faedus in Regem coierunt, mutuo pacti ut copiae Scoticae apud Novum-Castrum in Anglia commorantes Parlamento defensandi causa conservarentur. Animadvertentes ergo Parlamentarii se tam bene esse armatos abjecta cunctatione in id se consilium praecipites dederunt, quod horribili bello apud regnum illud jugiter flagranti occasionem peperit. Primus eorum irae scopus fuit Strafordiae Comes. Cum enim is esset fidelior, constantior, et dignior Regis Minister, male ipsos habebat Regiae eum personae assistere, et cupiebant prosternendo pollentem tanto favore et tam gravem subditum Regis animum pertentare, quia si primo ictui cessisset, facili deinde negotio ad secundum laxis habenis curreretur. Fuere hanc ob causam procusae in Comitem accusationes exquisita solertia, quo laesae majestatis reus ageretur, extraordinarium artificium ut vinceretur adeo ut, nec propria innocentia, nec (qua insignitus esset, quaque multis vicibus in Parlamento suam ipse causam orasset) mirabilis eloquentia, nec | in ejus patrocinium insigni arte a Barone Digbaeo adductae rationes, sententiae mortis ictum, quem *Alta* Camera in ejus caput vibrarat, deflectere valuerint. Omnem Rex tentavit viam ad liberandum innocentem, obsecravit, comminatus est, petiit mediante Principe primogenito gratiam, verum nihil profuerunt ejus instantiae, sed necessitate compulsus ad declinandam populi rabiem iniquae sententiae subscripsit. Sacrificata furori populari hac victima, ruerunt Parlamentarii velut effraeni ad aequandam una solo et auctoritatem Regiam, et Catholicam religionem. Regem privarunt censu, exercitus maritimi imperio, regni praesidiis. Cameram stellatam, Altaeque commissionis Magistratum abdicarunt, et alia decreverunt Regiae potestati omnino contraria. Obstrinxerunt se sacrilegi juramenti vinculo ad conservandam vel tuendam (ut ipsi loquebantur) veram religionem Reformatam Protestanticam contra omnem in illo regno inventionem Papisticam et innovationem Pontificiam, et firmissime apud se statuentes extinguere funditus Catholicam religionem, Catholicos, nedum ex Angliae regno et Scotia, sed etiam ex regno Iberniae extirandos decreverunt.

(172) "Crudele adeo istud decretum ad Ibernorum notitiam pervenit, eo utique tempore quo ad Regis Hispaniae obsequium

essent in illa insula ex eadem ratione coacta quaterna militum millia Parlamenti jussu a suo itinere prosequendo praepedita. Unde tam congrua occasione tracti ferventiores Catholici in se ab insulae Gubernatoribus Protestantibus et Puritanis exercitam tyrannidem recolentes, et a Parlamenti indignatione atque via horribilis decreti antea memorati executionem sibi metuentes, caeperunt inter se molitionem valde secretam excutiendi grave haereticorum jugum et armis defensandi vitam ac religionem. Dicebant enim nec tempus plus opportunum, nec occasionem magis congruam se posse praesentare, quod Anglia tunc ferocissimis dissidiis involuta non posset eum domi alienae ignem sedare, quo deflagraret suae. Verum haud omnium una et concors fuit sententia. Alii siquidem verebantur ne tanti negotii infelix foret exitus. Alii de constante aliorum Catholicorum regni voluntate dubitabant. Alii denique aere et armis deficientibus animum despondebant. Unde molitio evanuit, et intra privati atque arcani colloquii terminos se continuit. Inter eam cogitationum fluctuationem quibusdam ex audentioribus haud defuit animus arcana tenendi consilia de civitate, castroque una Dubliniae, quae insulae metropolis est, occupando, et intercipiendis illis locis, in quibus arma et apparatus Regii servarentur. Sed ex his quorundam consilium quanto faeliciorem habuit successum, tanto aliorum eventus fuere infeliciores. Prodit a quodam perfido Ibero intercipiendae Dubliniae molitione, nonnullisque ejus Principum praeheensis ac magna celeritate instar incarcerationum Londinum transmissis, reliqui fuga dilapsi evaserunt. Detectis hisce consiliis Catholicorum Iberniae motus sua fundamenta jecerunt, qui ex nullo alio descenderunt fonte quam ex Parlamentariorum Anglicanorum rabie, et ex immanibus statutis, quae ex scelerata illa congregatione contra illius Regni fideles emanarunt. Insurrectio ab exordio dubia et tumultuaria fuit, sed praelatorum deinde aliorumque Insulae ecclesiasticorum auxilio consilioque ad bene instituti moderaminis normam redacta. Animadvertentes enim ecclesiastici tractatum absque ullo plane ordine rem militarem, et defuisse qui ad rempublicam politico, et civili ritu gubernandam animos intenderent, in Kilkenniae civitate mense Aprili anno 1642 convenerunt, ibidemque velut in Synodo Nationali in primis declararunt justam esse exercitus Catholici in Iberniam insurrectionem, quod ea haud in alium scopum collinearet, quam in religionis orthodoxae conservationem et publicum ejusdem exercitium. Omnium animos uno bene solido et

religioso faedere conjuncturi juratum conceptis verbis proposuerunt quod a faederatis susceptum a quibuscunque aliis, qui Confaederationi coalescere vellent ante omnia suscipi deberet. Ad Gubernationem politicam instituendam intimarunt Comitia Generalia mense Maio proxime sequente etiam apud Kilkenniam celebranda, ad quae tota regni nobilitas confluxere. Jam ulterius ad secundum harum instructionum caput digrediens dicam Dominationi vestrae.

(173) "Quod ex quo Iberniae Regnum in Regis Angliae potestatem pervenit, illud Prorex moderabatur, qui nunc custos, nunc justitarius, nunc locum tenens, nunc deputatus nominatus, illo ab ipso Rege transmittabatur. Magna et authoritati Regiae consimilis erat hujus ministri potestas. Poterat enim is pro libitu bellum indicere et pacem contrahere, magistratus minores creare, et (exceptis, quae sibi Rex reservat, quibusdam laesae Majestatis delictis) cognoscere et animadvertere in omnia alia crimina atrociora. Residebat ad ejus latus Consilium, plus ad speciem quam ad utilitatem, ex haereticis et nobilibus compactum. Quorum principem obtinebant locum Magnus Cancellarius et Thesaurarius Regni. Causae forenses a judicibus inferioribus ab ipso Prorege delegatis dirimebantur, a quibus ad ipsum Consilium fiebat appellatio. Sed cum esset insula (sicut antea dixi) in quatuor provincias, et harum quaelibet in plures comitatus et territoria distincta, apud harum quamlibet caput residebat, qui alias commissarius, alias praeses, vocitabatur. Isti praesto erant assessores et judices, qui deinde omnes a Proregis et Consilii nutu pendebant. Ad decidendas causas capitales delegabantur binis vicibus quotannis ad Provincias singulas duumviri, qui summa potestate actis examinatis reos condemnabant et insontes absolvebant. Legibus et consuetudinibus Anglicanis obstricta fuit Ibernia ab Henrico tertio, eaque ibi usque ad Henrici septimi tempus inviolabiliter observabantur. Sed in insulae Parlamento celebrato sub hoc Rege aliae quaedam additae, secundum quas ad hunc usque diem illa regitur, non valente Prorege leges perpetuas condere, nisi consentiente isto generali consensu ex duplici hominum ordine composito, ex nobilitate scilicet et populo, ita ut inter nobilitatem admittantur ecclesiastici, eodem plane modo quo sibi in Angliae Parlamento locum vendicant. Hoc moderaminis statu regebatur Ibernia ante Catholicorum insurrectionem, et adhuc regitur in locis, quae Regis Angliae nutum sequuntur. Sed ab inceptis Catholicorum motibus, coactis Kilkenniam (sicut dixi) Generalibus

Comitiis vel Parlamento, conflatum fuit ex toto illo corpore cum certo praelatorum et aliorum nobilium numero Concilium Supremum, in quod translata est auctoritas qua vigente prae-toriae gubernationis forma prorox utebatur. In qualibet etiam provincia erectum fuit Concilium Particulare ab uno praeside gubernatum et Concilio Supremo subordinatum, et tam hoc quam illud subsistit ad Comitiorum Generalium beneplacitum.

(174) "Tractabantur in hoc Concilio Supremo belli induciarum et pacis negotia, sicut et causae civiles et contentiosae. Sed ut se ea sollicitudine liberarent, in Comitiis Generalibus, anno elapso Kilkenniae quoque habitis, erectum fuit tribunal separatum, in quo multis officialibus cancellarius, persona ecclesiastica, (isque hodie est episcopus Clonfertensis) praesidet, ibique ita datur locus partium disceptationi in rebus civilibus et |
836 capitalibus, ut ab iisdem sententiae ferantur, nec ei rei Concilium Supremum se immisceat. Ad negotia etiam administranda ibidem pariter stabilitum Supremum Tribunal, cui praeficitur Thesaurarius, laicus, cum multis officialibus, quod si bene administretur, non solum pacis negotiis sed etiam belli impensis inservire potest. Ipsi autem bello praesunt quatuor *Locum-tenentes* generales, qui in singulis suis provinciis singuli distincti et separati exercitus corpus habent, et harum copiarum praefecturam generalissimam gerit Concilium Supremum. Hodierna legum forma non ab ea differt, quae antea viguit, nisi quatenus Catholicae religioni et publico ejusdem exercitio praejudicavit. De quo jam locuturus ad tertium punctum descendo.

(175) "Sciat Dominatio vestra non explicari quanta tyrannide et vexatione Iberniae Prorox prohibuerit in insula publicum Catholicae religionis exercitium, posteaquam defuncta Regina Maria, recens introductum fuit in Angliam schisma sub ejus sorore Elizabetha. Non permittebatur miseris Catholicis in unum convenire in ecclesiis, quae et ipsae Calvinistica caena, et viribus prophanatae conspiciebantur, non ut domus Dei, sed sicut templa abominationis. Missae, et officia divina in aedibus privatis, et semotis magna cura arbitris recitabantur evidenti periculo ne recitantes retegerentur, in carcerem compingerentur, et bonis sed et ipsa quandoque vita privarentur. Episcopi, sacerdotes et religiosi vestibis ecclesiasticis spoliati a laicis non distinguebantur. Nullus concessus, nulla congregatio fieri poterat, quin proregis, ejusque ministrorum indignatio conciliaretur. Catholicorum liberi, patribus vita functis, Regis tutelae relictī haeticorum curae mancipabantur, a quibus ad

sua perversa dogmata erudiebantur. Quare luctuosum in modum tota insula ad Protestantium sectam paulatim descivit depravata nobilitate, quae plusquam plebs ministrorum haereticorum oculis exposita. In summa deplorare erat (desperata consolatione) templorum abominationem, viarum desolationem, solemnitatum, altarium, et ipsius sacrificii defectum. Sed exorto bello et abactis haereticis in omnibus prope provinciarum Momoniae, Lageniae, et Conaciae comitatibus, nec non in multis Ultoniae locis, in ictu oculi ecclesiae prophanatae cultui Catholico aperiebantur, in ipsis maximo fidelium jubilo altaria restaurabantur, sacrae exponebantur imagines et officia divina celebrabantur. Ex quatuor archiepiscopis qui in insula sunt, nempe Armachanus, Dubliniensis, Tuamensis et Casselensis, isti duo ultimi jam ecclesias metropolitanas iterato benedixerunt, et earundem possessiones ecclesiasticas recuperarunt. Armachanus et Dubliniensis sperant futurum ut in ecclesiarum suarum possessionem propediem restituantur, qui jam diaecesum quisque suae partem possident, et redditus ex parte recipiunt. Omnes pene episcopi suffraganei suos cum diaecesibus populos et census libere recognoscunt. Multae parochiae saeculares non carent sicut antea suis rectoribus, quibus pedetentim itur consignatum Decimas et *congruam sufficientem*, quibus etiam multi jam integris gaudent. Regulares, qui antehac per villas domosque dispersi a saecularibus non dignoscebantur, competenti numero in sua monasteria congregati et propriae Religionis habitu vestiti, populo, qui ejusmodi vestimenta religiosa videre desueverit, non minorem afferunt consolationem. | Inter quos Franciscani reformati, Dominicanos, Augustinianos, Carmelitas, Calceatos et Discalceatos, Capucinos, et Jesuitas, qui omnes jam in Iberniam reperiuntur, numero excedunt. Illo etiam tracti fuere ab inceptis istis motibus nonnulli monachi Benedictini et Cistercienses eodemque Praemonstratenses et Canonici Regulares, quibus in Insula erant antiquitus monasteria, transmigrare gestiunt, licet declinandorum tumultuum causa modo prohibitum sit speciali huius Sanctae Sedis decreto, ne eorum ullus, nisi Romae prius impetrata licentia, ecclesiarum vel monasteriorum Religiosorum bona suae possessionis facere valeat. Praeterea in diversa loca dispersae moniales competenti numero apud domos privatas in unum confluxerunt, observantes et clausuram et Sanctae Clarae regulam, quam antea professae fuerint. Factae quoque fuere innumerabili hominum concursu et ipsorum haereticorum stupore publicae Sanctissimi Sacramenti supplicationes, convocataque

Ordinum sancti Francisci, S. Dominici, et Carmelitarum Discalceatorum Capitula provincialia, habitaeque in his disputationes publicae, aliaque acta celebrata ad magnam populi aedificationem et consolationem.

(176) "Etsi causae ecclesiasticae modo in Concilio Supremo, cui archiepiscopi inserti sunt, agitantur, nihilominus per gradus ad propria reducentur tribunalia, ubi archiepiscopi et episcopi in suis diaecesibus residere poterint, persuasumque habet Concilium haud incursum se ullam censuram, quamdiu ecclesiastici eorum erunt iudices. Sed Dominationis vestrae erit suo tempore procurare ut eadem tribunalia ecclesiastica stabiliantur. Porro ego quarto puncto maxime omnium necessario sensim jam vicinus, Dominationi vestrae dicam curam et praecipuum D. vestrae scopum esse debere, ut in Iberniam publicum Catholicae religionis exercitium constituatur. In eam metam tendere oportet suas cogitationes et operationes.

(177) "Ubi ergo in insulam appulerit congregiatur cum quatuor archiepiscopis Kilkenniae, Waterfordiae, vel in alia quovis civitate ubi Concilium Supremum tunc haerebit, et Dominatio vestra ibi coitionem faciat permanere. Faciet autem ipsos de suae missionis occasione certiores, dabitque notitiam facultatis, quam secum portat, subsidiorum quoque a sua Sanctitate, a magnis viris aliisque personis piis. Ab ipsis juxta ac a P. Scarampo exactissimam status, in quo publicum Catholicae religionis exercitium situm est, omniumque aliarum rerum scitu necessariam cognitionem capiet, ut juxta rerum exigentiam sua et autoritate et dexteritate uti valeat.

(178) "Et ubi in negotia introierit, ecclesiasticos inter se unitos et ad bene utendum occasione, quam benedictus Deus ipsis obtulit, animatos conservare procurabit. Nam licet plerique subsidiis, quae obtinent, incitati ad inceptum prosequendum ardere videantur, non desunt tamen tepidi et illi, qui vitam quietam atque privatam beneficio publico et communi antepponentes se infaeliciter neutrales esse demonstrant, nec (quod fieri deberet) de gubernatione in insula sub gubernatore Catholico stabilienda solliciti sunt, dum a prorege haeretico non interdicatur ne functiones ecclesiasticae in domibus vel locis privatis exerceantur. Inveniet quoque forsitan (ad displicentiam nostram) Dominatio vestra non neminem qui rigidae reformationis morum, et disciplinae ecclesiasticae timore | percussus illis consiliis, quibus publicum hoc Catholicae religionis exercitium in Iberniam constituatur, magna arte refragabitur.

(179) "Dexteritate ergo et prudentia utendum est singulari, neque enim vinea jam a saeculo integro sylvescens uno tractu stirpibus, et dumis purgari potest, sed opus est ut iis paulatim extirpatis ad culturam pedetentim reducatur.

(180) "Hac unione facilem sibi Dominatio Vestra sternet viam ad introducendam in illam Ecclesiam observantiam Decretorum sacri Concilii Tridentini quam extraordinaria diligentia urgeat, quibus utique relaxatae disciplinae ecclesiasticae reparatio subnititur. Cumque suam ab antiquis Canonibus et Conciliis originem trahant, haud censenda sunt nova nec strictiora antiqua consuetudine, qua Ecclesiae et vitae probitate conspicui ecclesiastici olim regebantur. Ad quae recipienda magno animi ardore incubuit P. Scarampus. Quorum etiam dispositioni se peculiari instrumento submiserunt archiepiscopi, seque obstrinxerunt ad id efficiendum ut in suis et suffraganeorum diaecesibus observarentur. Et quamvis in hanc necessariam adeo observantiam quidam religiosi se refractarios exhibuerint, speramus tamen futurum ut Dominationis vestrae habilitas, prudentia, et virtutis praestantia superato omni obstaculo hunc tantopere principalem tantique momenti articulum illic stabiliendum curet. In hoc mirum in modum adjuvabitur ab archiepiscopis et episcopis qui zelo, quem in hac re monstrabit, se superari non permittent, jam persuasum habentes cleri consuetudines et disciplinam ecclesiasticam fore ad horum sacrorum Canonum normam dirigenda. Laici exinde aedificati apud se statuent revereri ordinem clericalem, venerari tribunalium Ecclesiasticorum jurisdictionem, et ecclesiarum conservare immunitates ac privilegia. Sed inter providendum ipsis de pastoribus opus erit ut Dominatio vestra sibi tota attendat, cum multae nunc in illa insula ecclesiae vacent. Et quamvis Concilium Supremum non desideret modo ut omnibus provideatur, idque forsitan ne partibus ecclesiasticis suffragia accrescant, vel ut ipsi interea in belli sumptus episcopatum vacantium redditibus gaudeant, vel ob aliud ejusmodi politicum emolumentum, Romae tamen fient debitaee episcoporum promotiones, ubi Dominatio vestra vere necessarium fore praesenserit, sicut ita esse hic usque modo existimatur. Ideoque quales ii sint, qui ad eas dignitates aspirent vel ab aliis praesententur, expiscabitur, quo nos ea de re certiores reddamur, ut iis, qui doctiores, majori zelo pollentes et rerum ecclesiasticarum usa plus exercitati sunt, promovendis animum intendamus ut a bona episcoporum electione ad eam perveniatur, quae parochorum est omnino ad populi directionem in salutis

aeternae negotio necessaria et ad Dei cultum fovendum tantopere requisita.

(181) "Sacerdotibus ergo compertae probitatis et integrae vitae beneficia sunt conferenda Dominationi vestrae et collatores admonendi et collationibus invigilandi onus incumbet ut cum solitis concursibus sequantur, et in eos qui digniores sint conferantur. Procurabit etiam ut a laicis, qui bona ecclesiastica possident, nunc parochis prospiciatur de congrua sufficiente non minus ad sustentationem sui quam ad sacramentorum administrationem.

(182) "Et quia hic aptus est locus de bonis ecclesiasticis Insulae sermonem conterendi, non omittam Dominationi vestrae dicere, ipsorum haud pauca ab haereticis, aliaque a laicis Catholicis | fuisse occupata. Ab illis quando (sicut speramus) recuperabuntur, distribuenda erunt in ecclesias et monasteria, ad quae ab initio spectassent, partimque parochiis indigis, atque id genus aliis necessitatibus ecclesiasticis applicanda. Et his fieri potest ut pars una restet *saecularizata* a Cardinale Polo auctoritate cujusdam Bullae a Julio III. concessae, cujus apographum Dominationi vestrae dabitur, et altera parte a Catholicis atque haereticis possessa hi postea vel certe filii aut nepotes ad nostram religionem conversi eandem possessionem sine ullo prorsus titulo continuerint. Itaque sicut circa primos, nisi sponte sua cum Ecclesia transigere cupiant, nihil est innovandum, ita opus erit ut posterioribus inculcandum curet, ipsis, si segura et sana conscientia vivere velint, esse cum Ecclesia aliquo pacto conveniendum. In quem finem Dominationi vestrae, ut scilicet dispensare possit et concordare cum horum bonorum possessoribus, prospectum est de sufficienti auctoritate, qua magna cum circumspectione utatur, applicando qualitati mali remedium proportionatum. Aliquibus enim ea forte non sunt prorsus relinquenda, aliis autem concedenda emphiteusi perpetua, aliis porro ad tempus et ad certas usque generationes, et variae denique debent esse conditiones pro casuum, qui se obtulerint, diversitate.

(183) "Sed in omnem eventum Dominatio vestra studeat ut parochis et parochiis a bonorum ecclesiasticorum possessoribus satis provideatur de *congrua* sufficiente, idque vel per decimas vel per annuos redditus, vel assignando terras fructiferas, neque aliter enim tuta conscientia retineri possent illa bona ecclesiasticis quin et ipsis ecclesiis sustentandis destinata. Missionariis hactenus facta est potestas dispensandi circa eorum retentionem ea lege ut possessores se obstringerent juramento standi in hac

re iudicio Ecclesiae, ubi totum Iberniae regnum ad Sedis Apostolicae obsequium rediisset.

(184) "Haec obligatio jurejurando firmata in eorum, a quibus ea possidentur, cordibus et stimulos et timores excitavit, animadvertentes quippe Regnum munire sibi viam ad Sedis Apostolicae obedientiam dubitant, ne sint ipsi astricti, non minus proprii juramenti titulo quam justitiae rigore, ad ea bona vel in toto vel magna ex parte restituenda. Unde se reddunt non dicam tepidos sed renitentes, subsidiis causae publicae afferendis et privato tracti emolumento publicum Catholicae religionis exercitium in Regno firmandum vel non curant vel non optant. Cum hoc hominum genere, quo ad veritatis cognitionem et salutis semitam reducantur, passu magis moderato procedendum erit, verum non ita ut boni et obsequentes ad vitium desciscant. Ejus enim quod cujusque interest, caeca cupiditas in omnium animos plus nimio potest, et malum aliorum exemplum propriis defectibus in forte scutum obtenditur.

(185) "Magnum verae fidei sustentaculum omni tempore fuere Religiosi, et Iberniae insula prae caeteris omnibus Provinciis rem hanc temporibus antegressis effectu comprobavit. Prima ibi insignia plantavit ordo monasticus. Nam ut qui antiquis anachoretis haud dissimiles fuere veterum monachorum et monasteriorum, a Sanctis Patricio, Columbano, et Malachia fundatorum, sanctitatem silentio praeteream, recentioribus temporibus Canonici Regulares, Benedictini, Cistercienses, et Praemonstratenses nova ibi collegia et monasteria fundarunt. Emerserunt deinde sub Honorio III. Religiones Franciscana, et | Dominicana, et de manu in manum alii mendicantes eximia pietate in insulam recepti, ibi domos et conventus fabricarunt, in quibus sancti et docti religiosi floruerunt. Verum schisma et haeresis uno eodemque tempore ad pessimum statum et quasi ad nihilum redegit et monachos et mendicantes. Id circo monasteriis et conventibus cassi ibant domesticatim errabundi, et sub habitu eментito conati sunt in Ibernia commorari. Nunc autem Franciscani, Dominici, Patres Jesuitae, et alii mendicantes propriis habitibus amicti, partim ad antiquos conventus remearunt, partim novis erigendis operam navant. In quibus ad vitam claustralem revocandis et regulari observantiae subjiendis Dominatio vestra curam adhibeat singularem. Ad quod praestandum judicatur expedire ut procuret ne se in multos conventus diffundant, sed secundum ipsorum numerum in paucos restricti in corpus competens coalescant, ex quo cum

Forte
rectius
Columba.

tempore in alias Regni partes insignes viros diffundere poterunt, conventus et ecclesias jam perditas recuperaturi. Verum ad habendos religiosos insignes necessario exigendi sunt novitiatus, admittendi adolescentes bona indole, et assignandi virtute ac magna vitae integritate praediti magistri, ut plantae novellae, fixis in pietate firmis radicibus, positae extra omnem rabidam tentationis diabolicae furori succumbendi aleam, in vinea Domini faeliciter fructiferare, et in omnes partes suavissimum suae sanctitatis proborumque morum odorem spargere valeant. Post novitiatus in ipsissimos conventus introducenda sunt sanae philosophiae et tam scholasticae quam moralis theologiae studia, designandique boni praelectores et magistri, qui subinde faciant acta et disputationes publicas, ut scholastici sancta cum emulatione per scientiarum et virtutis viam ad religionis gradus pertingere studeant.

(186) "Sed sicut aemulatio, dum modestiae limites non transgrediatur et ad Dei gloriam atque obsequium tendat, laudem meretur, sic e regione vituperio digna est, si religionis pallio cooperta dissoluto charitatis vinculo tota in perturbationes et dissensiones adeo prorumpat, ut exinde populus scandalum et offendiculum arripiat. Quare opus erit ut Dominatio vestra, quam possit certissime, harum factiosarum emulationum ansam amputare enitatur, quae vel ex confraternitatum erectione, vel ex quarundam congregationum privatarum institutione, vel ex festorum principalium, quae uno eodemque die et hora a religiosis celebrari consuescunt, solemnitatibus et supplicationibus publicis, vel ex alio id genus fortuito eventu plerumque contingere solent.

(187) "Confusionibus ergo praepediendis animum intendet et suam illis expediendis prudentiam impendet, eumque rebus dabit ordinem, qui futuris etiam morbis sit remedium, et quo concordia, charitas, rebusque accommodandis tantopere necessaria quies animorum sarta tecta conservetur.

(188) "De bona Regularium disciplina transibo ad educationem juventutis saecularis, cui est in more positum ut in collegiis vel universitatibus rite erudiatur. Sed cum haec haereticorum jam rabie diruta fuisse tradantur, urgendum erit ut Patribus Jesuitis in aliqua urbe principe suas scholas erigendi detur commoditas. Et jam tractavit P. Scarampus ipsis Kilkenniae ecclesiam et monasterium, quae olim erant Patrum Benedictinorum, nunc vero ab illius urbis magistratu possidentur, transcribere, ut ad juventutem, quae suapte nutu in literas et pietatem satis propendet, instruendam se accingerent. Hoc neg-

otium, cum non fuerit absolutum, Dominationis vestrae diligentia absolvendum est, idque ea dexteritate et prudentia quae necessaria sit ut ex parte Patrum Benedictinorum vel aliorum, quorum interest, non occurrant difficultates, ad quam causam multum juvet ipsius civitatis jam constans propensio, ob utilitatem quam ex Patrum Societatis opera derivandam expectat. Quibus etiam cogitamus designandam Waterfordiae ecclesiam parochialem, modo res arduam difficultatem aut verum offendiculum ab ullo, cui justus titulus competat, non patiatur, licet et ipsi esset praecurrendum ad removendum omne obstaculum, ne opus adeo bonum ad finem non producat.

(189) "Ex ordine Sanctae Clarae sunt in insula moniales, quae in ultima status ecclesiastici mutatione proprio expulsae monasterio conventum stabilem non habent, sed nunc hac, nunc illac peregrinantes, in varias digrediuntur partes, et in domibus se privatis continentes claustri leges et disciplinam regularem, quam possunt strictissime, observare contendunt. De hac re peragenda providendum erit, et jam P. Scarampo provide mandatum fuit ut omnes Galviam convocandas curaret, et archiepiscopo Tuamensi persuaderet ut ipsis de habitatione et aliis commoditatibus necessariis prospiceret, ne ulterius cum periculo et scandalo vagabundae spectentur. Haec mandata, si necdum sortita sint effectum, ea Dominatio vestra non negligat. Quod si illae apud Galviam contubernium instituere nequeant, id saltem praestetur vel Kilkenniae, vel Waterfordiae, vel in altera civitate ubi eleemosynae, et penora ad victum, et vestitum regularem necessaria non desint.

(190) "Nil autem aliud majorem ascribere potest rigorem auctoritati Dominationis Vestrae in libero Catholicae religionis exercitio promovendo, quam concordia omnium Catholicorum, et praesertim eorum qui hodie ad insulam gubernandam deputati sunt. Si enim refrixerint, poterunt consentire in pacem iniquis conditionibus, et regredi (quod Deus nunquam permittat) ad antiquas miseras et afflictiones.

(191) "In Comitibus Generalibus, quae paulo post insurrectionem Kilkenniae habita fuere, illi Catholici libello supplici, quem Regi porrexerunt, mentem declararunt, se scilicet non contra ipsum arma sumpsisse, sed in quosdam Parlamentarios Anglicanos, eorum oppressores, quibus cordi esset exinanire in Iberniae regno Catholicam religionem, et in ejus locum substituere Puritanismum, qua de causa postularunt ut, sicut Scoti, liberum sectae suae exercitium concessum esset, ita etiam sibi

ipsis religionis Catholicae palam exercendae postestas decerneretur, in suae antiquae jurisdictionis possessione hierarchia ecclesiastica et ordines religiosi conservarentur. Episcopi et sacerdotes Catholici (exclusis haereticis Protestantibus) bonis ecclesiasticis gaudere permetterentur. Prorex alique regni moderatores et ministri forent Catholici; Catholicis omnia bona ipsis regnante Elizabetha oblata restituerentur; Anglorum Scotorumque coloniae, nisi essent Catholici, vel saltem moderati Protestantes, in insulam non admitterentur; liberum sibi cum nationibus externis relinqueretur commercium. Iberniae Parlamentum ab Angliae Parlamento independens concederetur. Et denique protestabantur sibi esse animo statutum nunquam a Regis obsequio desciscere, sed potius ad regias | praerogativas defendendas vitam cum sanguine perfundere Regemque quoad res civiles in legitimum Principem agnoscere, sicut Pontificem Romanum in rerum spiritualium Caput admitterent. Haec eorum laudabilis intentio anhelandi unanimi consensu liberum Catholicae religionis exercitium necessarium stabilienda est et confirmanda cum inconcussa constantia, quibus etiam intimandum est quaslibet a Rege vel ejus Ministris offerendas condiciones, nisi hac basi nitantur, nullius fore valoris, sed potius aeternum damnosas et pudendas.

(192) " In hunc solum finem sicut faelicis recordationis Urbanus Papa collineavit, ita etiam Sanctissimus Dominus allegat Dominationem vestram cum subsidiis tam denariorum quam armorum, quae secum transportat, cum spe etiam majoris auxilii ubi necessitas postulaverit. Et bene compertum est ex induciis in annum integrum pactis et in totum anni currentis mensem Maium protractis, juxta ac ex pacis transactione nullum fuisse usque modo receptum beneficium. Sicut enim primae non ad alium conducebant finem, nisi ad fervidos, qui jam otio et quiete allecti, tepefaciendos, sic secunda Ormoniae Marchionis, Proregis, in urbe Dubliniensi ex secta Protestantium artificiis infructuosa evasit, qui, Ibernus licet, in Catholicorum instantias nisi vi compulsus non propendet, et temporis dilatione animos dividere eosque dexterrimis suis artibus a bono publico segregare cupit. Impellendi ergo sunt ad constantiam in primo proposito nunquam admittendi conventionem, inducias, vel ullam pacem, nisi obtento ante omnia hoc tantopere requisito articulo liberi exercitii Catholicae religionis, et omnium aliorum mediorum, quae ad rem adeo sanctam stabiliendam conferant.

(193.) " Sciet optime Dominatio vestra quam opus sit ut ego hic ipsi praescribam, quae debet media applicare, qua prudentia

uti, qua dexteritate se defendere, quae intra et extra insulam consilia fovere, quibus fidere et diffidere, et caetera denique operetur, ut quod exequendum suscepit gloriosum inceptum ad finem perducatur. Dicam tantummodo quod, licet omnes quatuor archiepiscopi sint zelo pleni, nihilominus Tuamensis et inter episcopos Clogherensis sint quibus Dominatio vestra plus fidat. Idcirco conetur se in omnes ostendere planum et benevolum citra ullum prorsus artificium, cum Ibernici juxta ac caeteri ultramontani pleni sint suspicionibus et timoribus.

(194) "Quia vero nec Galliae nec Hispaniae in insula desunt, qui partium suarum sint studiosi, Dominatio vestra modo adeo aequo se gerat, ut nunquam conjectari nedum palam constare queat se plus in unam partium quam in alteram inclinari, quod fieri demonstrabitur si continuam navet operam principali suae missionis negotio, conservationi scilicet publici exercitii Catholicae religionis et cleri saecularis et regularis reformationi, nec ad alias inclinet occupationes; sed ambas coronas aequa prosequens benevolentia fidei propagationem vel conservationem curet Catholicismi.

(195) "Et quamvis per Galliam debeat iter tenere, facilius utique et tutius ad transmigrandum in Iberniam, et ad conferendum cum Regina Angliae, quae in illo regno commoratur, et cum aliis ministris Gallicis, vel declinare ad partes Hispanicis aut Flandricas et Regem et Ministros Hispanicos | convenire, sumus tamen de Dominationis vestrae prudentia ita securi ut dubitare non faciat quin in hisce suis negotiis (quae consistant tantum in nuda humanitatis professione et certa asseverantia intentionis Suae Sanctitatis, quod scilicet haud aliam sibi in hac missione proponit metam, nisi animarum salutem, mediante publico Catholicae religionis exercitio in Ibernica) a se ubique amoliat sinistram partiarum opinionem ministro ecclesiastico minime convenientem. Praeterea sicut gravissimorum quorumcunque negotiorum anima est tenere secretum, ita Dominatio vestra hoc ante alia omnia memoria affixum habeat. In quem finem utatur notis privatis ad fovendum cum Galliae, Hispaniae, et Belgii Nuntiis commercium epistolatorium.

839
v

(196) "Postremo non praetereundum duxi inculcare, Dominationem vestram secum in Iberniam transportare velut Sedis Apostolicae imaginem, quare nobis persuademus futurum ut eam, sicut convenit, sustineat alatque, et resplendere faciat non minus sua quam domesticorum probitate, qui, quanto magis scientia et bonis moribus ornatos se exhibuerint tanto majorem sibi aestima-

tionem comparabunt, et quam in illa plaga P. Scarampus de Italiae clero seminavit bonum opinionem conservabunt. Quare tibi opus erit eos longe facere a mulierum conversatione, ab epulis, a potationum certatione, a nimiis colloquiis super praesentibus rebus mundanis, et praesertim super bellorum vicibus, sive in Anglia, sive in Germania, sive in Flandria vel Hispania. Iis enim qui parum benigna sunt intentione solenne est ut ex servorum affectibus, quae dominorum inclinationes sint, statuunt. Sed totum supervacaneum est zelo Dominationis vestrae nunquam usae nisi familia quae a quolibet altera praelati ecclesiastici se imitandam praebuerit.

(197) "Itaque D. vestra cum benedictione, quam ipsi Sua Sanctitas paterne impertita est, proficiscatur, nec mihi aliud superest quam Deum orare ut ipsam feliciter concomitetur, sed felicius succedant ad Divinae Majestatis suae gloriam sua negotia de quibus nos omni commoditate ad unguem certiores faciet, nobisque in particulari exactam mittet relationem status in quo ad suum appulsum in Iberniam posita ibi erit causa Catholicae religionis, eaque praeterea, quae nostra notitia existimaverit digna, quantocius significabit.

16 Martii 1645.

Camillus Cardinalis Pamphilius."

(198) Nec ab his separanda sunt alia monita, sed secretiora, quae praefatis erant in alio folio annexa, quae (sicut et prima) ex ipsis Illustrissimi D. Nuncii scriniis ad nos derivata sunt. Tu autem lector hic ex Italicis, qualia primum tradita erant, a nobis Latine reddita habe.

INSTRUCTIONES PRIVATIORES.

(199) "1. Proficiscatur necesse est quam possit promptissime, nec in via requiescat, ut illo appellat ad novam copiarum expeditionem, quo hanc consilio et denariis adjuvet et mare securius trajiciat, antequam hostili Parlamenti Batavorum et Turcarum classe infestetur.

(200) "2. Inter transeundum per Galliam expedit ut ab ea natione omne suspicionis genus procul faciat, et Reginae Regenti juxta ac Cardinali Mazarino spondeat | nihil a se in coronam illam nisi amice gerendum. Et Regynam Angliae, et qui apud ipsam gratia pollet D. Germinum, de plena sua in coronam Anglicanam benevolentia securos reddat, et quomodo de nulla alia re

agitur quam de fide Catholica apud Regnum propaganda ipsoque per unius religionis nexum uniendo, quod in illius coronae majus commodum redundet.

(201) “ 3. Conabitur persuadere Reginae Angliae magnum hujus negotii momentum ad rem Coronae Anglicanae promovendam, cum ea sit Parlamenti viribus inferior sine spe recipiendi suppetias externas, unicum ergo causae ejus et Catholicorum Angliae remedium consistere in auxiliis, quae ab Iberniae Catholicis mutuentur, cum nulla expectentur a suis Protestantibus vel Regiis in illo regno partibus, quod ipsarum vires adeo sint debilitatae, et Puritanorum Parlamentariorum juxta ac Scotorum copiae tantopere invalescant, quas si Catholici represserint, copias deinde suas jam bello assuefactas et victoriosas ad illius Coronae obsequium transmiserint.

(202) “ 4. Cum haec Reginae persuaserit, utile erit dextere detegere, qua apud Ormoniae Marchionem valeat, auctoritatem et potestatem. Quem si a Regina dependere invenerit, procurabit secretissime ab illa aliquam epistolam, vel notas privatas, vel symbolum, ut ille, si cum Catholicis (permittendo in ipsorum potestatem duo, quibus praesidet, Dubliniae et Vadiponti loca principalia) palam condicere non posset vel nollet, saltem cum ipsis aliqua conniventia vel arcanis consiliis uteretur, et sperari sane posset Marchionem, habito aliquo Reginae nutu, id facturum, cum patriae bonum cordi habeat, et si Ibernus et (sicut aliqui volunt) Catholicus saltem occultus, vel certe Catholicus fuerit usque ad annum aetatis decimum sextum, parentibus Catholicis natus, deinde in Angliam transportatus et in Aula educatus, ubi Lutheranismum vel certe ejus simulationem didicit.

(203) “ 5. Haec colloquia cum Regina debent esse secretissima et rara, ut ejus Aula suspicionis minus concipiat, cum sit illa haereticis Protestantibus et Puritanis circumdata, qui ex minima quaque occasione timere et suspicari sibi permittunt.

(204) “ 6. Quin etiam a Catholicis Anglis in Aula illa frequentibus cavendum erit, cum non omnes tanto fidei zelo, et studio, flagrent, ut ejus promovendae causa victoriosos Ibernorum successus et faelices progressus videre vellent ob naturalem illam, quae inter duas nationes perpetuo dominatur, antipathiam, cupientibus Anglis Iberos semper sibi subditos habere, ob lucrum inde ad se ex officiis et imperandi auctoritate derivandum.

(205) “ 7. Non diu Parisiis haeserit, ne male affectis tempus suppetat Parlamentum certius reddendi, et expiscati ubi navem conscendat, ibi praeparatas mari insidias struant.

(206) " 8. In transferenda re nummaria opus erit considerare bene modum transportandi, qui utique si se offerat, securum, et cum aliorum navium comitatu consultius erit totam transportare, cum non sint in Gallia mercatores, quibus in Ibernia mensarii respondeant, et qui tesseras illo dent collybisticas. Verum si non sit tutus et securus trajectus, nec se magnae offerant naves bellicae, optimum factu erit rei mummariae parte inter Nuntii manus deposita, aliam partem transferre, ut prae manibus sit unde primum stipendium, et pecuniae pars pendatur, quo milites animentur ubi re ipsa suppetias ad se nummarias transferri viderint. |

840
v

(207) " 9. Mox ac in quemvis Catholicorum portum appulerit (a Waterfordiae autem portu per Duncananiae propugnaculum, quod penes Parlamentarios est, intercluso caveat, nisi illud a Catholicis, a quibus obsidione incingitur, ad suum appulsum occupatum fuerit) Supremo Catholicorum Concilio rem indicabit, a quibus responsionem quantocyus expectet, et lubens diversetur ubi illi voluerint, dum de Dominationis vestrae recipiendae modo egerint et loco.

(208) " 10. Domicilium quantum fieri queat juxta dictum Concilium semper figet, et ex ipsis nonnullos perspicaciores, fideliores, et majori zelo flagrantes, quales sunt Malachias archiepiscopus Tuamensis, et Emerus episcopus Clocherensis, in amicos secretos sibi comparandos procuret. Idque ita ut sibi caveat ne aliis ex eodem Concilio in Ormonium propensis suspicandi ansam praebeat.

(209) " 11. Ad continuandum nunciorum commercium cum hac Curia Romana, et quo mandata ac consilia ab ea facilius ac citius recipiantur, agat cum Concilio de decernendis duabus navibus speculatoriis ex velocioribus, quibus velut tabulariis utendum, cum experientia docuerit his duobus annis defectu similium nuncia fuisse interclusa.

(210) " 12. Adhibenda cura ut incitetur Concilium ad expugnationem propugnaculi Duncananiae, cum illud Catholicorum rebus adeo praejudicet et in tali loco positum sit ut Parlamentarii, quamdiu possederint, mittant quoties velint copias et naves in duas Momoniae et Lageniae provincias.

(211), " 13. Urbs Limericensis se tenet a Concilii gubernatione separatam, velut neutralem et per se stantem. Et quamvis Catholica sit atque ad causam Catholicam contribuat, toto tamen hoc nihil obstante, haec a rationibus privatis et domesticis dissensionibus procedens ejus separatio communi Catholicorum causae multum praejudicat. Idcirco dextere, suaviter, et efficaciter procurandum ut caeteris civitatibus Catholicis coalescat.

(212) " 14. Ita Catholicae religionis causam et momentum promoveat ut una Coronae Anglicanae rem a se conjungi monstret, et semper ostendat se huic negotio adhaerere, nec ullo unquam tempore velle ut ejus jugum excutiat. Quare impraesentiarum nulla praebeatur auris rebus ullis tractandis in contrarium.

(213) " 15. Quo Catholici ad concordiam et causam hanc prosequendam magis incitentur, illos omnes, qui bona ecclesiastica possident, tutos reddet ipsis non auferenda nec eorundem bonorum causa ullam afferendam molestiam, sed ipsis potius confirmanda, modo qui in altero folio praescribetur.

(214) " 16. Curandum ut provinciarum tot praefectorum generalium, qui magna stipendia exigunt, expensae refoventur, et aliquis ex iis, qui conditione, experientia, bellicae laude praevalent, rei militari praeficiatur, cui dispositioni provinciarum duces acquiescant.

(215) " 17. Res gestae ab exercitu, qui in Scotia sustentatur, in rem Ultoniae, ubi plus quam alibi majore et numero et potentia Scoti praestant, haud mediocriter redundarunt, unaque Coronae causam multum adjuvabant, ideoque procurandum ut conservetur. In cujus rei rationem inter alia ab eodem exercitu praestita obsequia illud adducatur, ut scilicet in Coronam tuendam melius incumbatur, idque juxta bonas quas pertentavit Reginae inclinationes. |

(216) " 18. Cum ipsa foverit consilia arcana, in quem finem utetur aliqua persona prudenti, fidei, et proba (sed non nimis conspicua, quo suspicionem magis declinentur) ipsique erit persuadendum quanta veritate et sinceritate viam munit hoc negotium ad majus coronae obsequium et ad ipsius Regiam in integrum restitutionem facilius assequendam. 841

(217) " 19. Quorundam in Regno et aliorum apud urbem Parisiensem, qui, Regina in Iberniam proficisceretur, vellent, molitioni exquisita industria, et vigilantia deflectendae studeatur. Haec enim ejus transmigrationis haud parum Catholicorum progressibus damnum afferret. Partim quod bene affecti et zelo ferventes, ut illam haereticis totam circumdari viderent, magnam inde suspicionem et timorem conciperent, partim quod tepidi et politici neutrales ejus votis et consiliis per haereticos ipsi consiliarios suggerendis se facile manciparent. Praeterea ut ipsi sumptus suppeditarentur, necessario in ipsam magna pars aerarii Catholicorum distribuenda foret, cum tamen ipsi ad bellum prosequendum multum indigeant.

(218) " 20. Opus erit tentare nunquid Ormoniae Marchio, principalis motor, a quo haec machina rotatur, ulla ratione in

partes allectetur. Fratrem habet a Catholicis stantem, Richardum Butlerum, optimum Catholicum et virum praeclarum. Multum etiam apud ipsum possunt Montgarettae Vicecomes et episcopus Ossoriensis. Prudentes ambo et causae communis studio flagrantissimi, qualem etiam se ostendit D. Richardus."

(219) Haec erant Pontificia monita Illustrissimo Domino Nuntio tradita, quibus et Benedictione Apostolica ad tam arduum opus praeclare praestandum munitus, subsidiis quoque peramplis a Summo Pontifice ad Iberniae Catholicos una transmissis instructus, ubi suo archiepiscopatu Firmano de Vicario generali etc., et de Protectore, Eminentissimo utique D. Cardinale Pallotto, prospexit, Urbem valere iussit; seque in viam dedit honorifico admodum et multo stipatus comitatu sacerdotum, religiosorum ac laicorum, quorum eximium meritum, scientiam, probitatem, nec obscuros in Ecclesia gradus, quorundam etiam generis splendorem, et omnium cultam, politamque vivendi consuetudinem haud melius suis coloribus pinxerim, quam si uno verbo perstrinxero non ab alio fuisse in comitatum dilectos, quam a tanto praelato eoque ad tam arduum et divinum plane inceptum destinato, proindeque cui foret curae non nisi se dignos et ad ipsum martyrium saltem in voto natos in illius itineris comites cooptare. Iter autem tenuit Florentia, urbe nativa, Etruriae metropoli, ubi (absente ad ejus appulsum serenissimo Magno Duce Ferdinando Medicaeo, illius nominis secundo) ad sedes paternas divertit. Consilium ambobus parentibus tunc alterum in sepulcro pedem habentibus coram communicavit, quibus etsi amarum esset decrepita jam aetate tam securo destitui baculo senectutis, Christi tamen amore possessi, sicut antea per literas Romam directas absentem, ita et tunc praesentem nullis ad tam caeleste caeptum benedictionibus non cumularunt.

(220) Magnus me tenet amor brevitatis, nec tamen possum hic non perstringere quantae fuerit in hoc praelato virtutis documentum, tot tantisque apud Italiam non solutis sed diruptis retinaculis, *accinxisse se gladio suo super femur suum potentissime* ad proficiscendum eo ubi posset dicere de Deo suo illud Ieremiae: *| aedificavit in gyro meo et circumdedit me felle et labore.* Non retinuerint hominem illum dulcia abdicanda, non amara deteruerint adeunda. Dulcia fuerint etiam licita et honesta, proindeque magis suavia, in nobilissimo archiepiscopatu Firmano non archiepiscopum modo sed et Principem gerere, sanctis Aulae Romanae deliciis non corpus sed animum subinde inebriare,

Ps. 44. 4.

Thren3.

84I

v

Summi Pontificis, Ecclesiae Cardinalium, aliorumque Praelatorum summorumque ingeniorum, in, quorum is a puero consuetudinem venit, colloquio identidem frui, et familiaritate, parentibus iisque optimis jam senio contabescentibus ad nutum renutumque velle et posse praesto esse, et omnem morem non minus gerere viventibus, quam parentare defunctis. Quid memorem ad ulteriores Cardinalatus et Pontificatus gradus perveniendi spem modestam, vel praehensandi aestum illicitum, ex quibus cum illa minoris esset virtutis, hic vitii maximi utramque illecebram amputare et ab utriusque occasione longe gentium recedere virtutis fuerit longe maximae, praesertim cum qui praestitit tot tantisque naturae, eruditionis, eloquentiae, scientiae, et gratiae donis ac dotibus plus cumulatus quam ornatus esset, ut ad potissimas quasque Ecclesiae dignitates eum jam recepta apud omnia opinio natum divulgaret. Nec solum ille haec aliaeque, quibus deprecandae prolixitatis ergo supersedeo, vincula dirupit, sed et ex diametro apposis et maximopere arduis difficultatibus se exposuit, quo spectabat longinqui itineris subeundus labor, manifestum incidendi in Turcas mare Mediterraneum piratica infestantes, et Turcis pejores utroque mari praesertim oceano ferocientes Angliae parlamentarios, periculum, multaque id genus alia dura et aspera inter eundem post appulsum et inter remigrandum nihil mitius quam acerbissimum mortis genus minitanti, quae ex immani barbara et inaudita in Deum Regemque rebellantium, proindeque in Iberniae Catholicos bellantium parlamentariorum Angliae crudelitate nemo facile non conjectet. Itaque ille vel parentibus vel amicorum caeteris respondens usurpavit pauculis mutatis illa Pauli: "Et nunc ecce alligatus ego spiritu vado in Jerusalem, quae in ea ventura sint mihi ignorans, nisi quod Spiritus Sanctus per omnes civitates mihi protestatur dicens: Quoniam vincula et tribulationes Hierosolymis me manent. Sed nihil horum vereor, nec facio an mam

Act. 20.

(221) Jam a diverticulo redeamus ad viam. Nuperrime si quidem vidimus ad Nuncii appulsum Florentiam serenissimum Magnum Etruriae Ducem abfuisse, qui pauculis deinde diebus interjectis Florentiam redux perlegit (ipso Nuntio porrigente) hoc Breve Apostolicum, quo ad Nuncium humanioribus amplexibus excipiendum impelleretur.

INNOCENTIUS PAPA X.

Serenissimo Magno Duci.

(222) "Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam Benedictionem. Quem et Patriae ratio et suae propentio voluntatis nobilitati tuae jure addicunt Ven. Fratrem Joannem Baptistam, archiepiscopum Firmanum, nostrum et Apostolicae Sedis Extraordinarium Nuntium in Iberniam proficiscentem instituto itinere isthac pertranseuntem adire nobilitatem tuam jussimus, nostramque tibi probare paternam benevolentiam novo | hoc officii documento. Id vero eidem apud te non tam commendationis quam amoris testimonium ponimus viro sane generis, doctrinae, ac virtutis praestantia tibi commendatissimo, cui nimirum quae accerserint ab humanitate tua vel ab autoritate ornamenta animos illi facient ad munus persancte susceptum alacrius prosequendum: Nobisque a nobilitatis tuae pietate accident longe gratissima. Pontificiam Benedictionem tibi amantissime imperitumur. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 2 Martii 1645, Pontificatus nostri anno primo.

Gaspar de Simeonibus."

(223) His subjungimus et aliud ejusdem Pontificis diploma ad serenissimam Magnam Etruriae Ducissam, Victoriam a Robore, ultimi ex ea serenissimi Ducis Urbinatum familia unigenitam, et haerodem longe piissimam.

INNOCENTIUS PAPA X.

Serenissimae Magnae Ducissae etc.

(224) "Dilecta in Christo filia, nobilis mulier, salutem et Apostolicam Benedictionem. Adit nobilitatem tuam ut sui fert itineris ratio et nostra in te paterna caritate et sua ipsius observantia deductus, Ven. Fr. Jo. Baptista, archiepiscopus Firmanus, Praelatus noster Domesticus et Assistens, extraordinarius a Nobis in Iberniam Nuntius allegatus. Is profecto cui propriae virtutes domesticis quae praefert ornamentis, gloriae cumulum faciunt, maximum sibi adjunctum sentiet incrementum existimationis ac laudis, si ab humanitate Nobilitatis tuae, cujus in clientela esse decorum sibi atque amplissimum ducit, splendide paratus atque instructus abscedat. Tui id non leve extabit in Apostolicam Sedem cultus ac studii argumentum. Nostrum sane promeritum, quam is ad te uberrime defert,

Apostolicam Benedictionem. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 2a Martii 1645, Pontificatus nostri anno primo.

Gaspar de Simeonibus."

(225) Ad Serenissimum autem Principem et ex Principe Cardinalem et Sacri Collegii Apostolici decanum meritissimum, Carolum Mediceum, Serenissimi Magni patruum hoc tertium diploma directum invenio :

INNOCENTIUS PAPA X.

Carolo Cardinali Medici.

"Ven. Fr. Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. Eandem ac nostram vigere apud Fraternitatem tuam arbitramur meritorum existimationem ac virtutum Ven. Fratris Joannis Baptistae, archiepiscopi Firmani, Praelati nostri Domestici et Assistentis, quem ad Catholicos in Ibernia Apostolicum extraordinarium Nuntium mittimus, ideoque illum ubi isthac caepo ex itinere advenerit seque tibi quem immensa colit obtulerit, haud sane existimamus apud te esse commendandum, quem et majorum et sua laude clarum ultro ipse aliis commendaveris. Optamus vero vehementer Fraternitatem tuam, dum illum de nova in te paterna charitate deque sua observantia audieris, ab eo itidem propalandae tuae humanitatis causas habuisse. Id vero quanto efficies luculentius, tanto Nobis praestiteris rem gratiosam. Fraternitati tuae Apostolicam Benedictionem amantissime impertimur. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 3 Martii 1645, Pontificatus nostri anno primo.

Gaspar de Simeonibus." |

(226) His annexae erant trinae litterae singulae ad singulos jam dictos principes vernacula Italarum lingua die Martii 22 eodemque anno 1645 ab Eminentissimo Domino Camillo Pamphilio S. R. E. Cardinale et Innocentii tunc Pontificis Maximi nepote et fratre eidem a secretis exaratae, quae sub manu sunt, eodemque quo dicta diplomata, spectant, excepta Cardinalis Pamphillii in Serenissimos antedictus Princeps officiosa observantiae professione, quare brevitatis studio eas huic loco non inserimus.

842

v

(227) Quanta autem humanitate serenissimus Magnus Dux, alique jam memorati Principes D. Nuntium prosecuti sint, ex ipsius litteris propria manu in Nuntiaturae Iberniae Regestum

(quod totum inter manus est) relatis ac Italice scriptis, quas hic latine redimus, dignoscat :

D. Cardl. (228) "Significavi meis litteris 28 mensis praeteriti die ad
Pam- Eminentiam vestram datis imminentem tunc serenissimi Magni
philio Ducis cum tota Aula regressum Florentiam, qui postea secutus
Regesti, est hesterno mane bona omnium incolumitate. Ipsa dies suae
pag. Celsitudini complacuit unum ex suis aulicis mittere, qui me domo
prima. educeret et in aulam cohonestaret, ubi omnibus illis sui affectus
observantiis, quae Sedis Apostolicae Nunciis ab hac aula haberi
solent, et in mea persona, velut nata in hujus serenissimae domus
clientela, majori splendore coruscarunt, meque jam cogunt
perpendere quam sublimi modo favores a Summo Pontifice
collati depressa conditione viros sublevant, et subditi imperfec-
tiones contegere valent.

(229) "Suae Sanctitatis Brevia praesentavi ea suae in hos
Principes tantopere per alia documenta eorum Celsitudinis jam
notae benevolentiae paternae demonstratione, quam meae vocis
imbecillitas satis explicavit. Magnus Dux ante alios vigili suae
Sanctitatis in adjuvandis et protegendis Iberniae Catholicis
sollicitudine plurimum aedificatur, et nisi praesentibus alarum
Europae partium oppressarum necessitatibus praepediretur, ad
conferenda in populum illum aequa subsidia se accommodaret.
Quare non despero futurum ut in progressu diligentiae Suae
Sanctitatis hic Princeps nonnullum suae pietatis specimen
ostendat singulare. Sua Celsitudo ingenuitate propria demon-
stravit se maximi facere ea, quae ipsi (suae Eminentiae nomine)
praesentavi. Et ipse gaudeo quod gratulari possim ut video in
mutuis vestris officiis eam, quae tot annis desiderata fuit, con-
cordiam.

(230) "Ultimo loco impertii benedictionem suae Sanctitatis
verbis serenissimo Principi, qui alitur ea vivacitate et plena
adeo spiritibus incolumitate ut mihi dicere noverit se suae Sancti-
tati pedes humillime osculari. Praestolor in horas Invernitiū,
qui ad me caeteros litterarum fasciculos et expeditiones portet,
et subito sine ulla temporis intercapedine Liburnum proficiscar.
Quo etiam nisi ille infra biduum appulerit progredi gestio, tanto
teneor desiderio (in Eminentiae vestrae mandatis exequendis)
debitam exhibendi promptitudinem, quae non citra rationem
mihi in singulos dies crescit ex nunciis hactenus hac in aula
percrebrescentibus, pacem scilicet illam ignominiosam inter
Regem et Parlamentum Anglicanum haud concludendam. Faxit

sua Divina Majestas ut hoc initium magnanimas Summi Pontificis cogitationes secundet et fundamentum jaciat illius fabricae, quam Sua Sanctitas cum tanta laude supra vestigia Apostolica elevandam procurat. Florentiae 7 Aprilis 1645."

(231) Post hanc epistolam Florentia scriptam Nuntius, sicut superius ipsum proposuisse vides, uno forte, vel altero die interjecto Liburnum, urbem juxta ac portum Tuscorum percelebrem, petiit et Liburno die ejusdem mensis undecima Genuam versus navigavit. | Unde ea Cardinalem Pamphilium litteras 15 ejusdem mensis die Romam direxit. Quibus inter alia vel parum vel nihil huc spectantia significavit mercatores Anglos, praesertim eos qui Parlamento adversus Regem studerent, Liburni, quam urbem gens illa mercandi et navigandi causa catervatim frequentant, diligenti scrutinio et solerti indagine sui ipsius exploratores egisse, *quorum (inquit) malevolentia erit utilis ad cavendum mihi inter solvendum ex Gallia*. Subdit autem se non eo illa intimasse ut Summus Pontifex majorem sui curam haberet in reliqua itineris parte conficienda, de qua utique paterna ejus sollicitudine jam securus esset. Concludit porro eximia animi magnitudine protestans se in Ecclesiae et fidei propagandae negotio adeo sibi esse semper constantem et in propositio inconcussum, ut nec *totum Angliae Regnum haeresi infectum* ab ea se mente dimovere valeret.

843
ex Italico
idio-
grapho
Regesti,
pag. 4.

(232) Habuit ille ad nobilissimam illam Rempublicam Genuensem duo Brevia Apostolica, unum ad Eminentissimum D. Cardinalem Duratium, ejusdem civitatis archiepiscopum, et alterum ad Ducem et Gubernatores Reipublicae Genuensis, bina eo tendentia ut, qua par esset humanitate, exciperetur, et in itinere tam nobili ac difficili peragendo non impediretur modo sed et adjuvaretur. Bina Brevia unum post alterum hic legat posteritas.

INNOCENTIUS PAPA X.

Cardinali Duratio.

"Dilecte fili noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. Haud sane unquam defuturum Catholicae fidei conservandae amplificandae curam nostram ac sollicitudinem testatum luculenter volumus hac praesenti mature concepta deliberatione, qua venerabilem fratrem Joannem Baptistam, archiepis-

copum Firmanum, Praelatum nostrum Domesticum et Assistentem nostrum, ad Catholicos in Iberniae Regno Apostolicum extraordinarium Nuntium allegamus. Is quidem a generis nobilitate, a doctrina rerumque agendarum peritia, multae notus fama virtutis, probatissimus a Nobis est habitus, cui gravissimum opus et Christianae rei maxime salutare tuto ac libenter demandaremus. Istuc, quo ejus ducis itineris ordo tibi, qui in pari pastoralis disciplinae studio versaris, adveniet ille commendatissimus, eumque adeo laetissime excipies, tamque testimonium daturus ingenitae, ac verae in tui similes caritatis. Nos certe de hoc te plurimum commendaturi, Apostolicam nunc Benedictionem tibi peramantes impertimur. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 2 Martii 1645, Pontificatus nostri anno primo.

Gaspar de Simeonibus."

INNOCENTIUS PAPA X.

Duci et Gubernatoribus Reipublicae Genuensis.

(233) "Dilecti filii, nobiles viri, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Comperiet apud nobilitates vestras quod et ipse defert impensum Catholicae religionis amplificandae studium venerabilis frater Joannes Baptista, archiepiscopus Firmanus, Praelatus noster Domesticus et Assistens, quem Extraordinarium Apostolicum Nuntium mittimus in Iberniae Regnum. Instituto itinere isthac progrediens benevole vos ille nostro nomine conveniet, Pontificiam utique testaturus in vestram Rempublicam caritatem, eamque, qua constanter ducimur, suasionem de vestro in hanc Sanctam Sedem perenni cultu ac studio. Cujus ipse sibi per amplum fructum pollicetur, si quid opus a nobilitatibus vestris suo muneri opportunum intelliget. Nos id quidem impendendum ab humanitate vestra confidimus et commendationi nostrae, et viro explorare | apud vos nobilitatis ac virtutis vestrique nominis longe studiosissimo. Apostolicam Benedictionem nobilitatibus vestris ex animo impertimur. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris de 2 Martii 1645, Pontificatus nostri anno primo.

Gaspar de Simeonibus."

(234) Pro quibus humanitatis officiis apud Genuam exceptis fuit ipse in quadam relatione mox Romam transmissa, in qua de

se ipso velut de tertia persona loquitur, delineavit, quam ne intercidat hic ex Italica latinam tradimus.

“Relatio receptionis Domini Nuntii apud Genuenses.

(235) “Ad appulsum Nuntii Iberniae mota fuit Genuae nonnulla quaestio nunquid haec *Nuntiatura* tractanda esset a Republica sicut aliae Regiae, et licet muneris novitas forsan suggeret in contrarium, hoc nihil obstante lata fuit quam primum sententia in favorem. Hanc ob causam sex viri nobiles fuerunt a senatu allegati ad invisendum Nuntium, et ad declarandam ipsis supradictam deliberationem. His legati fuerunt infrascripti :

D. Bartholomeus Passanus. D. Jannetinus Justinianus.

D. Carolus Spinola Faelicis. D. Franciscus Maria Balbus.

D. Nicolaus Ferrettus. D. Lazzarus Spinola quondam Joannis

Dominici, qui urbanitatis muniis apud Nuntium functi sunt Summi Pontificis mentem in Iberniam et ipsum Nuntium magis encomiis efferentes. Ipsis occurrit Nuntius ad calcem primi ordinis cochlidiorum seu scalarum, et usque ad imum est concomitatus.

(236) “Die sequenti assignata hora audientiae Ducis (qui modo est D. Lucas Justinianus) confluerunt in domum, in qua Nuntius diversabatur, trecenti circiter nobiles e civitate et ille hoc comitatu praecedente, processit pedes usque ad Palatium publicum *Rochetto*, *Mantelletto*, et *Mozzetta* indutus, ac transiens magno populi concursu per multas plateas totius urbis frequentissimas.

(237) “Transmissa tota custodia et cancellis, steterunt in magno impluvio dispositi excubiarum milites majoribus sclopiis armati, et Nuntium jam ad primas cochlides ingressum exoneratis bombardis salutarunt, sicut postea ad regressum iterarunt.

(238) “Ad primarum cochlearum radices obviam venerunt, et medianum collocarunt Nuntium quatuor Procuratores cum togis talaribus, et capitibus ad usum ordinis senatoris, eumque cohonestarunt usque ad aulam in qua Dux praestolabatur. Haec aula habet dimidium sui elevatum in altum quatuor gradibus supra alterius dimidii planiciem. Dux per praefatos gradus descensionem fecit obviam Nuntio et adjunctum ad suam sinistram conduxit sub umbella in sedem ex serico villosa ad suam ipsius sinistram, sed uno gradu inferiorem, ipseque in sua sedebat tabella anteposita dalmatico serico rubeo strata totus serico

gausapino rubeo amictus et simili capitio pileatus. Stabant circum in quadro sua quisque sede senatores fere viginti quatuor, vestibus nigris damascenis vel serico villosa juxta suum quisque ordinem induti.

844

(239) "Conversus ad Ducem unaque ad senatores Nuntius legationem exposuit et suae Sanctitatis Breve Duci (qui mox Cancellario tradidit) in manus praesentavit, sermone etiam succincto sed efficaci Summi Pontificis in Iberniae Catholicis sublevandis mentem metamque, et quam idcirco ad suam paternam benevolentiam illi Dominio | significandam arriperet occasionem declaravit, cui officiose admodum et eleganti modo a Duce responsum fuit, et post primas humanitatis demonstrationes intravit in colloquium familiare cum magna semper Nuntii laude et aestimatione.

(240) "Transacto facile horae quadrante in congressione iis perhumaniter salutatis discessit Nuntius, a Duce usque ad aulae portam consociatus. Exindeque ipsissimi quatuor Procuratores se comites praebuerunt usque ad porticum impluvii. Quo iterum transmissa, revocataque bombardica congratulatione, Nuntius comitatum dimisit, in toto hoc congressu Gubernatorum custodia coonestatus. Quatuor autem Procuratores erant qui sequuntur: D. Jacobus Philippus Duratius. D. Negronus de Negro. D. Stephanus de Mari. D. Franciscus Maria Lomellinus.

(241) "Postera die explorato quod Nuntio gratum esset si ipsi in aliquam itineris partem conficiendam de triremi prospiceretur, congregato concilio minori fuit concessa usque ad proximum Galliae portum, ut ex duobus supra centum consiliarios qui interessent nonaginta tres in favorem suffragati sint, et ii quorum nihil interest constanter affirmant perventum fuisse tam in hoc quam in omnibus aliis humanitatis documentis et applausibus ad eos terminos, ad quos perveniatur Genuae cis soliti decoris et urbanitatis latitudinem.

(242) "Postremum prolixo admodum animo monstrati fuerunt Nuntio Sancti Joannis Baptistae cineres, et famosus ex smaragdo catinus.

(243) "Dominus Cardinalis Archiepiscopus recepit Nuntium *in habitu*. Voluit ut indueret se *Mozetta*. Lautissimo exceptit prandio. Conduxit secum in leticis ad multa urbis ornamenta et visitationem retulit. Visitationes privatae fuere et plurimae, inter invisentes erat Hispaniarum legatus, Princeps Dorius."

Hactenus illa relatio.

(244) Quae haec relatio non tam exacte continet hic ex epistola,

tunc ad Cardinalem Pamphilium a Nuntio Italice scripta supplemus :

(245) "Nuntio (inquit) appulso venit absque ulla ipsius instantia ad disceptationem quo nova *Nuntiatura* ritu tractanda foret ab hoc domino, cui solemne est ut subtilem faciat distinctionem inter Regiam et omnem aliam Nuntiaturam. Et licet conceperint forsani multi ingeniosas considerationes ad eam a Regia discernendam, nihilominus multo applausu et maturitate decretum fuit contrarium. Audivit ille hunc successum incredibili animi oblectatione non vana sua ductus ambitione, qui se nihil mereri agnoscebat, sed quod videret elatum approbatione publica magnanimum Summi Pontificis in Iberniam affectum eo experimento ut non demissius quam Regiarum cogitationum mereatur epitheton.

Reg.
pag. 29.

(246) "Mox delegit senatus sex viros nobiles, qui ipsum venerunt visitatum et significatum verbis magnificis sententiam in quam itum esset de ipso tractando velut Nuncio Coronae." Haec ibi, vero paucis interjectis dicit in audientiae Aula non solum Ducem sed et universum senatum sibi modo jam relato obviam processisse. "Et ibi (inquit) vidente et audiente toto senatu exposuit, praesentato diplomate Pontificio, scopum et finem sanctissimum Summi Pontificis in Iberniae incaepo, sicut et fuit responsum a Duce magnis efferente laudibus divinum suae Sanctitatis propositum, quod ille aliis nuntiaturis tanto antecellere declaravit quanto admirandus puritatis Apostolicae titulus certae permisioni politicae praestaret. Quae sententia egressa, et pronuntiata cum tanta efficacia ab ore Principis laici et in Dominio libertatis non adulatricis, digna est quae nudus censeatur faetus clarissimae veritatis." Haec ille, Genuae 21 Aprilis 1645.

844
v

(247) Liburno Nuntius Genuam navigavit non uno tractu sed divertit Viam-Regiam oppidum maritimum interjectum, unde ad R. P. Sfortiam Pallavicinum, Societatis Jesu alumnum, nec tunc S. R. E. Cardinalem, epistolam dedit 12 Aprilis eo tendentem ut liber sane aureus a se paulo ante profectionem vernacula Italarum lingua continens discursus de Ep. . . . absolutus praelo subjiceretur, etc. Quod et postea factum vidimus ad magnam cleri populiue Christiani utilitatem. Ut autem ipse non esset ex eorum numero qui *docent et non faciunt*, scripsit Genua litteras 16 ejusdem Aprilis datas ad Cardinalem Pallottam (quem in sui archiepiscopatus protectorem cooptavit) quibus in gregem suum Firmanum plusquam paternam teneri-

tudinem demonstrat et Cardinalem verbis suavissimis, eloquentissimis, et efficacissimis, genuinum denique praesulem Christianum spirantibus, rogat suam in hoc munere pastoralis absentiam suppleat. Quo etiam spectabant aliae ejusdem litterae postridie ejusdem diei ad Cardinalem *Roma*, sic nuncupatum, indidem directae. Binas etiam ex eadem urbe litteras die ejusdem mensis undevigesima dedit ad Cardinales Caponium et Panzirolum, quibus quod, ex quo ipse ex Urbe discessit, ambos Summus Pontifex Cardinalium Congregationi circa res Ibernicas institutae inseruerit, congratulabatur, rem illam sibi et Iberniae in bonum omen, et faelix fastumque auspiciis interpretatus. Denique et aliam epistolam ad Cardinalem Grimaldum ex eadem urbe mense pariter Aprili die 20 exaravit, qua Genuam contribules praesertim ipsius Cardinalis aliosque ejus necessarios humanitatis in se demonstratae nomine mirifice extollit, quae omnes litterae in Nuntiaturae Regestum sparsim relatae cum summo, quo in Iberniam ferretur, zelo scateant, dignae sunt quae a nobis omni prorsus oblivioni non tradantur, longeque digniores quae characteribus aureis ab aliis ad posteros fusius transmittantur. Sed id, cum nostrum scopum non concernat, aliis tractandum relinquimus.

(248) Nuncius Genuam valere jussit jam dicta illius Reipublicae triremi transvectus ad Galliae portum, vernacule *Cannes* nuncupatum, in Galliae modernae atque Italiae prope colliminio situm, et bidui distantem Massilia. Ad hanc ille urbem ultimam terrestri itinere pertinuit pridie Kalendas Maias, indeque eodem die praeter epistolam ad Cardinalem Pamphilium de suo impulsu in agrum Gallicanum, dedit et alteram ad Cardinalem Costagutum, qua inter alia se ipsum extra suae Italiae clima, mores, linguam, reliquasque assuetudines velut in altero mundo positum stupet, et Gallorum ritus velut longe gentium ab Italicis dissitos eleganter adumbrat.

(249) Massilia Avenionem et Avenione Lugdunum porrexit ubi Archiepiscopum eundemque Cardinalem Lugdunensem in-visit, et juxta ac in mandatis habuit, hoc commendatitium Breve Pontificium porrexit :

INNOCENTIUS PAPA X.

Domino Cardinali de Lugduno.

(250) "Dilecte fili noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. Nos ut venerabilem fratrem Joannem Baptistam,

Archiepiscopum, Nuntium proficiscentem tibi ex animo commendemus, amor facit noster in illum paternus, virtutumque ejus, ac demandati a Nobis muneris amplitudo. Et qui de tua erga Nos voluntate addictissima, nobis nihil non pollicemur, |
eam in Nuntium ipsum iter isthac facientem, perquam benevole 845
constitutam speramus, et nostram utique tuis ornamentis et commodis defuturam nusquam pollicemur, Apostolicam Benedictionem tibi peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 11 Martii 1645, Pontificatus nostri anno primo.

Gaspar de Simeonibus."

(251) Lugduni post hoc diploma traditum biduo a tot laboribus respiravit, cui (sicut ipse postea Cardinali Pamphilio per epistolam intimavit) Cardinalis Lugdunensis, contra ac proposuerat, ne visitationem quidem retulit aliunde forsitan praepeditus. Nuntius 6° Idus Maias Lugduno digressus Parisios undecimo Calendas Junias pertigit, idque magnis itineribus ex quo Genuae salutem ultimam dixit.

(252) Parisiis scripsit litteras Romam ad Cardinalem Pamphilius 26 Maii datas, quibus indicavit se ab Illustrissimo Athenarum archiepiscopo, eodemque Marchione a Balneis Galliarum Nuntio Apostolico, nunc vero S. R. E. Cardinali, (viro in Iberniae Catholicos propensissimo) fuisse exceptum extraordinaria humanitate. Catarro tunc laborasse, a negotiis proinde in Aula Gallicana expediendis praepeditum. Ab Ibernia apud urbem Parisiensem frequentibus Anglis quoque Catholicis et aliis, quos *neutrales* vocat, visitatum eam ex eorum congressione hausisse rerum Ibernicarum notitiam, ut inde colligeret Iberniae negotium involvere magnam misturam spei et difficultatis. Magnae Britanniae Reginam tunc Anglia in Gallia exulem allegasse recens unum quidem ad Summum Pontificem, alterum vero in Iberniam. "Quos," inquit, "multi hic arbitrantur ad meum appulsum antevertendum allegatos, existimantibus forsitan suae Majestatis consiliariis quod sub hac vere Apostolica *Nuntiatura* delitescant artificia, et non solum a suae Sanctitatis mente, sed etiam a negotii ecclesiastici in spirituale populorum beneficium semper et unice tendentis natura prorsus diversae molitiones. Haec diffido quin verbis et factis hanc suspicionem, quantumvis in suae Majestatis et Regis animum invaserit, abolere valeam, cum sit adeo purus *mearum instructionum* titulus, quae his tantum duobus polis subnitantur ut

Regesti,
pag. 35.

scilicet Deo et Principi fides observetur." Haec ibi verbis Italicis, quae totidem Latinis transtulimus. Ibidem (ut verba in pauca conferam) dixit quendam Comitem Anglum mihi Anonymum Rothomago Parisios se venisse visitatum, ac retulisse alium (et hic Glamorganiae Comes erat) ab Angliae Rege in Iberniam fuisse allegatum. *Quod (inquit) si verum debet esse effectus ejusdem considerationis.*

(253) Subjungit autem se timere ne non queat se in Iberniam capessere ante finem ibi Comitiorum Generalium, atque ea propter deliberare de praemittendo in Iberniam aliquo, qui se Parisios accessisse, et propediem transfretaturum referret, nequid a Catholicis in dictis Comitibus contra ac Summus Pontifex vellet.

(254) Iisdem diebus scripsit Parisios ex Flandria ad Galliae Nuntium Internuntius Belgii tota vicinia late vagari quomodo archiepiscopus Firmanus in Iberniae Nuntium salutatus tunc Parisiis haereret, et Iberniam propediem agitare, cum tamen ea esset adversariorum crudelitas et nocendi potestas ut ea potius provincia quam secretissime esset capessenda. Qua fraterna monitione cognita Iberniae Nuntius ad Belgii Internuntium Lutetia Parisiorum litteras pridie | Kalendas Junias dedit et gratias egit immortales, rogavitque ut se sui imposterum moneret si quid occurreret. "*Porro Summus Pontifex (inquit) et curia hoc totum ante praesagierant quam ego me in iter dedissem. Sed etiam considerarunt cum esset destinandus homo in sublimi gradu constitutus futurum impossibile ut res clam mundo gereretur saltem usque ad urbem Parisiensem, ubi suae Sanctitatis mandato incumbit mihi onus procurandi omnem illam, quae provideri potest, navigandi securitatem, deindeque ea quae probum ecclesiasticum decet libertate, relinquendi nonnullam partem Deo, Catholicorum Ibernorum Promotori et Protectori, et qui suae Sanctitati Praelati ad ipsos legandi consilium inspiravit.*" Haec ex illa epistola Italice exarata.

(255) Multa habuit Iberniae Nuntius agenda cum Rege Christianissimo, Regina, aliisque ibi Principibus quos ordine quemque suo convenisset, sed superveniente aegritudine, et Rege Reginaque ob ingruentem rerum aliunde expediendarum multitudinem ac magnitudinem aliquot dies sui potestatem facere differentibus, ille nonnullas interea ab adversa valetudine nactus inducias cognito quod Regis Patruus, Dux Aurelianensis, ad bellum Belgicum se accingeret obtinendam curavit a Rege tunc infante et Regina Matre tunc Regente veniam conveniendi

(inverso licet ordine) Aurelianensem antequam se in Flandriam recepisset. Quem proinde concomitante Galliarum Nuntio invisit eique sequens Summi Pontificis Breve praesentavit :

INNOCENTIUS PAPA X.

Duci Aurelianensi.

(256) "Dilectissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. Eximia tuae erga Nos et Apostolicam Sedem religiosae voluntatis propensio ea est quae Nobis pervasit ut venerabilem fratrem Joannem Baptistam, Archiepiscopum Firmanum, Praelatum Domesticum nostrum et assistentem, extraordinarium Apostolicum Nuntium in Iberniae Regnum isthac proficiscentem, suo tecum de munere voluerimus communicare, tuae implorare opem autoritatis, tuorum copiam conciliorum a te quam instructissimum discedere. Nec dubitamus quin haec sis cumulate nostra causa praestiturus atque hujus demerendi Praesulis gratia cujus Nos a prudentia claroque adjuncta generi probitate nostro ex voto cuncta Deo bene juvante expectamus. Tibi proinde benevolentiam perennem pollicentes Apostolicam nostram Benedictionem libentissime impertimur. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris Pontificatus nostri anno primo.

Breve
Duci
Aurelian-
ensi.

Gaspar de Simeonibus."

(257) Una cum hoc Breve tradita fuit Aurelianensi epistola a Cardinale Pamphilio Italice scripta eodem spectans et praeterea Cardinalis in Ducem observantiam profitens, quae cum nihil ulterius continuerit hic declinandae prolixitatis studio omittitur. Scripsit autem Nuntius Romam ad eundem Cardinalem 4^o Nonas Junias Aurelianensem in Iberniae Catholicos haud mediocrem animi propensionem prae se tulisse, et Summi Pontificis, quod ipsis dexteram tam paterne porrexerit, zelum magnis laudibus extulisse.

(258) Pauculis deinde diebus interjectis, 8^o scilicet Junii, Nuntius jam catarrho et in quam catarrhus descivit febre liberatus, ad Regis Ludovici decimi quarti, cognomento a *Deo dati*, et matris ejus, Annae scilicet Austriacae Reginae, Regentes, unaque Ducis Andegavensis, Regis infantis fratris unici, audientiam admissus, hoc Breve Apostolicum Regi porrexerat.

INNOCENTIUS PAPA X.

Francorum Regi Christianissimo.

846
 Fran-
 corum
 Regi
 Christian-
 issimo.

(259) "Carissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. Ab exortu nostri Pontificatus primo cum Nobis constitutum fuisset aliquem habere quem nostrum ad Catholicos in Iberniae Regnum extraordinarium Nuntium mitteremus, promptiorem comperimus neminem venerabili fratre Joanne Baptista, Archiepiscopo Firmano, Praelato nostro Domestico et Assistente, qui cogitationes in id nostras visus est non probare modo sed accendere, ac proinde labores atque operam consilio adjungens longinquum hoc suscepit iter, ipso a Nobis munere decoratus; et quidem per Gallias alacriter progressurus, quod majestatem tuam adeundi eique observantiam a majoribus suis acceptam testatam faciendi percupidus sit. Nos autem haud sine peculiari Dei dirigentis omnia nutu factum interpretamur ut juvet illum opportunitas, verbis nostris Majestatem tuam impensa postulatione adhortandi, quo ejus itineri atque ei universo de mandato religionis negotio provehendo auctoritatem nomen opemque tuam omnem accommodes, pateatque Nuntium Pontificium nihil impetrare non posse abs te sublimis, genere sequae indolis Rege Christianissimo; magna praesertim in causa fidei defendendae, pro qua Catholici jure putent omnes commendationem hanc nostram plurimum habiturum pondus apud Majestatem tuam. Cui faustos annos a Domino precamur et Apostolice ac paterne benedicimus. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 2 Martii 1645, Pontificatus nostri anno primo. Gaspar de Simeonibus."

(260) Reginae autem hoc alterum diploma porrectum invenio:

INNOCENTIUS PAPA X.

Francorum Reginae Christianissimae Regenti Viduae.

Fran-
 corum
 Reginae
 Christian-
 issimae
 Regenti
 Viduae.

"Carissima in Christo filia nostra, salutem et Apostolicam Benedictionem. Perspecta jam pridem Nobis est Majestatis tuae in Apostolicam Sedem observantia et praeclara voluntas Catholicae fidei quam latissime propagandae. Haec enim ab utriusque gentis tuae majoribus exempla accepisti. Quemadmodum autem id hoc tempore testatum facere possis, nostris Tibi verbis explicabit venerabilis frater Joannes Baptista, Archiepiscopus

Firmanus, Praelatus domesticus noster, et Assistens, qui per Galliam iter habet ad Catholicos in Iberniae regno, ibi ut extraordinarius Apostolicus Nuntius ea quae ad religionem pertinent administret quam maxima cura. Et qualem praestantissima animi tui religio ac summae tam longe diffusa potentiae amplitudo jure prope suo expetere videtur ea quae Nuntii Nostri dignitati, ejusque itineri reliquo usui futura sunt, hoc est patrocinium, autoritatem, opemque Regiam.

(261) "Sane illi virtutum merita, nobilitas generis, in primis vero cultus, et vetus familiae observantia in Regiam Gallici sceptri magnitudinem suffragantur, tametsi nostra non accederet commendatio. Quam uti Nobis praetermittere non licuit, ita eam utilem facere in Te est, Christianissima Regina : cui Apostolicam Benedictionem amplissime elargimur. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 2 Martii 1645, Pontificatus nostri anno primo.

Gaspar de Simeonibus."

(262) His duobus diplomatibus Pontificiis annexae erant binae litterae Italicae ad Regem et Reginam scriptae a Cardinale Pamphilio quae in eundem scopum collineabant, nec aliud addebant, nisi quod Cardinalis suum utrique Principum obsequium verbis, cultu et observantia plenissimis profitebatur. Illis ergo litteris hic inserendis supersedeo. |

(263) Significavit autem Nuntius die postera Cardinali Pamphilio se ad illam audientiam fuisse admissum, et adjunctam invenio litteris tunc Romam ad eum missis relationem eorum quae ad rem illam pertinerent. Operae pretium ergo fuerit relationem illam hic ex Italica latinae fidei restituere : eam sic habe.

846
v

(264) "Regina Regens Illustrissimo Domino Archiepiscopo Firmano, Iberniae Nuntio Extraordinario, horam, quae juxta ritum Italicum undevigesima fuit, assignaverat. Domo ergo discessit comitante Galliarum Nuntio ordinario et quem Regina misit introductore (sic illos heroes, qui primores ad audientiam introducunt, vocitatur) cum bono comitatu curruum et eorum omnium, qui ex natione Ibernica Lutetiae Parisiorum se tenerent, inter quos erant tres Episcopi. Cum ad Regiam pervenissent induerunt se Nuncii habitu *Rochetti*, *Mantelletti* et *Mozellae* et comitatu praecedente, asseclis quoque praetextatis vestem colligentibus et Iberniae Nuntio ad dexteram eunte scalas ascenderunt. Regina frequenti dominarum corona st'pante, in

Relatio
Audien-
tiae
Nuntii
apud
aulam
Galli-
canam.

secundo ab aula maiore cubiculo praestolabatur sedens mediana inter filios Regem et Ducem Andegavensem. Nunciis ingressis assurrexit, illis ipsam ter venerabundis semel ad portae ingressum, iterum in medio accessu et tertio cum iam cominus astarent.

(265) "Regina confestim dixit Regi ut surgeret, et galero caput nudaret, quod et praestitit, et iussit id efficeret ut Praelati se cooperirent, quod postea ipsamet fecit dicens Iberniae Nuntio se contereret. Praesentavit Nuntius Summi Pontificis Brevia primum Regi, Reginae secundum, et actis gratiis factoque responso ab ipsa Regina eodem ordine Domini Cardinalis Pamphili litteras tradidit. Regina, quae interea neutiquam sedit, aliquandiu locuta est et multa cum laude incepti Iberniae, et de sua, qua in bonos illos Catholicos duceretur, inclinatione. Deindeque ad D. Rinuccinum appropinquans cum ipso ad longum super aliis negotiis contulit. Post quae, ubi ambo Nuntii recedendum iudicarunt iteratis in Regem urbanitatis et obsequii muniis, et prehensa ab Illustrissimo Domino Rinuccino atque osculata Ducis Andegavensis manu, Regina id sibi acceptum demonstravit, causata, quod cum ille esset infans non aliud comitatis specimen exhibere posset quam iis qui osculari vellent manum porrigere.

(266) "Tempore audientiae cubiculum hominibus refertum erat opusque fuit ut praesidarii milites inter eundum et redeundum viam aperirent. Nec silentio praetereundum est Regem ut Breve et Epistolam manu accepit, ea mox dedisse a secretis status ibi praesenti, et (quia pauculum distabat) ea ipsi eminus in manum gratiose projecisse. Eodem plane modo visitatus fuit Dux Aurelianensis. Neque enim hic Princeps secus in re ulla quam Rex tractatur, neque nisi ubi habitat in Palatio Lucemburgensi, visitationem admisit. Huic Principi Regiae Celsitudinis titulus defertur." Haec ibi.

(267) His addo ex litteris ab ipso Nuntio ad Cardinalem Pamphilium postridie scriptis, Nuntium ipsissimis fuisse tunc a Rege et Regina honoribus exceptum, qui Nuntio ordinario deferri solent. Ibidem quoque refert Reginam in Iberniae Catholicos magnam ostendisse clementiam et benevolentiam et semotis arbitris sibi super ea re haud pauca aperuisse. *Quae* (inquit) *Eminentia vestra ex notis privatis huic Epistolae allegatis intellexerit.* Haec ipse sed Italice. Verum hae notae vel intercederunt vel certe in meas manus nondum inciderunt. *

(268) Jam ad Principem Condaeum transeamus, quem Nuntius postridie quam Regem convenerit invisit. Ille ad Nuntium ubi

diversaretur praemisit medicum, qui ejus verbis | rogavit 847
 haberet excusatum Principem quod podagra detentus scalarum
 descensionem pedibus facere et (ut deceret) occurrere nequiret.
 Eum ergo in cubiculo recepit. Potiorem cessit locum, sedere
 fecit et Illustrissimum semper nominabat. Cui Nuntius Breve
 Apostolicum cum annexa Cardinalis Pamphili epistola Italica
 praesentavit. Epistola pene ad ipsum quod diploma, sed aliis
 verbis et lingua repetebat; quare solum Breve hic scribendum
 duximus.

INNOCENTIUS PAPA X.

Principi Condaeo.

(269) "Dilecte fili, Nobilis vir, salutem et Apostolicam Bene-
 dictionem. Nobilitatis suae pietas, quae diu pro Catholica Principi
Condaeo.
 Religione sollicitudines ac labores sponte subiit, idem ut ea
 observantia ac studio quo Apostolicam Sedem Nosque pro-
 sequitur magno cum laudis incremento praestet, vehementer
 optamus, in iis quae nostro ad Catholicos in Iberniae Regnum
 proficiscenti Ven: fratri Joanni Baptistae, Archiepiscopo
 Firmano, Praelato ex domesticis, et assistantibus nostris,
 opportuna existimaverit; viro praeter doctrinam et mores
 integerrimos, patriae et generis nobilitate commendato. Multum
 profecto de auctoritate, multum de prudentia ac religiosa
 nobilitatis tuae voluntate ad praesentis causae commodum et
 faelicitatem sperare Nos, idem ipse explicabit, cui fidem habere
 et pro viribus adesse tuae nimirum virtutis fuerit quem paterna
 Apostolica Benedictione largissime muneramur. Datum Romae
 apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 2 Martii 1645 Pontifi-
 catus nostri anno primo.

Gaspar de Simeonibus."

(270) Magna confidentia et multis egit Princeps cum Nuntio
 sed solo, et secretissime de rebus Gallicanis, rogavitque ut Summo
 Pontifici et Cardinali Pamphilio easdem suggestiones per litteras
 communicaret. Quod et factum, sicut suo loco inferius recita-
 bimus. Caeterum Princeps sex diebus interjectis Nuntium 16
 Junii revisit. Eum Nuntius ad scalarum radices recepit Roch-
 etto detecto amictus, assecla honorario vestem cogente, eodem
 etiam ritu antea inter invisendum Principem usus. Princeps
 obsequium humanissime potestatus, quas antea in sui, easdem

et tunc in sua visitatione rationes politicas, quibus Galliae in Summum Pontificem rancorem sospiret, pressit et impressit, sicut inferius recensebimus.

(271) Jam tempus est ad Cardinalem Mazarinum divertat narratio. Is in *habitu* cum *Rochetto* Nuntium recepit *Mantelletto et Mozetta* indutum, assecla praetextato defluentem vestem constringente usque ad Cardinalis praesentiam. Cui Nuntius hoc Breve porrexit :

INNOCENTIUS PAPA X.

Cardinali Mazarino.

Card.
Mazarino.

847
v

(272) "Dilecte Fili noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. Has a Nobis tibi litteras reddet Pontificiae afferentes documenta benevolentiae, venerabilis Frater Joannes Baptista, Archiepiscopus Firmanus, Praelatus noster domesticus et assistens, extraordinarius Apostolicus Nuntius ad Catholicos in Iberniae Regnum allegatus. Neque hic de re ipsa aut de multiplici ejusdem Nuntii merito docendus es. Quorum alterum ab ejus velut nostro loquentis ore, ac pro tua ipsius prudentia percipies. De altero Italicarum rerum usus, hominumque in ea praestantium notitia te jam plene doctum effecerit. Supervacanea itidem tuae | pietati acciderit in Nuntium ipsum eique demandatum opus, opis, ac praesidiis abs te postulatio ; quem praecipuo quodam ingenio ac jure id delectat munus de tuae nationis ac sacri ordinis hominibus ampliter merendi, quique tam multa dederit argumenta probandi te Nobis obsequentissimum filium et in iis quae Catholicae sunt fidei curam istic maximam ac sollicitudinem geras. Quae sane rationes simul comprehensae omnes, te teipso adhortante admonebunt, atque efficient praestare ut velis in tam religiosa Dei causa supra quam suadendus esses. Potes enim et a te ipse plurimum, et ab utriusque Regiae Majestatis nomine augere officium tuum maximam consequi laudem, Nobisque atque Apostolicae Sedi gratissimum facere, sed in rem quae esse videbuntur ipse Nuntiusque videbitis. Cui et fidem adhibebis de Nostra potissimum in te benevola paternaque voluntate, qua tibi Apostolicam Benedictionem amantissime impertimur. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 25 Martii 1645 Pontificatus nostri anno primo.

Gaspar de Simeonibus."

(273) Huic diplomati annexam scio epistolam Italicam ad eundem Cardinalem a Cardinale Pamphilio sed pene id ipsum continet, ideoque sciens prudensque missam facio. Haec porro visitatio diutissime duravit et Nuntium recedentem comitatus est Cardinalis duos cochlidii gradus quem et postea revisit, de qua re ipse Cardinalem Pamphilium docuit per Epistolam Italicam pridie nonas sextiles datam, cujus frustum latine perlegas. "Die (inquit) veneris praeterita complacuit Domino Cardinali Mazarino me apud me visitare. De quo favore aequum duxi mentionem facere Eminentiae vestrae quod is usque modo etiam in hoc supra quam Nuntius ordinarius fuerit tractatus, mecum egit. Erant in ejus comitatu quaterni Franciae Marescalli et currus comitantium quini. Visitatio haud adeo prolixa fuit ne, qui expectabant proceribus illis aegre esset sed iisque conferenda habui satis superque fuit ad quam a biduo admissus sum audientia, cujus notatu digna summa capita Eminentiae vestrae seorsim scripsi." Haec ipse ibi.

Regesti,
pag. 100.

(274) Et hos quidem quos hactenus dixi Nuntius visitavit primus, alii vero primi ipsum inviserunt, nempe ad Regem Christianissimum reipublicae Venetae et Ducis Sabaudiae legati, juxta ac Serenissimi Magni Ducis Etruriae et Celsissimi Ducis Mantuae oratores residentes, complures Episcopi atque alii, quorum ille nisi ritu qui Nuntio ordinario peculiaris est recepit neminem, hosque deinde ordine quemque suo revisit.

(275) Sed hae visitationes non nisi quaedam erant eorum quae ulterius gerenda essent rudimenta idque utrinque. Nam et Nuntius, ut res maximas in Aula Gallicana expediret, ab Innocentio Pontifice in mandatis habuit. Aliundeque Regina Regens, Cardinalis Mazarinus, et Princeps Condaeus, maximam tanto viro a Summo Pontifice delegatam auctoritatem sagacius odorati, ejusque eximias animi dotes, et ad res quantumlibet arduas extricandas habilitatem compertam habentes, ipso ad suos bonos fines et ad Summum Pontificem Gallo renitente recens creatum sibi ipsis consiliandum uti decreverunt. Itaque Deo specialiter providente ab ambabus partibus velut in arbitrium electus, ita in hoc caste se gessit ut licet toti malo remedium adhibere nequiverit, multum tamen id imminuerit, totique Dei Ecclesiae, praesertim Gallicanae, haud mediocriter profuerit, idque etiam eo ut Catholicorum Iberniae causam melius promoveret, sed rem altius rimari non gravemur. |

(276) Innocentius X. tunc Christi in terris Vicarius recens salutatus, ab ipsa sui in Pontificem inauguratione nonnullam

cum Gallo diffidentiae occasionem habuit. Hispano siquidem ejus electioni studente Gallus eidem intercedere conatus est. Hinc ad Innocentium, jam Pontificem pronuntiatum, Gallus Legatum non misit, nec Innocentius novum Nuntium ad Gallum allegavit, nec ab Urbano decessore missum, in suum declaravit. Quae diffidentia indies increvit. Ex quo Innocentius quendam Gallum, qui mortis Cardinali Mazarino intentatae reus habebatur, non Gallo tradendum sed in S. Angeli castrum conjiciendum curavit. Porro uterque et Pontifex et Gallus crimine se vacuum arbitrabatur. Gallus etiam Pontificem aequo propensiore in Hispanum suspicabatur, quod eo molestius ferret quo tunc ardentioribus bellis vicissim illatis bina regna deflagrant.

(277) Nec deerant in Gallia circumstantiae a quibus summa ingenia judicarent metuendum ne tenui ab initio parvaque scintilla novis indies aucta fomitibus demum in maximum dissidii rogam restinctu difficillimum evaderet. Hinc Pontifex Archiepiscopo Firmano Iberniae Nuntio in mandatis imo in monitis secretis (sicut superius videris) dedit ut iter in Iberniam per agrum Gallicanum teneret, et Regi, Reginaeque Regenti paternam suam uti communis Patris et Pastoris benevolentiam testatam faceret, ac tota opera nervis denique omnibus in id incumberet, ut dum Parisiis res Ibernicas procuraret, illam una simultatem ante praefocaret, quam in majorem ea flammam excresceret. Id enim ipsum et Iberniae summopere profuturum judicavit, quod secus Gallus et Pontificem, et Nuntium ab eo in Iberniam missum, et Iberos ad quos missus, et a quibus admissus esset, totos Hispano studere non dubitasset, continuoque si non aperto Marte certe arte et cuniculis tanquam hostes oppugnasset.

(278) Itaque duos video fuisse hujus negotii peragendi cardines. Quorum primus is fuit quod Summus Pontifex ipsis suis monitis privatis Nuntio circa res Ibernicas traditis, et superius in linguam latinam translatis, praescripserit ut is in aula Gallicana iniquam hanc a se suspicionem amoliretur, et deinde in Ibernia constitutus datam hac in re Parisiis fidem suam liberaret, praestaretque. Secundus erat ut Reginam Christianissimam et Ministros regios ad omnem cum Pontifice concordiam revocare satageret. In quem finem Pontifex Rosam Auream in Capella publica ritu solemni et assistente Cardinalium corona benedictam Iberniae Nuntio jam ex Urbe profecto transmisit Reginae cum Brevi Pontificio (quod hic subjungo) Romae 3^o calendae Apriles dato in Paternae benevolentiae specimen praesentandam.

INNOCENTIUS PAPA X.

Francorum Reginae Christianissimae Regenti Viduae.

(279) "Carissima in Christo filia nostra, salutem et Apostolicam Benedictionem. Regiarum decor virtutum quas in florentissimo Majestatis tuae animo perenni cultu vernantes miratur terrarum orbis non eas sibi Rosas adsciscit, quibus jamiam languentibus coronari aliquando aversi a pietate animi optavere; sed quas perpetuo virentes Divinus afflat e caelo spiritus, et halantes Deo, superna lux educat in collibus aeternitatis. Harum Nos ad te exemplum transmittimus Auream Rosam Apostolica benedictione rite satam in ecclesiae agro, et caelestis indulgentiae donis, haud sane caducis, decoratam. Aderit illa Majestati tuae Pontificiae caritatis argumentum, nec ejus minus, quae in te viget religionis cultus, cujus late fragrantis ardore aeternum delectatur Deus. Gallicis eadem adjuncta Liliis, Christianissimae Tuae sobolis referet imaginem, cujus est ornatus et decor hausta ex Dei verbis perennitate ac laude, quasi flos Rosarum in diebus vernis et quasi lilia, quae sunt in transitu aquaë. Illam porro ac Majestatem tuam Apostolica Benedictione cumulatissime muneramur. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 30 Martii 1645 Pontificatus nostri anno primo.

Sapient.
2. 8.Eccli.
50. 8.

Gaspar de Simeonibus."

(280) Eo etiam spectant Cardinalis Pamphili ad Iberniae Nuntium litterae, quas hic in posteritatis gratia latine loquimur.

"Admodum Ill. et Reverendissime Domine uti frater. Sua Sanctitas ad Reginae Christianissimae Majestatem mittit Rosam ex auro compactam cum Brevis, quod hic annexum Dominatio vestra a Domino Carolo Francisco Invernitis recipiet. Sua enim Sanctitas expedire judicavit ut ea suae Majestati Dominationis vestrae interventu praesententur. Summus Pontifex quam de Dominationis vestrae meritis et raris animi dotibus concipit opinione inducitur ad sibi persuadendum fore ut Dominatio vestra proprio decoro, et praesentandi modo adaugeat suae Majestati consolationem, et suis officiis pretiosum reddat documentum quae suae Majestati sua Sanctitas effectum demonstrat, cujus, cum sit impar hoc experimentum cupit sanctissimus Dominus ut saltem sufficiat suae Majestati in incitamentum quo inducatur

848 ad proponendam ipsi viam, qua majoribus imposterum operam
v argumentis | de eodem affectu certior reddatur. Roma 6 Aprilis
1645.

Dominationis vestrae velut frater benevolentissimus,
Camillus Cardinalis Pamphilius."

(281) Nuntius ergo et monitis secretis et autoritate fuit instructus ad eam controversiam, quae Gallo adversus Pontificem intercessit, componendam, eodem quo magnam partem tendebant diplomata Pontificia et annexae Cardinalis Pamphilli litterae ad Regem Christianissimum Reginam, Ducem Aurelianensem, Cardinalem Mazarinum, et Principem Condaeum superius relatae. Id verum est ipsi fuisse praescriptum ne Rosam auream nec Rosae adjunctum Breve Pontificium Reginae offerret, nisi prius animis Aulae pertentatis, prudenter speraret futurum ut rata grataque haberentur, neque enim contemptum Summus Pontifex sed concordiam anhelabat.

Nuntius autem Parisios appulsum necdum anterioribus itinerum sudoribus saltem fatigatione plene liberatum convenit a Regina Regente allegatus Comes de Brion, Regi a Secretis, et Regis Reginaeque verbis querelam adversus Pontificem movit vehementissimam. Interjectis deinde paucis diebus cum ipse Nuntius Regem Reginamque visitaret, ipsi Regina semotis arbitris, totam rei seriem exposuit et injurias, quas Galliae a Pontifice factas praetenderet, non retulit modo sed et supra muliebrem captum et eloquentiam aggravavit ac sub finem rogavit, ut omnia a se impropere velut quae Galliae summopere interessent Summo Pontifici significaret. Cardinalis quoque Mazarinus, status Galliae tunc minister, cum a Nuncio ipsa prima vice visitaretur, eandem querelam longe lateque instauravit, ac Princeps Condaeus in sui visitatione hanc causam apud Nuntium egit iis rationum momentis, quae ad ipsius postulationem Nuntius seorsim in relatione digessit et epistolae Parisiis Romam ad Cardinalem Pamphilius 5^o Idus Junias datae adjunxit, quam tanti Principis in Ecclesiam ac Sedem Apostolicam zelo refertam hic ex Italica Latinam facimus.

*Sermo quem D. Princeps Condaeus
cum Archiepiscopo Firmano habuit.*

(282) "Sua Celsitudo mihi seorsim posito aperuit cum omni familiaritate et sinceritate se mihi rerum Franciscarum statum velle ob oculos ponere, ut eum ego Eminentiae vestrae scriberem eo fine, quem inferius videbit.

[Regesti.
pag. 45.
9. Junii
1645.

“Exorsus est mihi describens auctoritatem eminentem qua D. Cardinalis Mazarinus in regno pollet, qui (sicut ille dixit) in Reginae voluntatem dominatur, et cum quo ob multas mihi a sua Celsitudine ad longum recitatas rationes necesse est concordent tam D. Dux Aurelianensis quam ipsemet princeps, et per consequentiam totum consilium Regium. Ex hoc arguebat esse maximopere necessarium ut Summus Pontifex et Eminentia vestra ad absolutam sibi in Galliam comparandam potestatem satagant eidem D. Cardinali satisfacere cum illis, quem ipsum quadrare satis superque credant, benevolentiae documentis. Hoc enim peracto ipsis nihil aliud ob plenam rerum ecclesiasticarum directionem superesset procurandum.

(283) “Ad quam ultimam clausulam cum vehementia extraordinaria suam magnam Sedis Apostolicae observantiam et peculiarem constantemque in rebus ecclesiasticis propugnandis inclinationem exaggeravit, glorians quod esset nedum verus Catholicus sed amplius etiam *Papista*. Quo secundo vocabulo se dixit exprimere specialem venerationem in Papam et Sanctam Sedem, sed et in omnes etiam quae a supremo isto et infallibili Tribunali emanant decisiones. Unde conclusit quod hoc voto ad quod tot jam nominibus obstrictus esset in securitatis basim strato universum consilium a S. Sanctitatis nutibus penderet, modo Cardinalis voluntas in partes esset allecta. | Adjunxit quod nisi ad hanc concordiam eorundem via muniretur, sua Celsitudo haud polliceretur Sanctam Ecclesiam enorme aliquod malum non passuram ab impetuosis cerebris Gallicanis, praesertim inter praesentem occasionem synodi episcoporum, inter quos dixit phantasticos esse capitones, nominans in particulari Archiepiscopum Burdegallensem et Archiepiscopum Senonensem, cum aliquot aliis, qui si laxis habenis sibi permetterentur aut instigarentur, sua Celsitudo non admiraretur quod darent se praecipites in deplorandam aliquam separationem vel in alios excessus, in quos ab ambitione protruderentur.

(284) “Et subjunxit quod hoc casu non existimaret se solum posse sufficere ad sistendum in consilio torrentem hujus confusionis, etiamsi suus in istam Sanctam Sedem zelus et constantia nullo prorsus evento perturbentur. Hoc totum corroboravit ostendens sibi persuasum esse hoc bonum nullo prorsus negotio posse obtineri. Ad satisfactionem enim Cardinali dandam quod attinet, monstravit credere se Summi Pontificis prudentiam et bonitatem posse ejus rei exequendae ita excogitare modum et rationem, ut in decorum non peccaret. Et dixit ex altera parte sibi non minus aequam videri quam concessu facilem hanc Galliae

postulationem ; qua utique nemo auderet praetendere ne sua Sanctitas quos vellet omnes in Hispaniam conferret favores, sed solum ut instar patris communis suam quoque eorundem partem in Galliam distribueret.

(285) " Et sermonem nominatim in Eminentiam vestram convertens absolvit mihi dicens quod Eminentiae vestrae etiam aetati viridi optaret stabilimentum amoris hujus regni in vestram ipsius gloriam et excellentissimae domus honorem. Et quia a colloqui primordiis mihi dixit velle se ex animo solum cum solo communicare, cum ipse videretur Illustrissimum D. Nuntium, quod plenam sui officii confirmationem nondum accepisset, velut suspensam habere auctoritatem, me precatus est negotium vellem repraesentare ut hic sit Nuntius plene declaratus, quo quisque citra reservationem sua ipsi sensa libere aperiat.

(286) " Ad postremum voluit sibi promitterem scribere totum suae Sanctitati et Eminentiae vestrae. Ego ob multas rationes ejus vota exequenda capessivi, nedum praeter obligationem, qua ex collata in me ministri Ecclesiastici provincia ad id teneor, sed etiam quod in eadem re postulanda cum unanimem undique animorum conspiracy viderim senserimque, possit (quod credo) hic intro esse signum Divinae voluntatis, cui non solum referendi fidelitate, sed etiam (si secus nihil praestem) precibus et votis cooperari teneor. Deum igitur oro ut in hoc ad orbis Christiani bonum tantopere conducente negotio ea Summo Pontifici inspiret consilia, quae a sancta suae Sanctitatis mente et a gratia assistente, qua caelitus infusa continuo gaudet, expectentur. Et Eminentiam vestram humillime reveor. Parisiis 9 Junii 1645."

(287) Et haec quidem sunt quae Princeps Nuntio ipsum visitanti suggessit. Postea vero, cum ipse quamlibet podagra fractus Nuntium visitaret, eandem rem pressius et per alias vias inculcavit. Super qua re Nuntii epistolam ad Cardinalem Pamphilium Latine tibi impertimur ex Italica, quae jacet Regest. pag : 53, sic se habet :

(288) " Videor mihi obligari ad Eminentiae vestrae subjungendum quod ex quo litteras expediti mihi prolixè communicavit hodie me sua visitatione dignatus D. Princeps Condaeus. |

(289) " Sua Celsitudo, tanto ardore quanto hebdomada superiore Eminentiae vestrae significaveram, replicuit se judicare necessarium ad Sanctae Ecclesiae bonum ut sua Sanctitas

Cardinali Mazarino favendi propensionem ostendat singularem. Multis etiam et efficacibus rationibus aggressus est mihi demonstrare, quod suae Eminentiae autoritas hodie est inconcussa in Gallia contra ac favoribus exorbitantibus contingere solet, et secus ac (sicut sua Celsitudo dicit) Hispani forsani sibi persuadent. Sanctae ergo Sedis cum primo ministro unanimitate et concordia in fundamentum jacta (quam semper iterabat Princeps non praetendi Hispaniae nec favoribus, quos sua Sanctitas ipsi decerneret vel minimo nocituram) continuo sua Celsitudo et pollicita est futurum ut hac gubernationis pupillaris tempestate in Sedis Apostolicae beneficium fructus maximi, et inauditum forsani in hac patria spiritualis jurisdictionis incrementum exinde sequeretur, et in exemplum adduxit Concilii Tridentini receptionem, exemptorum (qui in confusiones irremediabiles jam lapsi) aliis imitandam reformationem et talem haereticorum deliberationem, ut posthac vix caput tollere et Regnum plus inficere valeant. Ad promovendum autem et prosequendum hoc inceptum sua Celsitudo suum in Consilio Regio, et ubicunque opus fuerit efficacem et inviolabilem offert zelum, de quo in amplificandis rebus ecclesiasticis collocato (sicut aliis jam litteris indicavi) quam de sanguine Regio et aliis familiae splendoribus plus gloriatur.

(290) "Haec in summa sunt D. Principi incitamenta tanto in suam Sanctitatem et Eminentiam vestram affectu explicita ut non minus ob privatas quam publicas rationes magni aestimari mereantur. Et ea ego libens manifesto, cum in hoc colloquio tantum agatur de iis a Sanctissimo obtinendis quae sua Sanctitas jam apud se statuit exequenda, ut scilicet omnibus patrem et protectorem se exhibeat. Ex altera parte video quod non solum esset Pontificatus gloria incomparabilis, si vel una ex rebus jam dictis obtineretur, sed etiam quod, licet earum aliqua non impetraretur, eadem esset gloria ob rem aggressam honestis illis mediis, quae suae Sanctitatis prudentia nunquam non supeditabit. Quare totum sisto ad sanctissimos Summi Pontificis pedes, et Eminentiae vestrae repraesento, quam postremo humillime saluto. Parisiis 16 Junii 1645."

(291) Idem Dominus Nuntius 3^o Calendas quintiles super hac re prolixam ad Magnum Etruriae Ducem dedit epistolam Italicam, quae continetur Regesti pag. 57, qua scribit illam simultatem inter Pontificem et Galliam ab ipsa Innocentii decimi in Pontificem maximum electione exordium sumpsisse, deindeque

850 increvisse ob praefatum virum nobilem non Gallo ut capite plecteretur traditum, sed contrusum Romae a Pontifice in Sancti Angeli castrum. Secum ab ipso suo appulsu ordine et modo jam a nobis recensito egisse super hac causa Comitem de Brion, et postea Reginam, Principem Condaeum, Cardinalem Mazarinum, quibus cordi esset. Galliam Pontifex non exasperaret, sed communis Patris effectum lucraretur, ne discordia funestum olim sortiretur exitum. Reginam, et Consilium Regium non postulasse Pontifex in Hispaniam paternae haud propenderet, sed eandem quoque paternam benevolentiam Gallia participaret, eosdemque addidisse ipsos Hispanos, quo orbis Christiani bono melius consuleretur, fuisse obstricta ad concordiam inter Pontificem et Gallos desiderandam, sed et (in exemplum omnibus Principibus commune) ab ipso rege Hispaniae procurandum ut praefatus incarceratus Gallo iudicandus traderetur, quo in casibus atrocissimis, et rebus quae principatus concernunt Coronae omnes redderentur certae a nemine sibi viam iustitiae intercludendam. Subdit quoque ibidem Nuntius Reginam a suis in urbe et Nuntium Galliarum indidem accepisse, Pontificem noluisse tradere illum | incarceratum, quod id esset idem ac si juri communi resisteret, et quod nullum similis restitutionis adduci posset exemplum. Adjungit autem eas rationes in Aula Gallicana fuisse rejectas et Galliam in puncto juris existimasse se omni ratione nixam, quod delinquens esset laicus, quod Gallia in capiendo reo, Romae utique ad Reginae instantiam praehenso praecesserit. Ritu autem dignum apud Galliam fuisse censitum, quod in causa insoliti assassinii exempla quererentur. Quibus addit Nuntius quae ad verbum transtulimus :

(292) “Unde (inquit) accumulatis jam omnibus conatibus praeteritis futurum arbitror ut ad aliquam insolitam deliberationem veniatur, et prima forsitan ejus indicia Monasterii se prodant.

“Quo a me observato cum eo animi dolore quem Celsitudo vestra conjectet, caepi approbantibus etiam magnis viribus meum Iberniam discessum sollicitare. Praesagio enim suae Sanctitatis Ministros non posse hic ulterius pedem figere in bonam sui opinionem, quinimo (ut Celsitudinem vestram nihil omnino celem) cum mihi quam sua Sanctitas ad me transmisit Reginae praesentandam prae manibus esset *Rosa benedicta*, honorem hunc usque modo suppressi expectans fore ut diffidentia mitigaretur. Sed demum nisi de aliqua constet extraordinaria vicissitudine eam in medium non producere meum esse decrevi

certus (stantibus rebus ut sunt) fore indubitanter respuendam, ab hoc casu (cujus forsán haud fuerit exemplum) Celsitudo vestra persuaderi potest esse hic coactos ad faciendas, quas scribo, perturbationes. Et sive id oriatur ex mea in negotiis gravioribus mediocri exercitatione, sive ex desiderio vivendi concordem semel orbem Christianum, sive id efficiat, quam sustineo, dignitas Ecclesiastica audeo Celsitudini vestrae subungere quod in praesenti rerum statu huius alienationis horror me longe plus terret quam ipsius Turcae comminationes et haereseos triumphí in Germania." Haec ipse Nuntius.

(293) Prosequitur autem et concludit enixe obtestans Magnum Etruriae Ducem ut Summum Pontificem prudentia, atque autoritate sua ad tanto malo adhibendum temperamentum, et remedium adducere conaretur. Porro ex his quae retulimus satis superque liquet Gallo tunc adversus Pontificem Innocentium spissam spinosamque intercessisse controversiam, quam plagam Iberniae Nuntius haud mediocriter lenierit, verum prorsus mederi non potuit, usque adeo ut de quibus jam meminimus, Rosam benedictam annexumque Rosae Breve Apostolicum Reginae nunquam praesenserit. Quae apud Galliam concepta in Pontificem animi amaritudo, et ejus in Hispanum tunc Gallo hostem si non propensio certe altissimis radicibus subnixa propensionis suspicio et Nuntium et ob Nuntium plerosque Iberniae Catholicos Gallo deinde usque ad fatalem illius belli exitum suspectos reddidit ne sub speciosa fidei propagandae larva delitescerent reconditae, nimisque abstrusae Pontificis atque Nuntii circa emolumenta saecularia, vel in sui vel in Hispani favorem molitiones. Quae omnia ad res deinde Ibernicas occidendas (sicut suis quaeque locis patefient) haud parum contulerint.

(294) Hujus simultatis (ut jam tetigi) inter Galliam et Pontificem caepit irritamentum ab Innocentii in Christi Vicarium electione hanc Gallo gratam non habente. Fomitem etiam discordiae subministravit quod jam dictus Dominus de Beaupuis apud Urbem quidem incarceratus sed Gallo tradita non sit, deinde quod Innocentius nonnullis Hispaniae fautoribus ad Cardinalatum promotis, Patrem Mazarinum Dominicanum, Cardinalis Mazarini fratrem, a Gallo recens praesentatum ad eandem dignitatem evehere noluerit, et episcopos in Lusitania ad novi Regis Portugalliae praesentationem creare recusarit. ne scilicet Regiam ejus praerogativam in Hispani, Gallo et Lusitan) tunc hostis, injuriam approbare videretur. In Consistorio autem 15 Maii Romae celebrato decrevit Pontifex (Cardinalibus

Hispani fautoribus quantumvis renitentibus) uti jure suo in promovendis velut motu proprio ad Lusitaniae episcopatus viris idoneis juxta illud Christi praeceptum *Pasce oves meas*. Sed Lusitanus renuit nisi promoverentur, qui a se velut legitimo Portugalliae Rege praesentati, licet Rex Catholicus se legitimum Lusitaniae Regem nec regno nisi per nuperam alterius rebellionem, excussum contenderet, et Innocentii decessor, Urbanus VIII., Lusitano episcopos, etiam motu proprio jam dicto promovendos denegarit, sicut Cardinalis Pamphilius notis privatis Iberniae Nuntio 17 Julii hoc anno respondens Parisios scripsit.

(295) Haec omnia atque alia plura annexa et dependentia politicorum dogmata efficiebant ut Innocentius Gallo esset suspectus velut in Hispanum propensus, et Pontifex prudenter ac paterne cupiens illam suspicionem abolere jusserit ut Nuntius Aulae Gallicanae querelas audiret et easdem Romam significaret, imo Parisiis (modo Regina Regens postularet) pedem figeret, et suum in Iberniam iter differret, donec missis Romam querimoniis et receptis responsis, Galliam ad concordiam revocasset. Ex Urbe autem hac aestate multas etiam cyphris exaratas et Lutetiam directas Nuntius accepit responsiones, quas hic brevitate studio non insero, sed eo spectantes ut Gallia sibi persuaderet Pontificem semper in ipsam perinde atque in Hispaniam fuisse foreque optime affectum velut orbis Catholici patrem communem, nec jam dicta Galliae postulata Romae fuisse rejecta nisi magno animi dolore. Quod Pontifex acquiescere nequiret, monitusque fuit Nuntius notis secretis Romae 30 Julii datis ut velut motu proprio Reginae et Cardinali Mazarino prudenter proponeret optimam pacis inter Gallum et Hispanum redintegrandae viam fore, si nuptiae inter Hispaniae Principem et Ducis Aurelianensis primogenitum contraherentur. Verum haec omnia studia non alium sortita sunt effectum, quam quem jam delibavi.

(296) Hoc ipso tempore Magnae Britanniae Regina mariti regno exul Parisiis morabatur, a Ludovico 14^o Rege Christianissimo suo nepote ex fratre et Regina Regente humaniter tractata. Ut autem multa negotia, quae Nuntio cum ipsa intercesserant, melius expediamus rem aliquanto altius rimari liceat. |

(297) Haud prius innotuit Nuntium ab Innocentio Pontifice ad Faederatos Iberniae Catholicos fuisse designatum quam Carolum primum, Angliae Regem, proindeque Reginam uxorem invasit metus ne illam tantae molis machinam Pontifex sub haereseos extirpandae et Fidei propagandae pallio ad se Iberniae

regno excutiendos admoliretur, non modo quod Henricus octavus, Eduardus sextus, Elizabetha, Jacobus, ejusque filius ad regni clavum tunc sedens, Angliae Reges, rem Catholicam substituta haeresi pedibus calcassent, sed etiam quod Henricus secundus et ipse Angliae Rex primus qui in Iberniam invasit, in cujus justa caeteri posteriores Reges successerunt, primaevum Iberniae occupandae titulum ab Adriano IV., Romano Pontifice, derivarit *pro dilatandis Ecclesiae terminis, pro vitiorum restringendo decursu, pro corrigendis moribus, pro Christianae Religionis augmento*, jure Ecclesiastico illibato et integro permanente, et salva B. Petro et Sacrosanctae Romanae Ecclesiae de singulis domibus annua unius denarii pensione.

(298) Praefatus ergo rumor multas in Caroli primi Reginaeque uxoris animis conceptas de Pontificis et Nuntii mente suspiciones procreavit. Quare in Anglia, Iberniam, Gallia, et Italia simul nullum non moverunt lapidem quo Nuntii profectionem praepedirent, vel certe in Iberniam appulsum pace cum Insulae Catholicis prius ineunda anteverterent. Utrunque ergo res magnae erant in motu sed contrario. Nam Nuntio in Iberniam ex Pontificis mandato omnino erat transmigrandum quod illi velut sibi tremendum protinus horrebant. In Anglia Rex Carolus ejusque consilium videbant molitiones, quae in Iberniam, Gallia, et Italia apud Urbem Regina Magnae Britanniae et non paucis Catholicis Iberniam, Angliam, ac Scotiam, civilis obsequii studio secundantibus in eum finem applicarentur.

(299) Summus tamen Pontifex tantum abest ut suspicionibus tunc conceptis occasionem praebuerit, ut etiam ipsis suis monitis Nuntio circa res Ibernicas traditis, quas superius collocavimus, contrarium haud semel inserendum curaverit. Ad eundem etiam Nuntium tunc Parisiis cunctantem super hac ipsa re dedit 3^o Julii Cardinalis Pamphilius notis privatis epistolam Italicam, quam habet Latinam.

(300) "Dominatio vestra scit suae Sanctitatis mentem circa res Ibernicas religionis Catholicae puri beneficii limites non transgredi, et Dominationis vestrae missionem in illam Insulam non alium habuisse nec habere scopum quam liberum ejusdem procurare exercitium, disciplinam restaurare ecclesiasticam, et diuturna licentioris vitae corruptela dissolutos Catholicorum ritus reformare. Quod ad regimen civile pertinet, Dominationi vestrae talia tradita sunt monita, ut exinde nec Regi nec Reginae Angliae ulla superesse possit suspicio. Sed nec sua Sanctitas

851

aliis unquam passibus incedere, cum tantum anhelet propagari et conservari Catholicam religionem absque ulla vel minima cogitatione praejudicandi cujusvis dominio temporali. Necmultum ipsi arrident, qui percrebescunt, rumores de nonnullis Iberniae Catholicis quod nihil non aggredi velint ad se Regis obsequio subtrahendos, cum is quam postulant pacis condiciones concedere nolit. Sua Sanctitas vellet loquerentur majori cum moderatione et id efficerent ut ab omnibus existimarentur velle sub Regis jugo perseverare, et ab ipso Rege, et Reginae patrocinio futurum expectarent ut ad propositam sibi metam pertingerent. Ad quod praestandum incumbant | suasiones et admonita Dominationis vestrae, cujus prudentiam sua Sanctitas sibi persuadet non daturam hujusmodi rumoribus occasionem nec ullum laetitiae signum, si forte Ibernos in rebellionem erupisse, vel Regis jugum excussisse audierit. Cujus etiam rei suos domesticos eo admonebit ut omnes sanctissimis suae Sanctitatis consiliis cooperentur." Hactenus illa epistola.

(301) Nuntius juxta Summi Pontificis mentem hac epistola et monitis jam dictis expressam voluit ex animo Angliae Reginam solemnī ritu visitare, ipsique Summi Pontificis Breve ad ipsam datum cum annexa Cardinalis Pamphili epistola praesentare. Verum illa solemnem ejus visitationem admittere recusavit, politicis quorundam haereticorum eorumque Anglorum suggestionibus occupata, ne scilicet ad ipsam quin et Regem maritum perinde faederis cum Summo Pontifice percussi suspectos redderet, ad si non ad Faederatos Iberniae Catholicos sed ad ipsam, proindeque in ejus persona ad Regem, Pontifex Nuntium allegasset. Addebant illi ejusmodi visitationem fore gravem Juris Anglicani tempore haeretico transgressionem, continuoque partibus regiis in domestico Angliae bello injuriosam, quod rebelles Parlamentarii nihil magis haberent in votis quam arripere apertam adeo occasionem conflandi invidiam haereticorum subditorum in Regem, et exinde Rege a suis deserto ipsi in rebellionē fortiores evaderent. Ratum tamen habuit gratumque Regina ut Nuntius se clanculum inviseret; imo id percupivit, quo propensum in Regis causam redderet, et eo velut instrumento valentissimo ad Iberniae Catholicos in Regis obsequio continendos uteretur, si forte aliunde ejus transitum in Iberniam praepedire nequiret. Ille autem de honore, non tam qui sibi quam qui in se Summo Pontifici et Sedi Apostolicae deberetur, sollicitus, nisi solemnī ritu se visitaturum negavit, ne secus ritu non solemnī reciperetur. Absurdum enim

et a ratione absonum arbitrabatur se ad Faederatos Iberniae Catholicos missum in Nuntium ab ejusdem regni Regina, eaque Catholica, ritu privato in colloquium admitti, cum ipsi exteri principatus et principes (sicut superius vidimus) summo se honore cumulassent. Idque ipsum non modo Sedi Apostolicae et sibi sed et iisdem Principibus et Principatibus injurium censebat. Itaque in hoc articulo stabant juris apicibus uterque suis, idque plures menses quibus Nuntius Parisiis moram contraxit. Qui interea per litteras Cardinali Pamphilio notis privatis Romam missas super hac controversia ipsum Summum Pontificem consulendum curavit, cujus responsum ab eodem Cardinale per epistolam Italicam 17 Julii notis pariter privatis exaratam recepit, quam Latinam reddimus.

(302) "Communicavi suae Sanctitati difficultates, quas Dominatio vestra sua epistola notis privatis die mensis superioris 23^o data circa Angliae Reginae audientiam sibi occurrisset significaverat, et sua Sanctitas aequum judicavit Dominationi vestrae rescriberem, ut eo qui suae Majestati est a Confessionibus vel alio quem ad rem peragendam magis idoneum judicet interveniente, ostendat unicum suae Sanctitatis in se Parisios antequam in Iberniam proficisceretur destinando fuisse scopum, ut Majestatem suam velut illius Regni dominam revereretur, et ab ipsa eas acciperet directiones, quas sibi dandas velut ad Religionem nostram in illa insula promovendam necessarias arbitraretur, quod Dominatio vestra instar veri patris et pastoris Catholicos illos confortaret ad omnem afflictionem prae Dei Opt : Max : amore perferendam, quandoquidem a perfidae haereseos infectione mediis in periculis ipsos praeservavit praeservatque, nec suam Sanctitatem | (sicut semper liquebit) ullo hac in re 851
ne minimo quidem incitamento politico moveri, nisi quod regium v
suae Majestati exhibendum obsequium tantummodo cordi habeat. Quinimo suam Sanctitatem audito quod Dominus de Gramonvilla probasset ut Dominatio vestra ad honorem suae Majestati deferendum istac iter teneret eo libentius ad id concurrisset quo ardentius ipse eandem rem studeret ob rationem jam dictam, et ulterius propterea quod sua Sanctitas, cum olim esset Parisiis, suam Majestatem noverat, ex animo voluit ut eam Dominatio vestra suae benevolentissimae inclinationis certam efficeret. Et ea propter si forte eadem Regina, ne quod Regis mariti rebus praejudicium offerat, vel ob alios fines particulares, arbitretur expedire ne Dominationem vestram ad audientiam

nec publicam nec privatam admittat, suae Sanctitatis mentem haud esse ut sua Majestas ullam molestiam patiat, sed laetaturam omne consilium a pia adeo et fidei Catholicae studiosa Regina amplectendum. Dominationem quoque vestram eatenus apud se statuisset non ire ad audientiam privatam, quatenus Nuntii praerogativam cooperiendi se coram omnibus Reginis reddere nollet ancipitem. Licet enim in Gallia inter similem audientiam Nuntius caput non contegeret, non tamen continuo dubia restat praerogativa, cum jam sit in possessione juris cooperiendi se in audientia publica. Mediante quoque hac ipsissima persona Dominatio vestra ad suam Majestatem miserit suae Sanctitatis Breve, quae etiam ut (si necessarium videbitur) ad audientiam privatam pergat vestro ipsius arbitrio relinquit, cum istic ex propinquo multo melius dignosci quam hic constitui potest, quid ea in causa expediat. Solum in deliberationem venit quod si eundo Reginae Angliae audientiam privatam capite semper detecto, Galliae Regina et Rex exinde provocarentur ad procedendum consimili modo cum suis Majestatibus salutem dixerit. Forsan esset factu optimum ut Dominatio vestra se cooperiendi praerogativa gaudens, primum Regi Reginaeque Galliarum valedicat, deindeque ritu privato Reginam Angliae visitet. Hoc est totum quod hic visum fuit utile suggestu relictis caeteris juxta solitam prudentiam vestram peragendis." Hactenus illa epistola.

(303) Sinceram Summi Pontificis in Nuntio mittendo mentem vel me silente arguunt nedum monita etiam secreta saepiuscule memorata, sed et hae ultimae binae litterae, praesertim cum eae fuerint notis privatis seu *Ciphris* exaratae. Haec enim circumstantia pressius evincit abditissima quae Pontificis circa rem hanc sensa his litteris Nuntio fuisse communicata. Jam expediam Reginae Angliae et Nuntii progressum finemque modeste altercandi circa apices visitationis, aliaque. Quo spectat epistolae ejusdem Nuntii ad Cardinalem Pamphilium Parisiis 4 Julii Romam datae frustum hoc ex Italico Latinum.

Regesti.
pag. 71.
4 Julii,
1645.

(304) "Reginae Angliae (inquit) transmigrandum fuit heri ad Sancti Germani Regiam ad totam ibi aestatem transigendam, et ipsi a confessionibus quidam sacerdos natione Scotus, me visitato, quantopere suae Majestati displiceat, quod me cum honore debito recipere nequeat, recensuit, allegans rationes, quas jam significavi, et insuper novam superaddens, quandam

scilicet regni Angliae legem de non recipiendis exterorum Principum Ministris nisi Rege consentiente et consilio particeps. Id ipsum plus minus mihi dixit suae Majestati in amictu saeculari a sacello Capucinus Gallus. Ego in hac causa | fui contentus 852
exequi tria; primo, ostendi mihi non nihil displicuisse quod interclusus fuerim modo quo Reginam de integerrima suae Sanctitatis mente certiolem facerem, easdemque partes obivi erga omnes, qui mihi de eadem re conferendi occasionem pepererunt. 2°. Ad rationes omnes a sua Majestate ad non admittendam visitationem meam citatas respondi cum omni modestia demonstrans quam ineptae sint ad propositum quod tractatur. 3°. Secure tuli rationes illae valerent quantum valere possent ita ut non fecerim, vel non ostenderim me fecisse ulteriorem instantiam. Idque ob considerationes quarum Eminentiam vestram pluribus vicibus participavi. Hunc sacerdotem degustans saltem didici Reginam de me honorifice locutam fuisse, et insuper dixisse se mihi obstrictam quod intellexit me professum promptitudinem ad sibi assequendum." Hactenus illius epistolae lacinia ex Regesti pag. 71.

(305) Aliam ejusdem Nuntii epistolam Italicam ad eundem Cardinalem indidem datam atque eodem spectantem tibi Latinam reddimus.

(306) "Ab congressu quem cum Reginae Angliae Capellano habui et de quo ex parte Eminentiam vestram docui ex multis indiciis mihi innotuit suam Majestatem ostendisse se contentam iis quae dixi praefato sacerdoti, et inter hanc rem praeseferendam me semper multis laudibus onerasse. Huius rei me primus omnium certum fecit nobilis quidam vir, natione Anglus et ipse Catholicus, cui praefecturo S. Germanum triduo jam elapso dixi, Reginam meis verbis humillime revereretur, idemque mihi responsionem retulit sibi suam Majestatem replicasse se de mea mente et sibi inserviendi desiderio securam, maximopere laetari me ad transmigrandum in Iberniam delectum fuisse, quod sperabat me praeter bonum quod religioni Catholicae allaturus essem, Regis quoque causam adjuturum et promoturum. Id ipsum mihi renunciavit antedictus capellanus, et insuper adjunxit Reginam probasse significatas ipsi a me rationes ob quas non possem me suae Majestati sistere alio modo quam conveniente dignitati Principis qui me misit. Et postea ambo mihi nuntiaverunt Reginam in mandatis dedisse cuidam nuper ex Anglia apulso,

Nobili Anglo, veniret ad me docendum de statu Regis. Quod et factum heri mane.

(307) " Hic nobilis a Rege ad uxorem equis velisque missus fuit post commissum die 24 Junii praelium tantopere Parlamentariis favorabile vocatur Edmundus Dudlius Wietus, et ex Puritanis, an ex Protestantibus sit, non constat. Apparet tamen singulariter prudens et optimis moribus praeditus, nec tricesimum et secundum aetatis annum excedit. Multa mihi locutus est super opinione quam dixit Reginam de me concepissee, et super spe quam sua Majestas in me collocaret ad firmam pacem inter Regem et Iberos paciscendam in praesenti rerum statu, quo partes Regiae tantopere auxiliis indigent. Praesetulit eam ob rem ardens hujus conventionis hic absolvendae desiderium, et obtulit ut Regina mox a Marito litteras procurationis obtineret, ea lege dum Iberi a Concilio Supremo simile mandatum impetrarent. Multus fuit in demonstrando quod ambabus partibus necessarium sit negotium hunc in modum terminare, Regiis quidem ob angustias praesentis suae conditionis, in qua majoribus indies attenuatur detrimentis, et proprii sibi vassalli suppetias veniant plusquam unquam efflagitat. Aliis vero, nempe Ibericis, quia si rigori insisterent et Regem ad se Parlamento accommodandum cogerent, statim a binorum una Regionum Angliae et Scotiae conjuratione | se obrui sentirent, nec tantis viribus obsistendi fiducia superesset. Et huic articulo vir ille nobilis haud mediocriter institit quatenus foret Ibernis in stimulum de suis postulatis dimittendi et descendendi ad honestum aliquod temperamentum, nec volendi totum una vice extorquere. Denique narravit Reginam me obsecrasse hic cuncter donec hoc negotium absolutum fuerit, quod futurum sperat ut ego ad suae Sanctitatis votum non desim prosperando huic conanimi omnibus Europae Principibus desiderabili, qui multa cum ratione ad Regis Angliae ruinam contremiscant animadvertentes crescentem contra hostes contra omnes Monarchias Hydram tantopere potentem, quales essent conjunctis viribus Angliae Parlamentarii, Hollandi, et Hugonotti Gallicani.

(308) " Nisi mihi constaret in quem statum ab exercitu nuper profligato Rex Angliae se modo redactum videt, suspicarer totam hanc legationem eo spectare ut meae profectioni mora injiceretur, prae dubio ne quod ex illa magnum beneficium in Iberniam redundaret. Sed etiam si illa suspicio a veritate non aberrasset, omnino tamen ejusmodi congressui aurem accommodare conveniens fuit. Qua propter actis quae deberentur gratiis ob Reginae

laudes, benevolentiam, et opinionem mei, respondi solidam pacem cum Rege pactam iis salvis, quae religionem Catholicam concernerent, neque persuasum habere quod ipsi haud mediocriter acceptum foret ut ea id ad Coronae Gallicanae notitiam tractaretur, quin imo potius me rescire a sua Sanctitate haud aegre ferendum quod hic moras necterem, si ineundae pacis spes afflueret. Caeterum quoad postulata et articulos ab Ibernis datos dixi quod, exceptis iis quae ad religionem pertinent, daretur locus ea examinandi et tenendi unam atque alteram partem inclinatam ad decedendum non nihil de suo jure, Regem quidem propter eam, quae premitur, necessitatem, Iberos vero quo quem praeserunt fidelium vassallarum titulo respondeant. Et hunc quidem in modum hic discursus finem habuit, cujus (credo) ratio dabitur D. Cardinali Mazarino, ut ejus autoritate valentius in praxim redigatur. Ego interea unum ex meis asseclis honorariis mittam ad Sancti Germani oppidum ad agendas Reginae gratias ob hanc humanitatis suae demonstrationem, et sane nisi subsit hic dolus multum huic missioni afferret honoris quod antequam Lutetia Parisiorum discederem major pars difficultatum, quae in Iberniae progressibus occurrunt, esset expedita, et ego cum pacis obliva possem in insulam appellere et nedum absque ulla distractione me totum impendere in restaurandas res ecclesiasticas, sed etiam cum uno solo bello Regi et Ibernis communi (quod a longo tempore in Regis et Catholicorum Anglorum gratiam gerendum censebamus) arripere opportunam illius faederis quantocius coeundi ansam, mittendo has suppetias subito in Angliam.

(309) "Si Deus Opt. Max. hac consolatione Summi Pontificis pietatem ejusque in illas gentes zelum compensare caeperit, ego, quia maxime omnium interest, primus ero, qui eam exinde participabo delectationem quam adeo gloriosa meretur cogitatio. Et postremo Eminentiam vestram humillima prosequor reverentia. Parisiis pridie nonas sextiles 1645."

(310) Hactenus illa epistola, quam secuta est altera ejusdem Nuntii ad eundem Cardinalem Pamphilium ad sextum postea diem Italice scripta, quam tibi Latinam reddimus ex Regesto pag. III. |

(311) "Significavi Eminentiae vestrae me cogitasse de mit- 853
tendo aliquo qui Reginae Angliae ob suae in me benevolentiae exhibitionem gratias ageret. Quare ad Sancti Germani oppidum

D. Dominicum Spinola, qui in mea assecratione est, destinavi ad persuadendam suae Majestati nedum meam ipsius sed et multo magis suae Sanctitatis mentem in sincerum ejus obsequium mihi singulariter significatam tot modis ac prae reliquis in mandatis a sua Sanctitate datis pro mea Missione.

(312) "Dominus Spinola benigna, familiari, et laeta facie receptus fuit, et Regina ubi, qua imbuta esset, meae mentis certitudinem et conditionis (ut dixit) cogitationem innuit, de Ibernis et inter hos de Hartegano et Secretario vehementer conqueri caepit, dicens primos quidem generaliter sibi praetendere religionem Catholicam ad se Regis imperio eximendos, nec velle pacem nisi post quam ipsum viderint necessitate oppressum, et nunquam non adungere articulis quos praesentant novas postulationes et praeteritis magis exorbitantes. De duobus autem particularibus exaggeravit cum vehementia eo processisse confidentiae ut sibi dixerint dimicatum iri cum Rege usque ad ultimam sanguinis guttam, nisi quod postulant obtinuerint, et similes ostentationes, et propterea subjunxit se sperare futurum ut ego, ubi semel gentis indolem didicerim, ipsos moverim intra religionis limites continere, sed non extra debitae suo Principi obedientiae terminos.

(313) "Postea ad ostendendum mecum privatim conferendi suum desiderium sermonem convertit, declarans tamen sibi rationibus a me in contrarium adductis factum fuisse satis, et ex Spinola praeter alia particularia meam sciscitata discessionem eum dimisit. Postera die misit, qui mihi gratias ageret, ipsisimum nobilem virum, natione Anglum, qui hebdomada antegressa ad me venerat, qui subjunxit suam Majestatem missuram ad maritum, quo plenam sibi faciat potestatem tractandi hanc pacem cujus praestaret eventum Regina Galliarum, fideque sua esse juberet. In quem finem obtuli ego idipsum ex parte Ibernorum a me procuratum iri mox ab appulsu, ne quid ex hac concordia expectaretur, bonum procrastinatione frustraretur.

(314) "Interea receptis temporibus Eminentiae vestrae litteris unaque aliquot ulterioribus super hoc negotio considerationibus decrevi nudius tertius iterum allegare eundem Dominum Spinolam, qui suam Majestatem revereretur, et postquam de continuata benevolentiae demonstratione quam illa mihi exhiberet meo nomine gratulatus esset illam, certam redderet quod Summus Pontifex sicut minime gentium vellet sua Majestas recipiendi Nuntii causa quantulamcunque molestiam subiret, sic etiam modum quo ego in hoc me gessi aequi bonique ab ipsa consulen-

dum consideret, et maximopere cuperet sua Majestas certa foret de pura suae Sanctitatis mente nolendi ut religionis causa ne in minimo quidem praejudicet Regni subjectioni. Jussi etiam illam precaretur ut in Brevi, quod mihi traditum fuerat ipsi praesentandum, legere dignaretur quantopere sua Sanctitas usque a principio in hac animi sententia sibi constiterit. Porro Domino Spinolae mandavi ut his quae dixi peractis ipsam rogaret ut mihi discedendi licentiam et solitam obligationis atque obsequii professionem iteraret.

(315) “ Regina in hoc secundo congressu D. Spinolam stans recepit, forsitan quod sciebat sibi ea vice praesentandum Breve quod ego prius judicavi a me transmittendum. | Respondit etiam Legationi solita urbanitate, Breve una cum Eminentiae vestrae Epistola accepit, et eadem, quae inter primam visitationem dixerat, replicavit, ac cum eadem confidentia, quam se in meis officiis collocasse dixit, finem imposuit, et prosperum mihi iter exoptavit. 853
v

(316) “ Videt ergo Eminentia vestra mihi magna facilitate successum esse propere quod, nedum litteras Reginae porrigendas curavi (sicut Eminentiae vestrae cordi erat), sed etiam ipsam summopere securam reliqui de me, quod scilicet integerrimam, qua possideor, voluntatem ipsi sine fuco persuadere ambirem, idque ita ut continuerim me periculo (inter congressum privatum) fidem meam interponendi in rem ullam, quae postea causae ecclesiasticae noxia inveniretur vel a me in Ibernia praestari non posset, quare credo id quod factum est absolute satis bene successurum seclusa omni alia via et diligentia.

(317) “ Ex his omnibus, quae cum sua Majestate transacta sunt, agnosco quae mihi incumbit obligationem id efficiendi ut in iis, quae factu opus erunt, inter Ibernos et suam Majestatem vigeat sinceritas. Multa enim rem aequae publicam atque privatam concernentia sunt, quae se ab ipsa ullo unquam tempore postulasse vel ipsi dixisse pernegant quod in medio ponit haud leviter eos peccare, qui se ambabus partibus reconciliandis interponunt, vel qui Legationes referunt, vel certe solidos demonstrat effectus illarum suspicionum, quae redintegrandae partium concordiae intercedunt. Ex altera meum erit Ibernos, ubi religionis progressum suis aliis commodis in praetextum praetendentes animadvertero, refrænare et in finem necessarium dirigere, ut exinde sequantur desiderati successus opitulandi cum magnis viribus pauperi Regi et continuo Catholicis etiam Angliae, postquam in Iberniae altas egerit radices securitas et religio.

(318) "Circa quod punctum cum animadverterim quod hic in Gallia procedatur in desiderio opis ferendae Regi Angliae, dum tamen id potius fiat viribus aliorum, proindeque ardentissime vellent ut id Iberni obirent. Ego Cardinali Mazarino me obligavi et vicissim ab ipso fidem accepi se (quod ad res ipsis convenientes attinet) nullam hujus regni assistentiam, nullum auxilium non subministraturum, quoties Iberni haec supplementa mittere distulerint, quamcunque causantes necessitatem, expensam, virium imminutionem, vel belli intra eandem patriam reliquias. Qui Cardinalis Mazarinus id totum, quod in praedicto negotio cum Regina Angliae ab initio ad finem gessi, mirum in modum probavit.

(319) "Praesagio valde bene varias vicissitudines et complura discrimina, quae Magnae Britanniae motibus impendent, posse hic meo negotio procreare sinistros eventus et angustias, et ex altera parte aperire ostium maximum beneficio religionis. In uno atque altero evento Deum orabo me reddat bonum suae Sanctitatis Ministrum in constantia si successerint infortunia, vel in animi ardore si evenerit prospera. Postremo Eminentiam vestram observo. Parisiis 11 Augusti 1645." Haec ibi.

(320) Itaque Nuntius ob rationes jam laudatas Reginam Angliae nullatenus visitavit. Breve autem Apostolicum, quod ipse Reginae, si ad visitationem solemnem admissus fuisset, manu propria praesentasset, ne demum nisi a praefato D. Dominico Spinola, nobili juvene Genuensi, Nuntii assecla, Reginae traditum fuit, hic insero.

INNOCENTIUS PAPA X.

Reginae Magnae Britanniae.

854

(321) "Charissima in Christo filia nostra, salutem et Apostolicam Benedictionem. Non dubitamus divino plane consilio ita accidisse ut quo tempore venerabilis frater Joannes Baptista, Archiepiscopus Firmanus, Praelatus Domesticus Noster, et Assistens, extraordinarius Apostolicus Nuntius ad Catholicos in Iberniae Regnum proficiscitur, Majestas tua in ista Parisiorum urbe commoretur, ab eoque Paternam nostram Benedictionem praesens accipiat. Cum enim eas Catholicorum Ibernorum res extra curas Majestatis Tuae esse non putemus, constet vero illis cum regia jurisdictione concorditer et apposite convenire. Nobis veniebat in mentem Te neque consilio neque ope alia eidem Nuntio

defuturam, immo quod rei opportunum commodumve futurum sit sapienter et benigne commonstraturam.

(322) "Habebit sane Majestas Tua audientem sibi virum prudentia litterisque instructissimum ac meritis tuis perpetua laude faventem, quem propterea morum integritas ac generis claritudo dignissimum reddunt, qui commendatissimus sit et gratissimus Majestati tuae, cui Nos ab Altissimo diutinam tranquillitatem precamur, et Apostolicam Benedictionem ex animo impertimur. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 2 Martii 1645 Pontificatus nostri anno primo.

Gaspar de Simeonibus."

(323) Annexam fuisse invenio huic diplomati Pontificio Cardinalis Pamphili ei dem Reginae indidem eodemque tempore scriptam Italicam quam en tibi Latinam :

(324) "Dominus Archiepiscopus Firmanus ad obeundam Nuntii Extraordinarii Iberniae provinciam sibi ad solum Catholicae religionis in ea insula obsequium a sua Sanctitate decretam transire non debeat, quin certum ad vestram Majestatem afferret ejus paternae et nunquam intermissae dilectionis pignus. In hunc finem iter per Galliam tenuit cum expresso suae Sanctitatis jussu testificandi Majestati vestrae totas in Dei cultum et illius Regni bonum intentas sui sancti zeli cogitationes. Dignetur Majestas vestra aurem praebere ex sua singulari humanitate eidem Domino Nuntio, et ab ipso recipere meis verbis devotissimum officium illius quam ipsi profiteor reverentiae, quae non potest esse obsequentior nec plenior ardentioris desiderii promerendi suam gratiam et sua absolvendi imperata, quae rogo ut mihi citra finem injungantur Majestati vestrae manus perhumiliter deosculor." Hactenus Cardinalis Pamphili epistola.

(325) Vidimus nuperrime Rex et Regina Angliae quantopere exoptarint pacem cum Ibernis componendam ut Iberni ipsis bello domestico accisis in Angliam suppetias venirent. Quod ipsum Summus Pontifex, et ab eo missus Nuntius, regiae quoque apud Angliam, Iberniam, et Scotiam partes orthodoxae et haeterodoxae, Regina quoque Regens Christianissima et Cardinalis Mazarinus, tunc status Gallici Minister, una omnes ardentissime in votis habebant. Soli rebelles Parlamentarii et qui haeretico- rum ab ipsis stabant (Catholicorum enim pene nemo Regis

854

v

partes non sequebantur) totis artibus contremiscebant ne Rex Catholicorum, praesertim Ibernorum, viribus triumpharet. Illi enim rebellium omnium a mundo condito longe profligatissimi adeo exosi Ibernīs, et Iernos exosi nihil inde sibi nisi supremum exitium spondebant. Stupendum ergo est quo pacto pax illa et virium regiarum coalitio, atque Ibernorum in Angliam adversus perduellis Parlamentarios transmigratio tanta partium conspiratione desiderabilis, nec nisi solis illis Regicidis formidabilibus totius demum spei irrita evaserit. Res dignissima | est, quae ad posteritatis eruditionem perstringatur, nempe Pontifex, Nuntius, Angliae Rex et Regina, Regina Regens Christianissima, et Cardinalis Mazarinus, Iberniae, Angliae, et Scotiae Catholici, et haeretici ex partibus regiis in eandem rem, sed non eodem modo, conspirabant. Dicam ordine quaeque suo. Ac primo quidem Catholicorum Angliae suggestiones circa hanc ipsissimam rem ex Urbe Lutetiam Parisiorum Nuntio transmissas tibi ex Italicis Latinas reddo. Illae sic se habent :

“ Memoranda Illustrissimo Domino Rinuccino, Archiepiscopo Firmano, in Iberniam Nuntio designato.

(326) “ Ut D. Vestram Illustrissimam Catholicorum in Anglia statum edoceatur, scire debet dictos Catholicos legum paenaliū in ipsos stabilitarum rigore posthabito se durante hac turbulenta prodicionum et rebellionum tempestate, gessisse secundum debitae Regi fidei et obsequii regulas tanto in suae Majestatis personam zelo, ut et si Regis inimici sua subtilitate multis mediis ipsos depravare tentarint etiam ipsi afferentes se refixuros dictas leges (quae tales sunt ut si executioni mandarentur ipsos extremo excidio obruerent) modo sibi ipsis in hac sua rebellione coalescerent. Nunquam tamen ejusmodi consiliis aurem accommodare voluerint, sed potius decreverint sustinere cum patientia integram possessionum et fortunarum ruinam in provinciis in quibus Parlamentarii rerum potiuntur, quam a Rege deficere. Quare cum vitae discrimine et omnium quae possident jactura, Coronae Regiae jura nunquam non defensarunt, nec per universam Angliam vel unus unicus occurrit Catholicus, sive ob natalium splendorem, sive ob fortunae bona, sive ob vitae probitatem ullo apud homines loco et aestimatione, qui Parlamento adversus Regem militarit. Et ab altera parte ex eminentioribus Catholicis haud pauci per vastas in Regis obsequium rei numariae summas contribuerunt, inter quos reperiretur quispiam, qui pro sua solius sorte Regi sexaginta scutorum millia suppeditavit. Et alii, qui

pecuniis non poterant, ipsi suis personis, possessionibus et facultatibus deservierunt.

(327) "Non obstantibus tam evidentibus notae eorum in coronam fidei argumentis sua Majestas quorundam adeo Catholicis adversantium et ipsis merita invidentium consiliis ducta fuit ut ad omnem occasionem eorum actiones in perversum sensum detortae, voluntates in suspicionem vocatae, et ipsimet vilipensi nulloque loco habiti fuerint usque adeo ut, licet durante tota hac prodicionum in Regem confusione ne unicus quidem inventus sit Catholicus qui vel ignavia vel malitia defuerit suo muneri fide integerrima obeundo, prolatum tamen sit palam omnibus in consilio regio et coram sua Majestate Catholicos ipsi obsequium non praestitisse nec partes egisse suas, et futurum ut copiae regiae nullum omnino sortirentur prosperum successum, quamdiu Catholici ullam in exercitu Regio provinciam obirent, multaque id genus alia, quibus in id incumbabatur ut manifestis calumniis eorum forma apud Regem decresceret, et suae Majestati suspecti redderentur. |

(328) "Porro ut sperabatur fore ut Reginae pietas et bonitas 855 Catholicis in hac eorum desolatione esset refugium, illi, quorum consiliis gubernatur, cum sint a Catholica religione maxime alieni, adeo cum iis qui Regi a Consiliis sunt mente infaelicer conspirarunt, ut ab ipso Catholici derelicti maneant. Ita ut ubi multi extant eximia conditione Catholici, iique dignissimi, qui ipsi faciant satis a Consiliis, omnes tamen ab ejus Aula se longe recipere cogantur, quod ab illa oculo parum benevolo respiciantur. Praeterea haec haereticorum, qui in Reginam funditus dominantur, perniciose machinamenta tanta adhibentur subtilitate, ut illa in omni occasione se praebeat efficax instrumentum ad Catholicos perinde ac ad religionem Catholicam evertendam.

(329) "Has ob rationes Catholicorum, qui praecellentes sunt, pars magna in Flandriam et Galliam se subtraxerunt, et alii sunt in varias Angliae partes dispersi, velut in custodiam compacti, a Parlamentariis scilicet, ubi hi dominatum tenent, et a partibus regiis, ubi penes Regem est rerum summa, unde fit ut licet illustri sint conditione, sive ipsorum statum sive, quibus gaudent, fortunas consideres, tamen nequeant nunc dierum (tametsi ad id a Rege invitarentur) in unum corpus confluere, et in eo rerum in eo statu se ponere, in quo de Rege optime mererentur, et continuo adversus praedictorum inimicorum suorum malitiam Regis favorem lucrarentur.

(330) "Ad medendum huic malo, et ad Catholicos in eum

statum, in quo ex hac generali confusione bonum aliquod religioni Catholicae utile elicere possent, revocandos, valentissimum consistit medium in expediendis aliqua via difficultatibus, quae Ibernis adversus Regem intercedunt. Et hoc duobus modis fieri potest. Primus est ut Iberni pacis cum Rege pangendae articulis nonnullas in Catholicorum Angliae gratiam condiciones inserant. Verum et si hic modus est efficacior, non tamen videtur multum probabile quod prospere succedat, et vel Catholicorum Angliae conditionem redderet deteriore, vel forsitan ipsorum Ibernorum cum sua Majestate reconciliationem praepediret, idque efficeret eorum procedendi ratio factionis potius, et conjurationis suspecta, quam sincera Regi deservendi voluntas haberetur. Illi et consiliarii, qui in Catholicae religionis odium ab ineunda cum Ibernis pace suam Majestatem usque modo deflexerunt, magis erunt exacerbat, et speciosiore arriperent huic concordiae intercedendi praetextum, si aliis illi, quam iis qui ex sua ipsorum sunt natione, condiciones postulaverint.

(331) " Secundus modus est ut de pace iis legibus conveniatur, quae Ibernis domi suae securitatem pariant, et idoneos praeterea reddant ad veniendum suppetias suae Majestati in Angliam cum forti exercitu, cui Catholici Angliae coaluerint, ut sic ex ambarum nationum partibus simul conjunctis exercitus instruatur, quo velut instrumento aliquod Regi insigne praestiterint obsequium, inque ejus gratiam non obstante inimicorum malitia penetrarint.

855 (332) " Jam ut in hoc negotio ad finem perducendo non
v deerremus, duo puncta | supersunt consideranda. Primum est, perpendantur condiciones requisitae ut servitium, quod ab hoc exercitu Catholico expectamus, sit efficax. Alterum est ut concordia inter Regem et Iberos facilis reddatur. Quod primum concernit condiciones ad sequentes articulos redigi poterunt.

(333) " 1°. Ut Iberni nunquam paciscantur se suscepturos expeditionem in Angliam nisi ea lege dum constantem denis vel duodenis armatorum millibus exercitum ad unum habeant, ut per se subsistant citra metum inferendae occidionis ab ipsis simis Anglis qui Regi merent.

(334) " 2° Ut ipsis duo bene munita assignentur praesidia maritima, quo eorum copiae e navibus in terram apud Angliam excensionem faciant, et haec loca aliquibus, in quibus spem collocant, permittantur.

(335) " 3° Ut totius exercitus Praefectus Generalis et ejusdem omnes praecipui duces, sicut Chiliarchi, Centuriones, et praedictarum munitionum Gubernatores, sint personae ab ipsis Ibernis nominatae.

(336) 4° Ut eorum Imperator in nulla re subditus sit cui-cunque alteri stratego, nec aliis mandatis, quam iis, quae ab Rege immediate exierint, obtemperare teneatur.

(337) " 5° Ut exercitus ille nec dispergatur nec dividatur, sed semper uno corpore integrum remaneat, nec ad ullum obsequium particulare nisi Archistratego et Concilio bellico consentiente in diversa abire jubeantur.

(338) " 6° Ut Catholicis Anglis, Regis jussu et autoritate, fiat potestas conveniendi in unum et (cum equitum manu Ibernico peditatui respondente) eo se recipiendi, quo Ibernorum Praefectus generalis statuerit, ad militandum in eodem exercitu, ubi et quando ab illo jussus fuerit. Haec conditio adeo Catholicis Ibernis est necessaria ut eam Rex non recuset. Tam aspero quippe *Protestantes* Angli ipsos odio prosequuntur, ut evidenti essent et perenni expositi periculo ne perderentur, si equitatui, cui *Protestantes* praeessent, se crederent.

(339) " 7° Ut dictarum copiarum equestrium imperator Catholicus non sit talis de quo Iberni diffidant, et ad hanc provinciam, nisi quem eorum strategus antea probavit, cooptetur nemo.

(340) " Quod ad modum spectat id efficiendi ut Rex et Iberniae Catholici se in pace contrahenda faciles praebeant, conventionis propositiones ita pensiculandae veniunt, ut, sicut nihil omnino praetermittatur, quod ad integrum Religionis stabilimen in Ibernia sartum tectumque reddendum sit essenziale et necessarium, ita obtineatur certis propositionibus minus essentialibus et generaliter omni novitate et propositione, quae ad regiminis politici mutationem vergit. Haec enim absque ullo dubio conventionem impedirent, et eo Regem adigerent, ut Parlamento potius quam Iberniae Catholicis se accommodaret. Unde sequeretur ruina inevitabilis tam Catholicorum Anglorum quam ipsorum Ibernorum, qui Angliae et Scotiae viribus simul unitis nunquam restiterint.

(341) " Praeterea quamprimum Iberni quampiam in regimine civili mutationem tentarent in eundem ipsum, cujus tantopere Parlamentarios criminamur, errorem inciderent, et cum hactenus bellum justum religionis ergo pure gestum exercuerint, induerent se in rebelles, et Regis adversum se bellum justum redderent. Ad haec ubi primum Faederati Iberniae Catholici una vice in religionis Catholicae stabilimentum | ea lege ut illius regni 856 munera omnia et propugnacula in Catholicorum potestatem veniant, pacem a Rege impetraverint, non deerunt ipsis aliae occasiones levandi gravamina et reformandi abusus regiminis

politici, qui magnam partem ab haeresi introducti hac sublata cessabunt, interponente suam ei rei auctoritatem Parlamento libero ne uno quidem apice legum jam stabilitarum refixo. Ad postremum inter praesentem rei circumstantiam cum sua Sanctitas allegat emihenti dignitate Ministrum publicum cum re nummaria et subsidiis ad Ibernos, se insisterent illi de novo postulationibus, quae non religionem sed reipublicae moderamen pure concernunt, id totum in maximum haereticorum scandalum et gravissimum pauperum Catholicorum damnum suae Sanctitatis consiliis imputaretur, quasi sua Sanctitas non contenta esset religionis stabilimine, sed ulterius Regis subitos in aperta rebellione adversus coronam temporalem concitandos curaret, et ab obedientia suae Majestati jure debita divelleret. Quare sicut penes suam Sanctitatem non est quidquam facere, quod magis imposterum in Dei gloriam redundet, quam corroborare Ibernos in iis quas amplexi sunt deliberationibus stabiliendi prorsus in Ibernia religionem Catholicam, ita nihil ad obtinendum id quod in religionis gratiam postulant efficacius, nihilque zelo Apostolico magis dignum agere potest, quam si operam det ut in obsequio, et fide temporali versus suum Regem constantes teneat, et continuo nullas non detruncet novitates, et propositiones politicas, quae quampiam pariant suspicionem in contrarium.

(342) "Potest ita res stare quod impraesentiarum Faederati Iberniae Catholici non in aliud animum intendant quam in causam religionis. Verum in unum corpus coaliti, et se ipsos gubernandi libertati assuefacti, prospero aliquo successu inflati facile corruerint in ambitionem et arrogantiam excutiendi dorso jugum Regiae gubernationis, proindeque aliquo fraeno indigent, sicut experientia videmus contigisse Parlamentariis Anglicanis, qui ab initio longe minus sibi arrogarunt quam postea cum essent allectati imperitandi ambitu, et propriarum virium confidentia.

(343) "Alterum medium, quo pax inter Regem et Iberniae Catholicos faciliori negotio contrahatur, erit inducere Reginam ad causam apud Regem promovendam. Et in hoc sua Sanctitas haud mediocriter praevaluerit, partim paternis admonitionibus ad suam Majestatem, partim, idque efficacius, expressa recusatione volendi ipsi auxilia (quae sua Majestas simul ac D. Digbaeus in hanc aulam Romanam appulerit, petere gestit) suppeditare nisi ea conditione ut Rex Ibernis justa sua religionis ergo postulata prius concedat. Certum enim est suam Sanctitatem, si secus procederet, nedum illorum subsidiorum, quibus Reginae praesto

erit, emolumento frustrandam, sed etiam posituram obicem paci inter Regem et Iberniae Catholicos ineundae, cum sua Majestas in hanc pacem nunquam sit consensura, nisi eo compulsa, deficientibus scilicet viribus quibus resisteret Parlamentariis. Deinde si sua Sanctitas et alii principes Catholici Regi Angliae, quas desiderat, omnes suppetias venerint, controversia caret | suam 856
Majestatem ejusque sequaces non defuturos primae instantiae v
quam fecerint rebelles Parlamentarii super aliqua conventionem in praerogativam Regiam non iniqua, licet in Catholicorum perniciem vergente, idque posthabita quacunque suae Majestatis pollicitatione ejusmodi suppetias impetrandas interposita. Et sic pecuniis, ad pollicitationes a *suis Majestatibus* in Catholicorum favorem absque alia satisfactione factas, a sua Sanctitate subministrandis, utetur forte Rex in eum finem quem ipse sibi praefigit, sed in Catholicorum detrimentum. Parlamentarii si quidem tanto magis in ipsos erunt exacerbati, et cum aliud non poterunt de ipsis vindictam sument, et Rex, ubi non solum stipulationibus sed etiam saepiuscule sponte susceptis et mundo patefactis juramentis se obstrictum invenerit ad concurrendum in hoc negotio cum suo Parlamento, quantaelibet subscribet persecutioni, quam Parlamentarii ad extirpandam ex Anglia Catholicam religionem decreverint. Sic consensit in sententiam mortis adversus Proregem Iberniae, licet juraverit in contrarium. Sic permisit ut Episcopi jure suffragandi in Parlamento dejecterentur, non obstante suo de ipsis protegendis solemni jurejurando. Sic se gessit in persequendis Catholicis inter primum Parlamentum a suo cum Regis Francorum sorore celebrato matrimonio, spreto amborum Regum in eorundem Catholicorum favorem conventionem. Quapropter, si sua Sanctitas concedere voluerit aliquod magni ponderis auxilium in religionis Catholicae bonum apud Angliam facto opus erit ante omnia ut suae Majestates certis quibusdam conditionibus in particulari subscribant, ex his prae caeteris. 1°. Ut omnes leges paenales in Catholicos jussae abrogentur. 2°. Ut praetensum fidelitatis jusjurandum refigatur. 3°. Ut Catholici sint capaces regiminum, honorum, dignitatum, officiorum, et cujuslibet muneris in regno et Parlamento non minus ac alii suae Majestatis subditi. 4°. Ut Rex cum rebelli Parlamento ad concordiam non redeat, nisi praefatos articulos ratos habeant. 5°. Necessum erit ad firmandas praedictas condiciones ut omnes Iberniae munitiones in Catholicorum Anglorum et Ibernorum potestatem permittantur. Nam, secluso omni id genus pignore, parum

fidendum erit suarum Majestatum promissionibus. Postremo si sua Sanctitas aliquo notabili pecuniae summa Reginae opem ferre dignata fuerit, tutior erit via in Ministris Pontificiis in Iberniam, vel Gallia illius aeris pendendi provincia demandetur, et Ministris Regiis non committatur. Alias enim magna ex parte in privatorum hominum commodum numerabitur, et Regi male consulatur. Et forsitan optimum factum erit nullas re ipsa suppetias elargiri usque dum exercitus Catholicus scriptus fuerit, neque enim pecunia sua Sanctitate Reginae contribuenda in meliores usus ad religionis et Regis utilitatem, quam in conservandum semper in bono statu exercitum Catholicum impendi posse videtur. Nam ut hae copiae erunt florentissimae, sic optimae a Rege auferri poterunt in Catholicorum Angliae gratiam conditiones.

857 (344) "Quod ad Angliae Catholicos spectat, Dominationem vestram Illustrissimam non lateat hanc esse eorum animi sententiam in generali. Verumtamen non deerunt quipiam, qui, vel quod infirmo sunt | iudicio vel proprio dediti lucro (quo fit ut quantulacunque lege pacem ambiant) se inflatis *Protestantium* pollicitationibus inescandos praebent. Et hi longe aliam sectantur opinionem et Iberniae Catholicis forsitan persuadebunt, pacem ineant cum Rege, neglectis illis conditionibus, quae ad tanti momenti negotium inconcussa stabilitate absolvendum sunt necessariae. Et hoc Dominationi vestrae Illustrissimae eo intimare aequum duxi, ut sit praemonita si forte quempiam ex hoc hominum grege offenderit, quales plerique eorum sunt, qui a suis Majestatibus et aliis Ministris Regiis in hoc Iberniae negotio impenduntur.

(345) "Denique praesens Angliae rebellio tantae jam in religione animorum dissentioni, tantisque ipsos inter *Protestantes* disputationibus ansam praebuit, ut illi omnes, quibus inditus est ullus alterius vitae sensus, vacillare incipiant, et se in Catholicos induerent, nisi bonorum et commoditatum temporalium perdendarum metu detinerentur. Proindeque si hujus exercitus occasione a sua Majestate obtineretur legum paenaliū in Catholicos latarum abrogatio, praetensi juramenti fidelitatis abolitio, et religionis libertas, quod scilicet Catholici perinde atque alii subditi sint omnium in regno et Parlamento munerum capaces, speranda foret intra paucos annos illius regni conversio, quae ad haeresim toto septentrione stirpitū evellendam tantopere conducirer, et citra quam nec ipsi quidem Iberni unquam securi fuerint in utendis tranquille illis conditionibus, quas in religionis

apud Iberniam profitendae gratiam impetraverint." Hactenus illae suggestiones.

(346) Haec amussis ad quam pax Ibernis contraheretur et copiae auxiliares Regi in Angliam transmitterentur Roma ad Nuntium Parisiis cunctantem transmissa nobis exhibet succum substantiam et velut spiritum vitalem ex multis ipsorum Catholicorum Angliae legationibus et suggestionibus, nec non ex deliberationibus apud Urbem ea super re adhibitis eliquatum. Sed tanta arte et violentia haeretici Regem Reginamque suis consiliis semper occuparunt, ut ad haec monita exequenda Angliae Reginam inducere Nuntius desperarit. Simul enim atque innotuit ipsum cum subsidiis Iberniam cogitasse, rebelles Parlamentarii, et eorum in Anglia, Iberniam, atque Scotia fautores, toto corpore contremiscant, haud dubitantes quin inde Rex militiae supplementum mutaretur inque se ipsos eadem mensura, qua meruerunt, severe animadverteret. Hinc illi aequae ad rabiem atque ad dolos nati Regem propterea velut Papistarum fautorem, imo velut Papistam, populo exosum reddebant, unaque pravis Regis et Reginae consiliariis semper Catholicos exosis, quia haereticis per clandestinas machinationes utebantur ad Regem ab omni cum Catholicis faedere deterrendum, ne scilicet communis ambarum haereticarum partium religio Protestantica *Papismo* succumberet, et Protestantium bona Papae et Papistis (sic loqui amant) paterent in praedam. Se enim in vulgus spargebant haud partibus Regiis exitiales bellum conflare, et futurum ut ambae partes heterodoxae in corpus patria, regimine, et religione unum unitumque facile coalescerent, nisi exteris praesertim Catholicis invadendi in regnum aditus aperiretur. Haec illi aeternis infamiae maculis notatissimi perduelles simulabant, ut imis tunc cordibus | tectum Regicidium et monarchiae ac Regiarum partium omnium nedum Catholicorum excidium eo valentius quo subtilius expedirent.

(347) Praefata tamen terriculamenta Regis auribus a concuptratis aulicis opportune importune intrita eo persuasum facilem Caroli animum adigebant imprudentiae, ut inde sibi velut imminentem timeret ruinam, unde nec aliunde citra miraculum expectasset salutem. Et hunc quidem in animo motum non plus fovebat quam quantum phalerata, et suspectis coloribus insinuata imprimerent mendacia, experientia, ac ipsa re ante oculos posita magis lateribus tonante ibi latere astutiam haeresis, et haereticorum ab aevo propriam suo tempore erupturam in

tyrannidem. Itaque Carolus pendebat animi et fluctuabat inter haereticas fraudes alienis pigmentis depictas apertamque veritatem patrocinio ita destitutam et inermem ut tamen invitum et quamlibet reluctantem traheret ad agnoscendum corde quod Consiliariis aperire non auderet, solos scilicet esse Catholicos, quibus se totum committeret. Vix sane ac ne vix quidem me a lacrimis abstinere, ubi in luctuosae hujus historiae decursu animadverto Regem tot millenis vicibus hac contrariarum liberationum lucta jactatum in eam prope semper suapte nutu ivisse sententiam ut totam in Catholicis ponendam fiduciam parum dubitaret, sed stipantium haereticorum praestigiis fasciatus, consilium a Deo intus praedicante immissum respuebat, cui si morem gessisset et Catholicis se suaque credidisset, haud ea ipsi a perfidiosissimis Parlamentariis illata fuissent opprobria, et nunquam nisi cum horrore nominandae indignitates, quae postea stupuit et horruit omnes anima non haeretica, quin imo potius redimitus tempora lauro, tutus, nedum securus regnasset. Porro ipse has haereticorum suorum technas et imposturas, quibus ne Catholicis fideret destinabatur, tunc demum intellexit cum mederi non posset. De qua re ipsius epistola, quam ad Glamorganiae Comitem dedit, Nuncio communicandam suo loco te docebit. Interim tristissimam hanc, in qua haereticorum fraudes ita invaluerunt ut ipse et Regina primas in sui perniciem agerint, tragediam prosequamur.

(348) Studebat itaque indies Rex pacem cum Iberniae Catholicis indeque valida militum supplementa, sed consilarii adeo aequis conditionibus concedendis intercedebant ut a Parlamentariis malle viderentur eum pessundari quam Catholicorum praesertim Pontificis et Ibernorum, viribus restitui. Ille autem sic delusus unaque delusores Reginam partibus suasionibus occupabant, quae nihil pene crebrius per nuntia et Nuntios ex Angliae legatos recipiebat, quam tot aliarum super alias calumniarum myriades in Pontificem et Iberniae atque Angliae Catholicos velut faedere conjunctos ad Regem specie quidem adjuvandum, sed re ipsa sub splendido fidei propagandae velo regnis excutiendum. Quare illam etiam hic idem qui Regem terror incessit. Unde crediderim evenisse, quod nonnullis regiarum partium *Protestantibus* quam Catholicis etiam Anglis et Regis studiosissimis plus fiderit faveritque. Hi porro Protestantes arcanorum eius conscii Duces et directores cum Regis in Anglia consiliariis perniciosissima in Catholicos molitionum commercia celebrabant, eoque Reginae animum tot delationibus

innutriebant, ne Catholicis | apud maritum vel alibi gentium 858
patrocinaretur, quin imo velut mariti et liberorum hostibus
succenseret. Quo factum ut illa his delatoribus et decipularum
architectis plus nimio credula, muliebri facilitate materna in
liberos, ejusdem sceptri olim haeredes, affectione et vinculorum
omnium inter homines fortissimo amore scilicet conjugali possessa,
innocenter noxium se praeberit haereticis instrumentum in
gravissimum Catholicae religionis Catholicorum proindeque Regis
liberorum a sui ipsius detrimentum.

(349) Illa si quidem instar integerrimi parietis habebatur, cui
bina aedificia ita incumberent, ut vix non corrueret, quod ejus
industria et authoritate non suffulciretur. Nam Regi (juxta ac
par esset) adeo fuit cara ut non tam regni quam ipsius Regis
Reginam ageret, et in regimine plus sola quam potior esse se
videretur. Quo nomine quantum intus posset, nemo non con-
jectet. Quod auctoritatem ejus apud externos concernit, Regum
Christianissimorum, Henrici quarti filia, Ludovici decimi tertii
germana, Ludovici decimi quarti tunc recens, hodieque regnantis
amita, Ducis Aurelianensis, Reginae Hispaniarum, et Ducissae
Subaudiae item germana soror cum esset, externus in Angliae
vicinia nationes jure necessitudinis sibi devotas habuit. Ab
universo denique orbe Catholico tantum non adorabatur, quod
cum et mariti, et natalium titulo tanta esset, se ipsa longe major
haberetur ob fidei constantiam inter diuturnas cum haeresi
Anglicana colluctationes adeo demum periculosas ut insectantium
haereticorum manus vix evaserit.

(350) Quam tantam ejus intus et foris fidem nemo neget
magnam fuisse machinam et fortissimum arietem, quo causae
Catholicae in bello muri starent inconcussi dum illa faveret, sin
adversaretur, solo aequarentur. Cum autem magnam ejus
auctoritatem adhibere vellet Pontifex cum Angliae et Iberniae
Catholicis ad Regem et per Regem haereticos, qui ab ipso starent,
eo flectendos ut fides orthodoxa et monarchia Anglicana juxta
normam superius traditam perenne faedus percuterent, et con-
junctis viribus de Parlamentariis triumpharent. Illa haereti-
corum fraudibus circumventa pacem quidem cum Ibernis et ab
ipsis unaque Pontifice Regi ad magnas angustias redacto suppetias
procurabat, sed verita nedum Catholicorum viribus Parlamentarii
profligarentur, Pontifex et Catholici fidei obtentu viam sibi ad
Regem terribiliori postea bello adoriendum munirent, tantum
abest ut in Rege, et Regiarum partium haereticis ad Pontificis
et Catholicorum votum illicitis multa fuerit, ut etiam in

858

v

Pontifice et Catholicis subditis et externis ad Regis proindeque dictorum ejus consiliariorum desiderium accommodandis operam collocarit. Quo spectat Domini Kenelmi Digbaei, Equitis Anglicani, Catholici legatio, quem illa mox atque Nuncium a Pontifice cum auxiliis ad Iberos decretum certo didicerat ad Pontificem opis impetrandae causa allegavit. Ante vero quam ille Romam appulit ejus legatione apud Urbem per litteras innotescente monita superius citata super conditionibus, quibus nec secus Regi Reginaeque Pontifex opem ferret | ad Nuncium Parisios transmissa fuere, sicut ipsa fidem faciunt. Ubi autem se Romam cappessivit, ingenii, industriae et doctrinae gladium Delphicum vagina exemit, et magna sagacitate nec minore sedulitate causam oravit, inter quam provinciam obeundam nihil pene aliud quam fidei in Anglia propagandae zelum sperare et spirare videbatur, et studiis, verbis, scriptis, vultu, gestu, omni denique modo tam religiosum ac superius desideriis incensum agebat Catholicum ut non tam Regium oratorem quam Nuncium Apostolicum profiteretur, ipseque Pontifex Illustrissimo Domino Albitio, tunc sacrae Congregationi rebus Iberniciis in Urbe praepositae a secretis, et arcanorum suorum ante alios conscio, hodieque in dignitate Cardinalitia superstiti, aperuerit, quantopere in Equite Anglicano tam ardens rei nedum Catholicae sed et Ecclesiasticae studium stuperet, sed eosdem Albitio in hominem penetrante et quod ipsi ad tam ardua promissa praestanda mandatum imo Regi potestas deforet ostendente Pontifex in fide Digbaeo habenda pede deinde plumbeo incessit. Porro Memoriale a Digbaeo praesentatum jussit transmitti Parisios ab Iberniae ibi Nuncio examinandum, quam etiam per litteras a Cardinale Pamphilio missas quid facto opus esset consuluit, quod is Parisiis, ubi magno numero in rebus patriis oculatissimi Anglia, atque Ibernia exules Catholici commorarentur, in Digbaei Memoriali aurum et oricalchum facilius internoscenti.

(351) Hoc Digbaei Memoriale nondum vidi. Ex Nuncii autem responsione inferius producenda colligere est Digbaeum inter alia Pontifici ob oculos posuisse, haud meliorem potuisse ad religionem Catholicam in Insulas Britannicas antiquo splendore revocandam excogitari viam, quam si Regi, Reginae et Catholicis Angliae in unum corpus coalescentibus suppetias transmitteret. Indidemque colligamus Reginam Summo Pontifici significasse se percipiisse fidem in Anglia hac via et ratione propagare. Exindeque etiam inferimus Digbaeum inter alia incitamenta, quibus ad haec subsidia impertienda Pontificis gratiam aucuparetur,

bonam Regis nedum Reginae in causa Catholica promovenda extulisse voluntatem, et in hoc puncto inculcando gnaviter desudasse. Quin etiam ad hujus asserti veritatem ex parte probandam laudasse quanta virtutum gloria fidem orthodoxam Regina cum nutricis lacte haustam moribus eidem religioni respondentibus a teneris unguiculis adeo coluerit, ut Regi Angliae nuptum data, nec perverso errabundi mariti exemplo, nec totius Magnae Britanniae haereticorum scandalo, in his sanctissimi institutis unquam fluctuarit, quinimo potius aucta tot annorum longe gravissima tentatione in illa fornace Babilonica et Lacu Leonum se ipsa indies evaserit constantior, et demum in malis, quae Parlamentarii ejus sanguinem sitientes intulerunt, patienter perferendis, difficillima quoque fuga et exilio, multos aequaverit martyres, in quibus non voluntas martyrio, sed martyrium voluntati defuerat.

(352) Quare dignissimi essent ambo quibus in arcto positis a Summo Pontifice succurreretur, tam eorum, quae jam gesta essent, obtentu quam in stimulum et aculeum, quo imposterum ad studendum Catholicis inducerentur. Quo fieret ut mortalium omnium infensissimi Catholico nomini, Parlamentarii in praeceps deferrentur, et Rex, Regina, domus Regiae Monarchia Britannica | parique passu Catholici Angliae e sepulcro redivivi trium- 859 pharent viribus pontificiis, quibus cum Rex et ab ipso stantes haeretici primas in eo triumpho deferre cogerentur, continuo colloquescentibus Apostolica illa charitate eorum cordibus ad avitum Catholici gregis unum ovile et unum pastorem centuriatum redirent, si qui autem non adeo cito pede resipiscerent, certe et ipsi Catholicis tanquam faederatis amicis benefactoribus, libertatis vindicibus plus faverent, faederentque quam solo bello ad societatem actis et coactis Parlamentariis, a quibus, si forte caput extollerent, nihil nisi eandem Regis et sui perniciem expectarent. Denique futurum ut ex hac Regis ejusque partium Protestantium cum Catholicis domi militiaeque coalitione introduceretur in Angliam refixis legibus contrariis plena fidei Catholicae palam mundo exercendae praerogativa, quae vel sola noxiis haeresum spinis ex ecclesiae Britannicae agro averruncandis sufficeret, quod plerique Anglorum uno paenarum, et mulctarum, quae in Catholicos decretae horrore perculsi haeticos plus ementirentur, quam profiterentur. Et hunc quidem in modum Digbaeum apud Pontificem causam orasse, ex ipsa Nuntii responsione mox tradenda aliundeque conjectemus. Nuncius autem a Pontifice per Cardinalis Pamphili litteras super his

consultus, rebus Lutetiae Parisiorum bene pensiculatis eidem Cardinali indidem scripsit litteras Italicas, quarum integram laciniam huc spectantem en tibi tot verbis Latinam.

Regesti. (353) "Cum mihi praecipiat Eminentia vestra ut dicam quid
pag. 94. de scriptura Summo Pontifici a Reginae Angliae oratore porrecta sentiam, scripsi his inclusum discursum quam potui brevissimum, et in omnibus suis partibus eliquatum ex sententiis in quas saepius itum est ab iis, qui magna perspicacia et experientia sunt rerum Anglicarum callentiores. Verum adeo certum est Angliae Catholicos differre opinione a Digbaeo ut ad meam notitiam pervenerit quosdam ex ipsis deliberasse de protestando nunquam ab Angliae Catholicis approbatum in rem ullam ex iis quae ille istic repraesentavit, et ex eorum numero complures credunt illum longe plus loqui ob proprium commodum quam in Reginae vel in causae quam agit gratiam." Hactenus frustum illius epistolae datae Parisiis mense Quintili die vicesima altera 1645. Annexum autem discursum, de quo Nuncius hic meminit, ex Italico Latinum perlegas.

"Responsum ad Memoriale Digbaei."

Regesti. (354) "Si Regi Angliae unaque Ibernis nunc dierum sub-
pag. 88. veniretur et a sua Sanctitate in religionis orthodoxae beneficium destinata auxilia consequenter dividerentur, videtur quod exinde non modo non posset pervenire ad finem Digbaei scriptura propositum, sed etiam maximum eidem consilio afferretur impedimentum. Neque enim Rex in eo rerum statu est hodie in quo suas partes in meliorem conditionem notabiliter reduceret auxiliorum mediocritate, qualia illa forent, quae inter Iberos et Angliam essent partienda. Idque | nedum ob maximam, qua ille premitur, necessitatem, sed etiam ob malum, quibus sepitur, *Protestantium* regimen, qui rem nummariam citra normam obliguriunt, prodiguntque, sicut Cardinalis Mazarinus mihi asseveravit contigisse multis subsidiis a Francorum Rege supeditatis in centena scutorum millia per vicem quae, teste sua Eminentia, omnis fructus irrita ad nihilum reciderunt, unde his suae Sanctitatis subsidiis id ipsum facile succederet ut nec Regi nec Ibernis prodessent.

859
v

(355) "Praeterea nunc temporis ea est Catholicorum Angliae conditio, qua desperant futurum ut Rex velit vel possit ampliorem edere declarationem in sui ipsorum favorem quam hactenus fecit quod haereticis stipatur, qui si ipsum voluntate non intercludant, certe voluntatis manifestandae facultate spoliabunt.

Quapropter idem ipsi Catholici persuasum habent haud aliam ad eum finem pertingendi reliquam esse viam, quam Iberniam ante omnia funditus pacificare ut potentes in Angliam copias transfundat, quae cum ejusdem regni Catholicis unitae adeo fortes vires conflent ut Regi et obsequantur et fraenum iniiciant, atque ad id praestandum quod sibi relictus nequiret et obire libere non valeret, compellatur. Quod apparet liquidum ex scriptura (cujus exemplar ad Eminentiam vestram transmittitur) contexta ab ipsis Angliae Catholicis, me mandante, ab impulsu Parisios ubi, quid super hac re sentirent, saepius intellexi. In quo scripto Eminentia vestra viderit ipsos sibi in rei suae fundamentum sternere ut bona pax in Iberniam contrahatur, et nonnulla sui ipsorum ratio habeatur in illis ejusdem articulis, qui ad Anglorum in civilibus primatum spectet. Caeterum unanimi omnino consensu fatentur hujus regni bonum non posse expectari, nisi interveniente Ibernorum traiectione, ubi patriam suam purgaverint. Quod si res ita se habet Regina, quae suae Sanctitati repraesentat se in eundem religionis apud Angliam restituendae scopum conspirare, non debet cogitationes fovere discordes ab iis quorum interest, et qui plusquam ipsa eodem aspirant.

(356) "Deinde quis non videt tutius esse ex duabus expeditionibus, quae suscipiendae sunt, unam ante aliam ad faelicem exitum perducere, (sicut communis omnium consensus fert Iberniae triumphum conficiendum, dum ad alterum annum integrum exercitus instruatur) quam duabus simul se implicare manifesto periculo profundendi impensas utrobique citra profectum. Et si a veritate non aberrat quod Iberni constanter affirmant, totum scilicet regnum una recenti centies mille scutorum summa in toto collocandum, perspicuum videtur satius esse eam impendere, ubi postea se praebuerit basim omnibus progressibus Anglicanis, quam jam Anglice subministrare ubi (sicut superius dictum est) nullum prorsus fructum afferret.

(357) "Ob has rationes superfluum jam esse videtur bonam Regis aut Reginae mentem tantopere a Digbaeo exaggeratam, introspicere. Fac enim rem ita esse, non tamen eapropter difficultates jam dictae tolluntur. Sed cum cupiam de re omnifariam loqui, subjungere debeo quod | Regem concernit 860
nullum me comperire in ipso usque in diem hanc eluxisse argumentum propensionis in Catholicos, nisi quod eorum in se fides quam experientia comprobavit, efficiat ut de ipsis eo loquatur modo quem cogente veritate persuasum habet. De quibus

assertis illi etiam omnes me docuerunt, qui prudentia et iudicio praediti mecum Parisiis sensa communicarunt. Quod jam ad Reginam attinet, ponamus vera esse illa omnia, quae et in illo regno gessisse et ab adversariis inter fugam tolerasse dicitur, non tamen exinde ejus in Catholicos benevolentia juxta ac par esset demonstratur, non solum quod primi quibus cingitur consilarii sunt haeretici, sed etiam quod de Ibernis ab his perturbationibus satis aspere locuta, rebellionis insinulavit, et ad ultimum declaravit se nolle me in Nuncium agnoscere, quod (inter alias rationes) ad populos rebelles destinatus fui. Quae opiniones eo magis a sinistra nota Ibernorum consilium vindicabunt, quod scilicet ipsis decretum sit potius sibi apud se de securitate prospicere, deindeque Principi generose subvenire, quam sine debita satisfactione et media inter facinora in ejus fidem venire cum probabili periculo accersendi in se persecutionem implacabilem.

(358) "Una sola objectio possit considerari illaque est quod, si Parlamentarii cum Rege pacem inirent, actum esset de Iberniam, una siquidem et altera pars in ipsam conjurarent. Cui mea sententia in responsionem satis fuerit dicere quod auxilia, quae a sua Sanctitate postulantur, cui Regi in integrum restituendo paria non sint, haud praefatum periculum tollerent, et in illo casu subsidia incassum profunderentur, nec plus nec minus eandem aleam subiremus. Quin et Iberni alterius adjungunt regno suo in libertatem semel asserto, futurum ut ipsi nec ab harum duarum nationum viribus faedere connexis sibi metuerent. Quod praeter multa alia antiquitatis experimenta confirmant exemplo Comitum Tironiae, qui solius Ultoniae copiis annos sedecim bellum sustinuit in Reginam Elizabetham ea tempestate, qua Magna Britannia omnibus partibus erat potentissima simul et florentissima.

(359) "Hoc totum ita dicitur ut non vocem in disceptationem, ut cum expediat ut Summus Pontifex hoc auxilio (si suppeditandum sit) Regem Angliae qui est haereticus, recta impertiat; vel (modo in eam sententiam eatur ut Angliae Catholicis concessum habeatur) nunquid similiter conveniat ut sua Sanctitas id ante praestet, quam eluceat in Rege manifestum aliquod, et constans versus religionem Catholicam propensionis argumentum quo velut futuri fundamento sit innitendum. Parisiis 21 Julii 1645." Haec ibi.

(360) Ad hanc Nuncii de Digbaei Memoriali censuram respondit

idem Cardinalis Pamphilus litteris Italicis Roma ad Nuncium Parisios scriptis 14 Augusti 1645, idque notis privatis, quas hic Latine legeris :

(361) "Magnae prudentiae plena sunt Dominationis vestrae de D. Digbaei Memoriali sensa scripto illo cum suis litteris hic transmissis expressa, quae cum iis, quae hic suspicabamur, collata efficient ut in responsionibus eidem | Digbaeo faciendis
recepit majores suppetias pressius urget. Verum sua Sanctitas
nisi perinde in Iberniam atque in Angliam in certum Catholicae
religionis beneficium cedant se rebus illis non vult implicare.
Dominatio Vestra tantum modo suam profectionem expediat.
Cum enim in Iberniam pervenerit de rerum illarum cursu rationem
melius reddiderit, et procedendo juxta suas *Instructiones* pro-
fecerit Catholicae religioni unico scopo suae Missionis et mentis
suae Sanctitatis." Haec ibi.

860
v

(362) Ut ego expediam quidquid nunc de hac Digbaei legatione dicendum superest, video Regem et Reginam non tam de Catholicis bene quam Catholicos de ipsis fuisse optime meritos, nec Summo Pontifici in Regem Reginamque defuisse benevolentiam, sed constitutum a Deo familiae suae et patrimonii ecclesiastici dispensatorem inter magnas ecclesiae in Turcas et haereticos multis in locis simul bellantis necessitates undequaque suppetias rogatum non potuisse omnium votis respondere, eamque ob causam redditus ecclesiasticos illis usibus prudenter decrevisse, quos ad fidem propagandam nedum utiles sed inter tot utiles judicaret utiliores. Quare nec conjecturas, nec verba, sed rem ipsam quaerebat, nempe ut Rex Angliae ad Ecclesiae gremium rediret, vel certe leges in odium fidei ac fidelium latas refigeret, et Catholicos sua autoritate in eum revocaret civilis aequae ac ecclesiastici regiminis statum in quo et Monarchiae Britanniae longe melius consultum iretur, et res ipsa in medio posita tanta Regis Reginaeque in Catholicos benevolentiam demonstraret, idque via adeo in adversariorum malitiam bene munita ut penes haereticos consiliarios non esset quicquam moliri in contrarium. Quod cum Digbaeus praestare non posset, mansit Romae per aliquot deinde menses nunc Reginam, nunc Pontificem sollicitans. Cumque Regina in re tanti momenti non nisi ad Regis consilium ex Anglia significatum ambularet, ivit in longum Digbaei legatio, cujus demum quis fuerit exitus suo loco non

sil bimus. Interea Pontifex in omnem eventum Digbaeo elargitus est subsidia Regi Reginaeque transmittenda, sed minora quam concessisset, si conditionibus in Iberniae et Angliae Catholicorum favorem petitis acquievisset, sicut et postea re ipsa sub iisdem conditionibus longe majora suppeditanda decrevit. Dum autem haec Romae in motu essent, alia Parisiis ad pacem cum Ibernis contrahendam adhibebantur conamina a Regina, quae (sicut superius vidimus) Nuntium per internuntios ad ipsum adducere conata est, oblata Ibernis in cautionem Reginae Regentis Christianissimae fideiussione, quo spectat Nuntii ad Cardinalem Pamphilium 14 Julii data epistola Italica quam tibi Latinam effecimus.

861

(363) "Triduo jam elapso D. Germinus, primus Reginae Angliae consiliarius, venit a Sancti Germani oppido rogatum verbis suae Majestatis Cardinalem Mazarinum, ut se paci inter Iernos et Regem ineundae interponeret, qui et protulit ipsam a marito ad id negotium sufficienti esse instructam mandato et facultate. Sua Eminentia hujus instantiae secretarium | Ibernum, qui istic fuit, et Patrem Hartaganum monitos habuit, jussitque, quae circa rem hanc regno in votis esse scirent, scripto tenus postulata interponerent. Mihi aequum visum fuit ut omnis in hac occasione demonstraretur animi promptitudo ad pacem cum sua Majestate contrahendam, quo vires utrinque unitae ad communes hostes profligandos converterentur, et autor fui ut (sicut et factum est) conditiones alias ultra modum prolixae in pauca capitula redigerentur, ne nimia postulorum copia excrescerent, et clausularum multiplicitas totius rei cardini caliginem effunderet. Obtulerunt etiam operam Hartaganus et Secretarius ad tutum negotium cum praefato Germino coram D. Cardinale sincere discutiendum et tuendum omni ratione, qua non dubitet Rex futurum ut illi populi intemeratum ipsi obsequium exhibeant, modo quae ad religionem pertinent sarta tecta reddantur.

(364) "Haec sollicitatio novum artificium ad moram imponendam non modo meae profectioni et aliis auxiliis, quae aliunde praeparant, sed illis etiam progressibus quos nonnulli ex clade partibus Regiis illata successuros arbitrantur excogitatum censetur. Quare dum hic negotio insistetur, ego me viae committendi nullam, qua hactenus admisus sum, praetermittam, nec latum unguem eadem sollicitudine desistam, sperans fore ut propediem armorum apparatus ad portus transportandum

curem, et mihi cum Domino Cardinale de transfretandi modo navibusque conveniat. In orando Dēo multus ero ut faelici successu tractatum secundet. Si enim Iberniam ante Regi conciliata esset quam ego me in viam darem, superessem mihi in trajectu et plures qui protegerent et pauciores qui invaderent, et praeterea divinae Majestatis adjutorio sperarem me in rebus ecclesiasticis utiliter administrandis eo magis progressurum, quanto animus a rebus politicis liber mihi permetteret continere vassallos bene affectos in suum principem salva semper et illaesa causa religionis." Hactenus dicta epistola.

(365) Porro pacis hujus conditiones a Patre Hartagano, Societatis Jesu, Limericensi, tunc in aula Gallicana Faederatorum causam procurante, et a D. Richardo Bellingo, Faederatorum Concilio Supremo a secretis, Reginae Angliae et Cardinali Mazarino ut ratae fixaeque haberentur oblatas et Nuntii jussu (ut ipse hic dicit) in pauca verba contractas ex lingua Gallica, quae cusae erant, Latinas subjungo :

(366) "1°. Ut per totam Iberniam religio Catholica iterum stabiliatur, et ecclesiae omnes cum earum bonis, juribus et jurisdictione, perinde ac in Gallia fit, praelatis, pastoribus et clero Catholico restituantur.

(367) "2°. Eodem ritu et modo quo Catholicis temporibus fieri consuevit Parlamentum convocetur, in quo statuta omnia Catholicae religioni et professoribus praejudicantia refigantur. Indigenarum oppressiones et gravamina omnia resarciantur, et de regni defendendi, ac hostis, qui in castris est, reprimendi ratione prospiciatur. |

(368) "3°. Ut regni gubernatio, praefecturae et officia Catholicis ibidem collocatis et residentibus in manus reddantur, et nobilium pupillorum tutelae curia e medio tollatur sine detrimento reddituum suae Majestatis. 861
v

(369) "4°. Ut in proximo Parlamento jubeatur lex declarans Iberniae Parlamentum esse ex semetipso liberum Parlamentum ab Angliae Parlamento independens et nullatenus subordinatum, et Iberos suae Majestati coronae jure immediate esse subditos.

(370) "Haec postulata eorumque similia quadrant ad sensa Faederatorum Catholicorum Iberniae." Hactenus illi.

(371) Quid autem Cardinalis Pamphilius ad praefatam epistolam responderit habe ex autographo Italico, praetermissis

ultimis lineis ad aliud negotium pertinentibus adeoque in alium locum referendis.

(372) "Multum Illustris et Reverendissime Domine uti frater. Ad trinas Dominationis Vestrae litteras super Iberniae rebus mensis superioris die 14^a datas in responsionem dicere debeo suam Sanctitatem desiderare imo praecipere ut Dominatio vestra quam primum istinc discedat, et omni celeritate in illam insulam trajiceat. Sua Sanctitas et in promptu, et in tuto navigium, arma, et apparatus expeditum et omne obstaculum quo Parisiis ulterius detineatur sublatum esse supponit. Reginae Angliae preces procurante Domino Germino D. Cardinali Mazarino significatae ut sua Eminentia se interponat et pacem ab Ibernis cum Rege ejus marito pangendam curet, etiam si sinceræ essent et ab illis artificiis, quorum suspicione Dominatio vestra tenetur, longe abessent, non sunt cur ad suum in Iberniam iter intermittendum moveatur. Nos siquidem credimus quod prope Supremum illorum Catholicorum Concilium, quam istic, in orthodoxae religionis favorem utilius operetur. P. Hartaganus aliique in causam Catholicam bene affecti et Dei atque illorum populorum obsequio animum intendentes non negligent tractatibus, qui istic cum Cardinale peracti fuerint, omni diligentia assistere, persuadere, et respondere juxta legitimarum instructionum tenorem. Vadat ergo hilariter Dominatio Vestra, nec nova illa molitione a profectione retardetur. Tempus enim plus nimio protraximus et Dominatio Vestra nec non subsidia Pontificia valde in Iberniam sunt necessaria. Romae 7 Augusti 1645.

Dominationis vestrae uti frater benevolentissimus
C. Cardinalis Pamphilius."

(373) Haec epistola non aequè cito Parisios perveniat atque Romae scripta fuit. Quare Nuncius aliis, atque aliis impedimentis, de quibus inferius sermo redibit, detentus non adeo cito Parisios valere jussit. Porro praeter alia Romam interim significata de hac pace velut Parisiis concludenda haud semel mentionem fecit. Nam ad diem mensis Julii decimam D. Germinus, natione Anglus, religione haereticus, quem Nuncius Reginae Angliae a consiliis fuisse scribit, Reginae nomine Cardinali Mazarino hanc pacem ineundam proponit. Ille rei se interponens P. Hartaganum, D. | Bellingum tunc Parisiis cunctantem monet, conditiones, quas ab Ibernis postulandas arbitrentur, chartae

mandent. Dictum, factum. Inter haec cum Nuncius Reginam Angliae nisi ritu solemniter visitare nollet, et illa publicam visitationem recusaret, privatam autem desideraret, intervenerunt demum illa amborum urbanitatis officia mutua quae et eos quorum ministerio exhibita fuere, jam fuse in medium produximus, et inter has etiam visitationes per internuntios factas Nuntius Reginae Angliae verbis instantissime rogatur ut Parisiis pedem figet, donec haec pax iam proposita, et agitata absolvatur. Magno ergo huius pacis desiderio et spe lactatus manet sed aliunde praepeditus; verum pax illa non ponitur sed proponitur, adeo ut causae cogitatio videretur ludicra et umbratilis. Quare re jam intermortua Nuntius litteris die Augusti undevigesima ad Cardinalem Pamphilium exaratis: "*Aequum duxi* (inquit Italice) *hic transmittere ad Eminentiam Vestram quatuor Capitula diebus hisce praeteritis D. Cardinali Mazarino a Secretario et Hartagano praesentata, quando de Tractu Parisiis introducendo cogitabant.*" Deinde vero in altera ad eundem epistola 3^o Augusti de Regina Angliae vulgari Italorum idiomate mentionem faciens: "D. (inquit) Cardinalis Mazarinus, qui nudius tertius ipsam visitaverat, mihi retulit egisse secum de procuranda pace inter Regem et Iberniam quoad ejus fieri potest tractanda et concludenda hic in Francia, sicut caepit mense jam elapso." Haec ibi.

Regesti.
pag. 119.

ibid.
pag. 125.

(374) Itaque pax illa Parisiensis ibat, et redibat, nec tamen ibat, nec redibat, quam Nuncius nunc sperabat, et optabat ineundam, nec verebatur ne in sui remoram adhiberetur vel nescio cui alii praetenderetur molitioni. Cumque Summo Pontifici per litteras Cardinali Pamphilio, Pontificis nepoti, directas ne forte et ipse vel a Digbaeo Reginae Angliae oratore, tunc ipsum apud Urbem sollicitante, vel alia via circa eandem pacem deciperetur cavendum haud semel intimasset, responsionem retulit ab eodem Cardinale epistolam Italicam die Augusti vigesima altera notis privatis exaratam, quam Latine subjungo:

(375) "Ne in minimo quidem decipimur haud dubitantes quin Tractatus pacis inter Regem Angliae et Iberniae Catholicos a Regina Angliae istic proxime propositus cito in fumum abeat, etiamsi illis artificiiis, quae semper suspicati sumus, velut quoddam velum haud obtentus fuisset. Quamdiu enim Rex et Regina eorum, qui ipsis assistant, Consiliariis ducti fuerint, nihil unquam boni concludetur, et si Commissarii ab Ibernica ad Regem, et ad Ormoniae Marchionem allegati, quanquam ejusdem Marchionis

862

v

factioni addicti, cum partibus Regiis illic non convenerint, multo minus credendum fuit Regem illius pacis contrahendae facturam potestatem Cardinali Mazarino, a quo nihil prorsus quod ad religionem Catholicam pertinet in sui favorem transigendum expectaret. Auxilia a sua Sanctitate D. Digbaeo subministrata non talia sunt, quae Ibernii aliis invideant, nam Summus Pontifex ipsos sublevandos in praecipuum sibi scopum semper praefixit, praefigetque, et omnia alia subsidia quae suppeditabit, ad illos bonos Catholicos in tuto collocandos destinabantur, nec unquam in | hoc sua Sanctitas mihi sibimetipsi constans erit. Dominatio vestra suam discessionem in Iberniam urgeat. Nam sicut quae a P. Scarampo et aliis illic in causam communem bene affectis recipiuntur litterae ferunt, nulla Dominationis vestrae dilatio pessimos effectus non pariat cum anni tempus expeditionibus bellicis aptum ad suum finem properet." Hactenus illa epistola.

Regesti.
pag. 101.

(376) Ad eundem diem altera vicissim a Nuntio ad Cardinalem Pamphilium 4^o Augusti Italice exarata Romam pervenit, qua Nuncius juxta litteras Galliae Nuncio ordinario a P. Scarampo, Ministro Pontificio, ex Ibernii missas Cardinalem Pamphilium de rerum Ibernicarum statu edocebat. Illam hic Latine subnecto :

(377) "Unae litterae 24 Junii Illustrissimo Domino Nuncio ordinario a P. Scarampo scriptae hac septimana ad ejus manus pervenerunt. Quibus ille ostendit se nondum certo didicisse nunquid ego Parisios appuli, vel si appuli nunquid adhuc ibidem me teneam, iisdemque dicit quod generalia Regni Comitia tunc in finem vergerent et ardentiori quam unquam antea animorum contentione in eas, quae ad pacem cum Rege paciscendam conducerent, occupationes incumberent, adeo ut diebus illis ultimis commissariis in eum finem compluribus vicibus Dubliniam legati fuerint. Quapropter ipse, ubi Concilium secum circa rem illam nihil communicasse animadvertisset, optimum factu judicavit Kilkennia discedere, ne interesset cum pax religioni Catholicae noxia concluderetur ; quod ille ne futurum sit se magnopere vereri declarat, vocans illam conventionem (si successerit) *funestam*. Sunt ipsius verba.

(378) "Hujus epistolae argumentum id effecit ut dubitem ne ingenuitas, qua usque in diem hanc Ibernii nullum unquam pacis genus contrahendum plane mihi affirmaverant, non nihil coeperit artificii quo me quantocyus in regnum pellicerent, et in

honoris quo a Sede Apostolica praeveniuntur possessionem intrarent, ita tamen ut suspicio alicujus pactionis parum utilis reipsa ob magnas in quas Protestantes incubuerunt molitiones, et ob conatus opera eorum quos illo deputarit (de quibus perinde ac de hac mea haesitatione Eminentiam vestram ad ineuntem Julium edocui) ab ipso Rege adhibitos plus nimio veritatem redoleat, nisi credere malimus ipsummet P. Scarampum prae desiderio bene fungendi suo munere, et prae horrore videndi nunc demum solo aequatum id totum quod sancte aedificaverat, plus timuisse quam convenerit, sicut ipsimet Iberni vellent, ego mihi persuaderem.

(379) "Etsi autem idem pater (quae sua modestia est) in epistola subjungit futurum ut haec pericula diminuta fuissent si ego appulissem, ipse tamen haud tantum mihi arrogem ut credam idoneum me evasurum ad impediendum id quod ipse diuturna Nationis consuetudine et propriae probitatis exemplo non potuerit. Praeterea cum illos Catholicos non lateat me a sua Sanctitate fuisse destinatum, Parisios appulisse, et esse in procinctu ad navigandum, cumque ex meis litteris ad Concilium | datis et nunc traditis suae Sanctitatis promptitudinem et meum 863 in ea expeditione amplectenda jubilum didicerint ne haec ipsis ad pacem illam suspendendam in fraenum sufficiant, credo quod nec meus appulsus ad ipsos in officio continendos profecisset. Quare Deo gratias egi quod cum ad exeuntem mensem Maium me huc conduxerit et primum aegritudine percusserit, deindeque multis remoris et rebus Lutetiae Parisiorum necessario extricandis implicuerit, eo etiam me redegerit, ut licet omnia ab initio praecipitasset, haud tamen ad portus, nisi Comitiiis me recipere valerem, proindeque subiissem discrimen recipiendi illa nuncia sub ipsam navis conscensionem, vel certe quod pejus fuisset, mox ab excensione in terram idque cum ambiguitate molestissima quid mihi esset deliberandum.

(380) "Cogito ergo (sicut ante mensem facturiebam, sed Iberni me sententia dimoverunt) de D. Carolo Francisco Invenitio cum aliquo alio in Iberniam praemittendo cui eorum, quae de facto pacta fuerint, admonendi mei cura incumbat, ut eundem sit, an non, mecum statuam, in eum autem finem ita in itinere progredi conabor, ut recepta ejus monitione, nihil supersit exequendum praeter itineris continuationem, nisi tamen interjecto tempore reciperetur certitudo de contrario secundum Ibernorum expectationem. Illo enim casu nemine praemisso ipse subito transfretarem." etc. Hactenus illa epistola.

(381) Annexa quoque fuit in eodem litterarum fasciculo, altera eodem die, ab eodem ad eundem data, quam inter recensendum modum quo Regina Angliae et Nuntius in mutuis visitationibus per internuntios se gesserant, Reginae et Nuntii mutuas (Reginae sacellani et Equitum Anglicorum intercursu) mutuas benevolentiae et urbanitatis protestationes ac Reginae praecationes nec levia rationum momenta ad Nuncium, quo paci inter Regem et Iberos componendae etiam Parisiis se immisceret, et insuper Nuncii propensionem in id ipsum cum latentis molitionis suspicione conjunctam, quem binarum litterarum fasciculum ut Cardinalis Pamphilius receperat et cum Summo Pontifice pro more communicaverat post epistolam notis privatis 21 Augusti Nuncio scriptam, quam proxime Latine translatum vidisti, aliam ad eundem 28 Augusti notis pariter secretis exaratam fulminavit, quam hic Italico in Latinum convertimus :

(382) “ Quamquam sua Sanctitas sibi persuadet Dominationem vestram jam Parisiis abscessisse, et consensioni in navigium ad solvendum in Iberniam impendere, pressam scilicet exactis mandatis suae Sanctitatis nomine Dominationi Vestrae ultima epistola a me significatis quo suum iter prosequeretur, si tamen obtingat ut usque modo in ista Aula se teneat, sua Sanctitas imperavit ut ego ipsi significarem quod mature hic perpensis iis, quae Dominatio vestra intimavit et notis privatis et epistola plana 4^o currentis jam mensis die scriptis circa suum commorationem istic, vel respectu tractatus pacis inter regem Angliae | coram Domino Cardinale Mazarino introducendum praetendit, vel quacunque alia occasione, sua Sanctitas vult ut Dominatio vestra iter suum Iberniam versus arreptura subito discedat, nec ullam interponat procrastinationem, cum sua Parisiis diuturna mora magnum illorum Catholicorum rebus praejudicium attulisse existimetur, et quo diutius istic demorabitur eo magis illa damna excrescant. Porro quamvis nullum credatur occursum in procurando navigio obstaculum, si tamen naves Gallia mox instructas, et tutas non subministret, in ea sententia est sua Sanctitas, in hoc non obstante Dominatio vestra in Iberniam trajiciat, et quo in illam insulam maria festinanter transmittat, nonnullo ex Dunkercae myoparonibus vel alia id genus commo-
ditate utatur. In summa et sensum et mandatum est suae Sanctitatis ut Dominatio vestra nec Parisiis, nec in Gallia ulterius cunctetur, sed celeritate quo ad ejus fieri potest maxima et via

itu faciliore et brevior in Iberniam naviget, nec se boni etiam majoris illis Catholicis (si Parisiis amplius haereret) successuri spe allectari permittat. Hisce tantopere absolutis, et praecisis imperatis arbitratur sua Sanctitas Dominationem Vestram, seclusa omni replicatione obtemperaturam. P. Scarampus avet cito videre Dominationem vestram in Iberniam, quo ipse in Italiam confestim regrediatur. Verum sua Sanctitas statuit ne Pater absque novo suo praescripto discedat, sed aliquot menses Dominationi vestrae assistat, ipsam de modernis negotiis edocuturus et opem laturus ubi necessitas postulaverit." Haec ibi.

(383) Receptis autem Romae ad eosdem dies litteris ex Iberniam ab iis, qui Nuncii appulsum in insulam studerent, nec non aliis quae 11^o Augusti ab ipso Nuncio circa eandem pacem Parisiis contrahendam et suum cum Cardinale Mazarino de Rege Angliae ex Iberniam et Gallia adjuvando secretum compactum, aliaque hisce litteris suo rerum ordine superius ad longum Latine redditis contenta, scriptae fuerant, Cardinalis Pamphilius post illam 28 Augusti datam et aliam septiduo interjecto 4^o Septembris notis pariter secretis ad eundem rescripsit epistolam, quam hic ex Italica Latinam perlegas.

(384) "Sua Sanctitas non ardentiori flagrat desiderio quam ut audiat Dominationem vestram in Iberniam appulisse. Cum enim (sicut litteris aliunde receptis didicimus) jam de pace inter Regem Angliae et Iberniae Catholicos serio agatur, sua Sanctitas judicat opus esse illic Dominationis vestrae praesentiam, quo Concilium Supremum animet ad insistendum acriter articulis praefinitis ad usum liberi exercitii Catholicae religionis in tota insula, et obviam eat illorum Catholicorum opinioni, qui se sola *Conscientiae libertate* contentos ostendunt. Hi magno illic sunt numero vel ab Ormoniae Marchioni seducti vel fucatis commodis inescati, quare facto opus est Dominatio vestra iter acceleret et nec istic nec alibi gentium in Gallia moram nectat, sed se in navem semel recipiat, et ea, quam ipsi optamus, faelicitate proficiscatur. Navigia Regis Galliae naulo conducta ipsam secure in Iberniam trajicient, praesertim si quod sibi Dunkercae comparasse dicit duo myoparones praesto fuerint. Quod si ad ducatum ipsi praebendum et cum dictis navibus stipandum instructi non sint, vult sua Sanctitas ut in eorum expectationem Dominatio Vestra omnino nullam, ne unius quidem diei, | moram 864 faciat. Dominationis vestrae commoratio Parisiis modum excessisse censetur, et Scoti non eos forte de quibus scribit in

Ultonia progressus fecissent, si res nummaria, quam Summus Pontifex suppeditaverat, in hujus anni expeditionem bellicam tradita fuisset. Sicut debuisset juxta calculum ad quem res hic revocabantur damno quod ex subsidiorum nostrorum retardatione successit remedium afferri nequit, sed reliquum est ut Dominatio vestra nullam non amputet cunctationem, ne detrimenta ingravescant et afflicti illi Catholici qua Dominationem Vestram cito praesentem anhelabant spe hactenus confortati animum funditus despondeant. Nec nunciorum, quae de eorundem Scotorum progressibus sparguntur, incertitudine, nec P. Scarampi metu, nec ipsi a Regina, Cardinale Mazarino et Principe Condaeo factis pollicitationibus retardetur. Nam primis, velut fundamento, nemo niti potest, quod autem caetera concernit, demandetur Ibernorum Agenti, qui Parisiis residet, provincia recipiendi pecunias suppeditatas et alia omnia ab iisdem Principibus contribuenda, quae Dominationi vestrae promiserunt.

(385) "Ad Reginae Angliae in Iberniae Catholicos affectionem quod attinet, quam Dominatio Vestra *Spinolae* interventu sibi innotuisse praetendit, et in ipsos esse sinceram sibi persuadet, hic necessarium ducitur ut ante cum P. Scarampo conferat et ejus opinionem degustet, quam suam ea super re sententiam ferat, quo facto viderit nunquid Reginae hactenus opera ejus eatenus verbis respondeant. Sunt Iberni suspiciosissimi, quare cum ipsis magna cum circumspectione agendum est, ut ipsis non detur occasio suspicandi ne Dominationis vestrae animus fuerit a Reginae Ministris vel ab ipsa Regina occupatus, quod scilicet ad ipsa rerum agendarum primordia se monstraret ad ejus partes inclinatam, et persuasum iret propendere in eorum causam suae Majestatis affectiones, cum ipsi ex multis indiciis justa moveantur ratione eam existimandi longe aliam.

(386) "Nec minore Dominationi vestrae utendum est prudentia inter loquendum de subsidiis, quae sibi a Cardinale Mazarino elargienda dicit. Cum enim haec fere semper conjungantur cum reciproca pollicitatione habendi militum delectum in Galliae favorem, aegre ferrent Hispani quod se ejusmodi rebus tractandis interponeret, et Summo Pontifici maximopere displiceret quod Dominatio vestra ab illis optimis mandatis deviaret, quae in suis *instructionibus* tantopere ipsi injuncta fuere." Haec ibi.

(387) Ex his omnibus, quae circa hanc pacem Parisiis contrahendam hactenus retuli, constat quas in hoc theatro partes egerint, et in quae studia abierint Regina Angliae, quae hanc

pacem Parisiis ineundam, si non studebat certe studere videbatur, Regina Regens Christianissima, cujus fidejussio de hac pace praestanda offerebatur, Cardinalis Mazarinus, qui Reginae Angliae hanc apud Nuntium causam urgebat, ipse Nuncius, qui ad conventionem illam Parisiis paciscendum ita bona semper fide cooperabatur ut ludum politicum timeret, et Summus Pontifex, omnium oculatissimus, qui per Cardinalis Pamphili litteras negotium nihili ne teruncii quidem faciendum indicabat. Porro nec vidimus Regem Angliae mandatum (de | quo procurando superius mentionem fecimus) ad hanc pacem contrahendam misisse, nec rem aliter mandatam fuisse executioni. Unde conjectarunt maximi et prudentissimi viri nihil fuisse aliud quam iniectam Nuntio remoram, qua vel nullo modo vel certe tardius in Iberniam se conferret, quo (ut alia longe plura et majora hic silentio praeteream) pax inter Regem et Iberos in ipsa interea insula (misso illuc in eum finem ex Anglia Glamorganiae Comite) longe facilius et conditionibus Catholicae religioni minus aequis pangeretur, et subsidia pontificia Iberniae sublevandae decreta cum Catholicorum Iberniae et Angliae viribus ad Regem adversus Parlamentarios adjuvandum in Angliam derivarentur. Quod ipsum Pontifex, Nuncius, et Catholicae partes ab ipsis stantes ita percipiebant, ut ante reliqua Iberniam haeresi prorsus et haereticis atque omnibus haereseos vestigiis purgatam vellent.

(388) Abeunte in tenues auras ludica illa et umbratili pace Parisiensi, Nuncium tamen alia indies nascentia, et renascentia negotia Parisiis occupabant, quorum haud ultimum fuit cujus ipse initium, progressum, et pene finem ac circumstantias notatu dignissimas scripsit Parisiis Romam ad Cardinalem Pamphilium litteris Italicis 14 Julii datis, quas Latine versas habe.

Reg.
pag. 81.

(389) "Quaedam ex multis personis ad pietatem propensissimis compacta congregatio occupatur hic Parisiis non solum Sanctissimi Sacramenti obsequio, sed eadem etiam occasione in exequendis multis magnae aedificationis actis et institutis eorum, qui in haec opera incumbunt. Unus est Dux de Vantadour, dynasta apud Galliam principalis, qui exemplo mirabili ex communi uxoris consensu facto cum ipsa divortio ita cum istius Sanctae Sedis dispensatione in sacerdotem se induit, ut illa ad maximam sui laudem in Monasterio *Ciamberienti* vota monastica emiserit. Hic satrapas, qui modo vivit totus exercitiis ecclesiasticis immersus, mihi cum aliis suis collegis saepe retulit suam ipsorum Congregationem ab aliquo jam tempore deliberasse

magnum aliquod mutuum dare subsidium Catholicis Iberniae ut, illo regno ejusmodi ope a Puritanis in libertatem vindicato, se deinde eodem medio in Angliae Regem adversus Parlamentarios adjuvandum totis viribus impendere valerent. Summa pertingeret ad centena *scutorum* millia in unum collecta a majore illorum confratrum parte, qui cuperent res numaria in solis impensis militaribus utiliter collocaretur, et cum decretum fuerit mittere unum vel plures, qui solutioni praesint, postulant locum aliquem tutum in quem rebus sinistre succedentibus vel hominibus inopinato voluntatem mutantibus se reciperent. Audito ego ab iis, qui praesentem Iberniae statum probe norunt, quod id genus summa alteri quam istinc porto, adjuncta facili negotio ab hostibus insulam illam prorsus assereret, addidi maximopere animum illis proceribus et operam dedi ut ipsis persuaderem, ne ejusmodi actione prosequenda non minus coram mundo gloriosa quam apud Deum meritoria, ullatenus supersederunt. Verum cum de satisfactione quam postulant, nec ego, nec qui hic sunt alii nisi Supremo Iberniae Concilio consentiente statuere valeamus, author fui ut aliquem mecum in regnum | illud nullatenus non destinent. 865 Negotium enim hoc statim atque appulero communi sententia statuendum spero, et Concilium haec nova commoditate allec- tandum ad consentiendum in omnem deliberationem rationi consentaneam. Hunc in modum inter nos convenit et ille, qui una mecum transfretaret, designatus fuit, in quo disciplina militaris et morum sanctitas societatem coierunt, sed audita quam Parlamentarii supra modum extulerunt clade Regi Angliae illata, nonnihil congregatio refrixisse videtur, velut quae Iberniae triumpho non tanquam meta sed tanquam gradu quoad alteram Angliae victoriam ascenderet, et quo Regem etiam ad veram religionem semel attrahendum speraret uti vellet, proindeque jam timet ne, ad quam ille delatus est perniciēs hujus operis filum intersecet, et ardui adeo factionis proposita obrumpat. Ego interea omnibus viribus contendi Duci et collegis persuadere, non modo quam exercitus Regius fecerint jacturam non esse irreparabilem, (ex aliis enim partibus nuncia ferunt copias ab ipso quam primum supplendas, et futurum ut bellum reddat utrinque anceps, sicut huc usque semper fuit) sed etiam licet Rex pessum iret, non tamen continuo desistendum esse subsidiis Iberniae suppeditandis, cum hoc sit opus, cui annexum sit proprium meritum, et quamvis hoc tempore ad sublimiorem finem non conducat, aliis tamen atque aliis temporibus conferat secundum providentiae dispositionem, cui nec mensura nec lex prae-

scribatur illam quadrando humani desiderii. Parisiis 14 Julii 1645."

(390) Non deerant qui lynceis in politicorum abdita et adyta introsipientes prudenter cavendum arbitrarentur, ne subsidia illa novum esset inventum ad Nuncium diutius Parisiis retardandum. Aliis videbatur metuendum ne charitas illa alter esset Equus Trojanus, quod annexam habebat conditionem permittendi aliquam Iberniae urbem vel propugnaculum in illorum Gallorum potestatem qui, dum subsidiis in milites Iberos distribuendis praeessent, suis forte militibus ex Gallia submittendis portas demum reserarent. Etsi enim Ducem de Vantadour et in eo negotio collegas sola, eaque pro more, eximia pietate duci non dubitarent, verebantur tamen ne vel ipsis insciis vel inconsultis, vel certe proposita majoris virtutis larva deceptis, nescio quis si non retro insidiaretur, et sibi fraudulentam pietatem in viam ad alium finem muniret. Non pigebit epistolae 21 Julii datae laciniam et aliam integram Nuncii de his aliisque subsidiis Gallicanis ad eundem Cardinalem Pamphilium 11 Augusti Italice scriptam hic Latine poteris mandare. Primae frustum sic se habet: "Majestati (inquit) Reginae Regentis ob navium, quae mihi praeparantur, commoditatem jam gratias egi, ipsamque ulterius in Ibernorum levamen tanta corona dignas supplex rogavi suppetias juxta ad licentiam similiter postulandi subsidia a multis optimatibus, qui magnis hic pietatis stimulis aguntur. Hanc jam obtinui, ad illas vero auferendas bonae mihi voluntatis demonstrata fuit inclinatio, et staturum habeo meas antequam discessero, partes agere, et plerosque ipsorum alloqui, sperans fore ut multi forsitan hoc stimulo longe magis moveantur, et gaudeo me gloriae nunquam antea expertae futurum esse participem, qualis est fidei causa mendicandi faelicitas." Hactenus illius epistolae 21 Julii datae lacinia. Jam epistolam integram 11^o Augusti exaratam subdo.

(391) "Ad egrediendum (inquit) Parisiis minori cum strepitu me cum familiae parte Carnutum conferre cogito, Assumptionis festum apud illam Virginem miraculosam celebraturus. Nolui (sicut non nemo monitum vellet) simulare me profecturum una via et e mentita specie pergere per aliam, non enim eo est robore mea corporis constitutio, ut occultus absque comitatu necessario itinerari valeam. Unde semper ridiculum mihi videbatur quod possem illos hunc in modum fallere, qui mihi insidiarentur. Cum enim Parlamenti Anglicani agens hic

865
v

Reg.
pag. 64.

se teneat credere debeo nulli hisce diebus magis intentum fuisse occupationi quam ut vias actionesque meas observaret et expiscaretur.

(392) "D. Cardinalis Mazarinus naves mihi quaternas Regis nomine conductas, suaeque Majestatis vexillum commodat, additque mihi in ipsis obsequium perinde ac sibimet praestitum iri, nec tamen propterea vult penitus securum reddere quod adversarii non sint aggressuri, nec demum illaturi. Equidem dicit se credere non facturos impetum nec ullum instare periculum, eamque statim subjungit inutilem consolationem fore scilicet ut si involaverint opus sit ut nihil omnino non restituant. Ego mecum deliberavi majus mihi impensarum periculum si per Flandriam iter tenerem, quod toto Angliae *canale* navigandum esset, et me itineris longitudine et impensis maximis exhaurientum si per Hispaniam proficiscerer, proindeque satius esse me in viam dare Rupella, ex quo portu potero quam celerrime spatium in altum et procul a Canale deflectere, relicturus Deo Benedicto nonnullam partem in prosperanda expeditione, quae tota in sanctum sui cultum tendit, cujus omnes quos cum discrimine fecero, passus mihi apud suam divinam Majestatem in meritum imputabuntur.

(393) "Nec silentio praeterierim me jam Dunkercae mihi prospexisse de celocibus binis, quibus in Ibernica ad epistolatorium commercium utar. Trajiciam etiam ipsis plus vallatus et in omnem eventum earum velocitas refugio fuerit et praesidio, sed et D. Cardinalis Mazarinus impendio probat quod eas conducam.

(394) "Hic etiam pulchra foveor spe me ab eodem D. Cardinale aliquot scutorum millibus (juxta promissa octo jam mensibus elapsis facta) impertiendum. Confido Reginam pro sua parte simile quid facturam et forsitan D. Princeps Condaeus non nihil elargietur, quin etiam a corona ad arma extrahenda exemptionem a vectigalibus nonnullumque aliud auxilium impetramus et tres vel quatuor machinas bellicas dono expecto. Complures alios particulares alloqui mens fuit, sed eo mea diligentia non pertigerit. Nam tempus, et abeundi festinatio obicem posuerunt, usque adeo ut cum Duce de Vantadour inchoatum, de quo jam scripsi, negotium infectum relinquam. Sed qui ipsum sollicitare non intermittant, designabo.

(395) "Proficiscor contentus et honoribus ab omnibus hominum ordinibus cumulatus. Nemo quippe me humanitatis officiis, aestimatione, et visitationibus non est dignatus, excepto Domino

Cardinale Lugdunensi, qui eundem, quem Lugduni cum illac transirem observabat, hactenus Parisiis tenorem continuavit. Quod si ego itidem aliis satisfecerim et prae reliquis si, dum hic diem duxi, suae Sanctitati vel Eminentiae vestrae commodaverim, id mihi erit, quo in perfectione ad successus futuros nitar augurium nobilissimum." Haec ibi. |

(396) Ex his quae jam vidimus liquet Nuncium dum Parisiis 866 demoraretur in subsidiis ad Catholicorum Iberniae bellum postulandis pie et diligenter operam collocasse, et naves quibus trajiceret a Cardinale Mazarino plusquam expectasse, adeo ut et harum commoditatum spe diutius Parisiis perstiterit. Verum quas naves et suppetias pecuniarias demum receperit, ipse in epistola Italica ad Cardinalem Pamphilium 25 Augusti scripta recenset. "Unde (inquit) eo processu confidentiae ut supplicaverim eidem Eminentissimo Mazarino ut vellet in hac occasione adjungere illa librarum viginti quatuor millia, quae multis mensibus elapsis Ibernis de suo promisit, sed nunquam usque in praesens tempus numeravit. Voluit Dominus Deus ut hoc etiam ratum habuerit, et post longam decem dierum expectationem heri tandem mihi argento praesentaneo pendenda curavit quinque et vicena librarum millia, quae sunt ad ipsius calculum, quina millia in naulum, et vicena millia dono concessa." Haec ibi. Quod Ducis de Vantadour ejusque congregationis liberalitatem illam concernit, quae ad centena scutorum millia pertingeret, in nihilum (quod sciam) recidit. Nec alios aulae Gallicanae principes vel proceres superius indicatae Nuncii expectationi ullatenus respondisse in ipsius tabulas relatum video.

(397) Aliam quoque Nuncii haud levis momenti in urbe Parisiensi occupationem perstringere aequum duxi, siquidem ea aestate totius cleri Gallicani comitia Parisiis celebrata fuere. Ad quae Innocentius X., recens in Christi Vicarium cooptatus, Breve Apostolicum cum paternis monitis et mandatis Iberniae Nuncio deferente, direxit. Illi Cardinalium, Primatum, Archiepiscoporum, aliorumque praelatorum Gallicanorum celebritati praeses fuit Cardinalis Lugdunensis, de quo Nuncius litteris Italicis ad Cardinalem Pamphilium 30 Junii exaratis: "Praesentavi (inquit) Summi Pontificis diploma, et Eminentiae vestrae epistolam Cardinali Lugdunensi, qui, ut episcoporum concilio praesideret, huc venit. Et hac occasione meo officio non defui, sed cum ipso strenue egi in hujus congressus quietem ne conspirante praelatorum animositate, quae in aliis hominum

Reg.
pag. 121.

Reg.
pag. 62.

ordinibus sentitum amarulentia ingravescat." Haec ibi. Nempe, sicut superius legeris, Innocentius X., tunc recens Summus Pontifex non nisi Gallo ejusque fautoribus reluctantibus fuit electus, nec post electionem inter ipsum et Gallum, adeoque Cardinalem Mazarinum, bene conveniebat, tunc etiam longe lateque in Gallia serpebat ut cancer Jansenismus immundo Cornelii Iansenii, Iprensis apud Belgium episcopi, qui hanc ex haeresibus antea sepultis sectam consarcinavit, volumine ad annos tunc proxime superiores typis primum mandato. Et licet ipse clerus Gallicanus (pro gloriosissimae et Christianissimae nationis more) novorum dogmatum impatientissimus, tot huic hydrae nascentia et renascentia capita demum comminuerit, nemo tamen inficias iverit, haud paucos ex eodem clero populoque Jansenismo adeo fuisse addictos ut tunc et aliquot deinde annos acerrima ipsis adversus patrios Jansenistas ea super re disceptatio intercesserit. Altera quoque tunc in Gallia maximopere calebat controversia inter clerum | saecularem et regularem. Cujus cardo esset et lapis offensionis privilegia Regularia, circa quae libris praelo suppositis utrinque magna animorum contentione digladiabantur. Ex quibus omnibus inter se comparatis et ex funestorum eventuum, qui exinde emergere poterant, metu crediderim obvenisse quod princeps Condaeus inter colloquium cum Nuncio superius positum, ipseque Nuncius epistola (quam ibidem videris) ad Magnum Etruriae Ducem Parisiis data, de rebus ad Summum Pontificem in Gallia tunc spectantibus, velut tremendum in modum dubiis et fluctuantibus mentionem fecerit. Iberniae ergo Nuncius, quo res suavitate et suavi fortitudine componeret, Ecclesiae bono sicut in aula sic et in cleri comitiis promovendo non defuit, nec tamen synodo prae-fuisse, imo nec interfuisse, sed super incidentibus difficultatibus consultum profuisse invenio. Huc spectat sua ipsius epistola ad Cardinalem Pamphilium 14 Julii Parisiis Romam Italice scripta, quae praeter alia te modum docuerit, quo ad Ecclesiae Gallicanae normam regni cujusvis synodus cum Nuntio Apostolico illac iter tenente et ad aliud regnum destinato agat. Latine ergo versam sic habe.

Reg.
pag. 77.

(398) "Horum Episcoporum coactorum synodus ad me biduo elapso legavit Dominum Hallier, Sorbonae theologum, in rebus ecclesiasticas versatissimum, et in primum negotiorum praesenti congregatione tractandorum Promotorem, ab ipsis cooptatum. Hic primo omnium mihi illos praelatos ipsorum nomine purgavit,

causatus ideo duos vel tres ex se ipsis ad mecum conferendum non destinasse (sicut cum Sedis Apostolicae ministris agere solent), quod non videbant quod ritu rem executioni mandare possem, cum ego nullo in Gallia ministerio publico fungar. Ad quod respondens eorum prudentiam commendavi et ipsis eodem allegato titulo gratias egi, quod ad quam nullo jure tenerentur urbanitate abundare voluerint. Postea mihi dixit antistites illos misisse ad me commonefaciendum se nonnullas, de quibus inter Regulares et Episcopos non convenit, quaestiones suscepisse discutiendas, circa quas in hujus magnae Ecclesiae concordiam ad aliquam decisionem venire procuperent. Hic autem controversiae capita, quae agitant, indigitavit, ac demum peroravit subjungens omnibus rite pensatis fore contentos honesto aliquo temperamento, imo etiam illo quod Conciliorum, et consuetudinis auctoritate receptum in Italia observatur, dummodo quae regni privilegiis et moribus comparata sunt in duobus saltem illaesa remanerent, quae sunt ritus inveteratus, ut populi dies festos sacris parochialibus intersint, et Regulares nisi curionibus copiam facientibus confessiones paschales excipere non valeant. Jam mihi innotuerat a quodam in synodo fuisse propositum ut tota haec disceptatio ad suam Sanctitatem devolveretur, ejusque diffinitio ab isto supremo tribunali reciperetur, quin etiam in mentem veniebat ipsum Hallierum Promotorem, mihi aliis vicibus hanc suam esse sententiam dixisse, cum mihi suam inconcussam istius Sanctae Sedis observantiam et obsequium profiteretur. Unde mihi tempus videbatur natum ad rem illam, plusquam unquam antea, urgendam, et ad ipsum eo animandum ut omnes vires contenderet quo causa devolveretur. Fide quoque | mea esse jussi, monuique ut ipse eandem aliis fidem inter-

867

(399) Huic epistola annexa fuit ad eundem et altera, qua Nuncius Pamphilium de praefati Domini Hallier singulari scientia et meritis edocuit, et ad episcopatum Tullensem tunc

(inquit) vacantem, ad quem antea bis ab Urbano VIII. propositus esset, praesentavit. Quod autem Pamphilus ad praefatam epistolam 14 Julii exaratam responderit ex autographo Italico latinum habe.

(400) "Illustris admodum et Reverendissime Domine velut Frater. Dominationis vestrae epistola 14 mensis superioris data egregias omnium istorum Illustrissimorum DD. Episcoporum et Praelatorum, qui ad synodum coacti sunt, cogitationes nobis declaravit, et sicut cognitis consolationem participavimus singularem, sicut etiam ardente desiderio expectamus ut huc eorundem boni illi significantur successus, quorum majorem nobis spem efficacia pariunt officia, quibus eandem rem continuo apud ipsos urgebit prudentia et eximia pietas Dominationis vestrae, cui porro ex toto corde me commendo et offero. Romae 7 Augusti 1645.

Dominationis vestrae velut Frater amantissimus,
C. Cardinalis Pamphilus."

Reg.
Pag. 117.

(401) Quod autem fuerit Nuncio in his aliisque quae cum clero Gallicano egit operae pretium mihi traditum non est, nisi quod postea ad Pamphilium 18 Augusti Parisiis Romam Italice scribens ac de illius synodi Praeside, Cardinale scilicet et Archiepiscopo Lugdunensi, loquens: "Dominus (inquit) Cardinalis Lugdunensis me postea sua visitatione dignatus est, et Eminentia vestra quicquid inter nos communicavimus, totum ex annexo hic fasciculo colliget." Haec ipse. Verum haec relatio, quam haud levis momenti res continuisse crediderim, vel intercidit, vel certe non est praesto. Caeterum videris superius Nuncium Lugduno iter tenentem indidem 6^o Idus Maias Romam scripsisse se Cardinalem Lugdunensem ibi tunc residentem visitasse, ipsique commendatitium sui Diploma Pontificium porrexisse, et responsionem quidem retulisse spei optimae plenissimam, sed praeterea nihil, et ne fuisse quidem a Cardinale visitatum, postea vero 30 Junii Parisiis Romam significasse se ex officio Breve Apostolicum clero Gallicano missum eidem Cardinali tunc Parisiis cleri in synodum coacti Praesidi tradidisse, proindeque secundum invisisse, ac demum 11^o Augusti Parisiis Romam visitasse consimilem, imo prima graviolem querimoniam, idque non sine fundamento, sed praeter spem diutius Parisiis

deinde commoratus, demum a Cardinale pauculis post diebus fuit visitatus, sicut superius relatum vides.

(402) Hic jam confluvium est in quod ex una parte fluvius ex altera rivus in unum alveum conveniunt, Nuncium intelligo et D. Bellingum, qui nec eadem, nec pari, nec ex eodem fonte derivata autoritate utentes diversis mediis modisque ita Iberniae res inter externos hoc anno tractabant ut, qui antea separati essent, demum hac aestate in urbe Parisiensi exindeque usque ad appulsum in Iberniam velut societatem coierint, descripsi hactenus fluvii originem, tramites, et semitas transversas; jam unde rivus scaturierit dicam, et ducam usque ad fluvii riveque confluentem, postea cum utroque in Iberniam navigaturus.

(403) Dominus Bellingus ergo patria Ibernus, nobilissima Vicecomitis Montgaretti filia contrerranea sua ex fundatissima Butlerorum tribu in uxorem | ducta, hoc proximae affinitatis 867
jure Marchionis Ormoniae, ejusdem clarissimae familiae coryphaei, v
studiosissimus, ejusque fautoribus in Supremo Concilio totaque insula potentibus charus, anno 1641, cum ipse regno a consiliis et Concilio Supremo a secretis esset, legatus fuit Romam ad Summum Pontificem Innocentium X. recens salutatus. Concilii litterae, ipso deferente, ad Pontificem datae, quibus de ejus inauguratione se sibi gaudere, ipsi ac toti Dei Ecclesiae congratulari, magnamque in ejus patrocinio spem collocare profitebantur, ad meas manus nondum pervenerunt, juxta tamen ac dixi, exaratas fuisse ex ipso Pontificis ad Concilii litteras respondente diplomate, quod mox subjungam, nemo non colligat. Est autem prae manibus ejusdem Concilii eodem spectans Illustrissimo Domino Albitio, Sacrae Cardinalium Congregationi rebus Ibernicis apud Urbem praepositae tunc a secretis, nunc vero longe dignissimo S. R. E. Cardinali, scriptum epistolum, quod te non celo.

“ Illustrissime et Reverendissime Domine.

(404) “ Vestrae pietatis et zeli erga religionis Catholicae promotionem ingesta est nobis notitia tanta, ut solertem assistentiam Reverendissimae Dominationis vestrae credamus plena fiducia collocaturam plurimum negotiorum nostrorum in Urbe faelici successui et opportunaee determinationi. Belli nostri causas, originem, et progressus, ac nostrum impraesentiarum statum fuse exponet D. Richardus Bellings, unus de nostro

Concilio et Confaederatorum Catholicorum secretarius Status, cujus integritati ea omnia commisimus. Kilkenniae 23 die Novembris 1644.

Montgarett: Hugo Archiepiscopus Ardmac. Iberniae Primas.

Fr. Thomas, Archiepiscopus Dublin. Malachias, Archiepiscopus Tuamensis. Castelhaven Audley.

Emerus Clocherensis Episcopus. Nic. Plunquet.

Tho. Flemming. Geff. Broun. Gerald Fenell."

(405) Pontifex in Faederatos Iberniae Catholicos propensissimus animum libentem prolixumque in Bellingum 27 Februarii anno 1645 ad audientiam admissum induit, nec spem in se positam fefellit Albitius, de Iberniam et Iberniam eorumque causa Catholica incenso semper fidei propagandae studio optime meritis. Verum cum Pontifici paulo ante Bellingi appulsum decretum esset Archiepiscopum Firmanum jam ad eam provinciam obeundam nominatum in Iberniam cum amplis subsidiis Nuncium Apostolicum allegare, hinc Bellingi Legatio, quod ad suppetias Romae obtinendas spectat, ad nihilum recidit, quod vel sequentia diplomata Pontificia satis innuunt.

INNOCENTIUS PAPA X.

Supremo Concilio Catholicorum in Iberniae Regnum.

"Dilecti filii, salutem et Apostolicam Benedictionem.

(406) "Agimur vehementer animo et jam pridem doluimus Catholicam in isto Regno fidem non illo esse tranquillitatis loco, qui nobis optatissimus, vestrae autem nationi ad cultum verae pietatis gratissimus esset ac jucundissimus. Sed velle his Deum angustis explorare vos; aut potius jam continentibus praeliis exploratos, sui nominis propugnatores in exemplum terrarum orbis, atque in eorum pudorem, qui minus vos imitantur, extollere, merito interpretamur. Hoc enim praescripto ab eodem, solatio unico illo, fidoque muniti fidelium mentes, ac recreari debere jam vos diuturno experimento didicistis, et litterae proxime ad Nos datis abunde significastis. Quae quidem litterae et de pontificatu ad nos Dei ope delato erant peramanter scriptae, et de paterno erga vos animo nostro gravissimum, verissimumque indicium continebant. Et sane quid causae | vestrae opportunum nunc maxime visum fuerit, ac nostris viribus consentiens, multo ante quam ipsae litterae, atque eas, qui detulit dilectus filius Richardus Bellings, ex Concilio vestro unus, et secretarius Status, ad Urbem

Supremo
Concilio
Catholi-
corum
in
Iberniae
Regnum.

pervenissent, Nos adhibito etiam persaepe dilecto filio Luca Wadingo, vestrae gentis viro religioso, virtute ac doctrina nobis probato, constitutum habeamus, adeoque Richardus ipse (eo maxime functus negotio ut vestro ac totius Confaederatorum Catholicorum Regni nomine huic Sanctae Sedi ac nobis reverentiam, perpetuum cultum, atque obedientiam renovaverit ac professus sit) amplius sibi in Urbe cunctandum non existimavit. Cum vero, quem prudentem, et praecipuo religionis ardore incensum perspeximus, nostra sumus omni charitate complexi, atque aliis Italiae Principibus, quibus is voluit, impense commendatum, amplissima Apostolica Benedictione discedentem persecuti. Qua et vos dilecti filii, uti estis vestra virtute promeriti, amantissime numeramur. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 25 Martii 1645, Pontificatus nostri anno primo.

Gaspar de Simeonibus."

(407) Cum autem Bellingus spei apud Urbem irritus a Magno Etruriae Duce, Duce et Republica Venetiarum, et reipublicae Genuensis Duce et Gubernatoribus suppetias inter reditum postulaturus esset, Pontifex proposito ejus cognito tria sequentia ipsi diplomata commendatitia impertiit.

INNOCENTIUS PAPA X.

Magno Duci Etruriae.

(408) "Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam Benedictionem. Ea dignam commendatione causam secum defert dilectus filius, Richardus Bellingus, a quo nostras hasce litteras accipiet Nobilitas tua, ut omnis in eam vis impensa verborum haud certe nimia Catholicis animis videri possit. Religionis in regno Iberniae status, qui nunc sit implicitus nimirum atque opis indigentissimus, declarandi studio iter ille ad Urbem maturavit. Jamque apud Nos functus suo munere ad nobilitatem tuam contendit, praecipua quadam spe ductus dignum itineris sui subsidium aliquod in magnitudine pietatis, liberalitatisque tuae se reperiturum. Nos quidem ipsi, qui eandem causam et litteris et allegato Nuntio, tum et alia, pro tempore, ope sumus persecuti, prolusisse piissimo operi, Nostro exemplo vehementer in Domino laetamur. Nec minus confidimus sacrum rei ipsius momentum hortationem haud levem futurum apud nobilitatem tuam, ad quam idem Richardus, quem probum virum, et Catholicarum partium studiosissimum cognovimus, summopere optamus ut gratus commendatusque a Nobis accedat, qui tibi Apostolicam

Magno
Duci
Etruriae.

Benedictionem amantissime impertimur. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 25 Martii 1645, Pontificatus nostri anno primo.

Gaspar de Simeonibus.'

INNOCENTIUS PAPA X.

Duci et Reipublicae Venetiarum.

Duci et
Reipub-
licae
Vene-
tiarum.

868

v

(409) "Dilecti Filii, Nobiles viri, salutem et Apostolicam Benedictionem. Pietatis laus amplissimae vestrae Reipublicae jam pridem adscripta, nostro tam firmiter haeret animo, ut cum tempus et causa postulaverint, neutiquam dubitemus quin probatissima documenta uberrime semper sit allatura. | Ex Ibernia Romam usque advenit dilectus filius Richardus Bellings, ut Catholicorum ejus Regni nomine, quam magno in discrimine ibi versetur Catholica religio, probe significaret. Nos vero jam antea, quae ab hac Sancta Sede officia ac subsidia proficisci potuere, constituta satis habebamus. Quamobrem ut ille negotio brevi explicatus et alios item sui itineris fructus conquirens, Nobilitati tuae atque isti Reipublicae ut se causamque ipsam commendaremus, summopere visus est optare. Itaque quod vel pro nostro ipsi munere, vel pro ea quam gerimus religiosae vestrae munificentiae notitia sponte fecissemus, impensius nunc postulamus, ut ipsum Richardum, clarum suo merito virum, ac fidei Catholicae peraddictum, humaniter excipere et benevole complecti, idemque quam defert, gravissimam tueri causam, utque sibi ipse merito pollicetur, ope libenter, ac praesidio prosequi nec abnuatis; consilio quidem Nobis pergrato, ac tantae Reipublicae gloria longe dignissimo, cui aequae ac nobilitati tuae prospera omnia precamur et Apostolicam Benedictionem omni studio impertimur. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 25 Martii 1645, Pontificatus nostri anno primo.

Gaspar de Simeonibus."

INNOCENTIUS PAPA X.

Duci et Gubernatoribus Reipublicae Genuensis.

(410) "Dilecti filii, nobiles viri, salutem et Apostolicam Benedictionem. Quod haud multis contingit amplas ut opes pietatis religionisque studio velut diu mansuras communierit Deus; cumque id vos habere utrumque nobis jam diu exploratissimum sit, libentissime pariter dilectum filium Richardum

Bellings expetita commendatione nostra apud nobilitates vestras sumus prosecuti, qui ex Ibernia Romam se conferens ut de statu Catholicorum ejus regni, perturbato scilicet atque in discrimine posito, publico eorundem nomine Nos edoceret, opem quoque nostram imploraturus, nisi in hoc ipsum nostra consilia executi jam antea fuisset. Hinc digrediens in Iberniam rediturus civitatem istam invisere ac nobilitates vestras convenire decrevisse nobis judicavit. Equidem is, praeter quam quod virum solertem fideique Catholicae acerrimum assertorem sese explicuit, causam omnino habet et subsidiis et beneficentia dignam, quae vestrae istius Magnificentissimae Reipublicae nomini plane respondeat. Nos enimvero, uti nunc vires fuere vobis ac caeteris Principibus exemplo praeivimus; quod et suasionis loco futurum apud Nobilitates vestras pro perspecta nobis vestrum omnium religione non dubitamus, quibus Apostolice paterno ex animo benedicimus. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 25 Martii 1645, Pontificatus nostri anno primo.

Gaspar de Simeonibus."

(411) His ille atque annexis totidem Cardinalis Pamphili ad eosdem litteris Italice commendatitiis instructus Romam valere jussit, et Legatione ad eos Principes et dominia functus Nuncius Roma interea Parisios profectum in eadem urbe Parisiensi 25 Maii convenit. Quem ex legatione ad Magnum Etruriae Ducem et utramque Venetorum et Genuensium Rempublicam Bellingus fructum reportavit, me fugit. Nuntius etiam epistola postridie quam ipsum Bellingus Parisiis convenerit, Romam directa se a Bellingo illius legationis exitum fuisse celatum leviuscule conquestus est, sed rem forsā ipsi postea Bellingus aperuerit. 869 Utcumque fuerit, certum est a Bellingo et Catholicorum partibus in Ibernia Ormonio studentibus pontificium non novum Nuncium, sed subsidium, ab aliis vero Ibernis utrumque, et plus forte Nuncium quam subsidium fuisse postulatum, idque demum Aulae Romanae fuse innotuisse, eamque ob rem Pontificem, (cui Bellingus melioribus ab initio quam deinde coloribus pictus fuerit) ipsumque Nuncium sibi a Bellingo et praefatis, a quibus staret, partibus, velut in rem Catholicam, praesertim ecclesiasticam, tepide affectis, sibi cavendum praestituisse. In quod quadrat quod ipse Nuncius post reditum ex Ibernia memoriae prodidit in sua rerum Ibericarum (quam ipso Pontifice iubente scripsit) Innocentio X. porrecta Relatione Italica MS., cujus autographum in ipsius tabulas relatum sub manibus est, constans

paginis 89 in folio et capitulis 36, quod semel intimandum duxi, quo constet me imposterum in citanda Nuncii *Relatione*, (quam ex Italica Latina semper reddo) de hoc opusculo esse intelligendum. Ipse ergo Relationis suae cap. 4: "Richardus (inquit) Bellingus Faederatis a secretis, qui ipsissimis temporibus dictam rem nummariam postulaturus Romam veniebat, ut audivit Florentiae de me in Nuncium assumpto, adeo evasit attonitus ut plures dies lingua captus videretur." Haec ibi. Hinc cum perversi illi Regis Reginaeque consiliarii, de quibus nuper meminimus, propalata Nuncii inauguratione, non Regi nec monarchiae, sed haeresi in fidem Catholicam militantes, id effecissent ut nullus non moveretur lapis, quo Ormonii fautorumque Catholicorum studiis ante Nuncii appulsum per Ecclesiae Ibernicae noxia praecipitaretur, his machinis subito Romae cognitis, Cardinalis Pamphilius Nuncio (qui Invernitiū, sacerdotem Italum, cum aliquot subsidiis in Iberniam a se promittendum scripserat) litteris Roma Parisios 31 Julii 1645 scriptis respondit, quae de Bellingo in suspicionem vocato, et de modo quo Italiae Principes et Principatus eius votis responderint, te docebunt. Ille ergo Italice: "quandoquidem (inquit) adeo imminet vestra ipsius discessio, tempus non tulerit ut Dominatio vestra Invernitiū isto apparatu instructum praecurrere faciat, nobis arbitrantibus tutius istuc a Dominatione vestra transportatum iri. Si secretarius Bellingus praecederet, hic existimatum est expedire ut Invernitiū praemitteretur, ut una cum P. Scarampo sinistrae occurreret opinioni, qua Concilium Supremum vel Comitia Generalia idem secretarius imbuere conaretur, cui (quatenus nobis constat) Italiae Principes, a quibus pecuniae et armorum subsidia suppetiasque expectabat, haud multum satisfecerunt." Haec ex autographo. Et in alia epistola notis secretis 18 Septembris ad eundem scripta, de Ibernis loquens: "Qui (inquit) magis spem objicient et animo erunt consternati si D. Bellingus Dominationem vestram in Iberniam praecesserit."

(412) Verum Bellingus, licet Nuncium in Iberniam minime gentium ducere vellet, cum tamen contra torrentem ire nequiret, aegre ferebat quod tandiu Parisiis rem proferret; nam et hinc quoque ipsi praecedere volenti molestae cunctationis ansa nata fuit Nuncio ob rationes Roma aliundeque receptas et jam tactas hominem proinde detinente, ipsoque tantas suppetias domum transportare percupiente, et nescio qua futuri spe (sicut mox videris) lactato, ac insuper sibi spondente fore ut inter

viam cunctis suis partibus Ormonium adorantibus Nuncii benevolentiam ante appulsum ita venaretur captaretque, ut ab reliquis causae Catholicae longe studiosissimis alienaret, in qua provincia de facto obeunda, ipso Nuncio deinde teste, plus totus quam multus fuit, et hoc ergo cum caeteris operae pretio tractus, quem alias nunquam appulsum mallet, Nuncium expectavit. Diuturnae porro morae Parisiis impatiens indidem ad memoratum D. Albitium scripsit Romam hanc litterulam.

“ Illustrissime Domine.

(413) “ Quas possum refero gratias Illustrissimae Dominationi vestrae pro suo in me favore et iis nos in hac urbe detinet nescio, multorum certe spe tardius procedunt et noster Nuntius et cum illo, quae missa sunt subsidia. Faxit Deus ut haec rebus nostris mora perniciosa non sit, omnia in Ibernica prospere succedunt, noster in Momonia exercitus captis decem fortalitiis, in quibus erant hostium praesidia, undequaque praedas agunt studia rumores Romae spargi jam conclusam esse pacem in Ibernica; nova aliqua indigent adversarii arte ut impediant nostra subsidia. Haec tamen est absoluta fidem non adhibebit sua Sanctitas. Illustrissimae Dominationis vestrae manus deosculor.

Parisiis, etc.

Dominationis vestrae Illustrissimae humillimus servus.

Richardus Bellingus.”

(414) Quod autem superius vidimus, Bellingum scilicet cum P. Hartagano Cardinalis Mazarini jussu cum de pace Ibernica Parisiis contrahenda ageretur, quae, quae Ibernica in votis esse judicarent, scripto tenus postulata interposuisse zelum vere Catholicum spirantia ac Reginae Angliae respondisse Iberos, nisi aequa postulata auferrent, in bello adversus Regem usque ad ultimam guttam sanguinem omnem profusuros. Id totum quicquid satis integritatis, zeli, et constantiae, vel Nuncio qui postulatis illis interponendis praefuit, et Hartagano acceptum retulerimus, vel certe Bellingus si in hujus ludicrae pacis etiam ante ter tepidus.

(415) Itaque cum ab initio meliori Bellingi opinione Pontifex imbutus esset, iis eum elogiis, quae in diplomatibus Pontificiis ad Ibernicae Concilium et Italiae Principes isto transportante datis sparsim vidisti, commendavit. Postea vero Ibernicae res et personas secus edoctus aliter senserit, ejusque jussu Cardinalis Pamphilus Nuncium, ut quo diximus modo a Bellingo sibi

870

Reg.
pag. 98.

caveret, monitum habuerit. Cum autem ipse Bellingus in Iberniam alias praecessurus Nuncii prudentia detentus esset, in eam demum itum est sententiam, ut dum Nuncius res Ibernicas Parisiis procuraret, ille se in Franciam rediturum, nec nisi in Nuncii comitatu in Iberniam navigaturum ante pollicitus interea in Belgium spatiaretur, quo juxta factam sibi ab Catholicorum Concilio potestatem, injunctum onus et spem in se positum pro subsidiis comparandis ad illius Provinciae sub Hispano moderatores recursum haberet. Ad quorum praecipuos Marchionem Castri Rodrici et Ducem d'Amalfi, seu Piccolomineum, illum Belgii Gubernatorem, hunc exercitus Imperatorem, Nuncius binas ex urbe Parisiensi dedit Italice litteras, quas a nostro hic instituto non alienas ecce tibi Latinas, ac primae quidem Marchioni Castri Rodrici scriptae sic se habent: | "Etsi ob multas considerationes mihi decretum est inchoare meum iter in Iberniam per hanc viam Gallicanum praesto tamen in sententia sperans nascituras istic occasiones postulandi ab Excellentiae vestrae benignitate favorem aliquem singularem. Interea quo ejusmodi gratiae exercitandae (quam tanti habeo quanti si in me ipsum conferretur) ansam subministrem, Excellentiae vestrae supplico ut Faederatorum Iberniae Catholicorum D. Secretarium protegat, et juxta sit commodis, quae ille in regnum illud transportanda curat. Hoc erit faustum adeo Nunciaturae meae exordium, ut mihi citra intermissionem conservanda ejus memoria sit profutura in stimulum auctitandae magis in singulos dies devotae observantiae, quam Romae cepi Excellentiae vestrae profiteri, quam demum humillime reveoreor. Lutetiae Parisiorum 5 Augusti 1645."

(416) Quae autem ad Ducem d'Amalfi seu Piccolomini (nam hoc secundo nomine magis inclaruit) scriptae fuere hic sequuntur.

"Vetus in Excellentiae vestrae personam et praestantiam observantia mea animos addit hanc denuo offerendi Excellentiae vestrae occasione D. Secretarii Faederatorum Ibernorum, qui Catholicae religionis et illius regni causam procuraturus illuc proficiscitur. Ego a sua Sanctitate Nuncius illo destinor et, donec melior ad Excellentiae vestrae patrocinium recurrenti occasio mihi nata fuerit, non possum ab injuncta mihi provincia obeunda praeclarius exordiri quam commendando suae tutelae hunc nobilem virum et negotia, ad quae peragenda deputatur. Dignetur Excellentia vestra favere in ipso etiam observantiae meae, et nihil dubitare quin bene impendatur sua promptitudo

in adjuvandos illos populos, qui tam invicta animi constantia se Deo exhibent fideles inter tantas perturbationes. Excellentiam vestram humillime observo. Parisiis 5 Augusti 1645."

(417) Praeter has binas litteras pridie ejusdem diei scriptae fuere et aliae ad Illustrissimum Dominum Internuncium Belgii in eandem metam directae, quibus deprecandae prolixitatis studio in hunc locum inserendis supersedendum duxi. Inter haec Nuncius, timens ne forte Bellingus contra fidem datam et receptam in Franciam ad se pedem non referret, sed ex Belgio recta in Iberniam solveret, iisque ad partium Ormonio studentium genium sinistris clerum populumque circa Pontificis mentem, suppetias, Nuncium ipsum aliaque omnia eodem pertinentia occuparet rumoribus, quibus ad iniquiorem pacem subito ineundam ruerent, longeque magis metuens ne, quantumvis Bellingus fidem liberaret suam, Faederati ipsi suapte sponte et multis aliunde machinis impulsu in eandem animi sententiam prorumperent, non Invernitiū, contra ac proposuerat, sed D. Dominicum Spinolam exeunte Augusto jam dicto Parisiis dimisit, officia sibi praestaret, et se nisi citius transfretaret litteris in Galliam dandis de rerum Ibernicarum statu edoceret. Quod 870
v inter alia Nuncius Cardinali Pamphilio mature intimavit 25 Augusti, et ibidem subjungens Italice: "Quod (inquit) ad secretarium Bellingum attinet, id assecutus sum ut variis modis et futuri boni opinionibus ipsum semper Parisiis moratus sim; cumque ejus abscedendi propositum odoratus essem, inter me meosque convenit de ipso consiliis adducendo ad proficiscendum primo in Flandriam, quo ea, quae ipsi commissa sunt, ibi exqueretur, ubi etiam impraesentiarum se tenet. Si juxta ac se velle ostendit huc remigraverit, dubio procul me non praecedet, sed si ex Flandria trajiceret, spero quod in omnibus machinis, quas paucis diebus ante meum appulsum adhibere posset, id D. Spinola antea in negotio versatus, et illarum partium neutri suspectus, impedimenta objiceret plusquam ordinaria, ubi me trajectum affirmasse et mea sensa manifestasset." Haec ibi. Verum Bellingus in Franciam ad Nuncium regressus fidem sicut videbimus liberavit. Quid autem lucri ex legatione Belgica reportaverit, me praeterit. Jam a Bellingo, ad quem postea saepissime redibit sermo, ad alia digrediamur.

(418) Cum Nuncius Romae in Iberniam cogitaret, plurimi e clero Italico (ut alios sileam) adeo se in ejus obsequium ad iter illud suscipiendum obtulerunt, ut praeter alios totum pene

ecclesiae archiepiscopalis Firmanae Capitulum in iter illud nomina dederint. Verum Nuncius omnium undique delectum habuit. Quorum unus fuit D. Carolus Franciscus Invernitiis, Ecclesiae Divi Ambrosii Archipresbyter, Mediolanensis, tunc recens Romam redux ex Iberniam, ubi Patri Scarampo, Ministro Apostolico, adhaeserat. Hunc a Patre Scarampo Romam ad Pontificem missum Nuncius secum assumpsit, et cum esset Parisiis inde in Iberniam praemittere decrevit, sed hoc postea consilium in aliud mutatum vidimus. Cum autem quibus transfretaret obtinendarum a Cardinale Mazarino navium spe decidisset, ab eodemque quina librarum Turonensium millia in naulum, et ex viginti quatuor librarum millibus ante appulsum Parisios in bellum Ibernicum promissis vicena millia recepisset, Invernitiis Augusto praecipitante in Belgium destinavit, partim ut ea pecunia non nullas Dunkercae naves actuarias, vulgo *Fregattas*, licitaretur, partim ut a Belgii sub Hispano moderatoribus (Pontificis, Nuncii, et nationis Ibernicae nomine) suppetias postularet. Naves illas actuarias Nuncius studebat ad hostes in oceani trajectu, si occurrerent et incursarent vel cursu vel pugna superandos ad litterarum commercia inter Iberniam et Continentem, praesertim Galliam, Belgium, et Urbem, fovenda, et ad Iberniae Catholicos a Parlamentariis quotidianam pyratricam exercentibus vindicandos, quod sane si non his navibus, certe aliis ita factum est ut inter hoc bellum mare Britannicum infestantes, Iberni Anglorum Scotorumque nunc praediis nunc manubiis stupendas sibi divitias accumularint. Porro cum Nuncius Romae animi dubius esset nunquid in Belgium ipse diverteret, et exinde, an vero ex portubus Francicis, in Iberniam solveret, in omnem eventum Pontifex ad eos, penes quos in Belgio sub Hispano summa rerum esset, sequentia diplomata dedit, quae nescio an vel quis nisi forte tunc Nuncii verbis Invernitiis praesentavit, ut illi quicquid opis in ipsum Nuncium si coram esset conferrent Invernitiis in Nuncii usum impertirent, ipsa diplomata habe. |

Marchioni Castri Rodrici, Belgii Gubernatori.

(419) "Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam Benedictionem. Delegimus nostrum et hujus Sanctae Sedis ad Catholicos in Iberniam Extraordinarium Nuntium Venerabilem Fratrem Joannem Baptistam, Archiepiscopum Firmanum, Prae-

latum nostrum Domesticum et Assistentem, eumque alios ad Principes, ut ejus ratio itineris postulavit, litteris nostris instruximus. Is nimirum cui et generis claritas et recta vivendi institutio egregiam probitatis et doctrinae laudem, et ad publica munera sapienter administranda facultatem comparunt, gravissime rei Christianae fidei bono plurimum conducibili opportune adhiberi visus est. Fuerat autem nostra hac potissimum ad nobilitatem tuam commendatione communiendus, quo peculiaris abs te benevolentia, studio, ac patrocinio proveheretur. Jam enim, cum istuc Dei dextera incolumem illum produxerit, ipso sui operis aggrediendi in limite versabitur, ut proinde ea fultus, quae in te est auctoritate sua, quasi manu, in Iberniam introduci possit. Quamobrem praeter illa, quae ipsemet rogabit atque explicabit, opportune Nos a nobilitate tua enixe petimus ut velit sua opera Nostri se Apostolici consilii participem facere, quod in ea natione retinendae fidei Catholicae ac propagandae commodissimum arbitramur, ope, comitatu, ac praesidio, quodcunque opus fuerit instructum Nuntium nostrum abs te dimittens. Hoc facto praemium a Deo expectabis quam amplissimum, a Nobis autem atque Apostolica Sede maximum paternae benevolentiae ac laudis incrementum, Nobilitati tuae Apostolicam Benedictionem largissime impertimur. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 2 Martii 1645, Pontificatus nostri anno primo.

Gaspar de Simeonibus."

Ad Ducem Piccolomineum exercitus Imperatorem hoc diploma directum fuit.

INNOCENTIUS PAPA X.

Duci Piccolomineo.

(420) "Dilecte Fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam Benedictionem. Qui diu compertum habemus nobilitatis tuae studia consiliaque bello praesertim administrando ad Dei gloriam ejusque Catholicae religionis dignitatem omnia esse instituta, haud injucundum tibi fore existimavimus, si quid a Nobis negotii pro eadem religione superaddet venerabilis frater, Jo. Baptista, Archiepiscopus Firmanus, Praelatus noster domesticus et assistens, quem et generis et virtutum insigni laude Nobis valde probatum ad Catholicos in Iberniae Regno Apostolicum extraordinarium Nuntium proficisci voluimus. Cum autem probe

scierimus quantum auxilii et prosperitatis ad ejus manus fructuose dirigendum sit in auctoritate ac prudentia tua situm, profectionem ab illo neutiquam adoriandam censuimus, nisi has eidem ad te litteras perferendas daremus. Caeterum causae meritum, viri dignitas, religiosa tui voluntas, tum patria ipsa fere communis, vim atque efficientiam commendationis habebunt apud nobilitatem tuam, cui animo per quam amanti benedicimus. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 2 Martii 1645, Pontificatus nostri anno primo."

871
v

(421) Invernitiis Castri Rodrici Marchionem exposita legatione rogavit ut interposita fide publica quatuor vel quinque plus navibus actuariis ritu bellico instructis pateret via ex Belgio in Franciam, indeque Nuntio cum iisdem | navigiis, et omnibus, tam personis quam rebus, ad ipsum pertinentibus in Iberniam nulla vi inferenda a Regis Catholici subditis in trajectu occursum. Suppetias etiam petiit libello supplici, quem ex suo idiographo Italico, in Franciam tunc inter reddendam villicationis rationem ad Nuncium transmisso, Latine perlegas.

"Illustrissime et Excellentissime Domine.

(422) "Secundum ea, quae hodierno mane Excellentiae vestrae dixi, et juxta factam a se de Marchioni de Leden copiam cognoscendi ex me de Catholicorum Iberniae statu et indigentis cum omni sinceritate et (quam debeo) reverentia repraesento Excellentiae vestrae res infrascriptas.

(423) "Primo ipsi dico me consideratis suae Majestatis Catholicae, quod ad rem nummariam attinet, indigentis, non audere pecuniae nec multum nec parum postulare, licet extrema ejus rei necessitate premamur. Verum ex altera parte observans apud vos majorem esse tormentorum bellicorum, navium auctuariarum, armorum, et apparatus militaris abundantiam, humiliter supplico ut cujus in nos ira hoc forte obsequio placabitur Deo aliquam horum partem elargiatur, quo in Iberniam promoveatur religionis Catholicae causa jam ad optimum statum redacta, et faelicissimum spondens exitum, nisi ab Excellentia vestra derelicta fuerit, quod contingere non potest ob pietatem et zelum singularem, quem mundus universus in Excellentia vestra nunquam non cognovit, et experientia comprobavit.

(424) "Ut ergo ad particularia descendam, ipsi supplico, instantia quam possum maxima, id efficiat ut mihi suppedientur senae vel minimum quaternae machinae bellicae, (nam Catholici

tormentis bellicis deficientibus multa praesidia nec expugnare nec expugnata defendere possunt) balistas duo millia, scloporum paria mille, non nihil pulveris nitrati et fomitis, arma in ducentos cataphractarios, duas undequaque instructas celoces ad primum iter in Iberniam conficiendum, quibus et duabus aliis, quas nostro ipsorum aere commercari statuo non solum Illustrissimus Dominus Nuncius in Regnum illud securus transfretet, sed etiam, quae sine navibus nunquam capientur, multa Ultoniae, Momoniae, et Lageniae loca maritima facilius ad deditionem cogantur, mare pyratibus purgetur, cum omnibus suae Majestatis Catholicae subiectis Provinciis commercium frequentetur.

(425) " Et nisi Excellentia vestra duas modo naves actuarias commode suppeditaret, posset, si expedire judicaret, ob justas causas et rationes non spernendas ipsi verbo tenus communicandas mutare gratiam Marchioni Antrimiae factam, duasque ipsi concessas celoces, qui nunc ad novum portum haerent, transferre in Catholicos (quae sic melius forsitan impenderentur) ea lege (si aequum videretur) ut dicti Marchionis, vel sui fratris, D. Alexandri Mac-Donaldi, nutum manerent cum debita dependentia a Concilio Supremo.

(426) " Pauca peto, novi enim suam Majestatem impraesentiarum plus elargiri non posse stante sua praesente necessitate, sed fide mea esse jubeo futurum ut illa pauca instar illius seminis Evangelici in terram bonam jacta centesimum et millesimum fructum fruant in suae Majestatis Catholicae obsequium, quod rationibus ore ad os praefereendis palam faciam.

(427) " Haec multoque plura merentur Iberniae Catholici ob causae justitiam et sanctitatem, quodque sint origine, affectu, et inclinatione Hispani cultus Divini zelo flagrantissimi, religionis Catholicae germani propugnatores, multaque variis temporibus | 872
suae Majestati Catholicae obsequia praestiterint, et super omnia, quod nuper coronae Franciae patrocinium unaque omnia auxilia necessaria pluribus vicibus mihi compertis, tam ante quam in ultimis Comitibus Generalibus sibi a Domino *de la Moneris*, praefatae coronae ad Concilium Supremum oratore oblata constantissime recusarint, ac responderint se malle ad unum omnes inopia perire, quam cum Regis Hispaniae hostibus contra suum sanguinem, amicos, et benefactores faedus percutere, quod propositum nunquam tempore satis compensaverit natio Hispanica.

(428) " Denique Excellentiam vestram supplex rogo ut mihi, fido suae Majestatis vasallo, fidem habeat me in hoc negotio

nec immoderato animi affectu, nec proprio duci commodo, sed cordi habere ut Deo in illa plaga major honos deferatur, illorum populorum bono et securitati prospiciatur, et Regis mei, cujus gratia proprium sanguinem libentissime profunderem, ministerium promoveatur. Quibus praeterea addo metuendum esse ne praefactorum subsidiorum inopia pax iniqua et religioni Catholicae perniciosa contrahatur, illique Catholici subita ruina involvantur, nisi subministretur unde Conaciam evertentibus, et ecclesias restauratas ac purgatas exaugurantibus, qui Ultoniam incolunt Scotis armato milite modum statuunt." Hactenus Invernitiis. Quis autem fuerit tunc hujus legationis fructus suae ad Nuncium epistolae frustum ex Italico Latinum te docebit.

"Illustrissime et Reverendissime Domine et Patrone mi Colendissime.

(429) "Litteris meis hoc mense die quarto datis Dominationis vestrae Illustrissimae, quae cum D. Marchione Castri Rodrici egerim, significavi, et aliis, quas D. Secretarius Bellingus ipsi tradet, docui vix reperiri celoces proindeque pluris indicari, quae reperiuntur; quod etiam mihi asseveravit D. Marchio de Leden, qui hoc mane significavit circa suppetias quas postulareram suae Excellentiae esse decretum subministrare non nihil armorum et apparatus bellici sub finem expeditionis, post duos scilicet menses." Haec ille dabat Gandavo 5 Septembris 1645.

(430) Idemque Dunkerca 24 Septembris ad Nuncium scripsit se die pridiana sub hasta venditam comparasse novem florenorum millibus *fregatam* decem bonis machinis bellicis aliisque rebus omnibus instructam, et aliis armis, praesertim sex ulterioribus tormentis bellicis instruendam; alteram etiam Ostendae longe melius munitum duodenis florenorum millibus coemisse, et pactum iniisse de tertia, quae tunc fabricaretur, in diem quindenam absolvenda, paratumque se pacisci quartam, si non secum, certe post se propediem ita transmittendam in Iberniam ut hae binae ultimae ad littoras inter Iberniam et Continentem transvehendas destinatae decem circiter florenorum millibus starent. Adjunxit etiam se tribus *fregatis* jam absolute comparatis providisse de ducibus, duobus Waterfordiensibus et tertio Wexfordiae indigena, in quibus navigandi peritia et fidelitas pro palma certarent, monitosque habuisse ut nautas Catholicos et natione Iberos cogerent. Conclussitque rogans Nuncium ut licitatione pactisque

a se initis staret, et pecuniam in Belgium transmitteret. "Et mox (inquit Italice) ac rem numariam accepero, numerabo et, quoad ejus fieri poterit ac ventus aspirabit, tres una *fregatas* Rupellam destinabo. Quare Dominatio vestra Illustrissima non dubitet se (moraliter loquendo) his tribus celocibus maxima securitate navigaturam in Iberniam. Ego deinde, nisi secus mihi praescriptum fuerit, sequar via Parisiensi et Rupellam (Deo volente) appellam antequam discesserit." Haec Invernitiis. Ad quem Nuncius argentum misit quo sicut et Invernitiis et celocibus quid factum sit alibi declarabitur.

(431) Hic silentio praetereundum non est Nuncium ex urbe Parisiensi ad Supremum Iberniae Concilium scripsisse epistolam, quae prima est Nuncii inter tabulas Iberniam concernentes Latina, quam ille caeterasque, quas suo ordine tradam, fere innumeras, non alieno (ut semel dicam) ministerio sed proprio exarabat stylo, idque (jam provecta aetate archiepiscopus linguae Latinae desuetudine interclusus, et tot tantisque aliunde curis obrutus) plerumque plus volante quam currente calamo. Ex quo tamen fluebat non pinguis nec invita, sed subtilis, tersa, et velut aperto pectoris canale facilis Minerva, praesertim lingua Italica, cujus eloquentia Princeps cum ipso et vixisse et expirasse videatur, sed praefatam Nuncii epistolam habe, datam Parisiis 4° Julii 1645.

"*Illustrissimis et Reverendissimis DD. Supremi Consilii Confederatorum Catholicorum Iberniae.*

Reg.
pag. 67.

(432) "Ea fuit Illustrissimi ac Reverendissimi DD. de injuncta mihi a Summo Domino nostro in istud regnum legatione gratulatio, ut cum primum Parisios advenerim, nihil ardentius exoptarim, quam citissimam reliqui itineris expeditionem. Sed ut prudenter Apostolicae Sedis negotium tractarem, opus fuit et plura in hac civitate curare, et tutam quantum fieri posset maris transvectionem operiri. Interim vero dum necessaria parantur, existimavi muneris mei esse hanc epistolam Illustrissimis DD. vestris, testem videlicet paternae in vos Summi | Pontificis benevolentiae, atque insimul animi erga vos mei velut imaginem praemittere. Ex illa siquidem die, qua inspirante caelitus Deo Summus Dominus Noster imbecillitatem meam ad onus hoc evangelicum destinavit, mirum dictu est qua ratione ex Italo in Ibernium repente mutatus, res vestras, Ecclesiam vestram, imo ipsum erga fidem Catholicam animorum vestrorum ardorem et ipse non minus ardens sim amplexatus. Adeo ut, si pro asserenda inter vos quam adeo suspiratis religione, non

872

v

labores tantummodo animique vires, sed vitam etiam ipsam profundere contigeret, nihil tamen pro justissima causa impendisse putarem, unde enim homini corporis infirmitatibus jamdiu obnoxio, ac praematuri senii nuntios jam sentienti tanta innascatur alacritas, ut posthabita ecclesiae Firmanae gubernatione ac peramaenis Italiae littoribus, ignotas istic sedes, bellicos tumultus ac furentes oceani fluctus non expavescat. Sed tanti est, Illustrissimi DD., viro sacris infulis mancipato Sedis Apostolicae classicum, atque in Romano Pontifice Petrum audire; vobis vero ut plurimum gratuler, facit ejusdem suum Domini Nostri in istud regnum propensio, qua spero omnibus tandem Christiani orbis partibus declaratum iri eos populos, qui magis ab Apostolica Sede distant longinquitate terrarum, eidem esse sollicitudine ac benevolentia proximiores. Plane siquidem Romanus Pontifex Innocentius, gloriosius sibi futurum ducit Christi nomen apud dissitas disseminare regiones, quam undecunque terreni fines imperii prolatare, ut qui scilicet intelligat cujuscunque terrarum parti suos praefiniri terminos, animarum vero ditionem nullis limitibus coerceri. Utinam, Illustrissimi DD., quemadmodum indignus tanti Pontificis auctoritatem, ita erga vos amorem digne possem referre, quem tamen si non corporis viribus ex summo mentis conatu repraesentare conabor. Vos interim Deum Opt. Max. precari decet, ut ingressum meum progressumque custodiat, dum vobis omnibus, caeterisque totius regni Proceribus ac populis, delegatam mihi ab eodem Summo Benedictionem ex animo impertior. Parisiis 4 Julii 1645."

(433) Ad hanc epistolam non nisi tribus mensibus interjectis ad quartum Octobris Rupellae recepit responsionem Regist. pag. 141, in epistolam ad Cardinalem Pamphilium 5 Novembris, quam nondum vidi. Accepit autem Parisiis medio circiter Augusto ab Iberniae Primate et tribus aliis Iberniae archiepiscopis, nec non duobus episcopis exaratas postridie illius diei, qua praefatam ipse epistolam Parisiis scripsit, 5 scilicet Julii, ex Ibernia litteras, quibus illi significarunt se audisse eum procrastinare profectionem ne si pacem, qua religione male consuleretur, jam conclusam inveniret, frustra laboraret. Sed

19 Aug.
Reg.
pag. 119.

pacem illi nec jam contractam, nec iniquis conditionibus contrahendam affirmarunt. De qua re ille indidem Romam scribens: "Necessarium est (inquit) expectare *nuncia recentiora*."

(434) Toto hoc tempore Romae, Parisiis, in Anglia et Ibernia, tot tantique ecclesiastici et laici, orthodoxi et heterodoxi,

Principes et subditi, cives et extranei huc omnes vires conferebant, omni industria contendebant, omni studio et pectore incumbabant, alii ut quam celerrime in Iberniam se reciperet, alii ut omnino desisteret, vel certe, quo ipsi interea rebus suis in Iberniam melius prospicerent, quam possent tardissime solveret. Rex Angliae pacem cum Ibernis, indeque subsidium et | militum supplementum studebat. Glamorganiae Comes a Rege ex Anglia in Iberniam missus, et mandato amplissimo instructus, negotium urgebat Catholicus, adeoque instrumentum valentissimum, Ormoniae Marchio, partium haereticarum a Rege in Iberniam stantium imperator, tunc prorex, ostentum visu mirabile, quia Ibernus haereticus male secundabat. Regina Angliae Romae et Parisiis, sicut fuse retuli, non deerat, et in Iberniam interea Georgium Leyburnum, sacerdotem, natione Anglum, destinavit, qui frequentissimis Regni comitiis ad pacem cum Glamorgano ineundam convocatis, multa in clerum populumque spargebat, quibus Nuntio vel expectando vel admittendo intercederet. Ipsorum Catholicorum si non plerique, certe pars magna ab Ormonii pene nutu pendebant. Cardinalis Mazarinus in Pontificem velut corde Hispanum torvis oculis intuens omnesque ab Urbe quocunque demum missas legationes ad illius suspicionis trutinam revocans, aliundeque Gallo Faederatorum Iberniae tutelam ac patrocinium per oratorem ambiens, quid fecerit iudex esto, quibus omnibus facibus ipse Nuncius nimia Parisiis mora fomitem praeter intentionem abunde porrigebat. Interea P. Scarampus, residens tunc in Iberniam Sedis Apostolicae Minister, litteris inde Romam missis de rerum ibi statu Pontificem edocebat; alique indidem ipsum sollicitabant ut Nuncium ad procedendum urgeret, Nuntius enim ita quotidie discedebat, ut aliis atque aliis pedicis irretitus menses tres integros et quod excurrit Parisiis detentus fuerit, ea tempestate, qua Iberniam a plurimis maximopere desideraretur, non solum ut rebus fidei et Ecclesiae tam congrua occasione bene componendis provideret, sed etiam ut Faederatis suppetias Pontificias afferret, dum induciis inter Catholicos ibi et haereticos pro Rege facientes protractis, bellum cum aliis ibidem partibus haereticis Parlamento militantibus opportune continuaretur. Ad litteras porro tunc 14 Julii ex Iberniam a P. Scarampo, Ministro ibi Apostolico, Romam scriptas responsum fuisse invenio duodevigesimo Septembris a Cardinale Pamphilio notis privatis, quas hic ex Italico Latinas subnecto:

(435) "Longa Illustrissimi D. Archiepiscopi Firmani in urbe

Parisiensi cunctatio gravi animi dolore Suam Sanctitatem affecit, cui semper probe notum fuit quanti interesset ut cum re numaria a se ipsi consignata quantocyus in Iberniam navigaret. Quamobrem non neglexit sua Sanctitas mandatis iteratis et absolutis ipsum urgere ad profectionem, quam omnino sperat tandem aliquando secuturam. Quod si quovis casu moras ulteriores nectat, praecepit sua Sanctitas ut, quod secum affert, subsidium pecuniarum, via secure, vel solidum vel in partem, ad Dominationem vestram transmittat ut causae Catholicae subveniat, et ad eas expeditiones, quae ad cultum divinum et Catholicam religionem magis conferant, Concilium Supremum exhortetur et securum reddat de pia, rectaque mente suae Sanctitatis, cui perversum videtur ut in extrema (nam sic dici potest) Regis afflictione Ormoniae Comes tanta audacia et ostentatione futuram perniciem intentet, nisi ante omnia sacrae basilicae et adempta Protestantibus bona ecclesiastica ipsis restituantur. Id totum ex eo procedat necesse est, quod Catholici in bello prosequendo enerves vel paucis nimis cupidi appareant, | quam rem si semel Comes sibi persuaderet, majores erigeret cervices ad postulanda alia, quae libero Catholicae religionis exercitio plus praejudicarent. Unde Dominationis vestrae est Concilium Supremum de hoc commonere et prudentius reddere ut nec Comitum artificibus decipi, nec pacis desiderio fascinari se permittat, quae nunquam firma perstiterit, nisi libero Catholicae religionis in insula exercitio, praecipuo faederis, quod Catholici istic pepigerunt, scopo velut fundamento subnixi fuerit. Quod si sacrae basilicae Protestantibus restituerentur, tantae impensae et labores hactenus suscepti exilem fructum parerent. Ea ergo est suae Sanctitatis sententia ut Dominatio vestra enitatur, quo ab illa propositione (nam aliae pacis conditiones tales forsitan esse possent, ut aliquid Protestantibus permetteretur) modo saltem quo a Comite proposita fuit, admittenda Concilium abducat, et cum Illustrissimus Rinuccinus istic non sit, ejus partes suppleat, eaque quam usque modo adhibuit dexteritate et prudentia operetur, et sparsis a Leyburno, quem Regina Angliae istuc misit, rumoribus palam occurrat. Certum enim est Illustrissimum Rinuccinum sicut dixi severis praeceptis pressum esse ad proficiscendum in Iberniam. De quo, sicut et quam aegre ferat sua Sanctitas ejus in Galliis dilationem et cunctationem, Dominatio Vestra Supremo Concilio fidem faciat." Haec ibi.

(436) Eodem etiam die 18 Septembris praeter alia ab eodem Cardinale Pamphilio scripta fuere ad Nuncium cyphris et sermone Italico ea, quae hic Latine subjungo.

(437) "Majori indies animi dolore afficitur sua Sanctitas ob interpositam a Dominatione vestra procrastinationem suae profectioni in Iberniam, et dolet quod videat omnia negotia, missiones, et provisiones a Dominatione vestra istic factas et introductas eo tendere ut retardetur. Quare de novo praecipit ut Dominatio vestra cum omni sollicitudine se in viam det versus illam insulam, et in nullo Galliae portu ad expectandas, sive litteras sive rationes a *Spinola*, quem praemisit, moram faciat, multoque minus rem producat, donec ab Invernitiis in Flandria providendae celoces ad se concomitandum in promptu fuerint. Magnam faceret temporis jacturam, si unum vel alterum expectaret. Nimio obscurabit dedecore missionem sui, si diutius in isto Regno diem duxerit. Tempus hujus anni expeditionibus aptum absque ulla fere utilitate consumptum est, ex quo Catholici Duncaniae propugnaculum expugnaverunt, si subsidia nostra sicut deberent expedita fuissent, futurum erat res ut uberiore progressu successissent, vel certe Scoti strenue repressi fuissent, qui in Ultonia tantam Catholicorum stragem ediderunt et modo facti insolentiores Conaciae ruinam minitantur. Comitum Generalia, si a Dominationis vestrae praesentia fuissent animata, non forsitan nisi aliqua facta conclusione destitissent. Et faxit Deus ut, quae de novo facienda supersunt, nisi Dominatio vestra interfuerit, non prorumpant in aliquem Catholicae religioni et libero ejus exercitio parum proficuum decisionem. Sacerdoti a Regina transmissis non licuisset per tempus demissam de nostris auxiliis opinionem disseminare et illos Catholicos deterrere, qui magis spem abjicerent, et animo erunt consternati, si D. Bellinus Dominationem vestram in Iberniam praecesserit. Quorum conatus parum retuderit *Spinola*, homo juvenis et inexpertus. In summa ipsa Dominatio Vestra judicet quantis confusionibus sua diuturna Parisiis cunctatio occasionem praeberit, et quanta bona successissent, si abjecta omni | mora cum nostris subsidiis in Iberniam navigasset. Non ergo ulterius procrastinet, nec paterna suae Sanctitatis viscera plus affligat, cui nunquam animus erit pacatus, donec de Dominationis vestrae in illam insulam appulsu audierit, et bonos illos Catholicos tam praesentia vestra quam, quae ad ipsos destinantur, auxiliis confortatos viderit. Quod si gravi aliquo et extraordinario eventu (quod non credimus) contingat ut aliquot dies in Gallia ulterius commoretur, statuit sua Sanctitas ut Dominatio vestra, quas secum attulit, suppetias pecuniarias ad P. Scarampum transmittat, quod illi Catholici pia suae Sanctitatis mente amplius non defraudentur, et quae usque modo pertulerunt, ex parte resarciant detrimenta.

Articuli Cardinali Mazarino praesentati examinabuntur cum Dominationis vestrae annotationibus." Haec ibi. Porro hic loquitur de articulis pacis Ibernorum cum Rege Angliae Parisiis contrahendae, quos superius videris.

(438) Circa haec aliaque Nuntio, quo proficisceretur Parisiis intimata mandata Pontificia non abs re est significare illa cum tabellionibus publicis continuo pene fluxu pro negotiorum urgentium more Roma Parisios volitasse; Nuncium vero horum primis morem gessisse et ita his receptis mox Parisiis discessisse, amputatis statim retinaculis, ut praeclarissimum nobis obedientiae documentum reliquerit. Cum ergo urgentissima illa praecepta a primo semel Romae scripto usque ad Nuncii (cum hoc recepisset) discessum Parisiis, deindeque donec de ejus discessu apud Urbem constaret, instar imbris fluere, pluerentque, ita horum excrevit numerus ut Nuncii creverit, non decreverit obedientia. Quid autem ipse, cum jam alterum haberet in curru pedem ad abscedendum Parisiis, Pamphilio scripserit, quibus Pamphilius responderit ex ipsius Pamphili epistola notis privatis Romae 25 Septembris exarata melius dignoscas eam hic ex Italica Latinam porrigo.

(439) "Sua Sanctitas Illustrissimae Dominationis vestrae discessu Parisiis a dolore vindicata manet, et optat ut abjecta ulteriori dilatione se ad portum conferat, omnique sollicitudine in Iberniam naviget. Quae acciderunt circumstantiae ad bonam in illa insula pacem cum libero Catholicae religionis exercitio stabiliendam haud mediocriter conducunt, et Dominatio Vestra majorem forte quam hactenus arbitrati sumus in re peragenda facilitatem experietur. Sed ipsi necessarium est ut assidue invigilet ne, qui contra reliquorum mentem in Protestantium favorem Ormoniae Comiti student, in Concilio Supremo praevalcant, eaque statuunt, quae ad causam communem et Catholicae religionis bonum proficiant. Totum in rem hanc Dominationis vestrae studium incumbat necessum est, memorque sit ne eorum partibus, qui insulam ad Gallicam vel Hispanicam factionem allectare conentur, se interponat, sed eam, quae ad unius vel alterius Coronae faedus aut patrocinium pertineat, Concilio Supremo curam relinquat. Eo forte spectarunt, quae ipsi Parisiis proposita fuere injuncto arcano mandato (sicut ipsa Dominatio vestra scribit) illo significandi, quid Iberniae Catholici contribuere vellent si Gallia Regem Angliae defensandum, et tam ipsos quam Angliae et Scotiae Catholicos | a Puritanis asserendos susciperet. Unde si hoc Galliae decretum sit Domi-

natio Vestra, quem suae Sanctitatis mens non latet, jam probe norit, quo se pacto gerat ut sua Sanctitas in unam potius quam in alteram coronam propendere non videatur." Haec ibi. Ad quae Nuncius Italice respondens : " Quod (inquit) ad epistolam 25 Septembris cyphris scriptam spectat tantummodo respondeam me in iis, quae D. Cardinalis Mazarinus in ultima *audientia* mihi dixerat, significandis haud aliud voluisse quam (quod meum esset) nihil non communicare, sicut hucusque non neglexi. Porro praescriptum efficiendi semper ut sua Sanctitas in Coronas aequa appareat, tantopere mihi ipsi proprium est, ejusque ea hactenus in me exhibui specimina, ut persuasum habeam me nunquam in hanc regulam peccaturum, quibus addo mihi semper cordi esse ut hujus asserti judex sit experientia." Haec ibi.

(440) Nuntius ergo Reginae Regenti Christianissimae, Cardinali Mazarino, Principibus, Praelatis, et Proceribus Gallicanis salutem plurimam dixit, et 3^o vel 4^o Kalendas Septembris urbe Parisiensi demum egressus in Cardinalis Mazarini curru Carnutum petiit, ut Beatissimae Virginis Matris, cujus ibi celeberrima devotio frequentetur, patrocinio se suumque in Iberniam iter commendaret. Fuit si quidem Praelatus, siquis alius, adeo pietati deditus ut negotia plus sacrificiis et precibus quam alia quavis industria et opera peragere soleret. Inde autem 3^o Septembris Cardinali Pamphilio Italice scribens : " Brevi (inquit) tempore quo hic mihi expectandum esset non delituerim, nam non solum incidi in quendam amicum, sed et ecclesiae Cathedralis Capitulum, quod ex antiquis Sedis Apostolicae privilegiis suae Sanctitati immediate subest, statim atque Nuncii Apostolici nomen olfecerat, ubi essem investigavit et allegatis quinque canonicis me visitavit interposita professione praedictae dependentiae, de qua supra modum gloriantur. Hoc mane, die Dominica rogarunt ut solemni Sacro in choro interesssem, ubi nullo me honore non cumularunt, et occasionem arripui observandi multos ritus ac ceremonias antiquissimas, inter quas silentio non praeterierim mihi Capituli nomine ipsos donum fecisse panem et vinum, dicentes apud se esse in more positum sic tractare omnes ecclesiasticos in specimen communicationis verae fidei, ita ut in hac consuetudine reperiatur praxis antiqua eulogiarum et symbolorum Ecclesiae primitivae." Haec Nuntius. Est autem (sicut traditum videmus) in illa ecclesia Carnutensi Beatissimae Virginis indusium et imago celeberrima, quam tradunt antiquos Gallorum Druides ante Dei Genitricem natam *Virgini pariturae* dedicasse. Quare pia jamdudum inolevit populi consuetudo ut, quae indusia illud sanctum indusium

Regest.
pag. 132.

et imagines imaginem tetigerint, specialem mereantur venerationem, quale donum a Capitulo illo Carnutensi tunc Nuntio praesentatum, quas Carnuti ante discessum ad Canonicos dedit, sequentes ad ipso litteras gratulatorias exegit:

*“ Reverendissimis DD. Capitulo et Canonicis
Ecclesiae Carnutensis.*

875 (441) “ Incunculam auream Beatissimae Virginis, quam vos Reverendissimi DD. ex ipsa Deiparae theca, ut mihi dono mitteretis, avulsistis, habebo (ita sincere profiteor) non tam munus quam munimentum. Scilicet non sine Divinitatis afflatu suscepisse me hoc iter intelligo, nempe ut provis, quae jam in longissimum iter humanitus poteram, caelestia superadderem. | Rogo vos igitur DD. ut existimetis sacro hoc amuleto praesidium mihi in adversis, solatium in prosperis contulisse. Stella duce haud difficile cavebuntur insidiae. At vos, qui Romanae Sedi immediatam profitemini subjectionem, existimate non levem eidem operam rependisse, dum ejusdem Sedis Nuntium in dissitas longe terras proficiscentem, ideo sincere quia caelesti ope deducitis. Estuent oceani fluctus, vis ingruat hostilium armorum, habeant in minas elementa omnia, Carnutensi imagine fultus nihil expavescam. Refert illa merito indusium Beatissimae Virginis, ut discam illius opem non ut extimum vestimentum, sed ut intimius ac proximum velut animae amictum, aestimare. Habui quo vobis in egressu plurimas agerem gratias, Reverendissimi DD., habebo quo majores referam in reditu, et eadem Deipara (ita opto, voveoque) quae me nunc aspicit gratias impetrantem, videbit aliquando genuum inflexione sincere reddentem. Valete. Domo, 4 Septembris 1645.”

(442) Carnuto digressus Nuntius Aureliam 8 Septembris pertinuit, indeque biduo post ad Cardinalem Pamphilium Italice scribens inter alia de Bellingo (quem paulo ante in Belgium profectum vidimus): “ secretarius (inquit) Bellingus promissis redeundi Parisios mihi factis stetit, et mox atque eo appulit ad me scripsit. Ipsum hic in horas singulas praestolor mecum porro conducturus, adeo ut sopienda sit illa suspicio, quam de ipso concepit Eminentia vestra.” Haec ibi, Pamphilus siquidem (sicut praelibatum est) metuebat ne Bellingus Nuncium in Iberniam praecederet. Caeterum qui Nuncius tandiu Parisiis detentus sit ipse Cardinali Pamphilio Rupella 5^o Octobris Italice scripsit, quod nullibi melius quam hic collocem, observato rerum ordine et connexione.

(443) "Die (inquit) vicesimo secundo Maii Parisios appuli, et vix Duci Aurelianensi in Flandriam cogitanti suae Sanctitatis Breve praesentavi, cum febre et catarrho, quae me novendio domui affixerunt, aegrotavi. 5^o Junii a Rege et Regina ad audientiam admissus fui, usque ad decimum quintum in aliis visitationibus necessariis occupatus, Franciae Nuncio semper concomitante. Inter primam illam visitationem D. Cardinalis Mazarinus mihi dixit tunc quae commodarentur non fuisse in promptu naves regias, se autem scripturum ut investigaret nunquid alia ratione possent subministrari.

(444) "Redivi altera vice ad suam Eminentiam die quarta supra vicesimam et ob multitudinem negotiorum suorum videbatur mihi oblivioni tradidisse meum, de quo scilicet mihi lente admodum loquebatur. Quare ante mensem illum transactum semel Cardinalem Bichium atque iterum conveni, enixe rogans ut suo interventu rem expediendam curaret, cum ab ipso D. Cardinale Mazarino nunquam postulaverim audientiam quin ipsum expectarem dies minimum quinos vel senos instando per Invernitiū mane et vespere.

(445) "Octavo Julii cum jam vesperasset P. Hartaganus mihi retulit suam Eminentiam eodem die sibi dixisse navigia esse Rupellae in promptu ad meum omnino beneplacitum. Quare postridie Reginae et aliis ex concilio gratias agere caepi, omnibus indicans me sequente vice valedicturam, idque effeci ut praeter res ad pergendum necessarias subsidia numaria et apparatus bellicus mecum transportanda praepararentur, et de facto mense illo praecipitante eram cunctis retinaculis expeditus et in procinctu ad proficiscendum. |

(446) "Verum duo me impulerunt ad differendam profectionem usque ad diem Deiparae Assumptioni mense Sextili sacram. 875
v
Primum erat Secretarii Bellingi iter in Flandriam. Novi siquidem vos istic peroptasse ne is nisi mecum in Iberniam appelleret, et ea propter id egi ut mihi se Parisios regressurum promiserit, ipseque nonnullam sui in suspicionem vocandi occasionem subministravit. Alterum erat ut a D. Cardinale Mazarino, quae aliquo tempore jam elapso se donaturum spondit, octo *sculorum* millia impetrarem, quae neglecta hac opportunitate omnes mihi suggerebant nunquam numerando. Verum sane est quod me negotio illo abstinuissem, si futurum existimassem ut haud voti compos evaderem nisi tot dierum, laborum, et curarum impendio. Verum non omnia vaticinemur.

(447) "Accedit praefatum D. Cardinalem aere jam penso denuo mecum conferre voluisse. Et hic congressus, sicut alii vicibus

solitos in expectando dies assumpsit. Quo non obstante uti suae Sanctitatis mandatum recepissem die mensis undetrigesimo (et si rei numariae negotium non esset paratum, ad quod absolvendum reliqui Decanum Firmanum) ante discesseram quam secretarius ex Belgio remigravit me postea Aureliae assecutus." (Haec Nuncius). *Rei autem numariae negotium*, cujus hac ultima clausula meminit, erat subsidium Pontificium, de quo Aurelia ad eundem Italice scribens 10 Septembris: "Eminentia (inquit) vestra non crederet quot diebus et quantis servorum meorum laboribus mihi steterunt itinerum symbola, exemptiones, licentiae, et aliae directiones, quas necessum erat regionum ministrorum manibus extorquere precibus, mandatis, et procrastinationibus a nemine nisi experto ponderandis." Haec ibi.

Reg.
pag. 128.

Reg.
pag. 136.

(448) Aurelia Nuncius concomitante praeter alios Bellingo descendit per Ligerim fluvium in Britanniam, seu Galliam Armoricam. Unde ad Cardinalem Pamphilium Romam Italice scribens: "cum hic (inquit) subsidiariis facultatibus via haud adeo secreto confici potest quin in locis, quae probi Catholici incolunt, detegar et Nuntii Apostolici nomine quodam modo adorer. In urbis Turonensis Ecclesia Sancti Martini, ubi Rem Sacram absolvi, Capitulum illud, quia Sedi Apostolicae immediate subditum, illo brevi temporis intervallo etiam improvise me honore affecerunt quam possent maximo; in aliis urbibus et oppidis clerus populusque benedictionis a me participandae gratia ad diversorium concurrerunt. Et hic Nannetis Praetor urbanus, aliique civitatis Magistratus me confestim visitarunt, oblatoque hospitio vinum dono praesentarunt, omnes denique suae Sanctitatis in sublevandis Ibernis pietatem laudibus efferunt." Haec Nuncius 23 Septembris 1645. Inter haec Nuncius expectabat in singulos dies ut Invernitiis, quem navibus, quae a Cardinale Mazarino primum promissae, praeter spem diuturnam deficientibus in Belgium missum vidimus, Dunkercae naves actuarias, ad quas ibi commercandas partim destinatus fuit, in portus Francicos circumduceret. Verum illa quoque spes Nuncium fefellit. Qua cognita, literas | ad Cardinalem Mazarinum Parisios dedit, obtestans ut una saltem navis praesidiaria a Rege subministraretur. Ille rescripsit, Italus Italice, ut Latine sequitur.

16

"Illustrissime et Reverendissime Domine.

(449) "Percepi epistolam Dominationis Vestrae Illustrissimae ex qua colligo obstacula, quibus a proseguendo suo itinere

praepediretur, sicut et suum desiderium circa navem qua uti decrevit. Ego qui ad satisfaciendum suis votis contribuere valeam in me ipso oblectationem sane experior singularem, non defui suo obsequio, sed mandatum, quod hic adjunctum recipiet, ad navem suppeditandam subito expediendum procuravi. Renovo ergo hac occasione suae Dominationi Illustrissimae mea pro suo fausto itinere auguria, unaque precor ut, ubi in Iberniam pervenerit, procurare dignetur, ut quidam meus delegatus multo jam tempore elapso militum auctorandorum gratia illo destinatus regredi valeat, et si Dominationis vestrae interventu validam aliquam militum manu secum conduceret, humanitati vestrae eo me nomine haud mediocriter devinctum agnoscerem, et sic finem facio omnem ipsi apprecans prosperitatem. Parisiis 13 Septembris 1645.

Dominationis Vestrae Illustrissimae et Reverendissimae semper obsequentissimus servus.

Cardinalis Mazarinus."

(450) Verum haec epistola et annexum mandatum in fumum abierunt, nam (sicut inferius videbimus) nec illa quidem navis Nuncio subministrata fuit. Praemisit autem 27 Septembris Bellingum Nannetes Rupellam omnia praeparatum, quo Rupella solveret, ipseque navem actuariam mira velocitate Nannetis comparari, et in hanc suppetias Pontificias, apparatus bellicum, suppellectilem, aliaque itineris impedimenta iniici jussit, praefectoque omnibus Rupellam mari circumducendis D. Dionysio Massario, Decano Firmano, Nannetis ad ultimum Septembris Rupellam discessit, et ineunte Octobri pervenit.

(451) Vidimus jam satis superque Summus Pontifex per Cardinalis Pamphili litteras quantopere Nuncium ad ascendendum Parisiis et trajiciendum quam citissime in Iberniam presserit, quem in eadem sententia audito Nuncii Parisiis discessu perstitisse crebrae litterae posteriores ostendunt, usque adeo ut idem Pamphilius ad Nuncium 2 Octobris Italice scripserit hunc in modum: "vult (inquit) sua Sanctitas ut Dominatio vestra suum iter continuet quam maxima diligentia et absque intermissione, non obstantibus quibuscunque sive induciarum sive pacis nunciis, a quibuscunque etiam a Domino *Spinola* a se praemisso recipiendis." Haec Pamphilius. Verum paulo post litteris ex Ibernia a Patre Scarampo Ministro Apostolico in Urbe receptis, Pontificem mutasse sententiam invenio. Quid autem P. Scarampus significavit, et quid continuo Pontifex Nuncio praescripserit

Pamphilus litterae ad Nuncium cyphris Rupellam 5 Novembris scriptae demonstrant, quas ecce tibi ex Italicis Latinas.

876
v

(452) " P. Scarampus litteris calendis Septembris praeteriti datis nos monet transmigrasse in Iberniam Glamorganiae Comitem, Catholicum Anglum, cum facultate cooperandi ad pacem ineundam concernente articulos, quos Ormoniae Marchio non stabiliisset circa religionem Catholicam, et cum aliis instructionibus tendentibus | in beneficio negotiorum Regis ac in introductionem publici exercitii Catholicae religionis in Angliam, quibus in basim positis (quae suapte sponte in pacem propensis Iberniae episcopis plausibilia videbantur) formavit his annexas conventiones, super quibus (sicut Dominatio vestra hic videat) cum esset responsum et replicatum, demum Comite sollicitante res utrinque tridui agitatione in pactionem transiit, quo convento ad P. Scarampi notitiam delato, is interposita scripto sua sententia demonstravit non Episcopis modo sed etiam *Concilio Instructionum* quam fluxum sibi fundamentum conflarent ex Comitis concessione, cum quae haberet mandata a solo Rege ejusque secretario subscripta et parvo sigillo munita essent, proindeque nullatenus auctoritate, quod non sit Regi potestas componendi se solo illorum regnorum res politicas, adeo ut ipsorum pactio totum mutaretur robur ex Comitis pollicitationibus, quae de re aliena factae Regem obligare non possent, nisi quantum ipse se obligatum agnoscere vellet, cumque initae cum ecclesiasticis conventiones in medium produci non deberent. Exinde nemo non scandalizaretur observans nullam in publicis pacis articulis fieri mentionem sacrarum basilicarum, bonorumque ecclesiasticorum, et auctoritatis ac jurisdictionis episcoporum, qui omnes Regis severitati exponerentur, si pacem exequi et observare nollet. Laici enim Catholici articulis secum pactis ad illam adeo necessariam defensionem non obstricti, propriis commodis ducti ipsos desererent. His ergo magni momenti rationibus Concilio ante oculos positis episcopi ne laicos molestia afficerent, et ab eorum unione secederent, totum prorsus Comiti crediderunt, et se conditionibus suis secretis de statu ecclesiastico pangendis contentos, ac publicum pacis tractatum ratum habituros declararunt, quam propterea P. Scarampus legibus arcanis et modo superius recitato plane concludendam arbitrabatur. Novus itaque hicce et inexpectatus rerum eventus, quem P. Scarampus se Dominationi vestrae significasse testatur, matura hic deliberatione consideratus suam Sanctitatem in eam traxit sententiam ut mihi

praeceperit scribere ad Dominationem vestram ut si P. Scarampi litteris, vel alia via certa sibi pacem inter Iberniae Catholicos et Regem Angliae fuisse conditionibus et modo jam dicto absolutam constet, suo itinere versus Iberniam proseguendo supersedeat, et istic donec secus a sua Sanctitate praescriptum fuerit commoretur. Sed si Dominationi vestrae non innotuerit pacem fuisse plane conclusam progrediatur. Ubi autem in Iberniam pertinuerit juxta suam prudentiam et, qui in rebus illis tractandis minime omnium peregrinus et tantopere versatus est, P. Scarampi consilio se regat, inque id studium incumbat ut quae Catholicis proponuntur conditiones circa liberum Catholicae religionis exercitium introducendum atque imposterum fovendum potiores reddat. Quod si pax legibus et modo jam dictis stabiliretur, vult sua Sanctitas ut nec Dominatio vestra nec P. Scampus ullum ejusdem approbandae vel improbandae actum exerant sed se gerant (ut ita dicam) *mere passive*, seque ipsos et suam in insula moram dirigant secundum eventus, quos peperit tempus, ita ut hujus Sanctae Sedis Apostolicae et Dominationis vestrae missionis dignitatem semper in amussim observetis. Praeterea suae Sanctitatis praeceptum est ut | si Rupellae demoretur, 877
mox ad P. Scampum aeris Romani scuta quingenta supra tria millia transmittat, quo suis creditoribus satisfaciat et famam redimet." Haec Nuncio Pamphilius.

(453) Ipsius etiam P. Scarampi litteris respondit cyphris Pamphilius approbens modum quo circa hanc pacem partes suas egisse se scripserit, et praecipiens eodem modo, quo in epistola ad Nuncium vides, ne ullum illius pacis approbandae vel improbandae actum ederet, sed *mere passive* se haberet. Rex autem solus an etiam (sicut ex Scarampi litteris Pamphilius Nuncio significavit) a secretis mandato Glamorgani calculum apposuerit superius vidimus. Porro totum illius pacis processum a Scarampo Romam Pamphilio et ab hoc Rupellam Nuncio (sicut praefatae litterae indicant) missum suo loco non mutilum et imperfectum, qualis tunc esset, sed omnibus numeris absolutum in medium produximus. Interea subtexendum superest pacem contra ac Scampus conjectavit excepta tunc Glamorganica non fuisse contractam, sed ambas partes in Nuncii appulsum distulisse, quo spectant Nuncii ad Pamphilius litterae Italicae Rupella Romam directae, quas, exceptis paragraphis ad scopum non pertinentibus, Latinas habe.

Reg. (454) " Appuli huc Rupellam biduo jam elapso, ubi in Patrum
 pag. 141. Jesuitarum collegio me contineo, nec multis me spectandum
 praebeo secundum tantummodo ventum expectans, cum caetera
 omnia sint praeparata, sitque huc in horas singulas accessura
 celox, in quam Nannetis una cum rebus omnibus mecum
 transportandis injiciendos curavi reliquos ex mea familia et plures
 Iberos, qui in patriam regressuri hanc meam commoditatem
 expectarent. Pridiano vespere quam appuli, ex Iberniam huc
 quarta navigationis die pertigit D. Zepherinus Barronus, Regni
 Thesaurarius, qui ex Concilii Supremi praescripto Confaederatorum
 negotia aliquandiu acturus Parisios pergit, indicans P.
 Hartaganum forte ad suam religionem concessurum. Hic eques,
 sicut aspectu optimo sic etiam conversatione est multum urbana
 et circumsperta, mihi dixit sibi cum P. Fratre Luca Wadingo
 necessitudinem incedere. Attulit ad me ex illo Regno plures
 epistolas partim respondentes ad meas primas, quas Lutetia
 Parisiorum dederam, partim profitentes humanitatis officia et
 mei quantocyus videndi desiderium.

(455) " Hic ipsissimus eques recenset nihil prorsus circa pacem
 in Comitibus Generalibus fuisse diffinitum, sed inducias tantum
 esse tacite protractas, nihilque omnino stabiliendum, donec ego
 appulero. In cujus rei fidem mihi attulit unas litteras a
 Glamorganiae Comite, Anglo et integerrimo Catholico, qui, a
 Rege cum aliquo mandato arcano ad tentandum quo pacto
 facilius ad concordiam inter suam Majestatem et Iberos via
 aperiretur, in Iberniam allegatus, mihi scribit sibi decretum esse
 omnia mecum congregari et meum expectare appulsum ardenti
 desiderio. Quantum ad nuncia D. Barronus non alia refert
 quam continuationem obsidionis Yeochelliae cum spe ejus in
 fidem recuperandae, subjungens tamen ipsos deficere pulveris
 tormentarii apparatus. Unde qui hic Rupellae provisos est,
 tempore valde opportuno ministrabitur. | D. Barronus
 Domino Spinola, quem praemisi, non occurrit, nam cum hic
 excessum e navi in terram Limerici facturus esset et Barronus
 Waterfordia discessit, calculum subduco eodem circiter tempore
 alterum navem conscendisse et excendisse alterum paucisque
 post diebus Kilkenniam pervenisse. Rupellae 5 Octobris, 1645."

(456) Hac epistola cum alia cyphris exarata, quam nusquam
 legi, et dilationum Nuncio Parisiis injectarum relatione, quam
 nuperrime superius tradidi, Romae recepta fuit, jam scripta sed
 nondum missa proxime superiore Pamphili ad Nuncium 5.

Novembris data et cyphris exarata, quare annexam fuisse invenio ab eodem Pamphilio in eodem fasciculo ad dictas Nuncii litteras 5 Octobris Rupella datas responsionem et aliam schedulam, quas tres scriptiones cyphris et lingua Italica significatas, ad deprecandae confusionis ergo totidem numeris primo, secundo, et tertio inscriptas fuisse comperio. Epistolam numero primo contentam (sicut dixi) proxime superius habes sic incipientem: "*P. Scarampus litteris Calendis*" etc. Annexam autem responsionem ad novissimas Nuncii litteras 5 Octobris Rupella datas numero secundo inscriptam ei hic parte Latine reddo.

(457) "Ante receptam Dominationis vestrae epistolam Rupella 5 Octobris superioris datam cum cyphris eodem die missis et temporis, quo Parisiis diem duxit, relatione scripta fuit epistola cyphris contenta numero primo, idque ad nuncia a P. Scarampo accepta, qui de pace, conditionibus (quod clerum concernit) inter Iberniae episcopos et Glamorganiae Comitem pactis, velut jam conclusa significavit, sed cum idem Comes Dominationi vestrae scripserit se nihil diffiniturum donec ante omnia ipsam viderit, in spem venimus fore ut Dominationis vestrae appulsus in Iberniam praefatas condiciones in causae Catholicae favorem meliores reddat, et quae secum transportat, expeditis subsidiis laicos Catholicos animet, ut cum statu ecclesiastico concordem pacem contrahant non timidam et inconstantem, sed quae Iberniam gloriam et universo orbi Christiano aedificationem pariat.

(458) "Hoc totum dico Dominationi vestrae casu quo Rupella discesserit, in Iberniam pervenerit, et recepta, sicut convenit, res in statu invenerit, quo juxta traditas sibi hic instructiones agere valeat. Verum si non abscesserit, gerere se poterit juxta tenorem scripturae cyphris contentae numero primo." Haec ibi. |

(459) Etsi hae Pamphili litterae cum annexis Rupellam ad Nuncium directae fuere, Nuncius tamen ante Rupella solverat quam pervenerint, imo quam ex Urbe scriptae fuerint, adeo ut ille datas Roma Novembris 1645 non nisi duobus mensibus interjectis et quod excurrit ad Januarii finem 1646 in Iberniam receperit. Porro hae et aliae litterae superiores inter se comparatae velut digito demonstrant Summum Pontificem primo, usque ad receptas in Urbe litteras a P. Scarampo de pace Glamorgana ex Iberniam Calend. Septembris datas, semper voluisse Nuncius in Iberniam progrediretur. 2°. Audito pacem fuisse

conclusam mutasse sententiam, et jussisse Nuncium ne procederet, si rem ita se habere ipsi certo constaret, sin autem omnino pergeret et in Iberniam appulsus, quicquid prudenter posset sic ad Fidei causam promovendam proficeret, ut pacem Glamorganam, si forte legibus Romam nunciatis celebrata esset, nec ipse nec P. Scarampus improbare nec approbare, sed *pure passive* se haberent. 3°. Recepta Romae Nuncii epistola Rupellae 5 Octobris data et constanter cognito Faederatos Iberniae Catholicos ac ipsum Glamorganum, non nisi Nuncio appulso et consulto, pacem contracturos, tunc injunxisse Nuntio ut se in viam daret. Et has quidem Ibernorum et Glamorgani proindeque Pontificis et Nuncii deliberationes et deliberationum momenta ac vicissitudines, quarum ad res gravissimas impostum delineandas notitia perutilis est, hic perstringere plusquam operae pretium esse existimavi.

(460) Itaque Nuncius ab ipsis Faederatis et Glamorgano ita in Iberniam invitatus est, missis hoc fine cum Domino Barrono et Rupellae Nuncio traditis epistolis ut in Nuncii appulsum pace concludenda supersedendum statuerint, idque proprio motu et antequam a Nuncio in Iberniam praemissus D. Dominicus Spinola pervenerit, qui in Ibernia urbem Limericensem cogitans, Rupella 13 Septembris solvit, et mox ab appulso Kilkenniam profectus Concilio Supremo Legationem exposuit, nempe nihil pene suae Sanctitati ab ipsa sui inauguratione fuisse antiquius, quam ut Iberniae tot annos sub iniquissimo haereseos Anglicanae jugo, non animo nec corde, sed fortunis fatescenti tunc ad libertatem magnis cervicibus assurgenti manum et utramque porrigeret, imperatorem in Germaniae Protestantes aliosque cum iisdem faedere conjunctos haereticos, Christianos praesertim Venetos in Turcas Ecclesiae causam gladio propugnantes, aliasque nationes et Principes ad Summum Pontificem, quo sibi ipsis suppetias veniret, recursum habuisse, ex quo maxime possent studio in id incubuisse, ipsum autem Iberniam Catholicismi Bellonam praetulisse, accedere Nuncium Apostolicum extraordinarium, non e cleri grege talem qualem nec medii meriti vel dignitatis virum, sed Archiepiscopum juxta ac Principem, non (quales multi esse solent) mere titularem, sed redditibus et emolumentis utentem, fruentem, possidentem, natalium splendore, utriusque aulae saecularis et ecclesiasticae moribus politissimis, eloquentia, scientia, eximia vitae integritate, diuturno maximarum praesertim ecclesiasticarum rerum usu et exercitatione, omnibus denique, quae tantas suas dignitates deceant, ornamentis et

virtutibus adeo cumulatam, ut in Nuncium ad Iberniam ab ipso Pontifice omnia et omnes diligenter pensiculante fuerit electus ex millibus. Venire | autem non vacuis manibus ut mactet, perdat, et sibi congreget, sed subsidiis numariis et apparatu bellico, nedum facultatibus spiritualibus longe amplissimis munitum, quibus et visibilibus et invisibilibus Iberniae hostibus bellum indiceret, itaque ipsorum esse ante et retro in res suas introspicere et Nuncium vel nulla vel certe ea mente admittere, quae bene inciperet, progrediretur, finiretque in Dei gloriam, fidei propagationem, Sedis Apostolicae honorem, perennem Nationis laudem, et haereseos in Iberniam perque Iberniam in Anglia et Scotia perniciem, alioquin facturos in fraudem ac injuriam gravissimam Nuncii, Summi Pontificis, Ecclesiae et ipsius Spiritus Sancti, qui Nuncium, Pontificem, et Ecclesiam ad hoc tantae charitatis opus flecteret.

(461) Multus aliquot dies in hunc sensum Spinola Nuncii causam oravit, observans hos ad pacem illos ad bellum, alios ad coalescendum Regi et illis, qui a Rege starent, haereticis, alios ad nullum omnino pactum, nisi quod gladio victore scriberent et subscriberent cum haereticis percutiendum propendere, omnia denique ita in ancipiti stare ut nihil pene staret sed fluerent et refluerent partium studia, sicut ubique gentium temporibus turbidis et dubia republica contingit. Quare licet ille Nuncii appulsum anhelaret et Faederatis statutum esse animadverteret, ut pacis ineundae vel belli proseguendi deliberatio in ejus adventum suspenderetur ac plerosque observaret, quibus diuturna ejus mora gravem animi dolorem afferre videretur. Timebat tamen ne forte in eo proposito non essent sibi constantes, velut qui a Nuncio non commune Ecclesiae, religionis, et patriae bonum, sed privatum emolumentum expectarent, quo si frustrarentur ipsum post suppetias exhaustas desererent, suisque commodis fidei causam postponentes pacem iniquam cum Ormonio celebrandam curarent. Verum illi ut nullum huic suspicioni locum relinquerent, et Nuncium diu in Gallia cunctantem in insulam accirent, conflandum curarunt etiam Ormonistae solemne instrumentum Nuncio transmittendum, quo rerum Ibericarum tunc statum delinearunt, quid sibi decretum foret, perstrinxerunt, Nuncium in regnum instanter invitarunt, dubiis a Spinola objectis occurrerunt, et demum pacto et fide publica se totumque Faederatorum corpus ad plurimas et amplissimas Nuncio praestandas condiciones obstrinxerunt, adeo et in hoc Nuncio admittendo intervenerit non solum quae jure communi, Divino,

et ecclesiastico a Catholicis Summo Pontifici ejusque ministris rite missis debetur obedientia, sed etiam pollicitatio sollemni instrumento confirmata et fides publica de conditionibus amplissimis praestandis imposita, ipsum instrumentum ex autographo Latino, quod inter manus est, hic legas :

*Per Supremum Concilium et Comitia Confaederatorum
Catholicorum Kilkenniae die 3^o Octobris 1645.*

880

(462) “ In ultimo conventu Generali Catholicorum Confaederatorum Iberniae determinate convenerunt unanimi consensu tam ecclesiastici quam saeculares super certis postulatis, conditionibus, et modis eas obtinendi ; quae si obtineantur apprime erit consultum honori, utilitati, splendorique Catholicae religionis et professorum ejus in Iberniam, et via aperietur in Regnos Angliae et Scotiae opportunissima extirpandi haereses, et ad similem honorem, utilitatem, atque | splendorem perveniendi. Nisi autem ejusmodi postulata et conditiones obtineantur, et promissa desuper facta compleantur, indubitatumque in Parlamento regni robur, et confirmatio ac subinde actualis executio sequatur, necessario bellum veniet continuandum.

(463) “ Tractatus pacis jam pridem super praedictis postulatis et conditionibus institutus continuatur ; disceptatur etiam in minimis, in nulla sui parte est determinatus, nec scitur quae determinatio sequetur. Certe ut pax concluderetur, nihil inde consequetur aliud nisi quietem et quasi cessationem quandam rebus acquisitam, donec determinata perfectionem supra mentionatam consequantur in Parlamento. Quando vero erit Parlamentum, imo an unquam futurum, ut a plurimis dependens accidentibus, est omnino incertum, et e congregato etiam ad arma concurretur, si exoriat dissensio. Interea gubernium suorum territoriorum aequae ac hactenus, ecclesiarumque et emolumentorum, omniumque rerum suarum possessiones penes Confaederatos consistunt.

(464) “ Ex iis plurimisque aliis eodem pertinentibus clarum est praesentiam Nuncii Apostolici in hoc regno esse necessariam, etiam posito quod pax modo supra inserto concluderetur, quod tum usque ad Parlamentum, tum tempore Parlamenti civitates, nobilitatem, et reliquos Confaederatos animet, apposite disponat et instruat. Adversarios vero (quos multis argumentis nobis innotuit, et scimus sola Illustrissimi et Reverendissimi Domini Firmani adventus fama et sollicitudinis Apostolicae erga

Confaederatos et hoc regnum concepto studio animis concidisse, ausus extenuasse et solitas insolentias) exanimet, alioqui ejusdem Illustrissimi et Reverendissimi Domini reditu majoribus quam unquam alias spiritu et insultibus efferendos, insolentioresque evasuros. Profecto etenim totus mundus gnarus Illustrissimum et Reverendissimum Dominum speciali gratia ad Confaederatos missum jam dudum in via et modo a portu ipso solventem, crederet videns redeuntem a Sanctissima Sede, atque adeo a reliquis Principibus Catholicis nos (causamque nostram) ut male meritos et contemptui habendos, esse desertos, revera conciperetur, evulgareturque expositis taliter risui, et derelictis Ibernis nullis unquam ea qua nos suscepimus et exposuimus occasione et expectatione arma esse suscipienda, vel fortunas et vitas extremis periculis exponenda. Sane millies melius esset Apostolicae Sedis Nuncium nunquam destinatum fuisse, quam eo in tanta rerum incertitudine et tam ancipiti religionis Catholicae articulo destitui.

(465) " Jurisdictio ecclesiastica in postulatis pacis conditionibus derivata a sua Sanctitate est, eritque penes Catholicos independentem a Protestantibus, ad quam jurisdictionem promovendam, propagandam, sartam tectam tuendam, requiritur extreme praesentia Apostolici Nuncii, et quidem multo magis in hoc regno quam in aliis regnis, ut ubi religio in quodam chao vacillans, ejusque splendor in cunabulis vagiens ad perfectionem emergere debet, per difficultates infinitas oriundas inter ipsos ecclesiasticos in canonibus archiepiscoporum, episcoporum auctoritatibus, atque Regularium privilegiis et missionariorum facultatibus reconciliandis.

(466) " Neque (quod objicitur) Illustrissimus et Reverendissimus Dominus residebit hic nisi apud supremum suae provinciae gubernium, cum Catholici usque ad Parlamentum, et subinde donec promissa | et postulata Confaederatorum perfecte completa executioni mandentur, suum gubernium sint retenturi. Accederit Illustrissimum et Reverendissimum Dominum residentem in hoc regno commodissime obiturum negotia omnia ad Catholicae religionis propagationem in Anglia et Scotia spectatura, cognitum distincte quibus personis in tribus regnis debeat Apostolica Sedes confidere, et Catholico exercitui ex hoc regno in Angliam transmittendo optime consulturum, quae nullus Apostolicae Sedis Nuncius in aliis regnis residens posset praestare.

(467) " Natio Ibernorum post defectionem Regis Henrici Octavi factam, assumpto Summi Pontificatus in suis regnis

titulo ab Apostolicae Sedis obsequiis per centum et supra annos, nullis artibus, nullis fortunarum jacturis, nulla proregum et aliorum status perniciosissimorum ministrorum tyrannide, ad ejusmodi defectioni consentiendum poterat adduci. Exinde per omnes persecutiones suos praelatos, parochos et Religiosos habuerat; variis temporibus, infinitis pecuniarum summis persecutorum conniventiam in religionis Catholicae cultu rede-merat. Ad extremum cum certissimis documentis perciperet religionis Catholicae cultum et exercitium radicitus extirpandum, nec prece nec pretio libertatem ullam ejus obtinendam, nisi armorum vi defenderetur, armis, classe, et aerario destituti, vitam et fortunas omnes supremis periculis exposuerat, strenue defenderat; sacramentorum ejus administrationem ex privatis cubiculis, collibus, sylvis, et stabulis erutam, frendente haeresi per pleraque regni loca in ecclesiis eminentem collocaverat. Unde quantum eadem natio post tot illius periculosissimae palaestrae discrimina existat Apostolici Nuncii honore, aliisque Sanctissimae Sedis favoribus digna sapientis cujusque benignae considerationi discutiendum relinquitur. Opinari non imprudenter et vereri posset quispiam infinitas oriundas imputationes, modo natio haec in praesenti rerum necessitate admodum desolata sanctissimae Sedis Apostolicae solatio destitueretur, et quidquid religio labascendo in hisce insularibus regnis pateretur, Apostolicis horum temporum administris in adscriptum ac inde infirmioribus lapsuum occasionem non defuturam.

(468) "Ad difficultates a nobilissimo Domino, D. Dominico Spinola, propositas de juramento suprematatis, admissione episcoporum Catholicorum ad proxime futurum in hoc regno Parlamentum, et gubernio Protestantis Proregis manibus futuros, respondetur Nationem Ibernorum nullis minarum machinis, nullis periculorum jacturarumve vitae vel fortunarum motibus ab initio haeresis Anglicanae dimoveri potuisse, ut temporalem principem Ecclesiae supremum caput agnosceret, seu ut ejusmodi juramento sese submitteret, multoque minus in posterum submissuram, et in ultimis Comitibus Generalibus universorum voce et voto conclusum fuisse, ut illius juramenti abrogationi perpetuae insisteretur. Pseudo-episcopos ad primo observandum in hoc regno Parlamentum citatum iri, affectaturosve accedere haud credimus, eosque excludendi maximam habemus spem et fundamentum; utque adessent ne minimum quidem possent nostris occasionibus officere, cum in conditionibus nostris extet in causis religionem Catholicam professoresque ejus concernen-

tibus, nullam ipsos habituros unquam jurisdictionem. Caeterum cum sua Majestas optimas nobis | in reliquis et realibus materiis concedat conditiones, gratorum animorum affectui fideliumque subditorum officio videretur absonum titularibus insistere ceremoniis; nimis etiam violentum a nonnullis judicaretur omnia prima vice a tot annorum possessoribus quamvis usurpantibus quasi abripi, nec minus forte politicae contrarium abs Rege contentiose exigere quidpiam praesentium temporum conditioni repugnans et nobis inutile adeo, quod status et suae Majestatis et nostri ratio suadet potius silentio praetereundum. Ejus siquidem plurimum interest ut Protestantibus subditis hac tempestate non detur occasio omnimoda regias partes deserendi, prout dubio procul episcopos ejusmodi fortunis simul et titulis deprivando maxime suppeditaretur. Et si Catholicus expectaretur Prorex, Protestantes omnes degentes in hoc regno animos desponderent, nullamque securitatem in tota Ibernia sibi crederent superfuturam, persuasumque haberent ab Ibernis totalem Protestantium coloniarum intentam expulsionem. Verum haec ad tertium dubium politice dicta sunt. Revera Illustrissimus et Reverendissimus Dominus Firmanus venturus est ad Gubernium Catholicum duraturum ad Parlamentum, tempore Parlamenti, et post illud, donec promissa executioni mandentur, quo pervenire faxit Altissimus ut non probetur casus metaphysicus.

(469) " Interim, modo eo deveniatur, nec gubernium totum, nec fortalitorum, civitatum, urbiumve omnium penes Proregem existet, erunt Catholici in Concilio Status. Erunt fortalitorum, civitatum, urbiumque plurium praefecti. Erit hierarchia ecclesiastica cleri Catholici, erit ex his omnibus Catholicorum politicum corpus compositum, tenens alta mente repositum contra immanes haeresum injurias remedium. Apud hoc corpus et de eo prominens in vertice membrum erit Sedis Apostolicae Nuncius; in qua eliget tutissima apud Confaederatos civitate deget; illius corporis, vitae, fortunaeque omnes dignitatem securitatemque ejus propugnabunt; ita ex nunc pro tunc nomine Catholicorum omnium Confaederatorum spondemus, et publicam fidem totius Regni obligamus. Atque hic modus, hoc remedium sufficiens est, quo in proposito casu, supposito pro non concesso quod eveniet, neque probro neque periculo erit obnoxius Apostolicus Nuncius in hoc regno existens.

(470) " Ad haec, statim atque appulerit in hoc regnum Illustrissimus et Reverendissimus D. Firmanus, convenientiis

inconvenientiisque status et rerum nostrarum propensis, faciemus nos quicquid ipsi visum fuerit expedire.

D. Mandato Comitiorum :

Thomas Tyrelle.

Fr. Thomas, Archiepiscopus Dubliniensis.
Emerus Clocherensis. Thomas Fleming.
Torl. O'Neill. Gerald Fenell."

881 (471) Præ manibus etiam est duorum foliorum relatio multarum
v rerum tunc arcanarum a Spinola (cui sub secreti sigillo, ut Nuncio per litteras communicaret, reservatae essent) adeo in ordinem Italice digesta, ut exinde colligere sit nobilem illum Italum ingenio et (in juvenili aetate) senili rerum gerendarum prudentia fideique zelo valuisse. Praecipua autem scribendi seges erant articuli pacis Glamorganae in compendium redacti, quos melius aliunde et alibi integros dedimus. Porro nec praefatum | instrumentum publicum nec annexam Spinolae relationem ad Nuncii manus nisi recens ab impulsu in Iberniam pervenisse crediderim, quod illud die 3^a Octobris stylo veteri, cui in Ibernia insistitur, proindeque 13^a stylo novo, absolutum fuerit, Nuncius navigationis anteriores aliquot circumstantias, ipsamque et reliquum iter usque ad Nuncium Limerici in Iberniam receptum Illustrissimus Dominus Dionysius Massarius, tunc Decanus, deindeque Sacrae Congregationi Cardinalium de propaganda fide in Urbe a Secretis, adumbravit epistola Italica ad Illustrissimum Dominum Thomam Rinuccinum, census Equestris, Nuncio germanum, Limerico mox Florentiam transmissa, cujus ideographum jam ante oculos est, et exordium hic Latine reddo :

(472) " Domine Illustrissime et Patrone mi Colendissime. Post quam ad Illustrissimi D. Nuncii, Patroni mei, mandatum Sancto Petro dicatam celocem Nannetis comparassem, sua Dominatio Illustrissima cum illa familiae parte, quae ipsi magis opus esset, Rupellam transmigravit, quod ibi expectaretur a Domino secretario Magni Concilii Iberniae, qui suae Dominationi Illustrissimae se octo bonarum navium classi, quae in Iberniam concomitaretur, moram attulisse significaverat. Interea ego a tergo remansi ad providendum de victibus et apparatibus bellicis, qui multorum ministrorum diligentia etiam quam maxima, breviori quam decem dierum spatio expediri non poterant. Negotio autem peracto eadem ventis vela dedi. Et Deus tot forsan servorum suorum, qui pro nobis (sicut Dominatio vestra

Illustrissima me saepius certiolem reddidit) orant, meritis et precibus flexus Suae sanctae protectionis specimina mihi demonstravit, nam non solum a nave Parlamentaria, quae celocem dum in portu Pabufensi a praesidio praeter quam paucos nuda staret ex improvise invadere moliebatur, me liberavit, sed etiam, quo eidem navi me in portu Santnazariensi opprimere decretum esset, periculo eximit. Illas enim ibi semper moram faciens nostra instituta animadvertibat, et extraordinaria vigilantia protectionem expectabat, ut egressuri vix retractis anchoris vela explicaverimus, cum illa id ipsum fecit insectata sine intermissione quadraginta miliaribus, supposebat siquidem incasuros nos in duo alia navigia Parlamentaria, quae ex industria illam maris regionem lustratum ibant, ipsique statutum erat patrando facinori non deesse, sed conflictu secuturo ex improvise advenire. Verum Deus permisit ut alias duae naves celocem Ibernicam, quae inter S. Maclovium et Nannetas se a discrimine vindicaverat, venatione pridiana persecutae viam nobis tutam reliquerint. Eam tamen ob causam alia re praeclare gerenda supersedimus occasione oblata ad Portum Oloniensem, ubi exercens piraticam navis Cantabrica nostram celocem devictura ad nos totis velis cursum direxit, et cum essemus prompti ad adoriendum (modo sicut praeseferebat insilire auderet) in ipso procinctu resilivit atque alio conversa in fugam se recepit. Nobis autem citra dubium si ad manus ventum esset in praedam cessisset, sed prudens navarchus insectari noluit, quod non deesset alter hostis, qui tergo et humeris insidiaretur. Noctem totam accuratissima circumspectione navigavimus, die autem postea nedum immunes a persecutoribus, | verum etiam vicini eramus 882 Sancti Martini insulae, deindeque paucarum horarum spatio vento secundo Rupellam ivimus, jactaque anchora ego scapha in continentem me contuli, quo Illustrissimum D. Nuncium salutarem, qui in Patrum Jesuitarum Collegio me manebat, supra modum anxius quod didicisset majus imminere periculum inter Nannetas et Rupellam quam inter Rupellam et Ibernicam. Ut autem me vidit, sua Dominatio Illustrissima elatis in caelum manibus Deo ac Beatissimae Virgini gratias egit. Porro velis ad pandendum paratis et vento prorsus aspirante, praefatae octo naves quinque vel sex diebus nos praestolabantur, sed nostra celoce non comparente, ne opportunam occasionem manibus dilabi permetterent, in eam iverant sententiam ut abscederent. Altera etiam navis bene magna et armis instructa, quae se omnino expectaturam promiserat, ipso die, quo Rupellam

pertigimus, ad Sancti Martini Insulam secessit, exindeque passis velis in Iberniam pergens nos nobis reliquit. Illustrissimus Dominus Nuncius more solito Dei patrocínio et benedictionibus Apostolicis confidens omnia aequi bonique consuluit, quae ad navigandum necessaria essent, praeparari jussit, postera die licet rabida scabie maximopere divexatus celocem conscendit et cum aliis numero octoginta tribus partim viatoribus, partim militibus, partim nautis, faustis auspiciis solvit." Haec ibi.

(473) Stupendis autem periculis inter trajiciendum in Iberniam Nuncius defunctus fuit, immanissimo pirata persequente, quem Nuncius cum litteras, quas mox subjiciam, rei seriem perstringentes Romam scriberet, tantummodo conjectabat, postea vero certo didicit fuisse ipsissimum, de quo in epistola significavit, Plunquettum, apostatam Anglo-Ibernum longe crudelissimum, data opera immissum ut Nuncium interciperet. Parlamentarii enim Catholicis mortalium plane omnium infensissimi Nuncii ante alios caedem et sanguinem sitiabant, quod hostes potentes et impotentissimi fidei et Ministri Apostolici communi haereticorum omnium odio arderent, et insuper supra quam dici queat, timerent ne Iberni jam victoris inflati a Nuncio et subsidiis Pontificiis mentem, quam eam fuisse superius declaratum est, ut purgata primum infernali haereseos veneno Iberniam, mox instructissimus Catholicorum Ibernorum exercitus in Angliam adversus regicidas illos et rebelles immitteretur. Quanta ergo illi rabie in Nuncium et comitatum ferocirent, et quam flagranti cupiditate suppetias Pontificias nedum Ibernis praeripere, sed et in rem suam convertere aestuarent, nemini non est obvium sibi persuadere. Verum ille Deo specialiter providente evasit, terra potitus ad sinuosum illud maris brachium, quod in Iberniam Desmoniae territorio Gleanruochtensi illabitur. Sinum illum vernacula Ibernorum lingua *Cean mera*, id est *caput maris*, nuncupant. Nuncius autem alique post ipsum Itali Anglicanismum, quo *Kilmar* vocatur, secuti, leviusculo calami lapsu suis scriptis Chilmar vocitant. Porro ipse (ut fusius dicam) a praefati tractus Gleanruochtensis nobilissimo dynasta Mac Finino humanissima hospitalitate exceptus, ex ejus arce Artulihensi totam rei seriem ad Cardinalem Pamphilius Romam misit litteris Italicis, quas Latine subnecto. |

FINIS VOLUMINIS PRIMI.

(F244).Wt.5147—913.3.3.3.548.8/32.Falconer.



